
ARCHANGELI MERCENARII ... DILUCIDATIONES OBSCURIORUM LOCORUM &...

Arcangelo Mercenario




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
1 B
29


ARCHANGELI MERCENARII A MONTE SANCTO

DILVCIDATIONES OBSCVRIORVM locorum & quæstionum Philoſophiæ Naturalis Ariſtotelis, extrema ipſius recognitione emendatæ.

ADDITAE SVNT DISPVTATIONES de Putredine contra Tomam Eraſtum, Et Indices neceſſarij.

TERTIA EDITIO.


CVM PRIVILEGIO.









VENETIIS,
Apud Paulum Meietum Bibliopolam Patauinum.
M D LXXXVIII.





AD ILLVSTRISS.^MVM ET REVEREND.^MVM

D. D. COSTANTIVM SARNANVM S. R. E. Cardinalem Amplisſ.





VOD præclaro excellentiq; ingenio viri, ſummũ quoddã ac plane diuinum iudicarũt, id ego ſemper probaui maxime, & vt aſſequerer conatus ſum; in ijs nempè, quæ ad ingenuarum artiũ liberaliumque diſciplinarum cognitionem attinent, non modo præſentibus, ſed quantum fieri poteſt, ipſi etiam poſteritati conſulere. Quamquam enim nullus inde fructus, nulla emanaret vtilitas (quod tamen ſi quis aſſerere auſus fuerit, eũ

ratio, & veritas ipsa refellet) hoc vno certè, eoque non vulgari præmio contenti esse deberemus, ab honestis laboribus, egregijsque actionibus eam gloriam proficisci, quæ perpetuo in posteritatis memoria ac prædicatione seruatur. In hoc itaque iuuandæ posteritatis consilio ipse quotidie perseuerans, cum multos clarorum virorũ libros nõ amplius editos multos et quasi e tenebris erutos in lucem reuocarem, inciderunt mihi in manus Dilucidationes Archãgeli Mercenarij Philosophi præstantissimi a me olim excussæ, in quibus denuo excudendis, nouoque alio ordine disponendis, si operam industriamque meam contulissem, plurimum me Philosophiæ studiosis prodesse posse clare perspexi, Desiderium hoc meum res ipsa tandem consecuta est, eas enim iterum prælo subiectas emittere, tibique Cardinalis Illustriss. dicare cõstitui, tum vt opus hoc per se quidem dilucidũ Illustrissimo nomine tuo dilucidius redderetur, tum etiam vt tibi de ista, qua te nuper extulit Sanctissimus Pontifex altissima Cardinalatus dignitate, maiore qua possem animi mei significatione gratularer. Quod quidem antea facere, ob eximia innumeraque tua in me bene

ficia,

ficia, & debui, & optaui; ſed cum te tantum virum, naturali quodam pudore deterritus, meis litteris petere non auderem, in hoc vſque tempus, hanc peropportunã nactus occaſionem, diſtuli vel inuitus. Veram itaque licet ſeram hanc meam gratulationem tenui hoc munere tibi, vir Illuſtriſs, declaratam tamquam meæ in te obſeruantiæ pignus ac monimentum accipere ne dedigneris: eam tamen ita accipias rogo, vt multo maiorem putes obſeruantiam, beneuolentiamque in te meam, quàm a me vmquã exprimi, ac declarari vllo vel verbo, vel officio poſſit. Vale.




AD LECTOREM.



*N tibi studiose Lector, duos illos Archangeli Mercenarij Dilucidationum libros, illustres quidem ex se ipsis, illustriores tamen aliquo pacto commodiores que redditos, cum ex ijs omnibus, quæ in duobus illis libris sparsim ac nullo pœne ordine disposita erant, nouo quodam ac meliori ordine digestis, opus vnum quasi vnum corpus ex varijs membris compactum sit. Equidem vehementer optabam, vt perfectissimo illo ordine, quo Aristoteles ipse in Philosophia hæc pertractauit, eadem in ijsdem libris disponerentur; sed desiderium hoc meum ad exitum perducere minime potui: nam, vt tu quoque uidere poteris, multa erant ab ipso authore diuerso quodam ordine ita inuicem connexa atque*

con


coniuncta, vt qui ea seiungere, proprijsque locis ponere voluisset, multa ei necessario addenda, multa etiam subtrahenda fuissent, quod quidem ob authoris reuerentiam nullo modo faciendum duxi. Tu itaque, si non rem ipsam, meum saltem tui in studijs iuuandi desiderium, quod maximum est, læto animo vt accipias, etiam atque etiam rogo.




BORGARVTIVS A BORGARVTIIS.

LECTORI.

SVperioribus editionibus, præſens volumē fuerat in duos Tomos diſtinctum: & eorum vtrique ſuus index inſeruiebat. Nunc verò quoniam doctiorum in re philoſophicâ virorum, tale fuit conſilium, in vnum Tomum tantùm redactum fuit. Et, quoniam non leue nobis negocium futurum putauimus, ſi Indices etiam in vnum redigeremus, & fruſtra talis labor nobis eſſet inſumptus: idcirco, prout iam digeſtos eos adinuenimus, ſic duximus relinquendos. Tu ergo, cùm aliquod ſcitu dignum aſſequi velis, ad ipſorum Indicum ordinem & numeros te conferas, ex quibus animo tuo abundè ſatisfactum facilè comperies.





CAPITA

CAPITA QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

SVBSTANTIA non ſuſcipit magis & minus. pag.110
Sunt autem nobis primo nota confuſa magis. pag.11
Mixta principium habent intrin ſecum actiuum alterationis & interitus. pag.303
Formæ naturales abſque materia intelligi non poſſunt. pag.44
Corporis ſimplicis ſimplex eſt motus,& econtra. pag.117
Quid ſit motus ſimplex. p.119
Qua uia ueritas illius propoſitionis, ſimplicis corporis, ſimplex eſt motus, demonſtretur. pag.120
Vnius corporis ſimplicis unus tãtum eſt motus ſecundum naturam. pag.512
Forma eſt ſubiectum uniuerſalitatis. pag.11
Mundus ex forma conſtat & materia. pag.50
Per quid forma materialis eſt numero una. pag.52
Qua uia probatur corpora naturalia eſſe compoſita ex materia & forma. pag.55
An materia cęli ſit eiuſdem naturę cum materia inferiorum. pag.78
An materia cœli potentia ſit, an actu. pag.87
Quæ ſit cœleſtis corporis forma. pag.93
An intelligentia ſit forma dans eſſe corpori cęleſti. pag.100
Poſſibile ex ſe ab alio perpetuari non poteſt. pag.129
Ex intelligentia & orbe fit magis vnum quam ex materia & forma. 113
Mutatio ſecundum totum nullo ſenſibili remanente ut ſubiecto eodem generatio & corruptio eſt. pag.148
An definitio generationis & corruptionis 1. de gen. tradita cõueniat generationi, & corruptioni cuiuslibet ſubſtantiæ generabilis. pag.149
Definitionis generationis & interitus exacta explicatio. pag.154.
Primæ qualitates ſunt principia elementorum. pag.230
Cur ſingulis elementis duæ a natura accomodatæ ſint qualitates. pag.197
Ex duobus elementis tertium generatur. pag.220
An cum ex duobus elemẽtis tertium generatur, corrupta una qualitate altera generetur. pag.214
Primarũ qualitatũ duæ ſunt agẽ-

tes, & duæ patientes. pag. 239
Calidum est quod congregat homogenea, & disgregat etherogenea. pag. 249
Generatio simplex & naturalis est mutatio ab his uirtutibus &c. pag. 256
Quomodo frigiditas actiuè in generatione concurrat. p. 265
Simplici generationi contrariū maximè commune putredo est. pag. 268
Omnis secundum naturam corruptio in putredinem uia est. pag. 272
Putredo est corruptio secundum naturam, combustio uerò uiolenta. pag. 274
Putredo propriè dicitur in his quę secundum partem corrūpuntur. pag. 279
Putredo est corruptio propriæ & naturalis caliditatis in unoquoque humido ab aliena caliditate, hæc autem ambientis est. pag. 285
Quid sit putredo secundum Galenum. pag. 292
De modo putredinis. p. 298
Putredo est communis passio externæ caliditatis & internæ frigiditatis. pag. 299
An externa caliditas, & interna frigiditas eodem modo in putredine effectrices causæ sint. pag. 301
Dilucidatio rationum Aristotelis primo de partibus animalium. cap. 1. pag. 372
Quomodo prima ratio necessaria sit. pag. 331
Dilucidatio secundæ rationis. pag. 336
Dilucidatio tertiæ rationis. pag. 340
Actus duplex est, primus, & secundus. pag. 342
Nutrimentum quando actu nutrit, & actu nutrimentum est. pag. 375
Dilucidatio quarti textus, tertij libri de anima. pag. 376
Intellectus omnia intelligit. pag. 417
Omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti. p. 420
An demonstratio Auerrois in Com. 4. tertij de anima intellectus immortalitatem concludat. pag. 427
Vndè rationabile est intellectum non esse corpori mixtum. pag. 429
In omni intelligentia, quæ intelligit aliud reperitur aliquid simile materiæ, & aliquid simile formæ. pag. 459
In prima forma essentia eius est quiditas eius, in alijs uerò essentia à quiditate quoquomodo diuersa est. pag. 462
An in substantijs à materia separatis realis compositio reperiatur. pag. 465
Omne compositum est nouum, & possibile. pag. 468


In

In anima duas differentias inesse oportet, quarum altera est omnia fieri, altera uerò omnia facere. pag. 439
Propter quid necessarium est dari intellectum agentem. p. 442
Quæ sit operatio intellectus agētis. pag. 444
De modo operandi intellectus agentis. pag. 446
Intellectus agens impossibilis, separabilis, & immixtus est, substantia actu. pag. 450
Dilucidatio textus 24. tertij libri de anima. pag. 451
Actus est qui separat & distinguit. pag. 64
An secluso quolibet accidente substantia materialis sit singularis & inuidua. pag. 67
De principio indiuiduationis substantiarum materialium. pag. 507
De principio indiuiduationis substantiarum immaterialium. p. 531



RERVM NOTABILIVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

INDEX LOCVPLETISSIMVS.


AVERROIS rationes quibus probat elementorum formas intendi & remitti. pag.220
Arist. in prædicamentis assignat proprietates substantiæ, quæ est genus generalissimum. pag.221
Ad rationem motus non sufficit successio, sed requiruntur subiectum in actu,& termini positiui pag.223
Aristotelis consequentia contra Emped.si elemēta in mixto integra manerent secūdum substantiam mixtio esset iuxta positio,quomodo ualeat. p.227
An qnælibet forma substantialis det esse simpliciter pag.228
Ad remissionem primatum qualitatum non remittuntur formæ elementorum. pag.228
Animata adęquatum principium actiuum naturalis interitus intrinsecus habent pag.305
Animata si in uacuo ponerentur naturali interitu corrūmperentur pag.305
Abstractio formæ naturalis a materia non est mathematica pag.45
Actio & passio à diuersis naturis proficiscuntur. pag.97
Aristoteles in secundo de gener. absoluit quod tertio libro de cęlo inchoatum reliquerat pag.159
Ad elementi rationem constituendam duo solum concurrunt materia, & primæ qualitates pag.213
Aer sui natura calidus est contra stoycos. pag.216
Aristoteles in pertractando de generatione eam legem seruauit,quam statuit primo phis.4 pag.265
Actiuæ qualitates secūdum geometricam proportionem passiuis dominari debet pag. 220
Animalium naturalis interitus senectus est, & impotentia respirandi,stirpium auansis, mixtorum autem putredo p.281
Argenterius temerè Arist. redarguit

guit quod quarto meteo. non omnes mixtorũ corruptionis modos explicarit. pag. 291
Argenterius temerè Arist. redarguit, quòd putredinis differentias non assignarit pag. 292
Argenterius quid sit putredo secundum partem non intellexit pag. 292
Aristoteles ab Argenterio defenditur circa putredinis definitionem pag. 294
Alberti, Buccafer. & aliorum de modo putredinis sententia pag. 296
Argenterius temere Arist. redarguit, quòd putredinis modũ non explicarit pag. 299
An dubitatio ab Arist. mota primo de par. sit de anima simpliciter, an de anima animalium tantum. pag. 327
Arist. primo de part. intellectum humanum a naturali consideratione seiungit. pag. 339
Actus primus, & secundus substantia est. pag. 343
Animal nutritur quousque uiuit pag. 344
Aliud est immixtionis genus quod demonstratur ab Arist. de intellectu in tex. 4. & aliud quod demonstratur in tex. 6. tertij de anima pag. 430
Anima intellectiua de Arist. sententia est æterna & immortalis. pag. 434
Anima intellectiua cæteris substantijs separatis compositior est, & quomodo. pag. 467
Actio immanens quid sit p. 442
Auerrois consequentia quomodo intelligenda est, si darentur uniuersalia extra animam, non opus esset intellectu agente pag. 446
Abstrahere quid sit. pag. 447

B

BVccaf. & Argenterius putredinis differentias confundunt. pag. 296

C

CVr elementa ab intrinseco non corrumpuntur. p. 306
Cur formæ naturales à materia abstrahi non possunt. pag. 46
Corpus simplex quid sit. p. 118
Corpus mixtum quomodo plures habet naturas mouentes, pag. 118
Cęlum esse corpus simplex quomodo intelligatur. pag. 120
Corporis mixti motum mixtum esse quomodo ostẽdatur. p. 120
Corporis mixti põt esse motus simplex & quomodo. pag. 121
Cęlũ non est mundi forma p. 51
Cõpositio ex materia & forma in corruptibilibus p mutationẽ primo phis. cognita fuit p. 52
Cęlum compositum esse ex materia & forma octauo phis. explicatur. pag. 53

Cęlum

Cęlum seclusa intelligentia non agit in hæc inferiora. pag. 98
Causalitas causæ supponit semper causalitatem causæ externæ. pag. 108
Compositionis gradus triplex est. pag. 115
Cur Aristoteles tertio de cęlo nō persoluit inchoatam dubitationem de modo generationis elementorum. pag. 152
Calor ignis & mixti reipsa nō distinguuntur. pag. 199. & 271
Calor & frigus humiditatem in mixtis tantum absumunt, uario tamen modo pag. 215
Cur singula elementa duas habēt qualitates pag. 216
Calor & frigus quomodo agunt in humidum & siccum cum non sint contraria. pag. 260
Caloris præcipua operatio quandoque est calefacere, quandoque uerò congregare, & terminare. pag. 260
Caloris definitio tradita quarto meteo. est conuenienter tradita. pag. 261
Caloris definitio malè exposita ab Alb. & Zim. & Buc. p. 262
Calor quomodo substātiam producit pag. 272
Calor & frigus quomodo in quolibet mixto prædominentur. pag. 273
Cur putredo sit naturalis, & combustio uiolenta. pag. 285
Cur in definitione putredinis Arist. præmisit calorem propriū naturali, ī definitione uerò cōctionis naturalem proprio. pag. 288
Calor quot modis deficit & corrumpitur. pag. 298
Cur putredo non fiat à frigiditate externa sicut interna p. 302
Corpus organicum quid sit. pag. 343
Cur æqualiter calida non sentimus pag. 419
Cogitatiua re non distinguitur ab imaginatiua pag. 68

D

Difformitas partium non est necessaria ad corruptionem intrinsecam pag. 306
Deus Opt. nec alia forma abstracta est mundi forma pag. 51
Deus quomodo dicitur forma intelligentiarum, & intellectus nostri. pag. 51
Demonstrare corpora naturalia esse cōposita ex materia & forma ad naturalē attinet. pag. 57
Demōstrationes naturam medij insequuntur. pag. 57
Demonstrationis Aristot. octauo phis. contex. 79. diligens animaduersio pag. 86
Distinctio de forma informante educta, & non educta de materia inanis est pag. 104
Definitio formæ tradita secundo phis. competit solum formæ mortali pag. 190
Diuersus est ordo materię, formę & acci-

& accidentium in diuinis, & mortalibus corporibus p. 116
Definitio tradita primo de gen. 23. non est generationis tantum, sed generationis & corruptionis simul pag. 111
Definitio generationis & corruptionis ibidem tradita cōmunis est generationi & corruptioni elementorum & mixtorum pag. 150
Definitionis generationis mixtorum præire debet definitionē generationis animatorū 165
Definitionis generationis mixtorum traditæ. 4. mete. diligens interpretatio pag. 268
De modo putredinis opinio propria. pag. 299
Demonstratio Auerrois com. 4. tertij de anima intellectus immortalitatem non concludit. pag. 428
Definitio intellectus Agentis tradita tertio de anima nō est metaphisica, sed naturalis p. 452
Demonstratio qua probatur impartibilitas in contex. 41. 12. met. & 79. octaui phis. non est de primo motore simpliciter, sed de aggregato ex omnibus intelligentijs pag. 526

E

Elementa formaliter manent in mixto secundū substātiā integra, & perfecta pag. 225
Esse simpliciter ab ultima forma proficiscitur pag. 228
Expositio uera textus decimi octaui met. pag. 229
Ex contrarietate Arist. numerum principiorum determinauit, & materiam introduxit p. 10
Ex motus simplicitate Arist. cęli simplicitatem demonstrauit pag. 120
Ex abstracto & abstracto fit magis unum quàm ex intelligentia & orbe, & ex his magis, quam ex materia & forma, & ratio pag. 155
Elementa in generatione mixtorum manent ut subiectum pagina 158
Elementorum differentiæ a pluribus ducuntur fontibus p. 230
Elementa pręter primas qualitates propriam formam substantialem habent pag. 211
Elementa ùt elementa sunt, non sunt in coordinatione substantiæ, sed accidentis pag. 214
Ex duobus elementis symbolum habentibus tertium generari non potest pag. 239
Ex duobus elementis quomodo tertium generatur, & a quo pag. 242
Ex duobus elementis cum tertiū generatur, corrupta una qualitate altera ei opposita generatur pag. 245
Elemēta omnia putrescunt excepto igne & ratio pag. 246
Ex quo nutriuntur animalia per hiemem in latebris degentia,

cum nutrimentum non assumant pag.343
Explicatio definitionis intellectus Agentis pag.452

F

FOrmę substantiales elementorum intēduntur & remittuntur Auerrois opinio pag.220
Formæ substantiales non ex ęquo recipiuntur in materia prima pag.226
Forma quo perfectior, eò magis materiam actuatam expostulat pag.226
Formas omnes habere idem subiectum proximum quomodo intelligatur, ibid.
Frigiditas interna in putredine concurrit in genere causæ efficientis. pag.304.& 301
Formæ naturales sunt minus abstractæ quàm mathematicæ pag.35
Forma materialis tantum plurificabilis est pag.48
Forma ex se, & ab intrinseco plurificabilis est. pag. 48
Forma est una numero per aliquod diuersum à sua essentia pag 54
Forma abstracta non est uerè natura, sed secundum quandam analogiam p.95.& 338
Forma mortalis tantum materiæ p informationē unitur p. 110
Facilius & difficilius, uelocius & tardius in generatione elementorum penes quid accipiantur pag.246
Frigiditatis usus in generatione pag.275
Frigiditas non ingreditur opus Naturæ, quomodo intelligitur pag.275
Forma est magis Natura q̃ materia pag.327
Forma est causa distinctionis specificæ pag.65
Forma est causa numeralis distinctionis materia in genere causæ finalis pag.66

G

Genus generalissimum prædicamenti substantię est corpus generabile, & corruptibile p. 221
Generatio fit de non subiecto in subiectum, ut in terminos primos pag.22
Generatio substantialis non fit successiuè, sed in instāti p.225
Grauitas & leuitas sunt formæ substantiales elemētorum, Auerrois opinio pag.199
Generatio inter elementa symbola facilis est, inter non symbola difficilis, tertii verò ex duobus inter utramque media est, pag.246
Galeni error quomodo duæ qualitates sunt agentes & duæ patientes pag.257
Generatio definita 4. meteo. est mixtorum perfectorum tantum ut mixta sunt pag.264

Generatio

Generatio mixtorum animatorũ ut animata sunt definita fuit in lib. de morte & uita pag. 264
Generatio & putredo penes tria opponuntur. pag. 280

H

HVmidi dissolutio in putredine non habet causam positiuam, sed priuatiuam tantum, pag. 297
Habens aliquam naturam realiter, & intentionaliter eandem secundum speciem & realiter, & intentionaliter recipere potest pag. 421

I

IN tex. 2. & 3. primi phis. Arist. non agit de ordine doctrinæ, sed de uia doctrinæ pag. 7
Inferiores spherę duplicem motum habent p. 123
In omni genere causæ gradus reperiuntur pag. 84
In cęlo nõ reperiuntur sensus neque propter melius animæ, neque pp melius corporis p. 97
In cęlo propter intelligẽtiã nulla alia forma adinuenitur p. 98
In libris de anima cõsideratur solum Anima corporis generabilis, & corruptibilis pag. 105
Intelligentia non est forma dans esse cęlo pag. 109
In mutatione substantiali nõ manere idem subiectum sensibile quomodo intelligitur p. 255
In his quę uniuoce dicũtur quod uni est accidens, alteri substantia esse non potest pag. 199
Igni, aeri, aquæ, & terræ accidit elementa esse pag. 210
In corruptione quis ordo p. 213
In generatione mixtorũ duæ qualitates sunt agentes, duæ uerò patientes pag. 271
Idem contrariorum effectuũ causa esse potest pag. 274
In corruptione animalis nulla forma substantialis de nouo generatur pag. 275
Ignis cur non putrescit pag. 290
In putredine alia est diminutio caloris naturalis facta a calore ambientis, & alia facta à frigiditate interna pag. 293
In putredine calorem naturalem dissolui ad humidi dissolutionẽ, cõmunis error. p. 298
In putredine multę mutationes concurrunt, una tamen mutatio est pag. 299
In putredine externa caliditas est causa per accidẽs, interna uerò frigiditas est causa p se p. 302
Intellectus quomodo à naturali cõsideratur, & qũo non p. 331
Intellectus non est principiũ proximũ motus in homine p. 338
Intellectum esse de genere uirtutum passiuarum qua uia probatur pag. 577
Intellectus omnia intelligit, quo modo intelligitur pag. 418
Intellectus substantias separatas quiditatiuè minimè intelligit pag. 419

Intellectus sine phantasmate intelligere nequit pag.420
Intellectus possibilis non est potentia de secunda specie qualitatis. pag.429
In intelligētijs citra primā reperitur compositio ex priuatiuo & positiuo pag.460
In intelligētijs reperitur compositio ex positiuo & positiuo secundum esse intentionale pag.460
In substantijs separatis nulla realis cōpositio reperitur. p. 465
Intellectus possibilis & agens nō sunt duæ partes substantiales animam intellectiuam componētes, sed sunt modi, & gradus animę intellectiuæ pag.466
Intellectus Agens non solum est necessarius propter formas materiales, sed etiam propter substantias separatas pag.445
Intellectus Agens quomodo formam abstrahit a materiæ conditionibus pag.447
Indiuidua seclusis accidentibus non amplius indiuidua sunt pag.68
Indiuiduum quare dicitur indiduum, pag.521

L

LVmen non facit potentia calores actu colores secūdum esse reale. pag.444

M

MIxta partim ab intrinseco principio actiuo, partim ab intrinseco naturali interitu corrumpuntur. pag.301
Modus quo animata naturali interitu corrumpuntur. pag.301
Mixtorum intereundi modum Aristoteles quarto meteo. considerauit. pag.301
Mixta inanimata si in uacuo ponerentur, non corrumperentur, & eius ratio pag.302
Motus simplex quid sit. pag.119
Motus simplicitas undè oriatur. pag. 119
Motus mixtus quid sit, & unde oriatur. pag.119
Motus aeris a loco ignis deorsū ad locum proprium, & a loco aquæ deorsum ad eundem locum non sunt specie differentes. pag.123
Motus ad diuersos terminos secundum speciem non semper diuersi sunt secundum speciē. pag.125
Materia est cā pluralitatis, quomodo intelligitur pag.48
Mundi materia quæ sit pag.50
Mundi forma est ordo, aut figura spherica. pag.52
Materia non est una numero per formam substantialē, sed econtra. pag.54
Motus ut à metafisico consideratur medium esse nequit ad de

monstrandum corpotum compositionem pag. 59
Materia cęli est alterius rationis a materia inferiorum secundũ Arist. pag. 83
Materia cęli & inferiorum seipsis distinguntur. pag. 83
Materia cœli ex motu locali cognita fuit. pag. 99
Materia cęli sui natura actu est. pag. 91.
Materia cęli & inferiorum per analogiam cognoscuntur, differenter tamen pag. 99
Modus generationis elementorũ explicari non poterat, non cognita natura generationis in communi in primo lib. p. 151
Mutatio substãtialis & penes terminum, & penes subiectum ab alteratione seiungitur pag 231
Mixta duobus tãtum modis corrumpi possunt, putredine, s. & combustione pag. 285
Mors naturalis animalium non fit ab externo, neque per actionem internæ qualitatis in alteram. pag. 290
Mixta minus per hiemem, quàm per ęstatem putrescunt. p. 290
Materia est causa passionis p. 294
Materia est causa distinctionis in formis, & compositis pag. 65
Materia totius quam effinxit Scotus secundum Arist. non datur. pag. 511
Materia quò ad esse rei per se causalitatem non habet. pag. 525
Materia signata est pręcipua indiuiduationis causa, forma uerò secundaria pag. 525

N

NAtura accidentalis secundũ esse specificum non suscipit magis & minus. pag. 221
Non omnia accidentia intenduntur, & remittuntur. pag. 222
Nulla forma substantialis intenditur, & remittitur. pag. 223
Non omnis transmutatio adueniens enti in actu est alteratio pag. 224
Non quilibet motus sursum & deorsum oppositi sunt. p. 124
Non omnis corruptio secundũ naturã caloris naturalis in humido, putredo est. pag. 281
Non quodlibet principiũ intrinsecũ motus est Natura. p. 338
Natura secundo phis. definita Animam includit. pag. 339
Nutrimentum actu nutrimentũ est, cum simile factum est, etiã de Hippocratis, & Galeni sententia. pag. 375
Noctua interdiu uidet pag. 419
Non sunt diuersę rationes indiuiduandi formam & compositum. pag. 412
Numeralis indiuiduorum differentia reducitur ad aliqua primo diuersa, & quæ sint. p. 413

O

OPeratio formæ substantialis non intenditur & remitti-

tur ratione formæ, sed ratione instrumenti pag. 225
Oppositio in motu non desumitur à termino a quo, sed a termino ad quem pag. 124
Omnis potentia ad esse est potentia contradictionis & ad non esse pag. 87
Omnis forma dans esse rei, dat vnitatem, operationem, & motum. pag. 95
Omnis forma abstracta à materia per essentiam, est intellectus. pag. 95
Omnis forma recepta in materia, in potentia de materia, educta est. pag. 104
Oē cōpositū habet Agēs. p. 108
Oleum nō congelatur, sed incrassatur. pag. 217
Oleum celeriter crassescit non quà frigidum, sed quà crasſū, & viscosum est. pag. 217
Oē agens cōmunicans in materia cum passo in agēdo, per eandē qualitatem repatitur pag. 241
Ordo in substātijs separatis 466
Omne compositum est nouum & possibile quomodo intelligitur pag. 471
Omnis abstractio fit ab intellectu agente pag. 449

P

Propositio illa quarti tex. primi phis. Vnde ab vniuersalibus &c. est de ordine doctrinæ. pag. 8
Pomponatius rationem putredinis non intellexit 303
Penes quid naturalis, & metaficus distinguantur. pag. 269
Propositio illa, omne possibile ab intrinseco est possibile ab extrinseco, quo principio innitatur. pag. 81
Potentia intrinsecè spectat ad motum. pag. 92
Propositio illa quicquid est sensibile, est sensibile per materiā, qūo intelligitur. pag. 99
Potentia logica non dicit aliquid reale. pag. 112
Possibile ex se neque in substantijs, neque in accidentibus ab alio perpetuari pōt. pag. 113
Præcipua Aristotelis intentio in libris de ortu & interitu, est agere de generatione, & modo generationis elementorum p. 151
Primæ qualitates in libro de Cęlo considerari non potuerunt, & causa pag. 153
Primæ qualitates nō sunt formæ substātiales elemētorū. p. 236
Primæ qualitates sunt principia elementorū ut materia p. 237
Primæ qualitates esse principia elementorum in genere causæ formalis, quomodo intelligitur. pag. 237
Primarum qualitatum duę sunt operationes pag. 247
Primæ qualitates omnes sunt patiētes, & se ut materia habent. pag. 247

Primæ

primæ qualitates omnes ſunt agẽtes,& patientes. pag. 248
primarum qualitatum duæ ſunt agẽtes,& duæ patiẽtes p. 248
primæ qualitates quarto meteo. conſiderantur in ordine ad generationem, & alias mixtorũ paſſiones pag. 249
Putredo eſt cõtrarium cõisſimũ generationi mixtorũ nõ aũt cõbuſtio, neque quòd commune eſt putredini & combuſtioni, contra Arg. pag. 279
putredo nõ eſt diſſolutio omniũ elementorum. pag. 279
putredo nõ eſt finis & terminus in quem ſecundum naturam deſinunt animantia pag. 281
putredo ſecundum partem quid ſit, uera expoſitio pag. 286
putredo elementorũ diuerſa eſt a putredine mixtorum p. 287
putredinis definitio 4. mete. qua uia inuenta eſt. pag. 288
putredinis definitio eſt cauſalis. pag. 289
putredinis definitio cur ab Ariſt. tradita non eſt uel per dominium humidi, uel per diſſolutionem humidi à ſicco. p. 289
putredo nõ eſt caloris naturalis ĩtenſio, ſed diminutio. p. 290
putredinis definitio tres cõtinet cauſas pag. 292
putredinis definitio ab Ariſt. tradita ab ea quæ a Gal. xi. meth. tradita fuit, quomodo diſtinguitur pag. 292
putredo quonam pacto à combuſtione diſtinguitur p. 298
putredo de qua Ariſt. agit nõ fit a frigiditate externa, pag. 297
prima ratio Ariſt. primo de part. neceſſaria eſt, & q̃uo pag. 332
propoſitio illa, omne recipiens eſt denudatum a natura recepti, uera eſt & in receptione reali, & ſpirituali. pag 426
potentia de ſecunda ſpecie qualitatis nil aliud eſt, niſi facilitas & promptitudo ad agendum, & patiendum pag. 434

Q

QVid per confuſa intelligat Ariſ. primo phiſ. tex. 3. p. 9
Quomodo ex diuiſione confuſorũ principia innoteſcant p. 10
Quarto libro met. agitur de mixtis ut mixta ſunt. pag. 306
Quomodo formæ naturales abſque materia intelligi poſſunt, & quomodo non pag. 45
Quomodo ex motus ſimplicitate cęlum eſſe corpus ſimplex inferri poteſt, ſi motus ſimplex põt eſſe corporis mixti. p. 122
Quæ conſiderata ſunt in primo de gener. ea conſiderata ſunt propter ea quæ conſiderantur in ſecundo pag. 160
Qua uia, & ratione definitio generationis tradita 4. meteo. inuenta eſt. pag. 265
Quid ſit generatio ſimplex, & naturalis pag. 266
Quid noĩe caloris ꝓprij & naturalis

ralis intelligit in definitione putredinis pag. 289
Quid per ambiẽtis caliditatem, à qua putredo efficitur, Arist. intelligat pag. 291
Quæ putredinis differentia ad philosophum attinet p. 298
Quomodo naturę definitio intelligenda est pag. 338
Qua uia Arist. humanę mẽtis ęternitatẽ demõstrauit. p. 437
Quomodo intelligitur illa consequentia, si Anima non habet opus proprium, ergo est à corpore inseparabilis. pag 437
Qua uia 3. de Anima Arist. demonstrauit necessitatem intellectus Agentis pag. 439
Quæ sit causa necessitatis intellectus Agentis pag. 443
Quæ sit operatio, & modus operandi eiusdem pag. 444
Quomodo Agens ad indiuiduationem concurrit pag. 528
Quomodo materiæ dispositiones sint de intrinseca ratione indiuidui, & qũo non p. 530

R

Ratio diui Thomæ contra Auer. formas elemẽtorum non intendi, neque remitti nihil concludit. pag. 223
Ratio formæ pariter & Agentis in quo consistat pag. 110
Rõnes ideales in intellectu humano secundũ Arist. minimè reperiuntur, cõtra Simp. 379
Receptiuum coloris sine colore esse debet. 414
Recipiens in triplici differentia est. pag. 424

S

Si senex acciperet oculum iuuenis uideret ut iuuenis p. 224
Species rerum sunt sicut numeri pag. 224.
Species non æqualiter distant à primo principio pag. 225
Subiectum generationis potẽtia est, qũo intelligitur. pag. 226
Simplitius corporis simplicis definitionem non rectè exposuit pag. 117
Si esset uirtus in magnitudine, quæ haberet potentiam infinitam, moueret in instanti, non autem si esset extrà magnitudinem: qũo intelligitur p. 87
Symbola qualitas eadem numero manet in genito & corrupto pag. 236
Sicut in generatione mixtorum tria reperiuntur, ità in putredine, & naturali mixtorum interitu. pag. 10
Sensus non est impassibilis secundum totam latitudinem sui obiecti. pag. 577
Simplicius super tertium de anima cautè legendus. pag. 380
Sensus tactus non est denudatus à tota latitudine primarum qualitatum, sed ab earum excessibus. pag. 419
Substãtia abstracta alia uia quàm uia mot⁹ demõstrari põt. 437

Species

Species impressæ & subiectiuè existentes in intellectu non dantur. pag.450
Species quomodo athoma indiuisibilis esse dicitur peg.521
Substantia separata seipsa,& ab intrinseco indiuidua est p.536

T

TExtus quartus tertij de aĩa ab Auer.malè exposit⁹.377
Tertium,caput secũdi de gener. animal.ab Alexandro,eiusq; sectatorib. male expositũ p.435
Terminus actionis intellectus Agent.s quis sit. pag.449

V

VNa forma substantialis est maioris perfectionis quàm alia. pag.224
Vnitas definitionis ab ultima differentia proficiscitur.pag.228
Vltima forma terminus est,& actus formarum pręcedentium. pag.228
Veritas illius propositionis, simplicis corporis simplex est motus non ex definitione motus, sed ex definitione corporis simplicis demonstratur.p.120
Vnde pendeat veritas illius propositionis,unius corporis simplicis,unius tantũ est motus secundum naturam. pag.122
Vnus motus simplex secundum naturã diuersis secundũ speciẽ conuenire potest. 10.Gra.opinio reijcitur. pag.124
Vbi materia ibi contrarium.p.81
Vnitas generis ex materia sumitur pag.81
Vnio formæ informantis cum materia fieri neqnit absque potentia. pagi102
Vnum pluralitatis, & diuisionis priuationem dicit. pag.115
Vera expõ cont.24.primi de gener. pag.159
Vermes qui in putredine oriuntur, à quo generantur. p.268
Vera expõ tex.quarti,tertij de anima pag.378
Vnde deducatur conclusio textus sexti,tertii de anima.p.429
Vniuersale sequitur actum intelligendi,contra com. pag.450
Vnum numero quod definitur 5. me. 12.nõ est unũ numero per accidens,sed per se.p.519
Vnum numero definitur per materiam ut per cãm. pag.519
Vnitas numeralis, & diuersitas numeralis non ad diuersa referuntur principia,sed ad unum tantum. pag.520
Vltima materia quid sit pag. 526
Vñ oriaẽ priuatio, & potẽtia ad formam pag.526
Vnitas formalis substantiarum separatarum est formalis,quę eadẽ est cũ unitate entis, & principium numeri transcendentis. pag.536
Vnitas numeralis substantiarum materialiũ est unitas materialis,& principium numeri materialis. pag.536

IN-

INDEX THEOREMATVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Ex lib. de physico auditu.

VBI corpus naturale definitur, & quid sit. pag. 1.
Quæ sunt præter primam materiam, & ultimam formam, sunt materiæ compositæ, & formæ compositæ. pag. 59
Quæ sint materiæ, & formæ compositæ. pag. 61
Ab uniuersalibus ad singularia progredi oportet. pag. 11
Doctrinæ ordo vndè sumatur. pag. 13
Cęlum ut causa efficiens minus uniuersalis ubi consideratur. pag. 15
Dilucidatio tex. 50. primi phys. in quo hæc duo explicantur. pag. 17
In substantia una contrarietas reperitur, oportet in principia semper manere. pag. 19
In substantia una contrarietas reperitur. pag. 22
De methodo inueniendi materiam primam. pag. 25
De methodo inueniendi naturā eiusdem. pag. 28
Materia non est Quid, nec Quale, nec quantum, &c. pag. 30
Materia est substātia in potentia. pag. 32
An potentia sit de essentia materiæ, quęve potentia ponitur in definitione materiæ. pag. 36
Quomodo materia ratione priuationis intereat, & oriatur, & cur potius ratione priuationis, quam ratione formæ oriri, & interire dicatur, ex contex. 82 primi phys. pag. 41
Priuatio est quodammodo forma. pag. 42

Ex Lib. de Cęlo.

Cęleste corpus animatúm est, pag. 69
An sit animatum anima uegetali pag. 70
An sit animatum anima sentiente. pag. 71
Qua methodo compertum sit animatum esse anima intelligēte pag. 77
Motus circularis competit cœlo secundum naturam. pag. 126

Ex

Ex libris de ortu, & interitu.

GEneratio unius est corruptio alterius, & econtra. pag. 134
Quomodo materia huius connexionis causa sit.
Quis ordo sit inter generationẽ vnius, & corruptionem alterius. pag. 142
De naturę ordine in ortu, rerumque naturaliũ interitu. p. 144
Simile non agit in simile, neque à sibi simili patitur. pag. 161
An in actione spiritali simile agat in simile. pag. 170
An inter æqualia actio reperiatur. pag. 173
Mixtio est miscibilium alteratorum unio, & unde deducatur. pag. 176
Quomodo mixtio à generatione mixtorum distinguatur. pag. 180
Ex definitione mixtionis quomodo elementa manẽt in mixto. pag. 182
An elementorum qualitates in mixto reperiantur in summo, aut represse. pag. 188
An elementorum qualitates æquali gradu, põderisque ęqualitate reperiãtur in mixto. 192
An singulis elementis ambæ qualitates sint in summo, aut una in summo, altera uerò remissa ex contex. 23. 2. lib. pag. 197
Qua methodo compertum sit, Ignem, aerem, aquam & terram composita esse ex materia & forma corpora simplicia, & elementa. pag. 217

Ex quarto Libro meteorum.

QVomodo singulis elemẽtis ambę qualitates accommodatę sint pag. 200
In his, quæ putrescunt, animalia generantur. pag. 308
An genita ex putri materia à calore Solis uel mixti putrescentis producantur. pag. 311
Cũ ex putrescente cadauere non mixtum inanimatum, aut planta, sed animal generatur. p. 315
An orta ex putri, & ex semine sint eiusdem speciei. pag. 316
Concoctio est perfectio a calore naturali, & proprio ex oppositis passiui pag. 320
Modus quo concoctio a calore fiat, & cur potius calor quam frigus cõcoctionis author sit. pag. 323
Calor terminat, & condensat. pag. 253

Ex Libris de anima.

ANima est actus primus corporis naturalis potentia uitam habentis. pag. 346
Quomodo anima cęli, & formæ elementorum corporis similaris


ris formæ sint. p.348
Anima est non solum actus primus, sed etiam secũdus. p. 352
Quo discrimine distinguatur prior animæ definitio à secunda. pag. 357
De differentijs & animę speciebus. pag. 360
An uirtus uitalis a uegetali distinguatur. pag. 362
Quid animæ species inter se distinguantur pag. 365
De dissimili animæ specierum cõditione. pag. 366
Cur anima rationalis non solum cognoscens, sed etiam intelligens sit. pag. 438
Animantia nutriũtur quousque uiuunt. pag. 367
De effectrice nutritionis causa. pag. 369
An in uiuentibus nutritio semper fiat. pag. 371
Quæ, & quot uegetalis animæ opera sint pag. 381
Vnde trium uegetalis animę operum necessitas desumantur. pag. 384
Inter uegetalis animæ operationes quis ordo reperitur. p. 386
An Altrix, Auctrix, & generatrix inter se essentialiter distinguantur, & ab anima uegetali. pag. 389
Vbi sensus, ibi dolor, & lætitia: ubi autem hæc, ibi necessario appetitus reperitur. pag. 396
Ad quam facultatem pertineat dolor. Pag. 399
Fames est appetitus calidi, & sicci. pag. 405
Quæ, & quot ad famem concurrunt, & in quibus reperitur fames. pag. 410
Excellens sensibile corrumpit sẽsum. pag. 414

Ex 2. Libro de animal. ortu Cap. 3.

IN animalibus imperfectis solum reperitur sẽsus tactus, & cum hoc etiam imaginatiua. pag. 473
An calor innatus sit anima, aut animę instrumentum. p. 475
An calor innatus sit eiusdem naturæ cum calore elementari. pag. 482
De innati caloris interitu. p. 492
An morbis remedia secundũ gradum æqualia sint adhibenda, ex Galeno. pag. 495
Quid resistentia sit, & in quo genere reponatur. pag. 500
Qua methodo cõpertum sit in igne, præter calorem, siccitatẽ reperiri. pag. 503
An dentur materia totius, & forma totius. pag. 539
An in substantijs separatis excepta prima materia totius reperiatur. pag.

INDEX COPIOSVS RERVM NOTABILIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A



A MAGIS uniuersalibus, ad minus uniuersalia progrediendum est, quoniam notiora sunt. pag. 14
Actus est ratio intelligendi, & cognoscendi. 34
Appetitus materię quid sit. 38
Astra ex uaporibus non aluntur. 70
Anima uegetalis, & sentiens quo modo in cęlo reperiuntur. 74
Aristotelis cõtextus 60. tertij de anima animaduersio. 76
Animam cœli intellectum esse qua methodo cõpertũ est. 77
Accidente forma posteriore priores formæ, non corrumpuntur 139
Accidens commune genito, & corrupto à materia non separatur. 145
Actus & formę in materia disposita recipiuntur. 146
Aggregatum per accidens id quod est per se, quomodo antecedit. 146
Actio, & passio naturalis fit inter passibiles qualitates. 161
Actio spiritalis quid sit. ibidem
Ad actionem & passionem dissimilitudò, & contrarietas secũdum speciem necessaria est. 163
Aristotelis consequentia primo de gener, contex. 48. si simile ageret in simile, idem ageret in seipsum, quomodo intelligitur. ibidem
Actio non solum à maiori, sed ab ęquali, & à minori proficiscitur. 175
Agens in corruptione prius qualitates, quàm formam substantialem attingit, 186
Animata naturali interitu per actionem primarum qualita-

tum non corrumpuntur contra Auer. 193
Altera qualitas in elementis non est remissa ex natura elementi, neque ex admixtione contrarij. 203
Aqua potentior est ad humectandum, quàm aer, & causa. 206
Agens propter distantiam, effectum contrarium non producit. 209
Animalia quæ ex putri materia oriuntur duorum generum sunt. 311
Accidens vi propria substantiam producere non potest. 311
Agens separatum materiam trãsmutare non potest. 312
Aristoteles alium de nouo productionis modum non cognouit nisi per motum. ibidem
Actio fit per contactum. ibid.
Alimentum concoctum quomodo perfectum dicatur. 321
Assatio fit à calido sicco externo. 322
Ad concoctionem licet plures motus concurrant, unus tamen motus est 324
Anima cęli in sciētia naturali ubi ab Aristot. consideratur. 349
Animam substantiam, esse qua uia probatur. 351
anima non solum est actus primus, sed etiam secundus. 353
anima non per materiam, sed per compositum definitur. 354
animalia sunt magis organica quàm plantę, & causa. 356
anima est principium quo primo uiuimus, sentimus, & intelligimus, quomodo intelligitur. 359
animæ species seipsis distinguuntur. 365
anima sentiens cur sit cognoscēs, & non intelligens. 366
anima uegetalis licet sine cognitione operetur, rationem animæ non subterfugit. 370
animalia uel interno uel externo alimento semper aluntur. 380
an omnis uiuentium generatio uegetalis animæ opus sit. 382
anima uegetalis quomodo in semine continetur. 383
alimentum animæ uegetalis operibus, ut materia inseruit. 384
altrix, auctrix, ex generatrix, re non distinguuntur. 391
ad animæ species cognoscendas duplex ab Aristotel. proponitur ordo. 392
accidens uariabile medio accidēte uariabili substantię inesse, potest contra Egid. ibid.
anima sensationes efficiens causa est. 397
ad dolorem duo eiusdem uirtutis sentientis actus cōcurrunt. ibidem
appetitus non cognoscit. 402
alia est operatio sensus ut sensus, & alia ut appetitus. 403

quàm Arist.

Aristotelis ratio 2. de anima contex.41.non est demonstratiua. 476
Aristoteles & Plato circa innati caloris naturã non dissentiunt contra altimarum. 487
actio absque contrarietate fieri nequit. 489

B

BEati Thomæ sententia circa definitionem mixtionis reijcitur. 177
Beati Thomæ sententia in igne solum ambas qualitates ĩ summo adinueniri, ut falsa reijcitur. 208

C

COrpus naturalem in naturali scientia subiectum est. 1
Corpus naturale primo cęli non definitur,contra Auer. ibid.
Corpus est quod omni ex parte diuisibile est. 2
Cur Aristoteles primo cę. post contex.primum, posuit definitionem continui. 3
Cur corporis definitio primo cæli tradita fuit. ibid.
Corpus simplex primo cæli contex.7.definitur. 3
Corpus naturale 2.physi.contex. primo & 4.definitur,& causa. ibid.
Corpus naturale illud est quod internum habet principium motus & quietis. ibid.
Cęleste corpus localis motus tantum principium habet. ibid.
Corporis naturalis definitio, & mortalibus,& ęternis communis est,analogiceque prædicatur. 5
Cęlestia corpora 2.phisi. contex. primo inter elementa ab Ari. dinumerata suut,& causa. 6
Corpus naturale habere principium motus,& quietis, quomodo intelligitur. ibid.
Cælum ut causa efficiens in libris de cęlo non consideratur, sed in secuudo de gener. 15
Communis error circa materiæ definitionem traditam 7. metaf.cont.8. 24
Cur materia oriri & interire dicatur ratione priuationis, non autem ratione formæ. 42
Corpus animatum quod diuersas operationes habet, organicum est. 69
Corpus simplex sensum habere non potest,& causa, 72
Cęlo neque ratione corporis,neque rarione animæ sensus necessarij sunt. ibid.
Cælum & stirpes extremæ mundi partes dicuntur, & causa. 74
Celum animatum esse qua methodo compertum est. 77
Causa cur generatio uniu: sit corruptio alterius,& econtra. 135
Cur quantitas nunquàm à materia diuellatur, qualitates uerò econ-

econtra. 136
Contraria genere similia sunt, specie uerò diuersa. 163
Calidum in sibi simile calidum sublata frigiditate agere non potest. 167
Caput primum secundi de parti bus anim. explicatur. 187
Cur uirtutes elementorum in mixto remanere ab Arist. dicã tur. 188
Contextus decimi quarti meteo rum vera expositio. 208
Cum graduum æqualitate viriũ inæqualitas consistit. ibid.
Corrumpens rei corrumpendæ dominari debet. ibid.
Calor mixti putrescentis animalium, quæ in putredine oriun tur effectrix causa est. 308
Calor natiualis mixti in putredine non simpliciter corrum pitur. 309
Causa uniuersalis effectus particularis causa esse non potest. 311
Cur ex putri materia modo leuiora, modo testacea animalia oriuntur. 314
Cur ex putrescente cadauere, nõ unum, sed plura animalia oriuntur. 316
Cur in mixti interitu per combustionem animalia non oriuntur, sicut in putredine. ibid.
Concoctio quomodo fiat ex oppositis passiuis. 322
Concoctio quomodo à generatione mixtorum, & à congelatione distinguatur. 254
Calor quot modis terminat, & condensat. 255
Cur tantum sint tres animæ species, & non plures. 361
cur motus secundum locũ quartam animę speciem non constituit. ibid.
concoctio non est alimenti conuersio in uiuẽtis substantiam, contra Horatium Aug. 368
continuæ nutritionis in uiuentibus necessitas non desumitur ex uita, contra recentiores. 372
calor maius robur ad auctionẽ, quàm ad nutritionem requirit. 373
cur uegetalis animæ operationes tres sint, & non plures. 384
calor innatus ex continua alimẽti appositione languescit. 476
calor non agit secundum contraria loca. 477
calor innatus non cuiuslibet animæ instrumentum est. 480
calor innatus quomodo ab anima ad agẽdum mouetur. 480
calor innatus & materiæ, & agentis rationem habet. ibid.
calor innatus nexus, & copula Animæ cum corpore dicitur. 481
calor innatus est eiusdem naturæ cum calore elemẽtari. 486
calor innatus quid sit. 487

calidum naturale sanguis, & semen à Galeno appellatur. ibid.
calores omnes sunt eiusdem speciei. ibid.
calorem in semine existentem, nec ignem esse, nec ab igne originem ducere, quomodo intelligitur. 490
calor influēs, quid sit, & cur innatus dicatur. 491
calor influentis necessitas. ibid.
calor innatus in uiuentibus pluribus modis corrumpitur, in inanimatis autem uno tātum modo secundum esse corrumpitur. 494
calor, & frigus in elementis non exiccant. 504

D

DOctrinæ ordo non ex rerū ordine, sed ex nostra cognitione desumitur. 13
Doctrinæ ordo interdum cū naturæ ordine conuenit, interdū uerò contrarius est. 15
Deus, & materia prima in rerum uniuersitate duo extrema sunt 29
Diuersus usus quantitatis, & qualitatis in materia. 144
Dispositiones quæ in materia ante formam substātialem introducuntur, accedente forma nō corrumpuntur. contra D.Th. ibidem
Duodecimus liber metafisicæ ab octauo libro phis. quomodo distinguitur. 350
Diuersę materiæ, quomodo diuersas arguunt formas. 354
Diuersitas motus secundum speciem, ex terminorum diuersitate desumitur. 390
Dolor propriè in sensu tactus reperitur. 396
Dolor est tristis sensatio à tangibilibus qualitatibus facta. ib.
Dolor tristis sensatio dicitur, non propter diuersitatem uirtutū, sed propter diuersitatem operationum eiusdem uirtutis. ib.
Dolor formaliter actio est. 397
Dolor absque immutatione reali fieri non potest. 399
Dolor causaliter passio est. ibid.
Dolor non sentitur. ibidem
Dolor sensus interioris passio nō est. 402
Dolor sensus, & appetitus ordinē inter se habent. 403
Disputatio inter archangelum, & Horatium unde orta.

E

ELementa materia proxima mixtorum sunt materięque compositæ. 61
Efficiens causa circularis motus non est Natura. 127
Æternitatis generationis, quæ causa sit. 135
Extensio ex quantitate proficisci tur. 136
Ex miscibilium conditionibus Aristoteles mixtionis definitionem deduxit. 176
Elementa compositionis, & alteratio-

rationis materia sunt. 179
Elementa actu in mixto,& secundum substantiam manēt. 185
Elementa in mixto secundū qualitates solùm remissa sūt. 188
Elementorum qualitates in mixto non manent in gradu summo,contra Fernelium. 191
Elementa in uiuente quomodo ab Anima continentur, ne diuellantur. 192
Elementa in mixtione æqualem potentiam habere nō possunt. 194
Elementorum qualitates in mixto ęquali gradu, solùm in transitu reperiri possunt. 195
Aequale ad pondus non reperitur, & causa. ibid.
Elementa ex materia, & forma composita esse duplici uia cōpertum est. 217
Elementa simplici corpora esse ex motu locali cōpertum est. ibidem
Eleméta quomodo corpora simplicia sint. ibidem
Elementum est id ex quo fit aliquid, cum insit indiuisibile secundum speciem. 219
Elementa ambas qualitates habent in summo. 206
Elementa etiam si ambas qualitates habeāt in summo,non propterea parem agendi potentiā habent. 208
Efficiens,aut uniuocum,aut æquiuocum est. 311
Esse principium operandi absolutio est unionis animę cum corpore. 346

F

FOrmæ compositę quę sint. 61
Formarum species ex natura generis,& differentiæ compositę sunt 63
Forma communis, & uniuersalis simplex est, & causa. ibid.
Forma substantialis non est in subiecto. 29
Forma substantialis immediatè materiæ uniri non potest, contra D.Th. 146
Forma substantialis, quomodo per accidens generatur ad generationem compositi, cū sit prior composito. 148
Forma substantialis primarū qualitatum mensuram in quadam latitudine sibi præscribit. 167
Finis non agit, nisi metaphoricè. 184
Frigidis anni temporibus, & locis corpora difficilè putrescūt 208
Frigus quomodo ad concoctionem concurrit. 324
Forma partis solùm est quiditas rei. 541

G

GEneratio est natura, quoniam est uia in naturā. 43
Generatio unius est corruptio alterius,in quo sensu intelligatur. 135

Gene-

Generatio unius est corruptio alterius, in elementis, & mixtis, immediateque, contra Ygonem, & Scotum. 139
Generatio vnius est corruptio alterius uniuersaliter in accidentibus ueritatem non habet, & causa. 141
Generatio unius non est prior tempore corruptione alterius. 143
Generans in generatione nudā materię essentiam non attingit, contra D.T. 146
Generatio mixtorum à mixtione distinguitur, & quomodo. 61
Generans non corrumpit, nisi ea, quę suę actioni formæque generandæ impedimēto sunt 220
Generare Animę uegetalis opus esse qua methodo compertū est. 382
Generatione uiuentia diuinum esse ęternitateque consequuntur. 385
Generatio nutritione, & auctione prętantior est. 386
Generatio nutritionis, & auctionis finis est. ibidem
Generatio est ueluti nutritio speciei. 388
Genus forma est, non autem materia, uel compositum.

H

Homo & risibilitas simul tēpore generantur. 145
Humidum est, quod proprio termino difficile terminatur. 201
Humidū aeris magis fluxubile ē quā humidū aquę & cā. 208
Humidum absque sicco concoqui non potest. 323
Hipocratis dictum quomodo intelligitur, quicunque aliqua parte dolent, & dolorem non sentiunt, &c. 399
Horatij Augenij pro Galeno defensio nulla. 497
Horatij Augenij opinio de resistentia reijcitur. 503

I

In cœlesti corpore secundum eius uniuersitatem, & polos uera quies non est. 5
In substantia quomodo contrarietas reperitur. 24
Intellectus absque phantasmate nihil intelligere potest. 72
Imaginatio est motus factus à sensu. 73
In cęlo non reperiūtur sēsus. ibi.
Intellectus absque sensu in æternis reperiri potest. 76
In corruptione substantiali primo qualitates 2. forma 3. compositum corrumpitur. 147
Ignis citra summum gradum caloris consistere potest. 166
In extinctione minoris flammæ a maiori, quomodo actio est inter contraria. 168
In putredine calor externus primo non agit in calorem internum. 170

In actione naturali subiectum si similem, aut neque similem, neque contrariam habeat qualitatem ab agente non patitur. 172

In actione spiritali subiectum si similem, aut neque similem, neque contrariam habeat qualitatem ab obiecto patitur. ibid.

In mixtione omnes qualitates agunt, & patiuntur. 180

In generatione mixtorum quis ordo reperitur. 182

Impossibile est formam substantialem corrumpi, & qualitates seruari. 186

In uiuente licet æquale ad pondus reperiatur, adhuc ab intrinseco corrumpi potest, contra Auer. 193

Idem est agens disponens materiam, & introducens formam. 311

In ęternis forma quo pręstantior est, eò pauciores habet operationes, in mortalibus econtra. 349

In animæ definitione potentia uitam habens, & organicum simul poni non debent. 355

Ignis quomodo dicatur nutriri. 364

Intellectus si esset mortalis, non esset intellectus. 438

in uiuentibus nutritio, auctio, & generatio necessaria sunt, & causa. 384

In animalibus imperfectis dolor, & lætitia reperiuntur. 401

In fame quæ, & quot concurrunt. 407

In pueris nondum natis, animalibusque imperfectis fames reperitur. 408

In animalibus imperfectis solum sensus tactus reperitur. 410

Imaginatiua imperfecta non distinguitur à sensu tactus. 412

In putredine naturalis calor ab externa frigiditate non corrumpitur. 494

In uiuentibus pręter calorem elementarem alius calor nón reperitur. 496

In concretis cum materia aliud est quiditas, & aliud habens quiditatem.

M

MVndus quare perfectus est. 1

Motus est tanquam vita natura constantium. 6

Materia composita elemẽtorum est materia prima proprijs dispositionibus affecta. 62

Magis vniuersalia minus vniuersalium principia sunt. 12

Methodus analogiæ non confert ad cognoscendum si est materia. 25

Materiá esse qua methodo, quot uè medijs compertum est. 30

Materiam Protheum appellauit antiquitas, & causa. 28
Materia secundum se, neque forma, neque formatum est, neque priuationes horum. 24
Materiam negationem cognosci, quomodo intelligitur. ibid.
Materiam esse substantiam in potentia, qua methodo compertum est. 32
Materia per se cognoscibilis non est. ibid.
Materia quomodo per analogiā artefactorum cognoscitur. 34
Materię natura solùm uia analogiæ cognoscitur. ibid.
Materia quomodo in potentia esse dicatur. 35
Materia est hoc aliquid per formam. ibid.
Methodus cognoscendi an potētia sit de essentia materiæ. 36
Materia quomodo per potētiam constituitur. 40
Materia ratione priuationis oritur, & interit. 41
Motus circularis partium diuersitatem non exposcit. 69
Materia cæli unde ad motum circularem propensionem habet. 127
Motus circularis non distinguitur à uoluntario. 127
Motus circularis naturalis est, tùm ex parte mouentis, tùm ex parte mobilis. ibid.
Motus violentus quid sit. ibid.
Materia transmutari non potest, nisi extensa sit. 136
Materia ad hāc, & illam formam per quid determinata efficitur. ibid.
Mixtionis ratio non in unione consistit. 178
Mixtio omnium elementorum vnio est. 180
Mixto proxima dispositio non est ad generationem mixti, contra Com. 182
Motus in quolibet instanti terminari potest. 196
Materia concoctionis humidum est. 322
Mors naturalis fit propter impotentiam respirandi. 492
Moueri à seipso aīatorū est. 362
Morbis non solum paria, & inferiora, sed etiam superiora adhibenda sunt remedia. 489
Materia, & forma relatiua sunt. 539
Materia totius, & forma totius ex Aristotelis sententia non dantur. 542

N

NAtura determinatur ad unum. 4
Natura non est actus corporis phisici organici, quomodo intelligitur. ibid.
Natura non est principium passiuum motus tantum. 5
Neque priuatio, neque formæ sunt de essentia materiæ. 24

Non eadem methodo si est, & quid est materiæ compertum est. 33
Non omne corpus animatum organicum est. 69
Nutritio absque organo primisuè qualitatibus expleri non potest. 70
Naturalis motus ratio q̃ sit. 128
Non omnis motus ab extrinseco uiolentus est. ibid.
Non est idem igné, & elementum esse. 219
Non semper maior agendi potentia multitudinem graduum insequitur. 207
Natura ab extremo ad extremũ non progreditur absque medio. 315
Non quodlibet fit ex quolibet, sed ex determinata Materia, & priuatione. 318
Natura spiritaliter recipiens, cognoscens est. 366
Nutritio est partis deperditæ in uiuentibus restauratio. 367
Nutritio non est formaliter alimenti conuersio. ibid.
Nutritio secundum Stoicos à natura infra animam proficiscitur. 369
Nutritio, & auctio secundum cõtraria loca fiunt. 370
Nutritio, & auctio cur naturales operationes à Galeno appellantur. ibid.
Nutritio etiam si per aliquod tẽpus deficeret, adhuc vita persisteret. 375
Nutritionis continuæ necessitas unde sumatur; contra com. sent. 374
Nutritio, & auctio secundum diuersam rationem, una est nobilior altera. 388
Natura est substantia respectum includens ad motum. 394
Non omnes operationes specie distinctę, arguunt formas specie distinctas. ibid.
Nutrire, augere, & generare sunt operationes se inuicem consequentes. ibid.
Natura calore utitur ut materia, & agente; Ars uerò ut agente tantum. 481
Natura supra uires qualitatum non agit. 500
Numerus oritur ex diuisione continui.

N

ORdo doctrinę, & uia doctrinæ, quomodo distinguuntur. 12
Oportet principia semper manere, quomodo intelligitur. 21
Ordo inter generationem unius, & corruptione alterius. 142
Ordo in rerum naturalium ortu, & interitu, quis sit. 158
Orta ex putri, & à calore mixti putrescentis generantur. 313
Omne quòd generatur à sibi simili generatur. quô intelligitur.

tur. 314
Omne quod incipit de nouo, incipit per motum. ibidem
Oita ex putri, & ex semine non sunt eiusdem speciei. 320
Ordo inter uegetalis animæ operationes, quis sit. 395

P

PAssionum cognitio subiecti notitiam præsupponit. 31
Propositio illa ab uniuersis ad singula progredi oportet, de ordine doctrinæ intelligitur. 12
Principium doctrinæ nō semper est principium rei, sed unde, quò quis facilè potest addiscere. 15
Præter Aristotelis media quibus materiam esse ostenditur, quartum ab authore adijcitur. 30
Priuatio, & forma, quomodo subiectum transmutant. 28
Potentia alia essentialis, alia uerò accidentalis in materia reperitur.
Priuatio, quomodo corrūpitur, cum sit non ens. 39
Platonis locus in Thimeo, quomodo intelligitur, cęlo anima, animę verò mens coniuncta est. 73
Propositio illa, generatio unius est corruptio alterius, cur ab Arist. allata fuit.
politicus cū sese morti exponit, mortem primò non intendit 134
primum non esse formæ corrumpendæ, est primum esse formæ generandæ. ibidem
perfectæ definitionis munus, quod est. 182
prima compositio ex elementis, uel ex uirtutibus elementorū, quæ sit. 187
propositio illa Arist. 2. de gener. 48. elemēta in mixto in excellentijs corrumpuntur, non de uiribus, sed de gradibus intelligitur, contra Fernelium. 190
prior animæ definitio per secundam, ut per causam demōstratur. contra D. Th. 346
perfectum est, quod tale, quale ipsum est procreare potest. 387
potentiæ Animæ qualitates non sunt de secunda specie qualitatis, contra D. Th. 391
potentia actiua est principium transmutandi alterum. 394
potentiæ distinguūtur per actus, quomodo intelligitur. 395
passio, quę dolorem antecedit spiritalis est. ibidem
partes definitionis formæ sunt.

Q

QVæ sensum effugiunt negatione potius, quàm affirmatione cognoscuntur. 29
Qua methodo compertum est, materiam, neque formam, neque

que priuationem essentialiter includere. 31
Quæ potentia ponitur in definitione materię. 39
Qualitatum oppositio non secũdum formam, sed penes distantiam graduum attẽditur. 191
Qua methodo compertum est, ignem, aerem, aquam, & terrã, elementa esse. 219
Qualitas, quæ in elemento superiore præcipua est, in elemẽto proximè inferiore minus præcipua est. 207
Quod optimo, & perfectissimo propinquius est, perfectius existit. 388
Qua methodo ostenditur nutritionem, & auctionem esse animæ opera, & uitæ gradus. 477

R

RESpiratio caloris innati conseruationi maximè necessaria est. 492
Ratio, cur agentis actio soluatur, est, quoniam agens in agendo repatitur. 500
Resistentia quid sit, & in quo genere ponitur. 502
Resistentia ab actione reipsa non distinguitur, sed solum ratione finis. ibidem

S

STirpium partes ex similitudine ad partes animalium cognoscuntur. 14
Substantiam non esse contrariam substantię, qua methodo compertum est. 23
Substantiæ in communi proprietas est, non esse in subiecto. 29
Sensus absque organo consistere non potest. 72
Sensus, tum ratione corporis, tũ ratione animæ tributi sunt. ib.
Sibi simile generare aliquam imperfectionem dicit. 75
Sola intelligentia satis est ad motum circularem æternum. 77
Similia secundum formam tantum inter se agere, & pati non possunt. 165
Simile patitur a simili ex accidẽti. 170
Si elementa ęqualem potentiam haberent, inter ipsa actio, & passio fieri posset, non tamen mixtio, & causa. 175
Similium mixtio esse nõ potest, & causa. 180
Symbola qualitas eadem numero manet in genito, quæ fuit in corrupto. 205
Siccitas calorem exacuit, humidũ uerò calorem obtũdit. 207
Sensus abstrahit à materia, nõ tamen à conditionibus materię. 167
Substantia immediatum agendi principium esse potest. 395
Sentire non est formaliter pati. 399
Sensibile positum supra sensum


non sentitur. ibid.
Sensus communis necessitas quę sit. 402
Sensus externi non solùm obiectum, ut sensibile, sed ut delectabile, & contristans cognoscunt. 403
Sensus, & appetitus re nō distinguuntur. ibidem
Spiritus non multiplicantur contra medicos. 479
Sensus calore indiget ex parte organi. 480
Semen est excrementum utile ultimi alimenti. 482


T

TRactatio de animalib' prior est ea, quæ de plantis, & causa. 13
Terminus ad quem corruptionis est terminus a quo generationis. 158
Tota latitudo simul acquiri non potest. 146
Terra quæ in mixti putredine relinquitur, non est recenter genita. 185
Transitus primarum qualitatum in mixto terminari nō potest, & causa. 198
Totū est pręstantius parte. 387

V

VErus intellectus definitionis mixtionis explicatur. 176
Virtus unita fortior est seipsa dispersa. 206
Virtus uitalis à uegetali minimè distinguitur. 364
Vis alterandi solùm primis qualitatibus competit. 498





CAPITA, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

DE methodo inueniendi naturam putredinis, & an mixtorum generatio mixtio sit contra Erastum. Cap. 2. pag. 554

Ex definitione generationis, quomodo primarum qualitatum duę sunt agentes, duæ uerò patientes, nec non de usu frigiditatis in generatione mixtorũ, contra Erastum. Cap. 3. p. 558

Putredo est passiuarum qualitatum dominium, supra agentes propter Ambiens. C. 4. p. 561

An hæc putredinis definitio a posteriore distinguatur, contra Erastum. Cap. 5. pag. 563

priorem putredinis definitionẽ neque re neque sensu differre, concluditur. Cap. 6. pag. 566

putredo, corruptio est caloris proprij & naturalis in unoquoq; humido &c. Cap. 7. pag. 571

Corruptio caloris in putredine ab externa fit Ambientis caliditate, & quæ huiusmodi caliditas sit, & quomodo inuenta. Cap. 8. pag. 576

An præter externam Ambientis caliditatem alia sit effectrix putredinis causa, & quæ sit, & quomodo inuenta. C. 9. p. 578


Quid sit putredo secundum partẽ, quibus uè conueniat, quidnè sit humorum putredo explicatur. Cap. 10. pag. 584

De modo naturalis putredinis quæ mixtorũ generationi opponitur contra Erastum. Cap. 11. pag. 589

De modo putredinis opinio propria. Cap. 12. pag. 592

De ordine qui in putredine à natura seruatur. Cap. 13. p. 594

De putredinis speciebus, deq; differentijs quibus inuicem distinguuntur contra Erastum. Cap. 14. pag. 596



CAPITA,

QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.



AN, putredinis definitio sit, finis, & ternus corruptionis naturalis. Cap. 1. pag. 602

An, Mixtio, à generatione mixtorum distinguatur. Cap. 2. pag. 605

An, Qualitates primæ, quò ad priores, posterioresque operationes omnes agentes patientesque sint. Cap. 3. pag. 613

De frigiditatis usu in generatione mixtorum. Cap. 4. pag. 620

An, prior putredinis definitio à posteriore distinguatur. Cap. 5. pag. 623

An, elementa in generatione mixtorum perfectiora reddantur. Cap. 6. pag. 629

Putredo, corruptio est caloris naturalis in humido. Cap. 7. pag. 635

Quid, nomine Ambientis ab Arist. intelligatur. C. 8 pag. 636

An, in putredine calor intendatur, aut remittatur. C. 9. p. 645

Quomodo mixti calor, à calore Ambiẽtis patiat. C. 10. p. 666

An, externa frigiditas effectrix putredinis causa sit. Cap. 11. pag. 676

An, interna frigiditas effectrix efficientiam habeat. C. 12. p. 682

An, obstructio putredinis causa sit. Cap. 13. pag. 686



INDEX RERVM NOTABILIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.




B externa frigiditate obstructio, morbificæque putredines oriuntur. p. 656

An omne quod putrescit calidius reddatur. pag. 641

Aristoteles elementorum putredinem 4. meteo. ex euentu considerat. pag. 624

Aptitudinem cum potentia turpiter confundit Erastus. p. 681

Ab externo ambientis calore, internus mixti calor non augetur, sed imminuitur pag. 677

B.

BVccaferri expositio circa naturam caloris proprij in definitione putredinis reiicitur. 657

C.

COntactus in mixtione elementorum quæ unio sit. pag. 609

Cur Arist. pri. de ortu, prius de contactu, secundo de actione & passione, tandem de mixtione pertractauit. ibid.

Cum simultate temporis Naturę ordo adinuenitur ibid.

Concoctio à calore, non secundum rationem calefacientis, sed terminantis efficitur. 611

Calor non terminat in elementis, sed in mixtis tantum. pag. 616

616
Calor,& frigus inuicem non terminantur, contra Erastum. ibid.
Calor,& frigus quomodo terminant. ibid.
Calor secũdum diuersas facultates quomodo calefacit, & ternat. pag.617
Calefacere,& terminare separari possunt. ibid.
Cur quarto Meteo.Ari.calidum, & frigidum per terminare non autem per calefacere definiuit ibid.
Calor mixti in putredine non intenditur,sed imminuitur, contra Erastum. 634
Contraria, similia genere sunt, dissimilia uerò forma, & specie. 644
Caro calida in nutritione quomodo in sanguinem calidum agit,cum actio sit inter contraria. ibid.
calor externus quomodo calorem internum ad se trahat. pag.645
cur,capilli si tecti fuerint, ocyus canescant,quàm si perflabiles maneant. pag.654
caliditas propria, quæ in definitione putredinis. & coctionis ponitur,patibilis qualitas est, accidensque commune contra Erastum,quomodoue propria sit,explicatur. pag.654
caliditas mixti in putredine,cum continuè intereat, quomodo Naturalis dicitur. pag.660
cur in animatorum interitu non fiat non fiat dissolutio in pulueres,& terram,sicut in putredine. 665
corruptio secundum partem, accidentium mutatio est. p.671

D.

DVæ tantum sunt putredinis species,mixtorum una,quę naturalis est, Altera uiolenta, quæ elementorum est. p.603
Dissolutio in elementa in putredine animalium ortum non prohibet contra Erastum. ibid.
Definitio non solum Quia, sed etiam prpter explicare debet. 604
Definitio illa,[putredo est dominium passiuarum supra Agentes;]quam dereliquit Erastus, uera est putredinis naturalis definitio. 605
Diuersa est unio elementorum in mixtione,& in generatione mixtorum. 607
Duo hæc non pugnant, generatio est mutatio secundum totum,& in generatiune elementa,eorumque quatalitates manent

nent. 611
Definirio alteri à definito conuenire non debet. pag.614
Duæ tantum sunt mixrorum inanimorum corruptionis species. putredo naturalis & combustio, contra Erastum. p.632
Definio Galeni eadem est, cum putredinis definitione. 4. meteo. tradita, & utraque naturalis est. 661
Dissolutio elementorum ex quo dependeat. 665

E

ERastus in probando mixtionem differre à generatione mixtorum petit principium. 611
Erastus in disputatione de Putredine definitionis leges ignorate uidetur. pag.615
Erastus ueram putredinis definitionem reliquit, sententiamque suam in deteriorem mutauit. 623
Ex putrescentibus carnibus, & fructibus quando animalia in nascantur. 626
Ex solutis in putredine elementis nihil, generari potest, ibid.
Externa frigiditas putredinis causa non est, & ratio. pag.646
Externa frigiditate uentres & corpora calidiora redduntur. ibid.
Erasti concilium ad saluandum putredinem ex obstructione fieri, & per caloris egressum, inane est. pag.655
Erasti inconstantia circa caliditatem propriam, quæ ponitur in definitione putredinis, cum modo substantiam, modo qualitatem primę specie affirmet.
Elementorum putredo transitus est à simplici ad mixtum, putredo uero mixtorum transitus est à mixto ad esse simplex. pag.678
Ex cadauere putrescente non ut ex materia, sed ut ex termino à quo animalia generantur, pag.675

F

FInis, & terminus corruptionis naturalis, putredinis naturalis) definitio non est, contra Erastum. pag.603
Frigus, quare patiens ab Arist. 4. meteo. dicatur, contra Erastum. pag.619
Frigus in generatione mixtorum non concurrit ut excessum caloris remittat, contra Erastum, & communem sententiam. pag. 621
Frigus quomodo Agens generansque per accideus 4. meteo.

ab Rrist.dicatur. ibid.
Finis aliorum optimum esse debet. pag.623
Forma, præfinitam quantitatem, certamque primarum qualitatum mensuram ad sui generationem, & conseruationem exposcit. pag.659

G

GEnerationis mixtorum definitio uia, & methodus est ad putredinis naturam intelligendam. pag.604
Generatio mixtorum à mixtione rei psa distinguitur, contra Erastum. 606
Generationis definitio primo de ortu ab Arist. tradita, generatione elementorum, & mixtorum communis est. pag. 611
Generatio substantialis quomodo sit mutatio secundum totum. ibid.

H

HVmidum, & siccum per terminari solùm definiuntur. pag.616
Humidum, & siccum absque actione seinuicem terminant. pag.619
Humidum, & siccum in calidum & frigidum minimè agunt, contra Erastum. ibid.
Humidum Aquæ, & siccum terræ, generationi mixtorum, cur magis idonea ab Arist. dicantur, quàm humidum Aeris, & siccum ignis pag.621
Humidi defectus in putredine caloris naturalis inopiam præ suponit. 635

I.

IN generatione mixtorum in passiuis tantum, in mixtione uerò in omnibus qualitatibus temperamentum efficitur. pag.609
In quo ratio concoctionis consistat. 611
In rebus arte compositis, compositio ipsarum ueluti forma est. 613
In putredine patientes qualitates agentibus dominari propter Ambiens, quomodo intelligatur. 619
In mixtorum interitu elementa ad suam naturam reuertuntur, perfectioraque redduntur, contra Erastum. pag.627
In putredine mixtum in naturam corrumpentis non uertitur, sicut in cōbustione. pag. 634
In putredinis definitione per unumquodque Humidum, Aeris

ris, & Aquæ duntaxat humidum, contrà quosdam recentiores medicos, ab Arist. intelligitur. 635
In putredinis definitione, nomine Ambientis, Aeris & Aquæ, calor solum ab Arist. intelligitur contra Erastum, & medicos. pag. 636
In mixto ut mixtum est, aeres, fuliginosique uapores non insunt. ibid.
Interna mixti frigiditas effectrix putredinis causa est. pag.
Interna frigiditas in definitione putredinis, non pro remisso calore accipitur, sed pro frigiditate reali calori opposita contra Erastum p. 648
Idem calor ex putrescente re diuersa secundum speciem animantia producere potest, & quomodo. 660
Ignis inter elementa cur non putrescit. p. 674

M

Mixtio fit per actionem unius qualitatis in oppositam, mixtorum uerò generatio per actionem duarum agentium, in duas patientes. p. 606
Mixtionis ratio in quo consistat. pag. 608
Mixtorum generatio per concoctionem efficitur. pag. 611
Motus secundum locum nihil abijcit a substantia rei. p. 628
Motus naturalis & uiolentus nõ solũ penes internam, & externam causam distinguuntur. pag. 630
Morbosa putredo nõ est affectio mixti ut mixtum est. pag. 661
Materia in generatione rerũ non corrumpitur, sed alteratur tãtum, contra Erastum. pag. 675
Mixtorum inanimorum, atque uiuentium dissimilis est intereundi modus. pag. 682

N

NOn omnis naturalis putredo finis est naturalis interitus animatorum. pag. 604
Naturæ scopus in generatione mixtorum. pag. 609
Natura simul permiscet, & terminat, quomodo intelligitur. ib.

O

ORatio, que opus suum non præstat, oratio dici nequit pag. 603
Omne corruptibile necessariò corrumpetur. pag. 634
Obstructio nõ est putredinis causa, contra Erastum. pag. 653
Obstructio, modum putredinis

ab

ab Arist. assignatum, euertit. pag. 654

P

PVtredo secundum partem in elementa non dissoluit, sicut putredo quę mixtorum affectio est. pag. 603
Primarum qualitatum duę tantum sunt Agentes, duæ uerò patientes. pag. 616
Putredo est communis effectus externæ caliditatis, & internæ frigiditatis. pag. 648
Propositio illa, que ponitur in definitione putredinis, (defectus caloris, frigus est,) in quo sensu intelligitur. ibid.
Putredo, affectio est excontrarijs quoquomodo composita. pag. 649
Propositio illa, (putredo est naturalis caloris corruptio) in quo sensu intelligenda est. pag. 657
Putredo, à quo ad finem perducatur, uel ab externa caliditate, uel ab interna frigiditate. pag. 657
Propositio, ista, (omnis putredo totam rei substantiam corrumpens, est naturalis,) quomodo intelligitur. pag. 664
Putredo secundum partem eadē non est, cum eą que est corruptio caloris in humido. pag. 667
Putredo secundum partem uiolenter competite lementis. ib.
Putredo secundum partem quid sit. ibidem
Putredo secundum partem, Quomodo propire uocatur putredo. pag. 672

Q

QVomodo calor calefaciēdo terminat. pag. 616
Quomodo media extremis opponuntur. pag. 645
Quomodo calor mixti in putredine à calore Ambientis patiatur, cum similes sint. p. 645
Quarto libro meteo. de affectionibus mixtorum Aristoteles agit, prout a primis qualitatibus proficiscuntur, ut duæ agentes, duæ uerò patientes sunt. pag. 649
Quomodo id quod pluribus cōmune est, proprium efficitur. pag. 658
Quomodo à calore mixti in putredine, qui interit, animalia producuntur. pag 659
quid sit generatio uiuentium, & quomodo à mixtorum generatione distinguatur. pag. 166

Ter-

T

Terminatio humidi cùm sicco ad mixti productionẽ proxima dispositio est. pag. 609

Terminatio quædam exiccatio est. pag. 619


Terra à quo putrescat. p. 638

Tepidum cum in summè calidũ agit, non vt dissimile gradu, sed vt dissimile secũdum speciem agit. 644

Terra, quæ cernitur in mixtorũ interitu, non recenter genita est, sed ea est, quæ præerat in mixto. 666

Tarditas & velocitas in motu, naturalis, violentique motus causæ non sunt. 679

FINIS TABVLA.



ARCHAN-

25

ARCHANGELI MERCENARII A MONTE SANCTO

MVLTORVM ARISTOTELIS, & quorundam Auerrois difficilium locorum dilucidationes.



Vbi corpus naturale definitur.



QVONIAM cuiusque artis, & scientiæ interest subiectam, quam tractat materiam omnino cognitam, & perspectam habere; ea propter cum in naturali scientia corpus naturale subiectum sit, eius natura, & essentia primum cognoscenda est: ceterum quia non satis constat, vbi ab Aristotele, in naturali philosophia definitum fuerit, quæue eius essentia sit, idcirco id explicare operæ prætium esse dijudicaui. Putauit Auerroes vt legitur 2. phys. com. 3. corpus naturale primo cæli cont. 3. ab Arist. definitum fuisse. cũ inquit, corpus est omni ex parte diuisibile, atque librũ illum primum esse, in quo Aristoteles de corpore naturali, deque subiecto naturalis scientiæ tractare incæperit, hinc deduxit corpus naturale in libris de physico auditu minimè subiectũ esse, cum in his libris eius essentia non explicetur, sed hac in re Auerroes deceptus est. & parũ accuratè definitio-

 nem

nem illam animaduertisse videtur. siquidem illa corporis definitio primo cęli ab Aristotele tradita; non est corporis naturalis definitio, tum quia essentiam, & naturam eius non explicat, sed solum diuisibilitatem secundum omnem dimensionem: quoniam ait. Corpus est quòd omni ex parte diuisibile est, hæc autem non est corporis naturalis substantia, quoniam substantia eius in diuisibilitate, & accidente posita non est, tùm quia definitio hæc non ex proprijs, sed ex communibus tradita esset, quoniam vndequaque diuisibile esse competit etiam corpori de genere quantitatis, quod secundum omnem dimensionē diuisibile est, vtpotè longitudinem, latitudinem, & profunditatem; itaque aut definitio illa non est corporis naturalis, aut vitiosa est, & contra leges definitionis tradita, cum definitio, sit latior, & fusior definito, cum autem secundum minimè dici possit, ipseque Auerroes de Aristotele enunciare maximè abhorreret, primum itaque asserendum est, definitionem illam corporis naturalis non esse, sed definitio illa corporis est de prædicamento quantitatis, quod sanè ex complexu trium dimensionum consurgit, quod ex eo loco satis patere potest, siquidem ibi ab Aristotele corpus definitur, quod à linea, & superficie contra distinguitur. nam inquit, magnitudinis, alia ad vnū diuisibilis est, vt linea, alia verò ad duo vt longitudinem, et latitudinē veluti superficies, alia verò ad tria sicuti corpus, quod secundum omnem dimensionem diuisibile est, ac proinde perfectum, quamobrem corpus definitur quod species quantitatis est, à linea, & superficie distincta, & propterea Philosophus cum huius corporis naturam explicaturus esset, anteà in contex. secundo continuum definiuit, quod ad lineam, superficiem, & corpus commune est, dicens continuum est, quod diuisibile est, in semper diuisibilia, corpus verò, quod magnitudinis continuæ altera species est, omni ex parte diuisibile est. Huius autem corporis definitio eo loci ab Aristotele allata fuit, ad ostendendum vniuersi perfectionem, decreuerat enim Aristoteles primo illo capite mundum perfectum esse ea ratione, quà, corpus est, explicare, ad id autem ostendendum corporis perfectionem ostendere operæ prætium erat. quod sanè ex corporis definitione explicatum fuit, nam cum corpus secundum omnem dimensionem diuisibile sit, perfectum est. omne enim totum. & perfectum idem sunt, hinc postea ab ipso constitutum fuit, vniuersum quà corpus est, perfectum esse, tametsi ratione qua ambitu suo omnia etiam continet & à nullo continetur, perfectum quoque dicatur; ex quibus iam satis patere arbitror corpus naturale in vniuersum primo cęli minimè definitum fuisse. fateor quidem in eo libro contextu 7. corpus naturale simplex, quod natu-

naturalis corporis species est, Aristotelem definiuisse, cuius definitio priore diluid. libro explicata fuit: sed inquies vbi ergo corpus naturale in vniuersum ab Aristot. definitum fuit. porrò corpus naturale 2. Physicorum cont. primo, & quarto definitum est, etenim contextu primo posita eorum, quæ fiunt diuisione in ea, quæ natura sunt, & ob alias causas, vt arte ijsque dinumeratis quæ à natura esse dicuntur corpus naturale diffinit eãdemque diffinitionem affert in tex. 4. cuius sanè definitio eo libro apposité tradita fuit, nec vllo pacto ad librum de cęlo differenda erat. nam cum in libris Phys. de communibus passionibus corporis naturalis tractandum esset, vt de motu in tertio libro, deque alijs affectionibus, quarum cognitio ex subiecti cognitione dependet; ea propter in libris Physicorum ante tertium librum naturalis corporis essentiã explicatum esse oportuit, quod Aristoteles animaduertẽs antequàm ad tertium librum peruentum esset, in secundo libro corpus naturale summo cõsilio definiuit, quam necessitatẽ si quandoque Auerroes animo euoluisset, profectò nõ enunciasset in libris de cęlo corpus naturale definitum fuisset. tunc .n. passionum naturalis corporis notitia, de quibus agitur, in libris Physicorum haberetur nõ cognita natura, & essentia corporis naturalis, quod illarum subiectum est, quod quantum à veritate abhorreat, nemo est, qui non intelligat cuius definitionem sequenti capite explicabo.

Quid sit corpus naturale.



ORPVS naturale est, quod habet internum principium motus, & quietis hoc quidem secundum locum illud secundum augumentum; aliud vero secundum alterationem, qua sanè disiunctiua vsus est Aristoteles, vt significaret non quodlibet corpus naturale cuiuslibet motus internum principium habere, sed hoc illius. illud verò aliorum motum. etenim cęleste corpus motus localis tantum internum principium habet. Elementa verò alterationis, & localis motus, stirpes, incrementi, & alterationis. animalia verò omniũ istorum internũ principium habent. an verò principium, quod in hac definitione accipitur commune sit actiuo, & passiuo, non ita perspicuum est, putauit Simplicius pro principio passiuo tãtum capi, ac proinde naturam, cuius definitio ex hac definitione deducitur passiuum motus principium tantum esse, quæ sententia nullo pacto probanda est. siquidem Phy. cont. 1 illius 2. libr. facta eorum, quæ sunt partitione in ea, quæ natura constant, & quæ artificio fiunt, partitur. quæ

natura fiunt in simplicia corpora stirpes, & animalia, iam verò stirpes, & animalia principium actiuum motus habent; igitur quæ natura constant; non solum passiuum, sed etiam actiuum principium motus habent. locum hunc Simplicius animaduertisse visus est, huncque in modum respondere Aristotelem eo loci stirpes et animalia inter ea, quæ natura constat, vt animata sunt nequaquam numerasse. quoniam secundum rationem hæc non per naturam, sed per animam sunt, sed quatenus naturam, quæ infra animam est, intra se tenent, per quam naturalia dicuntur, principiumque passiuum motus solum habent, sed hæc solutio non consistit, quoniam cũ Phylos. stirpes, & animalia inter natura constantia dinumerasset, illa ita diffinit. Natura constantia ea sunt; quæ internum principium motus habent, & secundũ locũ, & secundum incrementum cuiusmodi sunt stirpes, et animalia: ex quibus verbis huiusmodi ratio depromitur, stirpes, & animalia inter natura constantia ita ab Arist. dinumerantur, vt internum augmenmentationis principium habent, iam verò stirpes, & animalia internum habent principium motus augumenti, vt animata sunt, non autẽ vt naturam infra animam in se continent quoniam nulla virtus, aut natura infra animã incrementi principium est, vt testatum reliquit Phil. 2. de anima cõt. 14. & 41. igitur stirpes, et animalia, vt animata sunt, naturalia dicuntur, & ab Arist. eodẽ modo inter natura constantia diunmerantur, & cũ internum actiuum principium motus habeant: igitur principium quod in hac diffinitione accipitur non pro passiuo tantũ, sed pro actiuo, & passiuo accipitur. Hinc duo aduersus simplicium eliciũtur: primum est sub naturę definitione 2. phys. tradita animã contineri, nam cum corpus naturale sit quod internum principium habet motus localis, incremẽti, et alterationis, & ex hac definitione postea naturæ definitionẽ deducat inquiẽs: igitur natura est principium motus localis, & incrementi, principium verò incremẽti anima sit. igitur sub naturæ diffinitione, et sub natura definita anima cõtinetur. cęterũ nõ quęlibet anima cõtinetur, nec quęlibet propriè natura dicitur, sed solũ q̃ mortalis est, et ex materię gremio traducitur vt 2. Phys. cõtex. 12. & primo de animaliũ partibus cap. 1. ab Arist. proditum est. illę vero propositiones quæ adduci solẽt, vtpotè naturã determinari ad vnũ tantũ, insuper naturam nõ esse actũ corporis naturalis organici, nõ de natura vniuersè sumpta intelligi debent, quæ de animatorũ inanimatorũque formis enunciatur, sed de natura pressius sumpta, prout dicitur de forma inanimatorum, quæ est altera species, & naturæ gradus. hæc enim infra animam est, cui tanquàm ministra inseruit, et famulatur, vt non iniuria auctor ille de causis animam naturæ ita acceptæ Orizontẽ appellarit, sicuti intel-

intelligētiæ, & naturæ, & animę Orizon nuncupatur; alterum verò quod aduersus Simplicium colligitur est, naturam non esse principium paßiuum motus tātum. nam cum sub naturæ nomine, eiusque definitione anima contineatur, quæ in viuente corpore agens causa motus est, profectò natura agens causa motus erit in eo, in quo est, quod ex eodem 2. Phis. cont. 86. etiā patere potest vbi Phil. inquit qd̄ si ars nauis factiua eßet, in ligno ageret sicuti, et natura agit in eo, in quo est: quibus verbis apertissimè ostēdit naturam motus causam agentem esse in eo, in quo est, & penes id ab arte distingui. quoniā ars est causa efficiēs externa. natura verò causa efficiens interna. Quamobrem natura nō solum est principiū passiuū motus, sed etiā actiuū; huiusmodi autem naturalis corporis definitio, & mortalia, & cęlestia corpora ambitu suo complectitur. quoniā huiusmodi definitio omnibus his corporibus naturalib. communis est, quę ab his corporibus contra distincta sunt, quæ arte confecta elaboratauè sunt, penes hoc enim contex. philos. inter naturalia, et artefacta differentiam assignauit. Quoniam naturalia sunt, quę internum principium motus habent, arte facta verò secūdū quod huiusmodi sunt internum principium motus non habent, itaque definitio hæc corpori naturali cōpetit in vniuersum siue mortale sit, siue ęternum, quod à corpore artificioso contradistinctū est: attamen definitio hęc vniuoca non est, sed vt aut aiunt analoga vel ab vno, & ad vnum. siquidē æterno, et corruptibili nihil commune esse potest. vt. 10. metaf. contex. 20. proditum est vbi legitur corruptibile, & incorruptibile nedum specie, sed etiam genere differre: tametsi latinorum plurimi non de genere logico, sed physico auctoritatem illam interpretantur, quod falsum esse alibi ostēsum fuit, cęterum tria sunt, quę ex aduerso probare videntur definitionem hāc cęlestibus corporibus communem non esse primum est. quoniam definitio ibi tradita illorum esse videtur, quæ contex. illo ab Arist. dinumerata fuere. Hæc autem solum mortalia corpora sunt, vt stirpes animalia, & elemēta inter hæc autem cælestia corpora minimè dinumerata fuerūt. igitur definitio hæc mortalibus corporibus solum communis erit. alterum est, quoniam corpus naturale principium internū motus habet, quod est natura. iam verò in cęlesti corpore internum principiū motus nō est natura: siquidem intelligentia, quæ motus cęli efficiens causa est, natura dici non potest cū sit forma à materia separata postremò illud difficultatem facit: quoniā corpus naturale illud est, quod internum principium habet motus, & quietis. iam verò in cęlo non reperitur quies, cum perpetuo, perenniq; motu moueatur. Sed hæc facile dissolui possunt, & ad primū dicimus eo loci cęlestia ēt corpora tacitè dinumerata fuisse, atque inter elemēta ab Aristotele

relata, quod ea ratione factũ fuit: quoniã cum hactenus probatum minimè fuisset cęlum esse corpus quintum alteriusque naturę ab elementis, quod primo cęli statuendum erat, ea propter cęlestis corporis seorsum ab elemẽtis mentionem non fecit, sed ipsum vt eiusdem naturæ cum elementis in elementorum serie collocauit. Ad secundum autẽ minor propositio negatur, & ad probationem dicimus in cęleste corpore duplex principium motus adinueniri agens scilicet, & patiens. agens quidem intelligentia est quę licet naturæ nomen verè promereri nõ possit, cum à concretione materiæ soluta sit. secundum quandã analogiã tamen natura dici potest. Principium verò passiuum cęlo inexistens materia est, quæ verè est natura non tamẽ vniuocè cum natura inferiorum. itaque in cęlo vtrunque principium natura est, agens quidẽ secundum analogiã, patiens verò secundnm propriã rationẽ natura, et hoc satis est, immortalibus verò corporibus vtrunque principium internum motus, & agens, & patiens verè natura est, siquidẽ effectrix causæ motus in his forma materialis est, quæ ex Aristote. verè natura dicitur. Ad vltimum quidem solutio, quæ à Simplicio affertur mihi nullo pacto probatur: cum inquit in cęlo quietem adinueniri, & secundum polos, et secundũ eius vniuersitatem, siquidẽ hęc methaphorica quies est & immobilitas potius, quàm quies dicenda est. etenim huiusmodi quies secundum polos, cęlique vniuersitatem aptitudinem non dicit ad motum neque finis motus est. Aristotel. verò de quiete propriè dicta, & quę finis motus naturalis est intelligit, ea propter dubitationem secus soluendam puto, quod cum definitio ista de cęlestibus mortalibusque corporibus analogicè prædicetur, opus non est secundum omnes partes vtrisque communẽ esse, sed satis est, ut secundum pręcipuas commune sit. sicuti motus est, qui est veluti vita omnium naturæ constantium, et proinde licet in cęlesti corpore quies non reperiatur, adhuc definitio ista ei communis est, & vniuersalitas definitionis saluari potest et si literã Arist. dilacerare non arbitreris dicere etiam poteris, vt quibusdam etiam placuit, dictionem illam (et) disiunctiuè intelligendã esse, vt sensus sit, corpus naturale illud est, quod habet principium motus & quietis, & hic terminum habeant, quæ de naturali corpore explicanda proposita fuerunt.

Sunt autem primo nobis nota, confusa magis, ex quibus fiunt nota principia, & elementa diuidentibus ea.

EXTAT contextus tertius primi libri Phisic. in quo philosophus declarat quæ sint nobis primo nota, & manifesta, nam

cum

cum in text. primo de rerum naturalium principijs agere instituisset, & in text. 2. modum declarans deueniendi in cognitionem principiorum statuisset à notioribus nobis incipiendum fore, in contex. 3. quæ sint hæc notiora nobis à quibus incipiendum est, declarat, nec non & modum quo ex his fiunt nota principia, dicens, Sunt autem nobis primo nota confusa magis, ex quibus nota fiunt principia, diuidentibus illa, hoc est per diuisionem illorum quæ sunt confusa, ità quòd ex contex. 2. & 3. talis discursus erigi potest. innata est nobis via vt procedamus à notioribus nobis ad nota natura, confusa magis sunt nobis primo nota, ex quibus fiunt nota principia: cõclusio q̃ sequitur est ista, Igitur à cõfusis ad principia ꝓcedẽdum est, qui sanè discursus non est de ordine doctrinę in pertractando de principijs, ità ꝙ à principijs magis cõibus ad minus cõia sit ꝓcedẽdum, ut censuit D. Th. quia Aris. nõ cõparat magis vniuersalia, ad minus vniuersalia. sed cõfusa ad principia et elemẽta, nisi fortè dicere voluerit quod per principia & elemẽta intelligit minus vniuersalia, sed tũc incidet in aliud incõmodum, quòd minus vniuersalia principia sint magis uniuersaliũ, qđ dici minimè potest, cum potius econtra magis vniuersalis sint, & dici debeãt principia minus vniuersalium. preterea si discursus Arist. esset de ordine doctrinę, tunc Aris. nõ declarasset viam doctrinæ, et modũ deueniẽdi in cognitionẽ principiorum, qđ tamẽ apprimè necessariũ erat: nã cum demõstrasset scopũ in primo tex. videlicet de principijs agendum fore, necessarium erat ostẽdere viã, & modum quo scopum, et principiorum notitiam cõsequi valeremus, alioquin persimilis fuisset illi, qui scopũ alicui ostẽdit: viã autẽ qua scopum cõsequi possit, nõ ostẽdit, cõsequẽtia cõspicua est, quia si in 2. & 3. & 4. cõtex. Arist. sequitur de ordine doctrinæ, cum in alijs textibus non doceat viã doctrinæ, igitur illam silentio prætериuit, quamobrem cum Simp. ex Auer. dicẽdum est, ꝙ huiusmodi discursus est de via doctrinæ, & de modo deueniẽdi in cognitionẽ principiorũ, ex quo sequitur, qđ illa ꝓpositio quæ infertur in tex. 4. vnde ab vniuersalibus in singularia oportet ꝓdedere, non est conclusio huius discursus, qđ satis cõspicuũ erit, si discursum in manũ accipiamus: innata, inqt, est nobis via, vt procedamus à notioribus nobis ad nota natura, sed confusa magis sunt nobis primo nota, ex quibus fiunt nota principia ex elementa, ex hoc non sequitur, igitur à magis vniuersalibus ad minus vniuersalia oportet procedere, sed sequitur, igitur à cõfusis ad principia & elemẽta ꝓcedẽdum est, nisi dicere velimus, vt imperiti quidã recẽtiores dicunt, ꝙ Arist. per singularia intelligit principia, ita quòd nomẽ principij, quod accepit in minore in tex. 3. mutauit in nomẽ singularis in cõclusione, quod non video qua ratione id

ab

ab Arist. factum fuerit, et eo magis, quod cō consueuit accipere singulare pro causa, & principio, sed potius, pro effectu, ut patet primo Post. cō tex. 12. vbi accipit vniuersalem pro causa propria, q̄ vniuersale ꝓprium uni ab Auer. ibi appellatur, quia ibi accipit uniuersale pro eo ex quo efficitur Demōstratio perfecta: hoc autē nō est, nisi causa propria, et cum per singulare intelligat, id quod cōtradistinguitur ab uniuersali, quod est causa, illud autem est effectus, itaque accipit singulare pro effectu, qui cum sit proximior sensibus iure dicitur notior quo ad nos. Concludamus ergo, quòd illa propositio est conclusio quæ elicitur ex alio syllogismo, qui formari potest accipiendo illam maiorem positam in tex. 2. in hunc modum, cum innata sit nobis uia, vt ꝓcedamus à notioribus nobis, magis autē uniuersalia sint notiora nobis, quàm minus uniuersalia, unde a magis uniuersalibus ad minus vniuersalia oportet procedere, qua propter non debemus esse contenti vnico syllogismo, vt facit Diuus Tho. sed duo syllogismi fieri debēt, vnus qui attinet ad uiam doctrinæ in quo fit cōparatio à confusis ad principia, & elementa, qui formatur ab Arist. in 2. & 3. contex. alter uerò qui attinet ad ordinem doctrinæ, qui accipitur ex illa maiore, & relicta comparatione inter confusa, & principia, sed facta comparatione inter magis vniuersalia, & minus vniuersalia, sequitur illa conclusio, quæ ponitur in tex. 4. quæ sanè est de ordine doctrinæ non solum penes principia, sed penes res naturales, & accidentia. Cæterum inquisitione dignum uidetur, quid per confusa intelligat Aristo qua in re varia est apud interpretes sentētia, D. Tho. in sua de ordine doctrinę opinione persistens per confusa exponit magis vniuersalia à quib. ꝓcedēdum est ad minus vniuersalia; sed opinio ista, ut diximus falsa est, quia Arist. nō comparat magis vniuersalia ad minus vniuersalia, sed ad principia, & elemēta. Alij verò dixerunt ꝓ confusa intelligere q̄stiones quasdā communes, à q̄bus auspicatur, vtrū principia sint vnum, vel plura: si plura vtrū finita, vel infinita: hæc .n. sunt q̄ circa principia primum sunt determinādą; quæ confusa sunt eo, ꝙ nulla eorum pars certò distinctéq; percipiatur. cæterum nec ista opinio uera est, quoniā quæstio hæc communis, q̄ circa principia primum ꝓponitur non est mediū ad cognoscendum principia, & elementa. Sed est problema ad alteram partē determinādum, unde in cont. 50 repetita illa communi quæstione, ꝓbat, quod non sint vnum, & quod non sint infinita, concludit tādem quòd sint tria, sed confusa non sunt problema, et conclusio determinādą, sed medium ad cognoscēdum, et determinādum quæ circa principia sunt, nā inquit, sunt nobis primo nota confusa magis, ex quibus fiunt nota principia, igitur per confusa non possunt intelligi communes illę q̄stiones. Non defuerunt alij q dixe-

dixerunt per cõfusa intelligere omnia cõfusa, siue sint principia, siue res naturales, siue q̃stiones communes. Sed hæc opinio etiam falsa est, quia licèt verum sit, quòd omnia cõfusa sint nobis primo nota, nõ tamẽ est ad Aristotelem, quia Arist. perstringit confusa ad cognitionẽ principiorũ: ita ut per confusa intelligat ea ex qbus fiunt nota principia: iam verò hæc principijs magis cõfusis, & magis uniuersalib. accomodari non possunt, quia tunc idẽ esset medium, & quæsitũ: minus accomodari potest quæstionibus cõmunibus, quia hæ nõ sunt media ex quibus principia cognoscuntur, sed potius ea q̃ de principijs concluduntur per confusa tanquam per mediũ, ea propter Them. Simpl. et Com dixerũt Aristotelem per cõfusa intelligere cõposita, quorum opinio licet probabilior sit, mihi tamẽ nõ omnino probatur, qa nõ correspondet processui Aristotelis, siqdem Arist. ex ꝓpria sententia numerum principiorũ determinaturus nõ accipit pro medio cõposita naturalia, sed quasdã ꝓpositiones communes, vt ꝙ principia sint cõtraria, et ex hoc fundamẽto iacto probauit in 50. Tex. quòd principia non sint vnum, neq; infinita. accepit et aliã propositionem, quòd nullum contrarium recipit alterum contrarium, & ex hoc ꝓbauit necessitatẽ materię, et numerum ternarium principiorum similiter in contex. 57. cum proposuisset dubitationẽ illam, Nunquid principia vere dicẽda essent duo, vel tria, non ꝓposuit pro medio ad hoc cognoscẽdum composita naturalia, sed generationẽ cõmuni, atque confusã dicẽs, Sic igitur de omni generatione aggrediētes dicamus.

Dilucidatio.

SED *cum iã satis circa aliorum dicta versati simus, nunc germanam Aristotelis sententiam afferamus, quæ vt conspicua fiat, oportet, vt processum Aristotelis consideremus, nam cum per confusa intelligat ea, ex quibus fiunt nota principia, videamus ex quibus fiunt nota principia: ita enim manifestum fiet, quid per confusa intelligat, cum Aristotel. absoluto prohemio, in text. 6. de principiorum numero agere incepisset, et de re hac superque satis priscorum philosophorum opiniones examinasset, reliquum erat, ut de numero principiorum propriã afferat sententiam: verum quia id satis commode efficere non poterat, nisi ex aliquo fundamento prius iacto, ea propter in contex. 41. iecit illud fundamentum huic proposito maximè inseruiens Principia sunt contraria, quo quidem iacto fundamẽto in contex. 50. probauit principia non esse vnum, quia contraria, & ex contrarietate etiam probauit principia non esse infinita: erant igitur plura & finita, vt autem cognosceret an essent duo tantum,*

tum, vel plura duobus, accipit aliud principium in cõ tex. 51. quod est. Nullum contrarium recipit alterum contrarium, & ex hoc deduxit necessitatem materiæ, & trinitatem principiorum; etenim cum principia sint contraria, & unum contrarium alterum recipere minime possit, tertium igitur principium necessarium est, quod vtriq; uicissim subijciatur. similiter Arist. 12. Met. contex. 6. ostensurus materiæ necessitatem accepit quasdam propositiones communes, quarum altera est, quòd omnis transmutatio est inter contraria: reliqua verò quòd nullum contrarium recipit alterum contrarium, & ex his deduxit materiæ necessitatem dicens, igitur, præter principia contraria necessariũ est tertium principiũ, hoc aũt est materia. insuper cum in cont. 57. primi Phys. mouisset adhuc difficultatem de numero principiorum nunquid dicenda essent duo, vel tria propter priuationẽ, & materiã, & proponens mediũ dissoluendi difficultatẽ, ꝓposuit generationẽ in cõi: cum ergo q̃ritur, quid per confusa intelligat Arist. dicamus sic, per confusa intelligit, & ex quibus fiunt nota, & q̃ sunt circa principia, sed ea ex quibus in progressu fiunt nota principia quot sint, & quæ sint, sunt propositiones comunes, & generatio in communi. igitur per confusa nil aliud intelligit, nisi propositiones illas communes, & generationem in communi, quę cum vniuersalia sint, & indistincta cõfusa sunt. Sed quomõ ex his cõfusis fiant nota principia, subdit in fine textus dicens, Diuidentibus ipsa, hoc est per diuisionem confusorum, quod ut manifestum fiat, pariter Aristotelis processum perpendamus. nam cum accepisset hãc propositionem communem, quę est quoddam confusum, principia sunt contraria, diuisit eam in unumquodque genus eorum, quæ fiunt, ut in genus accidentium; nam in genere accidentium principia sunt contraria; album. n. fit ex non albo, et ita in alijs accidentibus diuisit illam in genus substantiarum, principia enim substantiæ sunt contraria, homo enim fit ex non homine, & vniuersaliter consonans ex inconsonanti: diuisit & illam in genus artefactorum, quia & horum principia sunt contraria, ex qua diuisione cognoscuntur principia & elementa, nam ex hac diuisione cognoscitur, quòd principia uniuersaliter non sunt unum, quia si hoc confusum verificatur de principijs accidentium. substantiarum, & artefactorum. igitur uniuersaliter principia non sunt unum, quòd si non fieret ista diuisio confusi in suas species, posset quispiam suspicari, quòd hoc confusum, Principia sunt contraria uerificaretur solum respectu aliquorum, vtpotè uel substantiarũ, uel accidentiũ, & ita uerificaretur, ꝙ solũ respectu aliquorũ principia nõ sunt unũ, sed nõ vniuersaliter, quia nõ respectu oĩum principia sunt contraria, vt ergo uerificaretur uniuersaliter, ꝙ principia non sunt unum,

opus fuit diuidere uniuersaliter illud confusum, & in accidentibus, & in substantijs, & artefactis. Similiter per diuisionem illius confusi, Contrarium recipit aliud contrarium, ostenditur, quòd præter contraria vniuersaliter necessarium est subiectum, et materia, quòd si illud confusum non diuideretur in suas species, & de qualibet uerificaretur, non posset concludi uniuersaliter, quòd prẹter contraria necessaria est materia, & ita non posset concludi uniuersaliter trinitas principiorum, & ideò Aristot. in cont tex. 51. diuisit illud confusum in suas species, dicens, Raritas non recipit densitatem, neque concordia discordiam, & quasi faciens diuisionem uniuersaliter inquit, similiter autem & alia quæcunque contrarietas, præterea philosophus in 57. cum proposuisset procedere à generatione in communi, et ità ab hoc confuso. in contex. 58. diuidit generationem in simplicem, & compositam: & volens ostendere necessitatem materiæ ex generationi communi, et confusa: diuidit generationem in communi, in contex. 62. et 63. in suas species, videlicet in generationem accidentium, substantiarum, & artefactorum, & horum generationem in omnes modos quibus artificialia fieri solent, & ex hac confusi diuisione concludit in generatione vniuersaliter materiam necessariam esse, quòd si illud confusum, et generationem in communi nòn diuisisset in suas species, non potuißet ostẽdere necessitatem màteriæ in generatione vniuersaliter, quia aliquis suspicari potuisset in aliqua generatione materiã necessariam nõ esse, & ideò cõfusorũ diuisio necessaria erat, & propterea Arist. in præsenti contex. iure dixit, sunt nobis primo nota confusa magis, ex quibus fiunt nota principia, per diuisionem illorum confusorum.

Ab vniuersalibus ad singularia progredi oportet.

SCRIBITVR *propositio ista ab Aristotele primo de physico auditu contex. 4. quæ ob eam rationem ibi allata fuit, vt in pertractandis principijs rebusque naturalibus doctrinẹ ordinem explicaret, nam cum in tex. 1. institutum, intentionemque suam statuisset de principijs rerum naturalium differendum esse, viamq;, & methodum inuestigandi principia in contex. 2. edocuisset; reliquum erat doctrinæ ordinem in pertractãdis principijs decernere. nam cum principiorum alia magis communia, alia verò minus communia sint, à quibusdam auspicandum foret declarare, operæ prætium erat; quam legem, & ordinem in hoc theoremate statuit, cum inquit ab vniuersalibus, & singula ꝑgredi oportere vnde ab Aristotelis instatuto, quàm maximè abhorrent recentiores nonnulli, qui propositionem*

hanc non ad ordinem, sed ad viam doctrinæ attinere arbitrantur, atque cõclusionem esse illius syllogismi, qui secundò, & tertio context. ab Aristotele conficitur. siquidem via doctrinæ, et ordo doctrinæ hoc inter se discrimine distant, quòd via doctrinę processus est demonstratiuus à causa ad effectum, vel è contra cum illatione vnius ad alterum: doctrinę autem ordo processus demonstratiuus non est inter causam, & effectum; sed dispositio quædam est inter scibilia, quæ in scientia cõsiderantur, prout vnum priùs, alterumùe posterius considerari debet. iam verò in hac propositione comparatio non fit inter causam, & effectum, sed inter magis & minus vniuersale igitur propositio hæc de via doctrinæ haud intelligi potest, ad quod si propositio hæc de via doctrinæ vt aiunt, intelligenda esset, redarguendus profectò Aristoteles esset, qui suam intentionem explicasset, doctrinę que viam, & methodum: ordinem verò doctrinæ in pertractandis principijs minimè declarasset, quod tamen maximè opportunum erat; neque illud verum est, propositionem istam illius syllogismi conclusionem esse, qui in 2. et 3. cõtext. ab Aristotele astruitur, quod ex ipso Aristotelis discursu patere potest, qui ità se habet, insita est nobis via à notioribus ad minus nota nobis, sed confusa magis sunt notiora nobis ex quibus fiunt nota principia, vt ait in contex. 3. conclusio quæ, ex his sequitur est ista, vnde ab vniuersalibus, et confusis ad principia progredi oportet, non autem ista, vnde ab vniuersalibus ad singularia procedendum, siquidem termini in præmissis, & cõclusione variari non debent nec inter præmissas, & cõclusionẽ diuersa comparatio fieri debet: iam verò in minore conclusione termini, & comparatio variantur: quoniam in minore comparatio fit inter confusa principia, in hac autem propositione inter magis, & minus vniuersale cõparatio fit. quamobrem fatuũ est asserere propositionem istam illius syllogismi conclusionem esse, ac proinde de via doctrinæ intelligendam esse, sed cum de ordine doctrinæ intelligatur, & in hac propositione ponatur illa dictio (Vnde) quæ illationis signum latere non oportet, vnde propositio deducatur Ioan. Grammat. & Diu. Thom. qui arbitrati sunt Aristotelem in 2. & 3. contex. de doctrinæ ordine loqui dixerunt, propositionem hãc ex illis præmissis in hunc modũ deduci? . Innata est nobis via, vt à notioribus ad minus nota progrediamur, sed confusa magis, vt potè principia magis vniuersalia notiora sunt, quàm minus vniuersalia, igitur à magis vniuersalibus ad minus vniuersalia progredi oportet, sed hi à veritate recedunt, siquidem syllogismus ab Aristote factus in contextu secundo, & tertio de ordine doctrinæ haud intelligi potest, quoniam inquit, insita est nobis via, vt à notioribus nobis progrediamur, confusa magis, ex quibus nota fiunt

prin-

principia;sunt notiora nobis,iam verò si in hac propositione comparatio fit inter principia magis , & minus vniuersalia , tunc minus vniuersalia principia erunt, & elementa magis vniuersalium,quod falsum est,cum econtra res se se habeat.quoniam magis vniuersalia minus vniuersalium principia sunt.Præterea si de ordine doctrinæ totus syllogismus intelligeretur,philosophus viam,& methodum inuestigandi principia,de quibus agēdum proposuit silentio præterijsset,quæ summopere necessariæ erat.nam cum principia,de quibus contextu primo tractare instituit,secreta,atque occulta sint aliqua via , & methodo peruestiganda erant . operę pretium itaque erat Aristotelem hanc methodum edocere : frustra enim quis aliquem finem proponit,nisi etiam media declaret,quibus finis ille consequi possit: ea propter resolutè dicendum est propositionem hāc conclusionem non esse syllogismi facti in secundo;& 3.context. sed ex alio syllogismo deduci, qui hoc pacto constitui potest maiorem illam propositionem accipiendo positam in contex. 2.Cum insita sit nobis via vt à notioribus nobis progrediamur:confusa autem , & magis vniuersalia sint nobis conspicua magis,quàm minus vniuersalia,quare à magis vniuersali ad minus uniuersalia progredi oportet. Quapropter vnico syllogismo contenti esse non debemus,vt facit Diuus Thom.sed duo syllogismi fieri debent,vnus,qui spectat ad viam doctrinæ,in quo à confusis ad principia comparatio fit,qui in secundo & tertio contextu ab Aristote.conficitur;alter verò, qui ad doctrinæ ordinem spectat,qui ex illa maiori accipitur in text.secundo, & relicta comparatione inter confusa , & principia , sed comparatione facta inter magis,& minus vniuersalia ista conclusio deducitur,vnde à magis vniuersalibus ad minus vniuersalia progredi oportet, sed huius ordinis ratio vnde sumatur considerandum est .

Doctrinæ ordo vnde sumatur.

HAC *in re mihi certè immorandum non esset,nisi quorundam recentiorum extaret opinio,qui arbitrati sunt doctrinæ ordinem non ex nostra cognitione,sed ex naturali rerum ordine desummi, quæ in scientia considerantur, ita vt eo ipso ordine tractentur,quo se inuicem consequuntur,vt quæ priora sunt,prius,quæ verò posteriora sunt,posteriore quoque considerentur loco , atque inter viam doctrinæ , & ordinem doctrinæ, id discriminis esse aiunt:quod via doctrinæ nostram respicit cognitionem,quoniam cum vnum declarandi alterum gratia sit, a notis ad ignota progredi debet, doctrinę autem ordo non quidem cognitionem nostram, sed*

sed rerum ttactandarum ordinem respicit. quamobrem cum in scientia à magis vniuersalibus ad minus vniuersalia progredimur, id non fit, quoniã magis vniuersalia notiora sint; sed quoniam minus uniuersalibus priora sunt, & in hoc Auerroem repræhendunt, qui huius ordinis rationem assignans, quare à magis vniuersalibus auspicandum est, eam esse inquit, quoniam minus vniuersalib. notiora sunt, ac proinde huius ordinis causam ad cognitionem nostram, non autem ad naturalem rerum ordinem refert: sed horum sententia ab Aristote. apertissimè dissentit: siquidem præsens propositio, vt nuper ostensum fuit, ad doctrinæ ordinem spectat: tamen Philosophus eam ex nostra cognitione deducit: nam inquit, ideò à magis vniuersalibus ad miuus vniuersallia procedẽdum esse, quoniam notiora sunt: quod probat in eodem contex. 4. pręterea, si doctrinæ ordo in naturali rerum ordine consistit: igitur inpertractando de animalibus, & plantis, prius de plantis quàm de animalibus ab Aristote. oratio habenda erat, cum plãtæ animalibus priores, et communiores sint; quod tamen ab Aristote. factum non videmus, vt ipse memoriæ prodidit libro de longitu. & breuita. vitæ, vbi ait, cum de animalibus habita erit oratio, differendũ erit de plantis, tuncùe finis erit scientiæ naturalis. nam licet plantæ animalibus priores sint: quoniam tamen animalium partes, quàm quę stirpium sunt euidentiores, magisue conspicuæ sunt, cum stirpium partes ex proportione, & similitudine ad animalium partes dignoscantur. vt 2. de Anima legitur cõtex. 6. ea propter prius de animalibus, quàm de plantis Aristote. petractauit, iccirco multò veriùs, & ad Arictotelem magis dicendum est doctrinæ ordinem non ex naturali tractandarum rerum ordine, sed ex nostra cognitione desumi, ac proinde à magis vniuersalibus inchoandum fore, quoniam nobis sunt, & conspicua magis: vt rectè sentit Auerroes, illud benè verum est, interdum doctrinæ ordinem, nostræque facilioris cognitionis cum ordine rerum coire, vt cum à magis vniuersalibus ad minus vniuersalia progredimur, hic enim ordo iuxta rerũ ordinem incedit, enimuerò magis vniuersalia, minus vniuersalibus priora sunt. Verũ scientia non rerum ordinem, sed faciliorem nostram cognitionem respicit, nec ab illis inchoandum esse putat, quia priora, sed quia notiora facilioraque sunt, sicut etiam primo de moribus Aristoteles indicauit capite 4. vbi sic inquit: enimuerò semper à notis incipiendum est, hinc concludit in scientia morali à notis auspicandum esse certum est autem quòd incipit ab ordine, non autem à methodo, & à via doctrinæ, vt eo loco facilè patet; interdum verò doctrinæ ordo rerum ordini cantrarius est, vt cum vsu venit minus vniuersale magis vniuersali notius esse: tunc enim à minus vniuersali ad magis vniuersale progre-

gre-

gredimur, quod sanè memoriç prodidit Aristoteles 5. metaf. context. primo, vbi inquit. Principium doctrinç non semper est principium rei: sed vnde quo quis facilè addiscere potest. Quibus verbis ostendit doctrinæ ordinem quandoque coire cum ordine rerum; interdum verò nequaquam: quinimmo contrarium esse, & inde auspicari, vnde quis facilius addiscere possit sicuti Aristotelem fecisse comperimus in pertractando de animalibus, & plantis. nam licet plantæ animalibus priores, communioresue sint; quia tamen animalia cognitu faciliora sunt, quàm stirpes, proinde Aristoteles prius de animalibus, quàm de stirpibus pertractauit: qui sanè ordo rerum ordini contrarius est, quamuis nostræ cognitioni sit maximè accommodatus, ad quam scientia oculos habet, quo fit vt hæc propositio, non semper, sed vt in plurimis intelligenda sit, cum interdum à minus vniuersalibus ad magis vniuersalia scientia progrediatur, vt stirpium, animaliumque argumento nuper ostensum fuit.

Dubitationis solutio, qua explicatur, vbi cœlum, ut causa efficiens minus uniuersalis consideretur.

CAETERVM hac in re quædam oboritur difficultas non aspernanda: nam si in pertractandis principijs à magis communibus ad minus communia progredi oportet, igitur in naturali scientia de principijs communioribus, & minus communibus differendum est, sed cum in genere causæ efficientis detur efficiens magis, et minus commune, sicuti cçlum est, dubium quidem est, vbi Arist. de cçlo, vt est causa efficiens pertractauit. Porrò differendo de materia, de prima materia differuit, quæ communissimum est omnium subiectum, mox de elementis, quæ sunt materia minus vniuersalis, tandem de materia proxima pariter, & in differendo de forma idem egit, sed vbinam de cçlo, vt est causa efficiens minus vniuersalis pertractarit, non satis perspectum est. Superiori ætate doctissimi quidem Philosophi dixerunt, cçlum, vt causa effectrix minus vniuersalis istorum inferiorum in libris de cçlo considerari, hinc luculenter quidem, sed minus verè libros de cçlo connectebant cum libris de physico auditu; cum enim (aiebant) Aristoteles in libris de physico auditu egisset de efficiente magis vniuersali, atque de mouēte æterno in octauo libro, qui rerum naturaliam efficiens causa est maxime vniuersalis, reliquum erat de efficiente minus vniuersali pertractare, hoc autem cum cçlum sit, propterea post libros de physico auditu, de cçlo pertractare aggressus fuit. Sed horum sententia falsa est; siquidem cçleste corpus in libris de cçlo non consideratur in habitudi

ne ad hæc inferiora, sed secundum propriam eius naturam, vt cuius legenti patet primum, & secundum librum de celo, in quibus ostenditur solum simplex corpus esse, alteriusque naturæ ab elementis, neque graue, neque leue, ingenitumùe, & incorruptibile esse, sphæricamque figuram habere, igitur in his libris cęlum non consideratur, vt causa efficiens istorum inferiorum. nam ratio causæ, vt causa est in habitudine, consistit ad suum effectum. igitur secundum habitudinem istam considerari debet. implicat enim aliquid, vt causam considerari absque habitudine ad suum effectum, cum ergo cęlum in illis libris in habitudine ad ista inferiora, vt suos effectus minimè consideretur. igitur vt causa efficiens eisdem libris minimè tractatur, enimuerò si coelum in his libris Aristoteles ita tractaret, declarare debuisset quorum sit causa quomodoùe causa sit, quod in eo loco minimè factum est, pręterea id euidenter ex Aristotele ostenditur primo de ortu, & interitu contex.14. vbi ęternitatis generationis causam quęrens (inquit) quòd cum duplex huius rei causa quęri possit, efficiēs vna, et altera materialis, non quęritur (inquit) causa efficiēs: nam hęc cum duplex sit, altera semper mouens immobilis, altera verò mouens semper mobilis, de mouente semper immobili dictum fuit in libris de motu vt in libris phisicorum: de efficiente verò semper mobili posterius dicendum est. Hæc Aristoteles. Certum est autem, efficiens semper mobile cęlum esse; igitur de cęlo, vt est efficiens causa generationis horum inferiorum post librum primum de generatione differendum proponit, igitur ante librum de generatione, atque ipsi in libris de coelo ipsum sub ratione causę efficientis minimè considerauit, enimuerò si in his libris ità coelum tractasset, profecto dixisset se de efficiente semper mobili superius tractasse: sicut dixit de efficiente semper immobili se superius orationem habuisse. ea propter secus dicendum est, & pro resolutione aduertendum, cęlum pluribus modis considerari posse; vno modo, vt semper mobile, & in ordine ad motorem æternum, à quo perpetuo mouetur; alio modo secundum propriam eius naturam, postremo in ordine ad hęc inferiora, & vt ipsorum causa est primo quidem modo in octauo libro physicorum cęlum consideratur; secundo autem modo in libris de cęlo, vt Aristoteles ipse declarauit tertio cęli contex.1. his verbis, de primo quidem elemento, & quale quid est natura ingenitum, incorruptibileque esse, iam satis dictum est. Nomine quidem primi elementi cęlum intelligens, de quo habita erat oratio; dicitur autem cęlum elemētum respectu vniuersi ad cuius constitutionem vnà cum cęteris elementis concurrit. Tertio autem modo cōsideratur coelum in secundo de ortu, & interitu, vbi Phylosophus declarat cęlum generationis,

rationis,

rationis, & interitus istorum inferiorum causam esse, & ob id in primo libro contex. 14. de efficiente causa ęternitatis generationis, & corruptionis posteriùs, vtpotè in 2. libro se dicturum proponit; quem sanè locum cum prioris ętatis Phylosophi non animaduerterint, ex eo nodo se se explicare non potuerunt. Quamobrem Aristoteles in pertractandis rerum naturalium principijs, eam legem, eumque ordinem seruauit, quem in hoc theoremate decreuit: hęc satis.

Expositio textus 50. primi Physicorum.

Tex. Consequens autem est dicere ut duo, aut tria, aut plura sint. Vnum enim impossibile est, quoniam non unum contraria. &c.




VM iam satis Arist. in progmio primi phys. præfatus esset, intentionem suam, viamque inuestigandi principia, atque doctrinæ ordinem patefaciens, in contex. 6. rerum naturalium principia, quę sint peruestigare incepit. Qua in re tractanda (vt sui moris est) varias, ac dissidentes priscorum sapiētum de numero principiorum opiniones recensuit. Quas cum diligentius expendisset, easque vt vero minus consentientes reiecisset: reliquum esse videbatur, vt ipse suam de numero principiorum sententiam pronunciaret. sed quoniam tota huiusce rei resolutio ex hac radice, & fundamento pēdere videbatur, videlicet (principia sunt cōtraria) iccircò in contex. 41. Phylosophus imprimis huius fundamenti veritatem tùm sapientum consensu, tùm ratione probauit. Quo fundamento probè fixo, & constituto numerum principiorum secundum propriam sententiam inquirere aggressus est, & in contex. hoc 50. principia neque vnum esse, neque infinita ostendit, remouens, primum extrema, quæ in numero sunt, vt vnum, et infinita: quod etiam Aristotelem peregisse comperimus quarto libro de cęlo, vbi numerum elementorum inquirens primum, neque vnum, neque infinita esse elementa probauit. Imprimis autem in hoc contex. suam ponit intentionem. probat secundo principia non esse vnum, postremo non esse multitudine infinita. intentionem quidem ponit his verbis (consequens autem est dicere an duo, aut tria sint &c.) Quæ verba cū superiore capite huiusmodi connexionem habent, cum satis firmata superius fuerit propositio illa, quod principia sunt contraria, quæ radix erat ad numerum principiorum constituendum: nunc cōsequens est scrutari, an principia sint duo, aut tria,

vel plura, & quasi rationem reddens cur inquirere non proposuerit, an principia sint, vnum (inquit). Quoniam impossibile est principia vnum esse, quod non ita impossibile esse videtur. Principia esse duo, vel tria, propterea proponitur hoc, & non illud. Quod vero nullo pacto fieri possit, principia vnum esse, hac ratione ostendit, contraria non sunt vnum, quoniam contrarietas in vno seruari non potest, cum nihil sibi aduersum, aut cōtrarium sit, principia sunt contraria; igitur principia non sunt vnum; ratio ista, quæ ex contrarietate ad destruendum vnitatem principiorum desumpta est, transmutationi tacitè innititur, ac proinde naturalis est. Enimuerò minor illa propositio, videlicet, principia sunt contraria via trāsmutationis inductione facta in omnibus, quæ oriuntur, & occidunt, superius in contex. 43. & sequentibus inuenta fuit. Vnitate principiorum sublata, alterum extremum principia .s. nō esse infinita probare aggreditur. Idque quatuor rationibus ostendit, quarum prima ita se habet: si principia essent infinita, nihil esset scibile, statimque rerum naturalium collaberetur scientia; quæ sanè consecutio ex duabus propositionibus deducitur; prima est, quoniam infinitum, vt infinitum ignotum est. Quæ superius contex. 35. contra Anaxagoram accepta fuit. Altera est, naturalium rerum scientiam per principia, & causas haberi vt primo Physicorum contex. 1 statutum fuit. Iam verò si principia essent infinita; igitur essent ignota, sed ignoratis principijs, quę ex principijs pendent, ignorari etiam necesse est. Quare posita principiorum infinitate rerum naturalium rueret scientia. Ex qua ratione illud colligitur ad exactam, perfectamque cognitionem simpliciter rerum naturalium, opus esse causas oēs cognoscere, ex quibus dependent. Secus Aristotelis ratio nullum haberet momentum; nam si ad perfectam cognitionem simpliciter satis esset, non omnia, sed quędam principia cognoscere; tunc etiam si principia infinita essent, non propterea rerum naturalium perfecta rueret scientia. quoniam necessarium non esset; omnia principia cognoscere, sed satis esset quędam cognoscere, ex quibus perfecta cognitio haberi posset, si itaque Aristotelis ratio necessitatem habere debet, absolutam rerum naturalium cognitionem principiorum omnium notitiam exposcere dicendum est; siquidem ad perfectam cognitionem in genere & secundum quid, vel unum, uel plura cognoscere principia satis est, sicuti est cognitio, quę per definitionem habetur, in qua materia, & forma solum ponuntur.

Secun-

Secundæ rationis explicatio.

Tex. In omni genere uno, est una contrarietas: substantia autem unum quoddam genus est &c.




TITVR Aristoteles altera ratione ad probandum principia non esse infinita, quę huiusmodi est: in omni genere est vna contrarietas, substantia est vnum genus: igitur in substantia est vna contrarietas. cęterum hæc Aristotelis ratio propositũ concludere non videtur: siquidẽ Aristotelis cõsilium eò tendit, vt probet principia non esse infinita, ratio autem concludit in substantia vnam primam contrarietatem adinueniri. profectò non ità ieiunè ratio hęc intelligi debet; sed nonnulla adhibenda sunt, ex quibus totum connexum astruitur, ex quo Aristoteles propositum suum assequitur: totum autem connexum, ità se habet. in omni genere est vna prima contrarietas, substantia est vnum quoddam genus, igitur in substantia, est vna prima contrarietas; sed vna prima contrarietas, est inter duo prima contraria: igitur in substantia sunt duo prima contraria, at ex context. 42. prima contraria sunt principia: igitur in substantia sunt duo principia, & per consequens finita. Dubitant Gręci circa terminos huius rationis, quid nomine generis, quid nomine contrarietatis, atque substantię, intelligat Aristoteles, & licet Simplicius hac in re longiore vtatur oratione, ego ne minima quaque in re lectoris animum detineam, quæ sit Aristotelis sententia breuiter explicabo. Porrò nomine generis materiam non intelligit, vt Ammonio visum est: quoniam adhuc an præter principia contraria detur materia ostensum non est, sed inferius demonstrabitur, sed nomine generis prædicamentum intelligi debet: nomine uerò contrarietatis, nõ ea intelligenda est, quę inter differẽtias genus diuidentes reperitur, et quę inter excessum est, et defectum, vt placuit Siriano: sed cõtrarietas priuationis, & formę intelligi debet. nã licèt verissimũ sit, in quolibet genere contrarietatẽ secundum excessum, & defectũ, secũdum uè contrarias differentias reperiri: hoc tamen in loco non ità ab Aris. accipitur, siquidẽ de ea contrarietate intelligit, quę inter prima cõtraria sunt, adinuenitur. iam uerò excessus, et defectus, differẽtięque diuidentes genus, principia substantiæ, alteriusque prædicamenti nõ sunt. sed priuatio, et forma, igitur nomine cõtrarietatis ea, quæ est priuationis, & formę ab Aris. intelligitur. nomine uerò substantię, nõ tota natura transmutabilis commu

C 2 nis

nis substantiæ, & accidentibus intelligi debet. vt Simplicio placet. sed substantia, quæ ab aliis accidentibus cõtradistinguitur, quod ex ea ratione probari potest, qua philosophus inferiùs in contex. 52. probauit principia non esse contraria, quæ ità se habet. Substantia non est contraria substantiæ, principia substantiæ, sunt substantiæ: quoniam ex non substantia nullo pacto substantia fieri potest. igitur principia substantiæ non sunt cõtraria. certum est autem in hoc discursu Aris. de principijs illius substantiæ intelligere, quæ ab accidentibus contradistincta est. quoniam inquit, ex non substantia, & ex accidentibus fieri nequit: & cum eodem modo substantia capiatur in cont. 50. & 52. quoniam de eadem substantia istę propositiones verificantur, principia substantiæ non sunt contraria, & principia substantiæ non sunt infinita. sicut igitur in ratione allata in cont. 52. substantia accipitur, vt genus est, ab aliis accidentibus contradistinctum. ità & in hac rõne ab Arist. capi dicendum est, sed circa eandem rationem, quædam alia occurrunt, quæ maius negocium faciunt: primum est, An hęc ratio sit naturalis. nam cùm transmutationi non innitatur, sed solùm ratione contrarietatis in quolibet genere adinuentę naturalis esse nõ videtur. Alterum est, quoniam Arist. ignotum per ignotum probare videtur. enimuerò probat in substantia vnam contrarietatem adinueniri, quoniam in omni genere vna contrarietas reperitur. hoc autem dubium, atque occultum est. neq; ab ipso probatum, quare ratio non ex euidentibus, sed ex ignotis procedere videtur. suspecta quoque videtur esse conclusio, cum inquit, in substantia cõtrarietatem reperiri, cùm alibi non semel a substantia contrarietatem relegauerit, Soluimus ista, & ad primum dicimus rationem hanc naturalem esse, atque transmutationi innixam. siquidem ratio hæc probat in substãtia contrarietatem, esse innixã huic propositioni tanquàm medio. quoniam in omni genere vna contrarietas reperitur. hæc autem propositio transmutationi innititur, & via transmutationis inuenta fuit, in cont. 43. & 44. eiusdem libri in substantiis, & accidentibus Arist. probauit omne quod oritur ex suo præfinito contrario oriri, ac proinde in genere substantiæ, & accidentium in omnique genere contrarium reperiri, & propterea rõ ista veluti transmutatio suffulta naturalis censenda est, ad secundum autem Ari. non ex ignotis, sed euidentibus notisve conclusionem illam demonstrare. Nam cum pro medio maiorem illam propositionem accipiat in omni genere unam contrarietatem reperiri, illam vt notam, & superius ab ipso ostensam accepit. Nam (vt nuper dictum est) cum in cont. 43. & 44. inductiua ratione ostendisset in substantijs, & accidentibus, omne quod fit ex præfinito contrario fieri, & oriri, consequenter ostendit in substantijs, & acci-

accidentibus, atque itâ in quouis genere contrarietatem reperiri. Quamobrem ad illam conclusionem ostendendam maiorem illam propositionē, ut notā atque ostensam, accepit : ex quo sequitur hoc theorema, videlicet (in substātia contrarium reperitur) via transmutationis tanquàm ex radice demonstrari posse, Aristoteleque comparatum esse : Quomodo autem postremę dubitationi occurrendum sit, quoniam longiorem orationem exposcit, post explicationem contextus declarabitur. Interim tertiam rationem perpendo, quę ita se habet : quotiescunque aliquid commodè fieri potest semper finitum infinito pręferi debet, non enim absque necessitate entia multiplicanda sunt; nam sicut in arte quotiescunque aliquid vnico instrumento moliri potest, Ars pluribus minimè vtitur, ita se habet in natura, quā ars studet imitari inquantū pōt. iā verò rerum naturaliū generatio per principia finita probè seruari pōt. Melius est igitur ponere principia finita quàm infinita; rerum autem naturalium ortum ex principijs finitis aptè seruari posse ipsa rei euidentia ostendit: nam si cuiuslibet rei naturalis generationem percuras, duo sufficiunt termini, vt terminus à quo, et ad quem, & vnum subiectum. Tandem ad eandem conclusionem probādam hac vtitur ratione, oportet principia semper manere, non omnia contraria semper manent; quoniam contrariorum permulta sunt, quæ ex alijs pendent, vt dulce, & amarum; rarum, & densum: igitur non omnia contraria sunt principia: igitur quædam, & per consequens finita. ex quibus omnibus rationibus extrema sublata sunt, ostensumque est principia nō vnum esse, nec infinita, sed quid intelligat Phylosophus (cum inquit) principia semper manere, considerandum est.

Oportet principia semper manere.



PVtauit Alexander authore Simplicio, in expositione huius contextus propositionem hanc, principia semper manere, in hoc sensu intelligendam esse, vt principia ęterna sint, ita vt illa dictio [semper] temporis ęternitatem significet, quæ sanè expositio consistere nequit, quoniam, aut intelligit principia ęterna esse, secundum numerum, aut secundum speciem; non primò, quoniam principia contraria, de quibus hoc in loco sermo est, vt priuatio, & forma secundum numerum ęterna non sunt. enimuero hęc priuatio, & hæc forma quandoque intereunt: si verò secundum speciem dicatur, cum omnia contraria secundum speciem æterna sint, igitur omnia contraria erunt principia : quod tamen Aristoteles hoc ipso contex. inficiatur.

tur. quamobrẽ Alexād. expō Arist. nullo pacto accomodari pōt. ea pp Simplicius, & Io. gram. Ammonij praeceptoris sententiam in secuti, dixerunt, principia semper manere, hoc est in omni generatione adinueniri ità, vt illa dictio [semper] non temporis ęternitatem, sed transmutationis vniuersalitatem significet. & quoniam non omnia contraria in omni generatione reperiuntur: non enim dulce, & amarum: album, nigrum in generatione ignis, & aquae inueniuntur: ob id non omnia contraria sunt principia: sed licet expositio haec, probabiliter sit, & à plerisque recepta: tamen nec haec ipsa verbis Aristotelis accomodari potest. siquidem Aristoteles probans, quare non omnia contraria semper maneant: non eam rationem assignauit: quoniam, non in omni generatione reperiuntur, sed quoniam per multa sunt, quae ex alijs oriuntur, & fiunt: quamobrem dicendum est, huius propositionis germanum intellectum esse, oportere principia semper manere, in ratione principij ita, vt ex alijs minimè fiant: quod sanè ex Aristotelis discursu facilè ostendi potest. nam ita ratiocinatur: oportet principia semper manere, non omnia contraria semper manent: quoniam contrariorum multa sunt, quae ex alijs fiunt: igitur nōn omnia contraria sunt principia. iā verò sicut semper manere negatur de multis contrarijs in minore ꝓpositione, ita affirmatur de principijs in maiore, sed in minore de cōtrarijs negatur semper manere: quoniā nō oīa sunt prima, sed multa sunt, quae ex alijs fiunt, vt dulce, & amarum; album, & nigrum; & id genus alia, ergo in maiore de principijs affirmato, vt semper maneant in ratione principij ita, vt ex alijs minime fiant: quibus uerbis illud idem dicere voluit, quod antea asseruit in contex. 42. cum inquit, quod principia nō fiunt ex alijs, sed ex ipsis omnia fiunt, quem propositionis sensum prae caeteris Auerroes assecutus fuit.

In substantia vna contrarietas reperitur.

FVIT *haec conclusio secundae rationis allatę in contextu nuper exposito, quę vt clara conspicuaque reddatur, breuiter à nobis dilucidanda est. illud autem quod circa eam difficultatem facit, est: quoniam Phylosophus inferius in contex. 52. & in libro categoriarum, nec non 5. Physicorum contex. 10. asseruit in substantia contrarietatem non reperiri, quo fit, vt Aristoteles sibi repugnantia dicere videatur: cui sanè dubitationi hac distinctione occurrendum est: in substantia duplicem contrarietatem excogitare posse alteram priuatiuam quae est inter priuationem, & formam, reliquam verò positiuam, quę est inter formas substantiales inter se pugnā-*

tes,

tes, atque contrarias; porrò in substantia contrarietas secundum priatio nem & formam adinuenitur: nam cum priuatio, et forma generationi substantiæ principia sint, in genere substantię necessariò reperiri debent, & de hoc contrarietatis genere in hac propositione Aristotelis intellexit. Neque ulla quidem de hac est apud eius interpretes controuersia, an verò in substantia oppositio contraria secundum formas substantiales reperiatur, non satis cōspicuum est: puto autem ego id contrarietatis genus in substantia minimè reperiri, quod ex Aristotele primum 5. physicorum contex. 10. probari potest, vbi in formis substantialibus ideò motum propriè dictum haud reperiri posse ostēdit; quoniā in formis substantialib. contrarietas non reperitur, quam sanè motus requirit, quippè qui fit de contrario positiuo in contrarium positiuum. Quod si inter formas substantiales oppositio cōtraria reperiretur; statim fundamentū corrueret, quod ab Aristotele assummitur, quod etiam 2. de ortu, & interitu contex. 24. ex eodem confirmari potest, vbi declarans quonam pacto quatuor elementa inter se opponātur (inquit) Ignem aquę, & aerem terrę aduersari: quoniam contrarijs qualitatibus affecta sunt. Ignis enim quia calidus, & siccus est; aquę opponitur, quę frigida, & humida est. itaque contrarietas, quę inter ignem, & aquam, cæteraque elementa reperitur, non ad formas eorum substantiales, sed ad qualitates ab Aristotele refertur, quod etiam eodem libro contex. 49. Aristoteles significare voluit, cum (inquit) Ignem aquæ, aeremque terrę, se se opponere, vt contingit substantiam substantiæ contrariam esse, id autē contingere superius declarauit, non ratione substantiæ, sed ratione qualitatum, quibus omnibus adijci quoque potest Aristotelis auctoritas libro de sensu, & sensili; vbi rationem reddens, quare ignis non agit, vt ignis, & substantia est, ratio (inquit) est: quoniam igni, vt ignis est, nihil est contrarium: actio verò ratione contrarietatis efficitur, sed agit vt calidus est, quoniam vt calidus sibi contrarium frigus habet, ex quibus omnibus iam satis patere arbitror ex Aristotel. decreto, in substantia oppositionem contrariam secundum formas substantiales non reperiri, & hunc in modum categoriarum libro Aristoteles intellexit, cum à substantia contrarietatem denegauit. Tametsi, quandoque ad materiam quoque respiciens à substantia contrarietatem reiecerit, vt primo phys. cō tex. 41. quod ut studiosi intelligant monitos esse velim, quod cùm phylosophus in contex. 41. & sequentibus ostendisset in substantia principia contraria, vt priuationem, & formam reperiri, vt ostenderet prēter principia contraria in generatione substantiæ subiectum necessariò adinueniri artificiosa, et ingeniosa quadā vtens methodo in contex. 52. probauit princi

pia

pia substantiæ nō esse contraria,in vltima parte illius contextus hoc vsus. argumento ; substantia non est contraria substantiæ . principia substantiæ sunt substantiæ;quoniam ex non substantia nullo pacto substantia fieri potest;igitur principia substantiæ non sunt contraria . Cum autem hæ duæ propositiones de eisdem principijs verificari non possint; quoniam impossibile est eadem principia esse contraria, & non contraria;itaque de diuersis principijs veritatem habent. Quamobrem aliqua principia substantiæ sunt contraria,& aliqua non sunt contraria ; igitur præter principia contraria tertium quoddam principium reperitur,quod nulli est contrarium, quod materia & subiectum est.Quod satis apertè Aristoteles ipse deduxit in contextu 53.dicens (Quocirca siquis veram putabit rationem priorem, scilicet probantem principia esse contraria)& hanc scilicet probantem non esse contrariam subijci quandam tertiam naturam,& subiectum oportet. cum autem conclusio hæc,videlicet.Principia substantiæ non esse contraria ex illa maiore propositione deducatur, quoniam substantia non est substantiæ contraria,sicuti conclusio intelligitur secundum materiam, itá & illa maior, vtpotè substantiam non esse contrariam substantiæ secundum materiam intelligi debet.ex quibus nemo est, qui modo non satis facile intelligere possit verum intellectum illarum duarum propositionum, quæ inter se pugnare videbantur . Illa enim propositio in substantia nulla contrarietas reperitur , quæ in contextu 50. scribitur, secundum priuationem,& formam intelligitur. Altera verò, quæ in contextu 52. ponitur,vtpotè substantiam substantiæ non opponi,secundum materiam intelligi debet. sed hac in re illud minimè reticendum est, quod non ita ab alijs animaduersum est, qua via maior illa propositio, vtpotè substantiam substantię contrariam non esse,inuenta sit. porrò hac methodo huiusmodi propositio inuenta fuit.nam cum unum contrarium quippiam non generet ex suo contrario:siquidem calor ex frigore calorē non producit,& itá de alijs,substantia uerò ex alia substantia aliquid generet.homo enim ex alia substantia hominem generat, & ignis ex alia substantia ignem producit,igitur substantia nō est alteri substantiæ contraria; quam rationem in contextu 51. eiusdem primi libri Aristoteles indicauit, cum inquit,non enim concordia ex discordia aliquid facit,neque rarum ex denso. quod si aliquando Aristoteles inter formas substantiales specificasue differentias oppositionem cōtrariam admittere uidetur id secundum communem rationem contrarietatis,ut secundum perfectum, & imperfectū, intelligi debet . Nam cùm formę substantiales quæ alterius sunt speciei itá se se habeant,quod una semper est altera perfecta magis ratione huius

distan-

distantię secundum maiorem, & minorem perfectionem aliqua contrarietas inter ipsas oriri videtur; enimuerò contrarietas quędam distantia est. Vel contrarietas inter formas substantiales ad qualitates referenda est, vt antea ex Aristotele statutum fuit, quod etiam animaduertit Auerroes 5. physicorum commen. 10. contra Alexandrum, & hæc satis.

De methodo inueniendi materiam primam.

INTER *rerum naturalium principia materiam Aristoteles introduxit, eamque pręter priuationem, & formam maximè opportunam esse demonstrauit. Qua autem methodo, & via ab ipso inuenta fuerit, inueniri que possit, cum non satis constet ea propter, vt id conspicuum fiat methodum hanc explicare decreui. Beatus Thomas suorum opusculorum libro opusculo 32. cum Aristotelis sententiam perlegisset, primo physicorum contex. 69. vbi inquit subiectam materiam cognosci per analogiam, vt ipse interpratatur ad formam; asseruit methodum inueniēdi materiam primam esse per Analogiam ad formam. Qua in re ab Aristotele maximè abhorret. Primò .n. methodum, & viam cōfundit inueniēdi materiā quò ad qd est, et quo ad si est, enimuerò methodus per analogiā nō est methodus in ueniēdi materiā quò ad si est, sed tantū quò ad quid est: siquidem Phylo. cū textu illo 69. statuisset materiā secundum analogiam scibilem esse ex hac materiæ primæ naturam deduxit, inquiens materiam suaptè natura substantiam quandam informem esse, in potentiaque ad omnes formas. Præterea methodus per analogiam supponit materiam esse, quod ex Aristotelis discursu loco citato satis conspicuum est, vbi ita ratiocinatur sicuti se habet æs ad statuam, itá materia prima ad res naturales. Iam verò discursus iste materiam esse præsupponit: quoniam inquit, ita se se habere materiam ad res naturales, sicuti materiam artefactorum ad res artificiosas. Quamobrem methodus analogię non facit ad probandum ipsam esse, sed ad ipsius naturā inquirendā deficit præterea unà cum Auerroe, cū Analogiam, qua Aristoteles inquit subiectam materiam cognosci habitudinem ad formam interpretatur, cùm tamen per analogiam proportionem ad materiam artefactorum intelligat. Declarans enim Aristoteles, quomodo per analogiam materia cognoscatur, inquit, Sicuti se habet ęs ad statuam & lignum ad lectum, itá materia rerum naturalium ad res naturales. Iam verò illa informis est, potentiaque ad formas artificiosas.*

igitur & materia rerum naturalium substantia quædam informis est, potentiaque ad formas naturales recipiendas. Quamobrem per analogiam *non habitudo ad formam, sed ad materiam arteficiosam ab Aristotele intelligitur.*

Dilucidatio.

EA propter secus dicendum est. Materiam ex contrarietate in transmutatione existentem ab Aristotele inuentam esse. Quæ radix, præcipuumque fundamentum fuit ad constituendum numerum principiorum, materiamque introducendam, in hunc modum. Omnis transmutatio fit inter contraria, omneque, quod oritur ex præfinito quodam contrario oritur, sed vnum contrarium, neque recipit, neque alterum contrarium transmutat: vtpotè quæ mutuò se perdant, atque expellant, sed ambo tertium quoddam transmutant; igitur in generatione sola contraria non satis sunt; sed præter ipsa in rerum naturalium ortu tertium quoddam reperiri oportet, quod contraria vicissim recipiat, & ex eo alterum generetur. qua methodo primo physicorum contex. 51. Aristoteles vsus est. Quam etiam 12. metaf. contex. 6. ad memoriam reuocauit. Vbi ex tribus illis propositionibus materiam sic introduxit. Omnis substantia naturalis transmutabilis est. Omnisve transmutatio est de contrario in contrarium. Nullum contrarium sustinet alterum, aut ex ipso aliquid facit. Igitur in transmutatione rerum, subiectum adinueniri oportet, quod contrarijs subijciatur. Sed circa Aristotelis rationem, qua primo phys. vtitur, ea se offert dubitatio: siquidē Aristotelis videtur velle prima contraria, scilicet priuationem, & formam esse formas agentes. Nam contex. illo 51. ità ratiocinatur. generatio est inter prima contraria, vt priuationem & formam, quæ sunt termini primi generationis, sed vnum contrarium (inquit) alterum non transmutat. sed vtraque quoddā tertium vtpotè subiectum transmutant. igitur præter principia contraria in generatione subiectum adinuenitur, quo sanè discursu statuit priuationem, & formam subiectum transmutare, ac proinde formas agentes esse: quod sanè à veritate abhorret, cùm priuatio, quæ est non ens, neque forma, quæ de materię gremio educitur in materiam non agant nec ipsam transmutent; sed agens illud est, quod materiam transmutat ex ea, quę formam traducit; cui obiectioni ita est occurrendum. Generationem inter priuationem, & formam esse, quæ cum contraria sint, vnum alienum non sustinet, neque transmutat, sed ambo subiectum transmutant. Cæterum bifariam

etiam vnum alterum transmutare dicitur, vno modo efficienter, vt cum ignis in lignum calorem producit, effectiuè lignum transmutare dicitur, prout ipsum alterat, caloremque producit. alio modo formaliter, vt calor in ligno receptus ipsum formaliter transmutat, prout efficit, vt lignũ sit formaliter calidum, taleque denominetur; cum antea neque calidum esset, neque denominaretur: nam sicuti transmutari est nunc aliter sese habere, quàm prius, ità aliquid transmutare dicitur, quod efficit, vt aliquid nunc aliter sese formaliter habeat, quàm prius; iam verò priuatio & forma subiectum ipsum transmutant non quidem effectiuè, quoniam hoc agentis munus est, sed formaliter, prout priuatio existens in materia ipsam denominat priuatam, efficitque, vt nunc aliter sese habeat, quàm prius: simili quoque modo forma materiam; ex qua educitur, transmutat. & proinde non sequitur priuationem, & formam principia agentia esse, cum subiectum in quo recipiuntur non efficienter, sed formaliter tantum transmutent, vt dictum est. Nunc ad aliam viam me conuerto: enimuerò Aristoteles secundo ex non contrarietate principiorum materiam introduxit. cum enim superius ostendisset principia generationis esse contraria, atque propterea cum vnum alterum sustinere non possit subiectum necessarium esse in contex. 52. principia non esse contraria demonstrauit; vt ex hoc materia quoque necessitatem deduceret, sicut ipsemet declarauit in contex. 53. Nàm cum hæ duæ propositiones, videlicet principia sunt contraria, principiaque non sunt contraria de eisdem verificari non possint: quoniam fieri nequit eadem principia esse contraria, & non contraria: igitur de diuersis principijs veritatis locum habent; quamobrem aliqua principia sunt contraria, & aliqua non sunt contraria, quò fit vt præter principia contraria tertium quoddam subiectum esse oporteat, quod nulli sit contrarium, & hoc pacto, quod etiam animaduerterit Simplicius mira quadam arte, ingeniove quodam modo principijs contrarijs subiectum adiecit. Tertio Aristoteles via inductionis, & veluti fides sensuum in omnibus, quæ oriuntur, & occidunt eodem primo physic. contex. 62. & 63. materiam demonstrauit. quia enim rationis certitudo in hoc consistit, vt his concordet, quæ sensibus obuia sunt, vt 8. physicorum contex. 22. ab Aristotele scribitur, illaque ratio firmior, certaque magis esse dicitur, cui plures sensus consentiunt, vt declarauit Auerroes primo cęli cõmen. 22. ea propter Aristoteles, vt ostenderet rationes superius allatas, quibus materiam introduxit veras esse sensibusque consentire: idipsum inductione in accidentibus substantijs, arteque confectis, comprobare decreuit. Enimuerò accidentia, cum per ipsa

ne ad hæc inferiora, sed secundum propriam eius naturam, vt cuius legenti patet primum, & secundum librum de celo, in quibus ostenditur solum simplex corpus esse, alteriusque naturæ ab elementis, neque graue, neque leue, ingenitumue, & incorruptibile esse, sphæricamque figuram habere, igitur in his libris cęlum non consideratur, vt causa efficiens istorum inferiorum. nam ratio causæ, vt causa est in habitudine, consistit ad suum effectum. igitur secundum habitudinem istam considerari debet. implicat enim aliquid, vt causam considerari absque habitudine ad suum effectum, cum ergo cęlum in illis libris in habitudine ad ista inferiora, vt suos effectus minimè consideretur. igitur vt causa efficiens eisdem libris minimè tractatur, enimuerò si coelum in his libris Aristoteles ita tractaret, declarare debuisset quorum sit causa quomodoue causa sit, quod in eo loco minimè factum est, pręterea id euidenter ex Aristotele ostenditur primo de ortu, & interitu contex. 14. vbi ęternitatis generationis causam quęrens(inquit) quòd cum duplex huius rei causa quęri possit, efficiēs vna, et altera materialis, non quęritur(inquit) causa efficiēs: nam hęc cum duplex sit, altera semper mouens immobilis, altera verò mouens semper mobilis, de mouente semper immobili dictum fuit in libris de motu vt in libris phisicorum: de efficiente verò semper mobili posterius dicendum est. Hæc Aristoteles. Certum est autem, efficiens semper mobile cęlum esse; igitur de cęlo, vt est efficiens causa generationis horum inferiorum post librum primum de generatione disserendum proponit, igitur ante librum de generatione, atque ipsi in libris de coelo ipsum sub ratione causę efficientis minimè considerauit, enimuerò si in his libris ità coelum tractasset, profecto dixisset se de efficiente semper mobili superius tractasse: sicut dixit de efficiente semper immobili se superius orationem habuisse. ea propter secus dicendum est, & pro resolutione aduertendum, cęlum pluribus modis considerari posse; vno modo, vt semper mobile, & in ordine ad motorem æternum, à quo perpetuo mouetur; alio modo secundum propriam eius naturam, postremo in ordine ad hęc inferiora, & vt ipsorum causa est primo quidem modo in octauo libro physicorum cęlum consideratur; secundo autem modo in libris de cęlo, vt Aristoteles ipse declarauit tertio cęli contex. 1. his verbis, de primo quidem elemento, & qualę quid est natura ingenitum, incorruptibileque esse, iam satis dictum est. Nomine quidem primi elementi cęlum intelligens, de quo habita erat oratio; dicitur autem cęlum elemētum respectu vniuersi ad cuius constitutionem vnà cum cęteris elementis concurrit. Tertio autem modo cōsideratur coelum in secundo de ortu, & interitu, vbi Phylosophus declarat cęlum generationis,

rationis,& interitus istorum inferiorum causam esse,& ob id in primo libro contex.14.de efficiente causa ęternitatis generationis, & corruptionis posteriùs, vtpotè in 2. libro se dicturum proponit; quem sanè locum cum prioris ętatis Phylosophi non animaduerterint, ex eo nodo se se explicare non potuerunt. Quamobrem Aristoteles in pertractandis rerum naturalium principijs,eam legem,eumque ordinem seruauit, quem in hoc theoremate decreuit:hęc satis.

Expositio textus 50.primi Physicorum.

Tex. Consequens autem est dicere ut duo,aut tria,aut plura sint. Vnum enim impossibile est, quoniam non unum contraria.&c.



V M iam satis Arist.in proęmio primi phys.præfatus esset, intentionem suam,viamque inuestigandi principia,atque doctrinæ ordinem patefaciens,in contex.6.rerum naturalium principia,quę sint peruestigare incepit. Qua in re tractanda(vt sui moris est) varias, ac dissidentes priscorum sapiẽtum de numero principiorum opiniones recensuit. Quas cum diligentius expendisset, easque vt vero minus consentientes reiecisset: reliquum esse videbatur, vt ipse suam de numero principiorum sententiam pronunciaret. sed quoniam tota huiusce rei resolutio ex hac radice, & fundamento pẽdere videbatur, videlicet(principia sunt cõtraria)iccircò in contex.41. Phylosophus imprimis huius fundamenti veritatem tùm sapientum consensu,tùm ratione probauit. Quo fundamento probè fixo,& constituto numerum principiorum secundum propriam sententiam inquirere aggressus est,& in contex.hoc 50.principia neque vnum esse,neque infinita ostendit,remouens,primum extrema,quæ in numero sunt,vt vnum,et infinita: quod etiam Aristotelem peregisse comperimus quarto libro de cęlo, vbi numerum elementorum inquirens primum,neque vnum,neque infinita esse elementa probauit. Imprimis autem in hoc contex. suam ponit intentionem. probat secundo principia non esse vnum, postremo non esse multitudine infinita. intentionem quidem ponit his verbis (consequens autem est dicere an duo,aut tria sint &c.) Quæ verba cũ superiore capite huiusmodi connexionem habent, cum satis firmata superius fuerit propositio illa, quod principia sunt contraria,quæ radix erat ad numerum principiorum constituendum:nunc cõsequens est scrutari,an principia sint duo, aut tria,

vel plura, & quasi rationem reddens cur inquirere non proposuerit, an principia sint, vnum (inquit). Quoniam impossibile est principia vnum esse, quod non ita impossibile esse videtur. Principia esse duo, vel tria, propterea proponitur hoc, & non illud. Quod vero nullo pacto fieri possit, principia vnum esse, hac ratione ostendit, contraria non sunt vnum, quoniam contrarietas in vno seruari non potest, cum nihil sibi aduersum, aut cōtrarium sit, principia sunt contraria; igitur principia non sunt vnum; ratio ista, quæ ex contrarietate ad destruendum vnitatem principiorum desumpta est, transmutationi tacitè innititur, ac proinde naturalis est. Enimuerò minor illa propositio, videlicet, principia sunt contraria via trāsmutationis inductione facta in omnibus, quæ oriuntur, & occidunt, superius in contex. 43. & sequentibus inuenta fuit. Vnitate principiorum sublata, alterum extremum principia .s. nō esse infinita probare aggreditur. Idque quatuor rationibus ostendit, quarum prima ita se habet: si principia essent infinita, nihil esset scibile, statimque rerum naturalium collaberetur scientia; quæ sanè consecutio ex duabus propositionibus deducitur; prima est, quoniam infinitum, vt infinitum ignotum est. Quæ superius contex. 35. contra Anaxagoram accepta fuit. Altera est, naturalium rerum scientiam per principia, & causas haberi vt primo Physicorum contex. 1 statutum fuit. Iam verò si principia essent infinita; igitur essent ignota, sed ignoratis principijs, quę ex principijs pendent, ignorari etiam necesse est. Quare posita principiorum infinitate rerum naturalium rueret scientia. Ex qua ratione illud colligitur ad exactam, perfectamque cognitionem simpliciter rerum naturalium, opus esse causas cēs cognoscere, ex quibus dependent. Secus Aristotelis ratio nullum haberet momentum; nam si ad perfectam cognitionem simpliciter satis esset, non omnia, sed quędam principia cognoscere; tunc etiam si principia infinita essent, non propterea rerum naturalium perfecta rueret scientia. quoniam necessarium non esset; omnia principia cognoscere, sed satis esset quędam cognoscere, ex quibus perfecta cognitio haberi posset, si itaque Aristotelis ratio necessitatem habere debet, absolutam rerum naturalium cognitionem principiorum omnium notitiam exposcere dicendum est; siquidem ad perfectam cognitionem in genere & secundum quid, vel unum, vel plura cognoscere principia satis est, sicuti est cognitio, quę per definitionem habetur, in qua materia, & forma solum ponuntur.

Secun-

Secundæ rationis explicatio.

Tex. In omni genere uno, est una contrarietas: substantia autem unum quoddam genus est &c.



TITVR Aristoteles altera ratione ad probandum principia non esse infinita, quę huiusmodi est: in omni genere est vna contrarietas, substantia est vnum genus: igitur in substantia est vna contrarietas. cęterum hæc Aristotelis ratio propositũ concludere non videtur: siquidẽ Aristotelis cõsilium eò tendit, vt probet principia non esse infinita, ratio autem concludit in substantia vnam primam contrarietatem adinueniri. profectò non ità ieiunè ratio hęc intelligi debet; sed nonnulla adhibenda sunt, ex quibus totum connexum astruitur, ex quo Aristoteles propositum suum assequitur: totum autem connexum, ità se habet. in omni genere est vna prima contrarietas, substantia est vnum quoddam genus, igitur in substantia, est vna prima contrarietas; sed vna prima contrarietas, est inter duo prima contraria: igitur in substantia sunt duo prima contraria, at ex context. 42. prima contraria sunt principia: igitur in substantia sunt duo principia, & per consequens finita. Dubitant Gręci circa terminos huius rationis, quid nomine generis, quid nomine contrarietatis, atque substantię, intelligat Aristoteles, & licet Simplicius hac in re longiore vtatur oratione, ego ne minima quaque in re lectoris animum detineam, quæ sit Aristotelis sententia breuiter explicabo. Porrò nomine generis materiam non intelligit, vt Ammonio visum est: quoniam adhuc an præter principia contraria detur materia ostensum non est, sed inferius demonstrabitur, sed nomine generis prædicamentum intelligi debet: nomine uerò contrarietatis, nõ ea intelligenda est, quę inter differẽtias genus diuidentes reperitur, et quę inter excessum est, et defectum, vt placuit Siriano: sed cõtrarietas priuationis, & formę intelligi debet. nã licèt verissimũ sit, in quolibet genere contrarietatẽ secundum excessum, & defectũ, secũdum uè contrarias differentias reperiri: hoc tamen in loco non ità ab Aris. accipitur, siquidẽ de ea contrarietate intelligit, quę inter prima cõtraria sunt, adinuenitur. iam uerò excessus, et defectus, differẽtięque diuidentes genus, principia substantiæ, alteriusque prædicamenti nõ sunt. sed priuatio, et forma, igitur nomine cõtrarietatis ea, quæ est priuationis, & formę ab Aris. intelligitur. nomine uerò substantię, nõ tota natura transmutabilis commu

nis ſubſtantiæ, & accidentibus intelligi debet. vt Simplicio placet. ſed ſubſtantia, quæ ab alijs accidentibus cõtradiſtinguitur, quod ex ea ratione probari poteſt, qua philoſophus inferiùs in contex. 52. probauit principia non eſſe contraria, quæ ità ſe habet. Subſtantia non eſt contraria ſubſtantiæ, principia ſubſtantiæ, ſunt ſubſtantiæ: quoniam ex non ſubſtantia nullo pacto ſubſtantia fieri poteſt. igitur principia ſubſtantiæ non ſunt cõtraria. certum eſt autem in hoc diſcurſu Ariſ de principijs illius ſubſtantiæ intelligere, quæ ab accidentibus contradiſtincta eſt. quoniam inquit, ex non ſubſtantia, & ex accidentibus fieri nequit: & cum eodem modo ſubſtantia capiatur in cont. 50. & 52. quoniam de eadem ſubſtantia iſtę propoſitiones verificantur, principia ſubſtantiæ non ſunt contraria, & principia ſubſtantiæ non ſunt infinita. ſicut igitur in ratione allata in cont. 52. ſubſtantia accipitur, vt genus eſt, ab alijs accidentibus contradiſtinctum. ità & in hac rõne ab Ariſt. capi dicendum eſt, ſed circa eandem rationem, quædam alia occurrunt, quæ maius negocium faciunt: primum eſt, An hęc ratio ſit naturalis. nam cùm tranſmutationi non innitatur, ſed ſolùm ratione contrarietatis in quolibet genere adinuentę naturalis eſſe nõ videtur. Alterum eſt, quoniam Ariſt. ignotum per ignotum probare videtur. enimuerò probat in ſubſtantia vnam contrarietatem adinueniri, quoniam in omni genere vna contrarietas reperitur. hoc autem dubium, atque occultum eſt. neq; ab ipſo probatum, quare ratio non ex euidentibus, ſed ex ignotis procedere videtur. ſuſpecta quoque videtur eße concluſio, cum inquit, in ſubſtantia cõtrarietatem reperiri, cùm alibi non ſemel a ſubſtantia contrarietatem relegauerit, Soluimus iſta, & ad primum dicimus rationem hanc naturalem eſſe, atque tranſmutationi innixam. ſiquidem ratio hæc probat in ſubſtãtia contrarietatem, eſſe innixã huic propoſitioni tanquàm medio. quoniam in omni genere vna contrarietas reperitur. hæc autem propoſitio tranſmutationi innititur, & via tranſmutationis inuenta fuit, in cont. 43. & 44. eiuſdem libri in ſubſtantijs, & accidentibus Ariſt. probauit omne quod oritur ex ſuo præfinito contrario oriri, ac proinde in genere ſubſtantiæ, & accidentium in omnique genere contrarium reperiri, & propterea rõ iſta veluti tranſmutatio ſuffulta naturalis cenſenda eſt, ad ſecundum autem Ari. non ex ignotis, ſed euidentibus notiſve concluſionem illam demonſtrare. Nam cum pro medio maiorem illam propoſitionem accipiat in omni genere unam contrarietatem reperiri, illam vt notam, & ſuperius ab ipſo oſtenſam accepit. Nam (vt nuper dictum eſt) cum in cont. 43. & 44. inductiua ratione oſtendiſſet in ſubſtantijs, & accidentibus, omne quod fit ex præfinito contrario fieri, & oriri, conſequenter oſtendit in ſubſtantijs, &

acci-

accidentibus, atque ità in quouis genere contrarietatem reperiri. Quamobrem ad illam conclusionem ostendendam maiorem illam propositionē, ut notā atque ostensam, accepit: ex quo sequitur hoc theorema, videlicet (in substātia contrarium reperitur) via transmutationis tanquàm ex radice demonstrari posse, Aristoteleque comparatum esse: Quomodo autem postremę dubitationi occurrendum sit, quoniam longiorem orationem exposcit, post explicationem contextus declarabitur. Interim tertiam rationem perpendo, quę ita se habet: quotiescunque aliquid commode fieri potest semper finitum infinito pręferi debet, non enim absque necessitate entia multiplicanda sunt; nam sicut in arte quotiescunque aliquid vnico instrumento moliri potest, Ars pluribus minimè vtitur, ita se habet in natura, quā ars studet imitari inquantū pōt. iā verò rerum naturaliū generatio per principia finita probè seruari pōt. Melius est igitur ponere principia finita quàm infinita; rerum autem naturalium ortum ex principijs finitis aptè seruari posse ipsa rei euidentia ostendit: nam si cuiuslibet rei naturalis generationem percuras, duo sufficiunt termini, vt terminus à quo, et ad quem, & vnum subiectum. Tandem ad eandem conclusionem probādam hac vtitur ratione, oportet principia semper manere, non omnia contraria semper manent; quoniam contrariorum permulta sunt, quæ ex alijs pendent, vt dulce, & amarum; rarum, & densum: igitur non omnia contraria sunt principia: igitur quædam, & per consequens finita. ex quibus omnibus rationibus extrema sublata sunt, ostensumque est principia nō vnum esse, nec infinita, sed quid intelligat Phylosophus (cum inquit) principia semper manere, considerandum est.

Oportet principia semper manere.



PVtauit Alexander authore Simplicio, in expositione huius contextus propositionem hanc, principia semper manere, in hoc sensu intelligendam esse, vt principia ęterna sint, ita vt illa dictio [semper] temporis ęternitatem significet, quæ sanè expositio consistere nequit, quoniam, aut intelligit principia ęterna esse, secundum numerum, aut secundum speciem; non primò, quoniam principia contraria, de quibus hoc in loco sermo est, vt priuatio, & forma secundum numerum ęterna non sunt. enimuero hęc priuatio, & hæc forma quandoque intereunt: si verò secundum speciem dicatur, cum omnia contraria secundum speciem æterna sint, igitur omnia contraria erunt principia: quod tamen Aristoteles hoc ipso contex. inficiatur.

tur. quamobrẽ Alexãd. expõ Aris. nullo pacto accomodari põt. ea pp Simplicius, & Io. gram. Ammonij præceptoris sententiam insecuti, dixerunt, principia semper manere, hoc est in omni generatione adinueniri ità, vt illa dictio [semper] non temporis ęternitatem, sed transmutationis vniuersalitatem significet. & quoniam non omnia contraria in omni generatione reperiuntur: non enim dulce, & amarum: album, nigrum in generatione ignis, & aquæ inueniuntur: ob id non omnia contraria sunt principia: sed licet expositio hæc, probabiliter sit, & à plerisque recepta: tamen nec hæc ipsa verbis Aristotelis accomodari potest. siquidem Aristoteles probans, quare non omnia contraria semper maneant: non eam rationem assignauit: quoniam, non in omni generatione reperiuntur, sed quoniam per multa sunt, quæ ex alijs oriuntur, & fiunt: quamobrem dicendum est, huius propositionis germanum intellectum esse, oportere principia semper manere, in ratione principij ita, vt ex alijs minimè fiant: quod sanè ex Aristotelis discursu facilè ostendi potest. nam ita ratiocinatur: oportet principia semper manere, non omnia contraria semper manent: quoniam contrariorum multa sunt, quæ ex alijs fiunt: igitur non omnia contraria sunt principia. iã verò sicut semper manere negatur de multis contrarijs in minore ꝓpositione, ita affirmatur de principijs in maiore, sed in minore de cõtrarijs negatur semper manere: quoniã nõ oĩa sunt prima, sed multa sunt, quæ ex alijs fiunt, vt dulce, & amarum; album, & nigrum; & id genus alia, ergo in maiore de principijs affirmato, vt semper maneant in ratione principij ita, vt ex alijs minime fiant: quibus uerbis illud idem dicere voluit, quod antea asseruit in contex. 42. cum inquit, quod principia nõ fiunt ex alijs, sed ex ipsis omnia fiunt, quem propositionis sensum præ cæteris Auerroes assecutus fuit.

In substantia vna contrarietas reperitur.

F*VIT hæc conclusio secundæ rationis allatę in contextu nuper exposito, quę vt clara conspicuaque reddatur, breuiter à nobis dilucidanda est. illud autem quod circa eam difficultatem facit, est: quoniam Phylosophus inferius in contex. 52. & in libro categoriarum, nec non 5. Physicorum contex. 10. asseruit in substantia contrarietatem non reperiri, quo fit, vt Aristoteles sibi repugnantia dicere videatur: cui sanè dubitationi hac distinctione occurrendum est: in substantia duplicem contrarietatem excogitare posse alteram priuatiuam quæ est inter priuationem, & formam, reliquam verò positiuam, quę est inter formas substantiales inter se pugnãtes,*

tes, atque contrarias; porrò in substantia contrarietas secundum priuatio nem & formam adinuenitur: nam cum priuatio, et forma generationi substantiæ principia sint, in genere substantię necessariò reperiri debent, & de hoc contrarietatis genere in hac propositione Aristotelis intellexit. Neque vlla quidem de hac est apud eius interpretes controuersia, an verò in substantia oppositio contraria secundum formas substantiales reperiatur, non satis cōspicuum est: puto autem ego id contrarietatis genus in substantia minimè reperiri, quod ex Aristotele primum 5. physicorum con tex. 10. probari potest, vbi in formis substantialibus ideò motum propriè dictum haud reperiri posse ostēdit; quoniā in formis substantialib. contrarietas non reperitur, quam sanè motus requirit, quippè qui fit de contrario positiuo in contrarium positiuum. Quod si inter formas substantiales oppositio cōtraria reperiretur; statim fundamentū corrueret, quod ab Aristotele assummitur, quod etiam 2. de ortu, & interitu contex. 24. ex eodem confirmari potest, vbi declarans quonam pacto quatuor elementa inter se opponātur (inquit) Ignem aquę, & aerem terrę aduersari: quoniam contrarijs qualitatibus affecta sunt. Ignis enim quia calidus, & siccus est; aquę opponitur, quę frigida, & humida est. itaque contrarietas, quę inter ignem, & aquam, cæteraque elementa reperitur, non ad formas eorum substantiales, sed ad qualitates ab Aristotele refertur, quod etiam eodem libro contex. 49. Aristoteles significare voluit, cum (inquit) Ignem aquæ, aeremque terrę, se se opponere, vt contingit substantiam substantiæ contrariam esse, id autē contingere superius declarauit, non ratione substantiæ, sed ratione qualitatum, quibus omnibus adijci quoque potest Aristotelis auctoritas libro de sensu, & sensili; vbi rationem reddens, quare ignis non agit, vt ignis, & substantia est, ratio (inquit) est: quoniam igni, vt ignis est, nihil est contrarium: actio verò ratione contrarietatis efficitur, sed agit vt calidus est, quoniam vt calidus sibi contrarium frigus habet, ex quibus omnibus iam satis patere arbitror ex Aristotel. decreto, in substantia oppositionem contrarium secundum formas substantiales non reperiri, & hunc in modum categoriarum libro Aristoteles intellexit, cum à substantia contrarietatem denegauit. Tametsi, quandoque ad materiam quoque respiciens à substantia contrarietatem reiecerit, vt primo phys. cō tex. 41. quod ut studiosi intelligant monitos esse velim, quod cùm phylosophus in contex. 41. & sequentibus ostendisset in substantia principia contraria, vt priuationem, & formam reperiri, vt ostenderet pręter principia contraria in generatione substantiæ subiectum necessariò adinueniri artificiosa, et ingeniosa quadā vtens methodo in contex. 52. probauit princi

pia substantiæ nō esse contraria, in vltima parte illius contextus hoc vsus. argumento; substantia non est contraria substantiæ. principia substantiæ sunt substantiæ; quoniam ex non substantia nullo pacto substantia fieri potest; igitur principia substantiæ non sunt contraria. Cum autem hæ duæ propositiones de eisdem principijs verificari non possint; quoniam impossibile est eadem principia esse contraria, & non contraria; itaque de diuersis principijs veritatem habent. Quamobrem aliqua principia substantiæ sunt contraria, & aliqua non sunt contraria; igitur præter principia contraria tertium quoddam principium reperitur, quod nulli est contrarium, quod materia & subiectum est. Quod satis apertè Aristoteles ipse deduxit in contextu 53. dicens (Quocirca siquis veram putabit rationem priorem, scilicet probantem principia esse contraria) & hanc scilicet probantem non esse contrariam subijci quandam tertiam naturam, & subiectum oportet. cum autem conclusio hæc, videlicet. Principia substantiæ non esse contraria ex illa maiore propositione deducatur, quoniam substantia non est substantiæ contraria, sicuti conclusio intelligitur secundum materiam, ità & illa maior, vtpotè substantiam non esse contrariam substantiæ secundum materiam intelligi debet. ex quibus nemo est, qui modo non satis facile intelligere possit verum intellectum illarum duarum propositionum, quæ inter se pugnare videbantur. Illa enim propositio in substantia nulla contrarietas reperitur, quæ in contextu 50. scribitur, secundum priuationem, & formam intelligitur. Altera verò, quæ in contextu 52. ponitur, vtpotè substantiam substantiæ non opponi, secundum materiam intelligi debet. sed hac in re illud minimè reticendum est, quod non ita ab alijs animaduersum est, qua via maior illa propositio, vtpotè substantiam substantię contrariam non esse, inuenta sit. porrò hac methodo huiusmodi propositio inuenta fuit. nam cum unum contrarium quippiam non generet ex suo contrario: siquidem calor ex frigore calorē non producit, & ità de alijs, substantia uerò ex alia substantia aliquid generet. homo enim ex alia substantia hominem generat, & ignis ex alia substantia ignem producit, igitur substantia nō est alteri substantiæ contraria; quam rationem in contextu 51. eiusdem primi libri Aristoteles indicauit, cum inquit, non enim concordia ex discordia aliquid facit, neque rarum ex denso. quod si aliquando Aristoteles inter formas substantiales specificasue differentias oppositionem cōtrariam admittere uidetur id secundum communem rationem contrarietatis, ut secundum perfectum, & imperfectū, intelligi debet. Nam cùm formę substantiales quæ alterius sunt speciei ità se se habeant, quod una semper est altera perfecta magis ratione huius

distan-

distantię secundum maiorem, & minorem perfectionem aliqua contrarietas inter ipsas oriri videtur; enimuerò contrarietas quædam distantia est. Vel contrarietas inter formas substantiales ad qualitates referenda est, vt antea ex Aristotele statutum fuit, quod etiam animaduertit Auerroes 5. physicorum commen. 10. contra Alexandrum, & hæc satis.

De methodo inueniendi materiam primam.

INTER *rerum naturalium principia materiam Aristoteles introduxit, eamque pręter priuationem, & formam maximè opportunam esse demonstrauit. Qua autem methodo, & via ab ipso inuenta fuerit, inuenirique possit, cum non satis constet ea propter, vt id conspicuum fiat methodum hanc explicare decreui. Beatus Thomas suorum opusculorum libro opusculo 32. cum Aristotelis sententiam perlegisset, primo physicorum contex. 69. vbi inquit subiectam materiam cognosci per analogiam, vt ipse interpratatur ad formam; asseruit methodum inueniēdi materiam primam esse per Analogiam ad formam. Qua in re ab Aristotele maximè abhorret. Primò. n. methodum, & viam cōfundit inueniēdi materiā quò ad qd est, et quo ad si est, enimuerò methodus per analogiā nō est methodus inueniēdi materiā quò ad si est, sed tantū quò ad quid est: siquidem Phylo. cū textu illo 69. statuisset materiā secundum analogiam scibilem esse ex hac materiæ primæ naturam deduxit, inquiens materiam suaptè natura substantiam quandam informem esse, in potentiaque ad omnes formas. Præterea methodus per analogiam supponit materiam esse, quod ex Aristotelis discursu loco citato satis conspicuum est, vbi ita ratiocinatur sicuti se habet æs ad statuam, ità materia prima ad res naturales. Iam verò discursus iste materiam esse præsupponit: quoniam inquit, ita se se habere materiam ad res naturales, sicuti materiam artefactorum ad res artificiosas. Quamobrem methodus analogię non facit ad probandum ipsam esse, sed ad ipsius naturā inquirendā deficit præterea unà cum Auerroe, cū Analogiam, qua Aristoteles inquit subiectam materiam cognosci habitudinem ad formam interpretatur, cùm tamen per analogiam proportionem ad materiam artefactorum intelligat. Declarans enim Aristoteles, quomodo per analogiam materia cognoscatur, inquit, Sicuti se habet ęs ad statuam & lignum ad lectum, ità materia rerum naturalium ad res naturales. Iam verò illa informis est, potentiaque ad formas artificiosas.*

tiam vnum alterum transmutare dicitur, vno modo efficienter, vt cum ignis in lignum calorem producit, effectiuè lignum transmutare dicitur, prout ipsum alterat, caloremque producit. alio modo formaliter, vt calor in ligno receptus ipsum formaliter transmutat, prout efficit, vt lignũ sit formaliter calidum, taleque denominetur; cum antea neque calidum esset, neque denominaretur: nam sicuti transmutari est nunc aliter sese habere, quàm prius, ità aliquid transmutare dicitur, quod efficit, vt aliquid nunc aliter sese formaliter habeat, quàm prius; iam verò priuatio & forma subiectum ipsum transmutant non quidem effectiuè, quoniam hoc agentis munus est, sed formaliter, prout priuatio existens in materia ipsam denominat priuatam, efficitque, vt nunc aliter sese habeat, quàm prius: simili quoque modo forma materiam; ex qua educitur, transmutat. & proinde non sequitur priuationem, & formam principia agentia esse, cum subiectum in quo recipiuntur non efficienter, sed formaliter tantum transmutent, vt dictum est. Nunc ad aliam viam me conuerto: enimuerò Aristoteles secundo ex non contrarietate principiorum materiam introduxit. cum enim superius ostendisset principia generationis esse contraria, atque propterea cum vnum alterum sustinere non possit subiectum necessarium esse in contex. 52. principia non esse contraria demonstrauit; vt ex hoc materia quoque necessitatem deduceret, sicut ipsemet declarauit in contex. 53. Nam cum hæ duæ propositiones, videlicet principia sunt contraria, principiaque non sunt contraria de eisdem verificari non possint: quoniam fieri nequit eadem principia esse contraria, & non contraria: igitur de diuersis principijs veritatis locum habent; quamobrem aliqua principia sunt contraria, & aliqua non sunt contraria, quò fit vt præter principia contraria tertium quoddam subiectum esse oporteat, quod nulli sit contrarium, & hoc pacto, quod etiam animaduerterit Simplicius mira quadam arte, ingeniove quodam modo principijs contrarijs subiectum adiecit. Tertio Aristoteles via inductionis, & veluti fides sensuum in omnibus, quæ oriuntur, & occidunt eodem primo physic. contex. 62. & 63. materiam demonstrauit. quia enim rationis certitudo in hoc consistit, vt his concordet, quæ sensibus obuia sunt, ut 8. physicorum contex. 22. ab Aristotele scribitur, illaque ratio firmior, certaque magis esse dicitur, cui plures sensus consentiunt, vt declarauit Auerroes primo cęli cõmen. 22. ea propter Aristoteles, vt ostenderet rationes superius allatas, quibus materiam introduxit veras esse sensibusque consentire: idipsum inductione in accidentibus substantijs, arteque confectis, comprobare decreuit. Enimuerò accidentia, cum per ipsa

consistere non possint, subiecto egent, ex quo oriantur, cuive innitantur. In generatione quin etiam substantiarum materiam adinueniri sensus ipsi apertißimam fidem faciunt. Nam stirpes, & animalia, quæ ex propagatione oriuntur ex semine, vt ex subiecto procreari conspicimus, quod in ijs, quæ artificio fiunt, spectamus, siue compositione, siue transfiguratione, siue ablatione, vt ex lapide Mercurius generetur; vnde sicut philosophus eo libro tont. 43. & sequentibus in accidentibus substantijs, arteque elaboratis inductione ostendit, omne, quod oritur, ex præfinito quodam contrario oriri, & in contrarium corrumpi; ac proinde in quavis generatione principia contraria reperiri, ita inductiua ratione quæcunque fiunt ex subiecta materia, ac proinde in quavis generatione materiam adinueniri, demonstrauit, & hæc media sunt quibus Aristoteles materiam adinuenit, & rerum ordinem introduxit. quibus mea sententia hoc etiam adhiberi facilè posset. Nam cum corpora naturalia duo habeant, vnum sanè, quod sunt, existentiamque habent: alterum verò, quod alteri non inhærent, quinimmò ipsis per multa inhærent, & innituntur: igitur naturalia corpora aliquid habere debent per quod alteri non inhæreant, & per ipsum corporibus naturalibus cætera inhæreant, cum autem id forma esse non possit: quoniam forma, cum actus sit, in naturali corpore ratio subiecti esse non potest, cum actui, vt actus est, subiecti ratio non conueniat, ac proinde naturali corpori subiecti rationem largiri non potest, vt cæteris subijciatur, hoc itaque materia erit, per quam naturale corpus alteri non inhæret, & per ipsam subiectum est, cui per multa alia inhærent, & hæc de inuentione materiæ primæ dicta sint.

De natura, & essentia mareriæ primæ, & de methodo inueniendi eam.

QVoniam post problema si est. Quid res ipsa sit, considerandum consequitur ea propter cum hactenus ostensum sit materiam esse, quave methodo inuenta fuerit. Nunc eius natura cognoscenda, atque exploranda est. in qua sanè disquirenda quod arduum, maximeque difficile est, vt non iniuria ipsam Protheum appellarit Antiquitas, à suppresso genere auspicabor. enimuerò cum anteà decretum fuerit, materiam in rerum vniuersitate adinueniri, cuiusq; necessitatem esse, vt subiectum, formarumque domicilium sit; procul dubio materia est. ens enim quod nihil est, aliorum subiectum esse non potest. cum autem ens in substantium, &

tiam, & accidens distribuatur, materiam aut substantiam, aut accidens esse necesse est. porrò accidens esse nequit, siquidem accidens aliorum subiectum esse non potest, cum potius ipsum alteri, vt subiecto inhæreat; materia itaque substantia erit; quod si contra hoc aliquis hæsitabit; quoniam de ratione substantiæ est per se existere, cum autem materia per se non existat: igitur substantia non erit, dicimus, de ratione substantiæ in communi non esse per se existere, quoniam omnibus substantiæ speciebus, vt materiæ, & formæ minimè conuenit, sed solùm substantiæ compositæ proprietas est, neque per eandem rationem de ratione substantiæ in communi est subijci, siquidem non competit formæ, sed ratio substantiæ in vniuersum est non esse in subiecto penes, quod ab accidente distinguitur, cuius proprium est in subiecto esse. licet ergo materia per se non existat, quoniam tamen in subiecto non est, substantiæ rationem subit. Sed statim oboritur dubitatio, quoniam si de ratione substantiæ est, non esse in subiecto; igitur forma substantialis, cùm in subiecto sit, substantia non erit; nodus iste dissoluitur ex Aristote. libro cathegoriarum capite de substantia. Vbi describens esse in subiecto inquit, illud propriè in subiecto esse, quod est in alio; parsque alterius non est; licet ergo forma substantialis in materia sit, non tamen vt in subiecto est, quoniam pars est ipsius substantiæ. Vnde luculenter Alexander primo naturalium q. cap. 8. & Io. Gramm. 2. de anima super contex 4 esse accidentium ab esse formæ distinxerunt, dicentes, accidentia propriè in subiecto esse; formam verò substantialem verius esse in materia, quã in subiecto: quoniam forma substantialis pars alterius est, neque à materia recipit eße, sed ei potius eße impartitur, vt itaque eo reuertatur, vnde effluxit oratio, materia est ens, quod substantia est. Sed quoniam hæc formæ, & composito etiam communia sunt, quænam substantia sit, quæve sit propria eius essentia, inquirendum est. Sed licet penitiori mentis indagine propriam eius essentiam perscrutemur: attamen vsque adeo delitescit, vt ab intellectu percipi minime possit, ita vt potiùs quid non sit, quàm quid ipsa sit intelligatur. Quò fit vt potiùs per negationem, quàm per affirmationem definiri debeat. Enimuerò quæ sensus nostros effugiunt, eorumque eßentia maximè recondita est, negatione describi solent, sicuti Deus optimus, & materia prima, quæ in tota amplitudine entis duo extrema sunt, quod sanè Arist. animaduertens septimo metaf. contex. 8. Materiam primam per negationem ita descripsit.

Materia secundum se, neque quid, neque quale, neque ullum aliorum prædicamentorum est, neque priuationes horum, sed omnia ista ex accidenti.

IN qua explicanda definitione communem quendam errorem primo reijciam, mox definitionis sensum aperiam, tertio, methodum, qua definitionem hanc Aristoteles inuenerit explicabo. Quò ad primum communiter exponentes definitionem hanc ita legunt, atque enunciant. Materia neque quid, neque quale, neque vllum aliorum prædicamentorum est, sed potentia omnia, quare sanè negligentiam hac in parte non possum non satis admirari, cum particula illa, (sed potentia omnia) ab Aristotele nō ponatur, ut legentibus context. illum facilè patet, neque etiam poni possit; quoniam philosophus inquit, materia secundum se non est quid, nec ullum aliorum prædicamentorum igitur relationem excludit, & ex consequenti potentiam, quæ relatio est, & respectus ad formam, dicere igitur non potest, (sed potentia omnia) quoniam tunc de materia relationē affirmaret, quam tamen in eadem definitione exclusit, atque eiecit. Prgterea, si definitio hæc, vt communis est, omnium consensus, per negationem tradita ē: igitur particula hæc (sed potentia omnia est) minimè poni potest. Quoniā non per negationem, sed per affirmationem, differentiamque positiuam allata esset, & hgc de primo. Cum autem Philosophus inquit, materiā secundum se non esse quid, non arbitretur quispiam intelligere Aristotelem materiā non esse substantiam, quoniam eo loco statuit materiam substantiam esse, sed sensus huius definitionis hic est. Materiam essentialiter non includere aliquem actum, aut formam siue substantialem, siue accidentalem, neque priuationes formarum, ita ut materia substantia quædam sit, quæ secundū se, idest, essentialiter neque forma est, neque formatum, neque priuationes horum, sed substantia, cui hæc omnia, vtpotè formæ, earumque priuationes insunt ex accidenti, & extra cui quidditatem, & hoc est quod significant Aristoteles 10. metaf. contex. 24. cum dixit, materiam negatione cognosci; videlicet quò ad propriam, absolutamque ipsius quidditatem cum conceptu proprio, & absoluto percipi non possit, vnde ex hac definitione perperam recentiores nonnulli colligere voluerunt in materia formam illam corpus de prædicamento substantiæ adinueniri, cum Aristoteles in hac definitione non intelligat in materia, aut formam, aut formæ priuationē non reperiri, sed a materia, & formam, & formæ priuationem abijciat, quæ de essentia, & de quidditate materiæ sit. Inquit enim, Materia secundum

se,


se, neque quid, neque quale est, neque priuationes horum, sed omnia hæc insunt ei ex accidenti; sed illud certè summa animaduersione dignum est. Qua methodo ab Aristotele compertum est, materiam essentialiter, neq; formas, neque formarum priuationes includere, sed ex accidenti, cum id non arbitratu suo, sed aliqua ratione dixisse censendum sit. Porrò ex vsu materiæ primæ id Aristoteles cognouit, quem primo phys. declarauit, enimuero propter hunc vsum in rerum vniuersitate materiam necessariam esse ostensum fuit, vt contrariorum, priuationis scilicet, & formas esset receptiua. Nam cùm in rerum naturalium ortu vnum contrariorum alterũ recipere minimè possit, subiectum quoddam adinueniri necessarium fuit, quod modo vnum, modo alterum sustineret, iamverò si forma esset de essentia materiæ, priuationem sibi oppositam recipere non posset. quoniam cũ subiectum aliquid essentialiter includit, eius oppositum recipere minimè potest. Homo enim quoniam rationale, risibileque essentialiter includit, nec vnius, nec alterius oppositum admittere valet, & eadem ratione si priuationem essentialiter includeret, formam recipere non posset. Cum itaque materia indifferenter, & formam, & priuationem recipiat, hinc statim consequitur, materiam neque formam, neque eius priuatione͂ essentialiter includere, sed ambo ex accidenti. Sed unum in hac definitione difficultatem facere videtur. Nam si materia, neque formam, neque formæ negationem includit; non igitur de quolibet est affirmatio, vel negatio uera, quod sanè axioma a sapientibus receptum est; quod si veritatis locum habere debet, materiam, aut formam, aut formæ negationem habere operæ pretium est, quod etiam consentaneum rationi esse videtur. nam si formã non hẽt, igitur forma caret; sed carẽtia formæ negatio ẽ, itaque si formam non habet, necessariò formæ negationem includit; quod etiam græci interpretes asseruerunt, arbitrati in materia formæ negationem adinueniri, pro resolutione animaduertendum est. Materiam duobus modis formam, eiusque negationem includere posse: vno modo secundum existentiam: alio modo essentialiter, ità vt forma, & eius priuatio sint de essentia materiæ primæ: primo quidem modo, materia vel vnum, vel alterum necessariò includit, quoniam in materia, aut forma existit, aut eius negatio, nec ab vno, vel altero vindicari, aut liberari potest. Nam cum contradictoria in entibus diuidant uerum & falsum, nec inter ipsa vllo pacto medium reperiatur, verum est dicere, materiam secu: dum esse aut formam, aut formæ negationem habere, quod sanè in vltimis verbis definitionis Aristoteles indicare visus est, cum inquit (sed omnia hæc insunt ex accidenti) vult equidem in materia formam aut formæ priuationem adinueniri.

nis substantiæ, & accidentibus intelligi debet. vt Simplicio placet. sed substantia, quæ ab alijs accidentibus cōtradistinguitur, quod ex ea ratione probari potest, qua philosophus inferiùs in contex. 52. probauit principia non esse contraria, quæ ità se habet. Substantia non est contraria substantiæ, principia substantiæ, sunt substantiæ: quoniam ex non substantia nullo pacto substantia fieri potest. igitur principia substantiæ non sunt cōtraria. certum est autem in hoc discursu Aris. de principijs illius substantiæ intelligere, quæ ab accidentibus contradistincta est. quoniam inquit, ex non substantia, & ex accidentibus fieri nequit: & cum eodem modo substantia capiatur in cont. 50. & 52. quoniam de eadem substantia istę propositiones verificantur, principia substantiæ non sunt contraria, & principia substantiæ non sunt infinita. sicut igitur in ratione allata in cont. 52. substantia accipitur, vt genus est, ab alijs accidentibus contradistinctum. ità & in hac rōne ab Arist. capi dicendum est, sed circa eandem rationem, quædam alia occurrunt, quæ maius negocium faciunt: primum est, An hęc ratio sit naturalis. nam cùm transmutationi non innitatur, sed solùm ratione contrarietatis in quolibet genere adinuentę naturalis esse nō videtur. Alterum est, quoniam Arist. ignotum per ignotum probare videtur. enimuerò probat in substantia vnam contrarietatem adinueniri, quoniam in omni genere vna contrarietas reperitur. hoc autem dubium, atque occultum est. neq; ab ipso probatum, quare ratio non ex euidentibus, sed ex ignotis procedere videtur. suspecta quoque videtur eße conclusio, cum inquit, in substantia cōtrarietatem reperiri, cùm alibi non semel a substantia contrarietatem relegauerit, Soluimus ista, & ad primum dicimus rationem hanc naturalem esse, atque transmutationi innixam. siquidem ratio hæc probat in substātia contrarietatem, esse innixā huic propositioni tanquàm medio. quoniam in omni genere vna contrarietas reperitur. hæc autem propositio transmutationi innititur, & via transmutationis inuenta fuit, in cont. 43. & 44. eiusdem libri in substantijs, & accidentibus Arist. probauit omne quod oritur ex suo præfinito contrario oriri, ac proinde in genere substantiæ, & accidentium in omnique genere contrarium reperiri, & propterea rō ista veluti transmutatio suffulta naturalis censenda est, ad secundum autem Ari. non ex ignotis, sed euidentibus notisve conclusionem illam demonstrare. Nam cum pro medio maiorem illam propositionem accipiat in omni genere unam contrarietatem reperiri, illam vt notam, & superius ab ipso ostensam accepit. Nam (vt nuper dictum est) cum in cont. 43. & 44. inductiua ratione ostendisset in substantijs, & accidentibus, omne quod fit ex præfinito contrario fieri, & oriri, consequenter ostendit in substantijs, &

acci-

accidentibus,atque ità in quouis genere contrarietatem reperiri. Quamobrem ad illam conclusionem ostendendam maiorem illam propositionē, ut notā atque ostensam, accepit : ex quo sequitur hoc theorema,videlicet (in substātia contrarium reperitur) via transmutationis tanquàm ex radice demonstrari posse, Aristoteleque comparatum esse : Quomodo autem postremę dubitationi occurrendum sit, quoniamlongiorem orationem ex poscit, post explicationem contextus declarabitur. Interim tertiam rationem perpendo,quę ita se habet:quotiescunque aliquid commode fieri potest semper finitum infinito pręferri debet,non enim absque necessitate entia multiplicanda sunt;nam sicut in arte quotiescunque aliquid vnico instrumento moliri potest, Ars pluribus minimè vtitur,ita se habet in natura,quā ars studet imitari inquantū pōt.iā verò rerum naturaliū generatio per principia finita probè seruari pōt.Melius est igitur ponere principia finita quàm infinita;rerum autem naturalium ortum ex principijs finitis aptè seruari posse ipsa rei euidentia ostendit:nam si cuiuslibet rei naturalis generationem percuras,duo sufficiunt termini,vt terminus à quo,et ad quem, & vnum subiectum.Tandem ad eandem conclusionem probādam hac vtitur ratione,oportet principia semper manere,non omnia contraria semper manent;quoniam contrariorum permulta sunt, quæ ex alijs pendent,vt dulce,& amarum;rarum,& densum:igitur non omnia contraria sunt principia:igitur quædam,& per consequens finita. ex quibus omnibus rationibus extrema sublata sunt,ostensumque est principia nō vnum esse,nec infinita , sed quid intelligat Phylosophus (cum inquit) principia semper manere,considerandum est.

Oportet principia semper manere.



Vtauit Alexander authore Simplicio,in expositione huius contextus propositionem hanc, principia semper manere, in hoc sensu intelligendam esse , vt principia ęterna sint , ita vt illa dictio [semper] temporis ęternitatem significet, quæ sanè expositio consistere nequit,quoniam,aut intelligit principia ęterna esse,secundum numerum,aut secundum speciem;non primò,quoniam principia contraria,de quibus hoc in loco sermo est,vt priuatio,& forma secundum numerum ęterna non sunt.enimuero hęc priuatio, & hæc forma quandoque intereunt:si verò secundum speciem dicatur, cum omnia contraria secundum speciem æterna sint, igitur omnia contraria erunt principia : quod tamen Aristoteles hoc ipso contex. inficiatur.

tur. quamobrē Alexād. expō Aris. nullo pacto accomodari pōt. ea pp Simplicius, & Io. gram. Ammonij præceptoris sententiam in secuti, dixerunt, principia semper manere, hoc est in omni generatione adinueniri ità, vt illa dictio [semper] non temporis ęternitatem, sed transmutationis vniuersalitatem significet. & quoniam non omnia contraria in omni generatione reperiuntur: non enim dulce, & amarum: album, nigrum in generatione ignis, & aquæ inueniuntur: ob id non omnia contraria sunt principia: sed licet expositio hæc, probabiliter sit, & à plerisque recepta: tamen nec hæc ipsa verbis Aristotelis accomodari potest. siquidem Aristoteles probans, quare non omnia contraria semper maneant: non eam rationem assignauit: quoniam, non in omni generatione reperiuntur, sed quoniam per multa sunt, quæ ex alijs oriuntur, & fiunt: quamobrem dicendum est, huius propositionis germanum intellectum esse, oportere principia semper manere, in ratione principij ita, vt ex alijs minimè fiant: quod sanè ex Aristotelis discursu facilè ostendi potest. nam ita ratiocinatur: oportet principia semper manere, non omnia contraria semper manent: quoniam contrariorum multa sunt, quæ ex alijs fiunt: igitur non omnia contraria sunt principia. iā verò sicut semper manere negatur de multis contrarijs in minore ꝓpositione, ita affirmatur de principijs in maiore, sed in minore de cōtrarijs negatur semper manere: quoniā nō oīa sunt prima, sed multa sunt, quæ ex alijs fiunt, vt dulce, & amarum; album, & nigrum; & id genus alia, ergo in maiore de principijs affirmato, vt semper maneant in ratione principij ita, vt ex alijs minime fiant: quibus uerbis illud idem dicere voluit, quod antea asseruit in contex. 42. cum inquit, quod principia nō fiunt ex alijs, sed ex ipsis omnia fiunt, quem propositionis sensum præ cæteris Auerroes assecutus fuit.

In substantia vna contrarietas reperitur.

F*VIT hæc conclusio secundæ rationis allatę in contextu nuper exposito, quę vt clara conspicuaque reddatur, breuiter à nobis dilucidanda est. illud autem quod circa eam difficultatem facit, est: quoniam Phylosophus inferius in contex. 52. & in libro categoriarum, nec non 5. Physicorum contex. 10. asseruit in substantia contrarietatem non reperiri, quo fit, vt Aristoteles sibi repugnantia dicere videatur: cui sanè dubitationi hac distinctione occurrendum est: in substantia duplicem contrarietatem excogitare posse alteram priuatiuam quæ est inter priuationem, & formam, reliquam verò positiuam, quę est inter formas substantiales inter se pugnātes,*

tes, atque contrarias; porrò in substantia contrarietas secundum priuatiõnem & formam adinuenitur: nam cum priuatio, et forma generationi substantiæ principia sint, in genere substantiæ necessariò reperiri debent, & de hoc contrarietatis genere in hac propositione Aristòtelis intellexit. Neque vlla quidem de hac est apud, eius interpretes controuersia, an verò in substantia oppositio contraria secundum formas substantiales reperiatur, non satis cõspicuum est: puto autem ego id contrarietatis genus in substantia minimè reperiri, quod ex Aristotele primum 5. physicorum con tex. 10. probari potest, vbi in formis substantialibus ideò motum propriè dictum haud reperiri posse ostẽdit; quoniã in formis substantialib. contrarietas non reperitur, quam sanè motus requirit, quippè qui fit de contrario positiuo in contrarium positiuum. Quod si inter formas substantiales oppositio cõtraria reperiretur; statim fundamentũ corrueret, quod ab Aristotele assummitur, quod etiam 2. de ortu, & interitu contex. 24. ex eodem confirmari potest, vbi declarans quonam pacto quatuor elementa inter se opponãtur (inquit) Ignem aquę, & aerem terrę aduersari: quoniam contrarijs qualitatibus affecta sunt. Ignis enim quia calidus, & siccus est, aquę opponitur, quę frigida, & humida est. itaque contrarietas, quę inter ignem, & aquam, cæteraque elementa reperitur, non ad formas eorum substantiales, sed ad qualitates ab Aristotele refertur, quod etiam eodem libro contex. 49. Aristoteles significare voluit, cum (inquit) Ignem aquæ, aeremque terrę, se se opponere, vt contingit substantiam substantiæ contrariam esse, id autẽ contingere superius declarauit, non ratione substantiæ, sed ratione qualitatum, quibus omnibus adijci quoque potest Aristotelis auctoritas libro de sensu, & sensili; vbi rationem reddens, quare ignis non agit, vt ignis, & substantia est, ratio (inquit) est: quoniam igni, vt ignis est, nihil est contrarium: actio verò ratione contrarietatis efficitur, sed agit vt calidus est, quoniam vt calidus sibi contrarium frigus habet, ex quibus omnibus iam satis patere arbitror ex Aristotel. decreto, in substantia oppositionem contrarium secundum formas substantiales non reperiri, & hunc in modum categoriarum libro Aristoteles intellexit, cum à substantia contrarietatem denegauit. Tametsi, quandoque ad materiam quoque respiciens à substantia contrarietatem reiecerit, vt primo phys. cõtex. 41. quod ut studiosi intelligant monitos esse velim, quod cùm phylosophus in contex. 41. & sequentibus ostendißet in substantia principia contraria, vt priuationem, & formam reperiri, vt ostenderet pręter principia contraria in generatione substantiæ subiectum necessariò adinueniri artificiosa, et ingeniosa quadã vtens methodo in contex. 52. probauit principia

pia substantiæ nō esse contraria, in vltima parte illius contextus hoc vsus argumento; substantia non est contraria substantiæ. principia substantiæ sunt substantiæ; quoniam ex non substantia nullo pacto substantia fieri potest; igitur principia substantiæ non sunt contraria. Cum autem hæ duæ propositiones de eisdem principijs verificari non possint; quoniam impossibile est eadem principia esse contraria, & non contraria; itaque de diuersis principijs veritatem habent. Quamobrem aliqua principia substantiæ sunt contraria, & aliqua non sunt contraria; igitur præter principia contraria tertium quoddam principium reperitur, quod nulli est contrarium, quod materia & subiectum est. Quod satis apertè Aristoteles ipse deduxit in contextu 53. dicens (Quocirca siquis veram putabit rationem priorem, scilicet probantem principia esse contraria) & hanc scilicet probantem non esse contrariam subijci quandam tertiam naturam, & subiectum oportet. cum autem conclusio hæc, videlicet. Principia substantiæ non esse contraria ex illa maiore propositione deducatur, quoniam substantia non est substantiæ contraria, sicuti conclusio intelligitur secundum materiam, ità & illa maior, vtpotè substantiam non esse contrariam substantiæ secundum materiam intelligi debet. ex quibus nemo est, qui modo non satis facile intelligere possit verum intellectum illarum duarum propositionum, quæ inter se pugnare videbantur. Illa enim propositio in substantia nulla contrarietas reperitur, quæ in contextu 50. scribitur, secundum priuationem, & formam intelligitur. Altera verò, quæ in contextu 52. ponitur, vtpotè substantiam substantiæ non opponi, secundum materiam intelligi debet. sed hac in re illud minimè reticendum est, quod non ita ab alijs animaduersum est, qua via maior illa propositio, vtpotè substantiam substantię contrariam non esse, inuenta sit. porrò hac methodo huiusmodi propositio inuenta fuit. nam cum unum contrarium quippiam non generet ex suo contrario: siquidem calor ex frigore calorē non producit, & ità de alijs, substantia uerò ex alia substantia aliquid generet. homo enim ex alia substantia hominem generat, & ignis ex alia substantia ignem producit, igitur substantia nō est alteri substantiæ contraria; quam rationem in contextu 51. eiusdem primi libri Aristoteles indicauit, cum inquit, non enim concordia ex discordia aliquid facit, neque rarum ex denso. quod si aliquando Aristoteles inter formas substantiales specificasue differentias oppositionem cōtrariam admittere uidetur id secundum communem rationem contrarietatis, ut secundum perfectum, & imperfectū, intelligi debet. Nam cùm formę substantiales quæ alterius sunt speciei ità se se habeant, quod una semper est altera perfecta magis ratione huius distan-

distantię secundum maiorem, & minorem perfectionem aliqua contrarietas inter ipsas oriri videtur; enimuerò contrarietas quędam distantia est. Vel contrarietas inter formas substantiales ad qualitates referenda est, vt antea ex Aristotele statutum fuit, quod etiam animaduertit Auerroes 5. physicorum commen. 10. contra Alexandrum, & hæc satis.

De methodo inueniendi materiam primam.

INTER *rerum naturalium principia materiam Aristoteles introduxit, eamque pręter priuationem, & formam maximè opportunam esse demonstrauit. Qua autem methodo, & via ab ipso inuenta fuerit, inuenirique possit, cum non satis constet ea propter, vt id conspicuum fiat methodum hanc explicare decreui. Beatus Thomas suorum opusculorum libro opusculo 32. cum Aristotelis sententiam perlegisset, primo physicorum contex. 69. vbi inquit subiectam materiam cognosci per analogiam, vt ipse interprætatur ad formam; asseruit methodum inueniẽdi materiam primam esse per Analogiam ad formam. Qua in re ab Aristotele maximè abhorret. Primò. n. methodum, & viam cõfundit inueniẽdi materiã quò ad qd est, et quo ad si est, enimuerò methodus per analogiã nõ est methodus inueniẽdi materiã quò ad si est, sed tantũ quò ad quid est: siquidem Phylo. cũ textu illo 69. statuisset materiã secundum analogiam scibilem esse ex hac materiæ primæ naturam deduxit, inquiens materiam suaptè natura substantiam quandam informem esse, in potentiaque ad omnes formas. Præterea methodus per analogiam supponit materiam esse, quod ex Aristotelis discursu loco citato satis conspicuum est, vbi ita ratiocinatur sicuti se habet æs ad statuam, ità materia prima ad res naturales. Iam verò discursus iste materiam esse præsupponit: quoniam inquit, ita se se habere materiam ad res naturales, sicuti materiam artefactorum ad res artificiosas. Quamobrem methodus analogię non facit ad probandum ipsam esse, sed ad ipsius naturã inquirendã deficit præterea unà cum Auerroe, cũ Analogiam, qua Aristoteles inquit subiectam materiam cognosci habitudinem ad formam interpretatur, cùm tamen per analogiam proportionem ad materiam artefactorum intelligat. Declarans enim Aristoteles, quomodo per analogiam materia cognoscatur, inquit, Sicuti se habet ęs ad statuam & lignum ad lectum, ità materia rerum naturalium ad res naturales. Iam verò illa informis est, potentiaque ad formas artificiosas.*

etiam vnum alterum transmutare dicitur, vno modo efficienter, vt cum ignis in lignum calorem producit, effectiuè lignum transmutare dicitur, prout ipsum alterat, caloremque producit. alio modo formaliter, vt calor in ligno receptus ipsum formaliter transmutat, prout efficit, vt lignũ sit formaliter calidum, taleque denominetur; cum antea neque calidum esset, neque denominaretur: nam sicuti transmutari est nunc aliter sese habere, quàm prius, itá aliquid transmutare dicitur, quod efficit, vt aliquid nunc aliter sese formaliter habeat, quàm prius; iam verò priuatio & forma subiectum ipsum transmutant non quidem effectiuè, quoniam hoc agentis munus est, sed formaliter, prout priuatio existens in materia ipsam denominat priuatam, efficitque, vt nunc aliter sese habeat, quàm prius: simili quoque modo forma materiam; ex qua educitur, transmutat. & proinde non sequitur priuationem, & formam principia agentia esse, cum subiectum in quo recipiuntur non efficienter, sed formaliter tantum transmutent, vt dictum est. Nunc ad aliam viam me conuerto: enimuerò Aristoteles secundo ex non contrarietate principiorum materiam introduxit. cum enim superius ostendisset principia generationis esse contraria, atque propterea cum vnum alterum sustinere non possit subiectum necessarium esse in contex. 52. principia non esse contraria demonstrauit; vt ex hoc materiæ quoque necessitatem deduceret, sicut ipsemet declarauit in contex. 53. Nàm cum hæ duæ propositiones, videlicet principia sunt contraria, princĩpiaque non sunt contraria de eisdem verificari non possint: quoniam fieri nequit eadem principia esse contraria, & non contraria: igitur de diuersis principijs veritatis locum habent; quamobrem aliqua principia sunt contraria, & aliqua non sunt contraria, quò fit vt præter principia contraria tertium quoddam subiectum esse oporteat, quod nulli sit contrarium, & hoc pacto, quod etiam animaduerterit Simplicius mira quadam arte, ingeniove quodam modo principijs contrarijs subiectum adiecit. Tertio Aristoteles via inductionis, & veluti fides sensuum in omnibus, quæ oriuntur, & occidunt eodem primo physic. contex. 62. & 63. materiam demonstrauit. quia enim rationis certitudo in hoc consistit, vt his concordet, quæ sensibus obuia sunt, vt 8. physicorum contex. 22. ab Aristotele scribitur, illaque ratio firmior, certaque magis esse dicitur, cui plures sensus consentiunt, vt declarauit Auerroes primo cęli cõmen. 22. ea propter Aristoteles, vt ostenderet rationes superius allatas, quibus materiam introduxit veras esse sensibusque consentire: idipsum inductione in accidentibus substantijs, arteque confectis, comprobare decreuit. Enimuerò accidentia, cum per ipsa

consistere non possint, subiecto egent, ex quo oriantur, cuive innitantur. In generatione quin etiam substantiarum materiam adinueniri sensus ipsi apertissimam fidem faciunt. Nam stirpes, & animalia, quæ ex propagatione oriuntur ex semine, vt ex subiecto procreari conspicimus, quod in ijs, quæ artificio fiunt, spectamus, siue compositione, siue transfiguratione, siue ablatione, vt ex lapide Mercurius generetur; vnde sicut philosophus eo libro tont. 43. & sequentibus in accidentibus substantijs, arteque elaboratis inductione ostendit, omne, quod oritur, ex præfinito quodam contrario oriri, & in contrarium corrumpi; ac proinde in qua vis generatione principia contraria reperiri, ita inductiua ratione quæcunque fiunt ex subiecta materia, ac proinde in qua vis generatione materiam adinueniri, demonstrauit, & hæc media sunt quibus Aristoteles materiam adinuenit, & rerum ordinem introduxit. quibus mea sententia hoc etiam adhiberi facilè posset. Nam cum corpora naturalia duo habeant, vnum sanè, quod sunt, existentiamque habent: alterum verò, quod alteri non inhærent, quinimmò ipsis per multa inhærent, & innituntur: igitur naturalia corpora aliquid habere debent per quod alteri non inhæreant, & per ipsum corporibus naturalibus cætera inhæreant, cum autem id forma esse non possit: quoniam forma, cum actus sit, in naturali corpore ratio subiecti esse non potest, cum actui, vt actus est, subiecti ratio non conueniat, ac proinde naturali corpori subiecti rationem largiri non potest, vt cæteris subijciatur, hoc itaque materia erit, per quam naturale corpus alteri non inhæret, & per ipsam subiectum est, cui per multa alia inhærent, & hæc de inuentione materiæ primæ dicta sint.

De natura, & essentia materiæ primæ, & de methodo inueniendi eam.

QVoniam post problema si est. Quid res ipsa sit, considerandum consequitur ea propter cum hactenus ostensum sit materiam esse, quave methodo inuenta fuerit. Nunc eius natura cognoscenda, atque exploranda est. in qua sanè disquirenda quod arduum, maximeque difficile est, vt non iniuria ipsam Protheum appellarit Antiquitas, à suppresso genere auspicabor. enimuerò cum anteà decretum fuerit, materiam in rerum vniuersitate adinueniri, cuiusq; necessitatem esse, vt subiectum, formarumque domicilium sit; procul dubio materia est. ens enim quod nihil est, aliorum subiectum esse non potest. cum autem ens in substantiam, &

tiam, & accidens distribuatur, materiam aut substantiam, aut accidens esse necesse est. porrò accidens esse nequit, siquidem accidens aliorum subiectum esse non potest, cum potius ipsum alteri, vt subiecto inhęreat; materia itaque substantia erit; quod si contra hoc aliquis hæsitabit; quoniam de ratione substantiæ est per se existere, cum autem materia per se non existat: igitur substantia non erit, dicimus, de ratione substantiæ in communi non esse per se existere, quoniam omnibus substantiæ speciebus, vt materiæ, & formæ minimè conuenit, sed solùm substantiæ compositæ proprietas est, neque per eandem rationem de ratione substantiæ in communi est subijci, siquidem non competit formæ, sed ratio substantiæ in uniuersum est non esse in subiecto penes, quod ab accidente distinguitur, cuius proprium est in subiecto esse. licet ergo materia per se non existat, quoniam tamen in subiecto non est, substantiæ rationem subit. Sed statim oboritur dubitatio, quoniam si de ratione substantiæ est, non esse in subiecto; igitur forma substantialis, cùm in subiecto sit, substantia non erit; nodus iste dissoluitur ex Aristote. libro cathegoriarum capite de substantia. Vbi describens esse in subiecto inquit, illud propriè in subiecto esse, quod est in alio; parsque alterius non est; licet ergo formà substantialis in materia sit, non tamen vt in subiecto est, quoniam pars est ipsius substantiæ. Vnde luculenter Alexander primo naturalium q. cap. 8. & Io. Gramm. 2. de anima super contex 4 esse accidentium ab esse formæ distinxerunt, dicentes, accidentia propriè in subiecto esse; formam verò substantialem verius esse in materia, quã in subiecto: quoniam forma substantialis pars alterius est, neque à materia recipit eße, sed ei potius eße impartitur, vt itaque eo reuertatur, vnde effluxit oratio, materia est ens, quod substantia est. Sed quoniam hæc formæ, & composito etiam communia sunt, quænam substantia sit, quæve sit propria eius essentia, inquirendum est. Sed licet penitiori mentis indagine propriam eius essentiam perscrutemur: attamen vsque adeo delitescit, vt ab intellectu percipi minime possit, ita vt potiùs quid non sit, quàm quid ipsa sit intelligatur. Quò fit vt potiùs per negationem, quàm per affirmationem definiri debeat. Enimuerò quæ sensus nostros effugiunt, eorumque eßentia maximè recondita est, negatione describi solent, sicuti Deus optimus, & materia prima, quæ in tota amplitudine entis duo extrema sunt, quod sanè Arist. animaduertens septimo metaf. contex. 8. Materiam primam per negationem ita descripsit.

Materia

Materia secundum se, neque quid, neque quale, neque ullum aliorum prædicamentorum est, neque priuationes horum, sed omnia ista ex accidenti.

IN qua explicanda definitione communem quendam errorem primo reijciam, mox definitionis sensum aperiam, tertio, methodum, qua definitionem hanc Aristoteles inuenerit explicabo. Quò ad primum communiter exponentes definitionem hanc ita legunt, atque enunciant. Materia neque quid, neque quale, neque vllum aliorum prædicamentorum est, sed potentia omnia, quare sanè negligentiam hac in parte non possum non satis admirari, cum particula illa, (sed potentia omnia) ab Aristotele nō ponatur, ut legentibus context. illum facilè patet, neque etiam poni possit; quoniam philosophus inquit, materia secundum se non est quid, nec ullum aliorum prædicamentorum igitur relationem excludit, & ex consequenti potentiam, quæ relatio est, & respectus ad formam, dicere igitur non potest, (sed potentia omnia) quoniam tunc de materia relationē affirmaret, quam tamen in eadem definitione exclusit, atque eiecit. Pręterea, si definitio hæc, vt communis est, omnium consensus, per negationem tradita ē: igitur particula hæ. (sed potentia omnia est) minimè poni potest. Quoniā non per negationem, sed per affirmationem, differentiamque positiuam allata eßet, & hęc de primo. Cum autem Philosophus inquit, materiā secundum se non esse quid, non arbitretur quispiam intelligere Aristotelem materiā non eßе substantiam, quoniam eo loco statuit materiam substantiam esse, sed sensus huius definitionis hic est. Materiam eßentialiter non includere aliquem actum, aut formam siue substantialem, siue accidentalem, neque priuationes formarum, ita ut materia substantia quædam sit, quæ secundū se, idest, eßentialiter neque forma est, neque formatum, neque priuationes horum, sed substantia, cui hæc omnia, vtpotè formæ, earumque priuationes insunt ex accidenti, & extra cui quidditatem, & hoc est quod significant Aristoteles 10. metaf. contex. 24. cum dixit, materiam negatione cognosci; videlicet quò ad propriam, absolutamque ipsius quidditatem cum conceptu proprio, & absoluto percipi non possit, vnde ex hac definitione perperam recentiores nonnulli colligere voluerunt in materia formam illam corpus de prædicamento substantiæ adinueniri, cum Aristoteles in hac definitione non intelligat in materia, aut formam, aut formæ priuationē non reperiri, sed a materia, & formam, & formæ priuationem abijciat, quæ de essentia, & de quidditate materiæ sit. Inquit enim, Materia secundum

se,

ſe, neque quid, neque quale eſt, neque priuationes horum, ſed omnia hæc inſunt ei ex accidenti; ſed illud certè ſumma animaduerſione dignum eſt. Qua methodo ab Ariſtotele compertum eſt, materiam eſſentialiter, neq; formas, neque formarum priuationes includere, ſed ex accidenti, cum id non arbitratu ſuo, ſed aliqua ratione dixiſſe cenſendum ſit. Porrò ex vſu materiæ primæ id Ariſtoteles cognouit, quem primo phyſ. declarauit, enimuero propter hunc vſum in rerum vniuerſitate materiam neceſſariam eſſe oſtenſum fuit, vt contrariorum, priuationis ſcilicet, & formas eſſet receptiua. Nam cum in rerum naturalium ortu vnum contrariorum alterũ recipere minimè poſſit, ſubiectum quoddam adinueniri neceſſarium fuit, quod modo vnum, modo alterum ſuſtineret, iamverò ſi forma eſſet de eſſentia materiæ, priuationem ſibi oppoſitam recipere non poſſet. quoniam cũ ſubiectum aliquid eſſentialiter includit, eius oppoſitum recipere minimè poteſt. Homo enim quoniam rationale, riſibileque eſſentialiter includit, nec vnius, nec alterius oppoſitum admittere valet, & eadem ratione ſi priuationem eſſentialiter includeret, formam recipere non poſſet. Cum itaque materia indifferenter, & formam, & priuationem recipiat, hinc ſtatim conſequitur, materiam neque formam, neque eius priuatiořẽ eſſentialiter includere, ſed ambo ex accidenti. Sed unum in hac definitione difficultatem facere videtur. Nam ſi materia, neque formam, neque formæ negationem includit; non igitur de quolibet eſt affirmatio, vel negatio uera, quod sanè axioma a ſapientibus receptum eſt; quod ſi veritatis locum habere debet, materiam, aut formam, aut formæ negationem habere operæ pretium eſt, quod etiam conſentaneum rationi eſſe videtur. nam ſi formã non hẽt, igitur forma caret; ſed carẽtia formæ negatio ẽ, itaque ſi formam non habet, neceſſariò formæ negationem includit; quod etiam græci interpretes aſſeruerunt, arbitrati in materia formæ negationem adinueniri, pro reſolutione animaduertendum eſt. Materiam duobus modis formam, eiuſque negationem includere poſſe: vno modo ſecundum exiſtentiam: alio modo eſſentialiter, ità vt forma, & eius priuatio ſint de eſſentia materiæ primæ: primo quidem modo, materia vel vnum, vel alterum neceſſariò includit, quoniam in materia, aut forma exiſtit, aut eius negatio, nec ab vno, vel altero vindicari, aut liberari poteſt. Nam cum contradictoria in entibus diuidant uerum & falſum, nec inter ipſa vllo pacto medium reperiatur, verum eſt dicere, materiam ſecundum eſſe aut formam, aut formæ negationem habere, quod ſanè in vltimis verbis definitionis Ariſtoteles indicare viſus eſt, cum inquit (ſed omnia hæc insunt ex accidenti) vult equidem in materia formam aut formæ priuationem adinueniri.

nis substantiæ, & accidentibus intelligi debet. ut Simplicio placet. sed substantia, quæ ab alijs accidentibus cõtradistinguitur, quod ex ea ratione probari potest, qua philosophus inferiùs in contex. 52. probauit principia non esse contraria, quæ ità se habet. Substantia non est contraria substantiæ, principia substantiæ, sunt substantiæ: quoniam ex non substantia nullo pacto substantia fieri potest. igitur principia substantiæ non sunt cõtraria. certum est autem in hoc discursu Aris. de principijs illius substantiæ intelligere, quæ ab accidentibus contradistincta est. quoniam inquit, ex non substantia, & ex accidentibus fieri nequit: & cum eodem modo substantia capiatur in cont. 50. & 52. quoniam de eadem substantia istę propositiones verificantur, principia substantiæ non sunt contraria, & principia substantiæ non sunt infinita. sicut igitur in ratione allata in cont. 52. substantia accipitur, vt genus est, ab alijs accidentibus contradistinctum. ità & in hac rõne ab Arist. capi dicendum est, sed circa eandem rationem, quædam alia occurrunt, quæ maius negocium faciunt: primum est, An hęc ratio sit naturalis. nam cùm transmutationi non innitatur, sed solùm ratione contrarietatis in quolibet genere adinuentę naturalis esse nõ videtur. Alterum est, quoniam Arist. ignotum per ignotum probare videtur. enimuerò probat in substantia vnam contrarietatem adinueniri, quoniam in omni genere vna contrarietas reperitur. hoc autem dubium, atque occultum est. neq; ab ipso probatum, quare ratio non ex euidentibus, sed ex ignotis procedere videtur. suspecta quoque videtur esse conclusio, cum inquit, in substantia cõtrarietatem reperiri, cùm alibi non semel a substantia contrarietatem relegauerit, Soluimus ista, & ad primum dicimus rationem hanc naturalem esse, atque transmutationi innixam. siquidem ratio hæc probat in substãtia contrarietatem, esse innixã huic propositioni tanquàm medio. quoniam in omni genere vna contrarietas reperitur. hæc autem propositio transmutationi innititur, & via transmutationis inuenta fuit, in cont. 43. & 44. eiusdem libri in substantijs, & accidentibus Arist. probauit omne quod oritur ex suo præfinito contrario oriri, ac proinde in genere substantiæ, & accidentium in omnique genere contrarium reperiri, & propterea rõ ista veluti transmutatio suffulta naturalis censenda est, ad secundum autem Ari. non ex ignotis, sed euidentibus notisve conclusionem illam demonstrare. Nam cum pro medio maiorem illam propositionem accipiat in omni genere unam contrarietatem reperiri, illam vt notam, & superius ab ipso ostensam accepit. Nam (vt nuper dictum est) cum in cont. 43. & 44. inductiua ratione ostendisset in substantijs, & accidentibus, omne quod fit ex præfinito contrario fieri, & oriri, consequenter ostendit in substantijs, &

accidentibus, atque ità in quouis genere contrarietatem reperiri. Quamobrem ad illam conclusionem ostendendam maiorem illam propositionē, ut notā atque ostensam, accepit: ex quo sequitur hoc theorema, videlicet (in substātia contrarium reperitur) via transmutationis tanquàm ex radice demonstrari posse, Aristoteleque comparatum esse: Quomodo autem postremę dubitationi occurrendum sit, quoniam longiorem orationem exposcit, post explicationem contextus declarabitur. Interim tertiam rationem perpendo, quę ita se habet: quotiescunque aliquid commode fieri potest semper finitum infinito pręferi debet, non enim absque necessitate entia multiplicanda sunt; nam sicut in arte quotiescunque aliquid vnico instrumento moliri potest, Ars pluribus minimè vtitur, ita se habet in natura, quā ars studet imitari inquantū pōt. iā verò rerum naturaliū generatio per principia finita probè seruari pōt. Melius est igitur ponere principia finita quàm infinita; rerum autem naturalium ortum ex principijs finitis aptè seruari posse ipsa rei euidentia ostendit: nam si cuiuslibet rei naturalis generationem percuras, duo sufficiunt termini, vt terminus à quo, et ad quem, & vnum subiectum. Tandem ad eandem conclusionem probādam hac vtitur ratione, oportet principia semper manere, non omnia contraria semper manent; quoniam contrariorum permulta sunt, quæ ex alijs pendent, vt dulce, & amarum; rarum, & densum: igitur non omnia contraria sunt principia: igitur quædam, & per consequens finita. ex quibus omnibus rationibus extrema sublata sunt, ostensumque est principia nō vnum esse, nec infinita, sed quid intelligat Phylosophus (cum inquit) principia semper manere, considerandum est.

Oportet principia semper manere.



Vtauit Alexander authore Simplicio, in expositione huius contextus propositionem hanc, principia semper manere, in hoc sensu intelligendam esse, vt principia ęterna sint, ita vt illa dictio [semper] temporis ęternitatem significet, quæ sanè expositio consistere nequit, quoniam, aut intelligit principia ęterna esse, secundum numerum, aut secundum speciem; non primò, quoniam principia contraria, de quibus hoc in loco sermo est, vt priuatio, & forma secundum numerum ęterna non sunt. enimuero hęc priuatio, & hæc forma quandoque intereunt: si verò secundum speciem dicatur, cum omnia contraria secundum speciem æterna sint, igitur omnia contraria erunt principia: quod tamen Aristoteles hoc ipso contex. inficiatur.

tur. quamobrẽ Alexād. expō Aris. nullo pacto accomodari pōt. ea pp Simplicius, & Io. gram. Ammonij praeceptoris sententiam in secuti, dixerunt, principia semper manere, hoc est in omni generatione adinueniri ita, vt illa dictio [semper] non temporis ęternitatem, sed transmutationis vniuersalitatem significet. & quoniam non omnia contraria in omni generatione reperiuntur: non enim dulce, & amarum: album, nigrum in generatione ignis, & aquae inueniuntur: ob id non omnia contraria sunt principia: sed licet expositio haec, probabiliter sit, & à plerisque recepta: tamen nec haec ipsa verbis Aristotelis accomodari potest. siquidem Aristoteles probans, quare non omnia contraria semper maneant: non eam rationem assignauit: quoniam, non in omni generatione reperiuntur, sed quoniam per multa sunt, quae ex alijs oriuntur, & fiunt: quamobrem dicendum est, huius propositionis germanum intellectum esse, oportere principia semper manere, in ratione principij ita, vt ex alijs minimè fiant: quod sanè ex Aristotelis discursu facilè ostendi potest. nam ita ratiocinatur: oportet principia semper manere, non omnia contraria semper manent: quoniam contrariorum multa sunt, quae ex alijs fiunt: igitur non omnia contraria sunt principia. iā verò sicut semper manere negatur de multis contrarijs in minore ꝓpositione, ita affirmatur de principijs in maiore, sed in minore de cōtrarijs negatur semper manere: quoniā nō oīa sunt prima, sed multa sunt, quae ex alijs fiunt, vt dulce, & amarum; album, & nigrum; & id genus alia, ergo in maiore de principijs affirmato, vt semper maneant in ratione principij ita, vt ex alijs minime fiant: quibus uerbis illud idem dicere voluit, quod antea asseruit in contex. 42. cum inquit, quod principia nō fiunt ex alijs, sed ex ipsis omnia fiunt, quem propositionis sensum prae caeteris Auerroes assecutus fuit.

In substantia vna contrarietas reperitur.

F*VIT haec conclusio secundae rationis allatę in contextu nuper exposito, quę vt clara conspicuaque reddatur, breuiter à nobis dilucidanda est. illud autem quod circa eam difficultatem facit, est: quoniam Phylosophus inferius in contex. 52. & in libro categoriarum, nec non 5. Physicorum contex. 10. asseruit in substantia contrarietatem non reperiri, quo fit, vt Aristoteles sibi repugnantia dicere videatur: cui sanè dubitationi hac distinctione occurrendum est: in substantia duplicem contrarietatem excogitare posse alteram priuatiuam quae est inter priuationem, & formam, reliquam verò positiuam, quę est inter formas substantiales inter se pugnā tes,*

tes, atque contrarias; porrò in substantia contrarietas secundum priuatio nem & formam adinuenitur: nam cum priuatio, et forma generationi substantiæ principia sint, in genere substantię necessariò reperiri debent, & de hoc contrarietatis genere in hac propositione Aristotelis intellexit. Neque vlla quidem de hac est apud eius interpretes controuersia, an verò in substantia oppositio contraria secundum formas substantiales reperiatur, non satis cōspicuum est: puto autem ego id contrarietatis genus in substantia minimè reperiri, quod ex Aristotele primum 5. physicorum con tex. 10. probari potest, vbi in formis substantialibus ideò motum propriè dictum haud reperiri posse ostēdit; quoniā in formis substantialib. contrarietas non reperitur, quam sanè motus requirit, quippè qui fit de contrario positiuo in contrarium positiuum. Quod si inter formas substantiales oppositio cōtraria reperiretur; statim fundamentū corrueret, quod ab Aristotele assummitur, quod etiam 2. de ortu, & interitu contex. 24. ex eodem confirmari potest, vbi declarans quonam pacto quatuor elementa inter se opponātur (inquit) Ignem aquę, & aerem terrę aduersari: quoniam contrarijs qualitatibus affecta sunt. Ignis enim quia calidus, & siccus est; aquę opponitur, quę frigida, & humida est. itaque contrarietas, quę inter ignem, & aquam, cæteraque elementa reperitur, non ad formas eorum substantiales, sed ad qualitates ab Aristotele refertur, quod etiam eodem libro contex. 49. Aristoteles significare voluit, cum (inquit) Ignem aquæ, aeremque terrę, se se opponere, vt contingit substantiam substantiæ contrariam esse, id autē contingere superius declarauit, non ratione substantiæ, sed ratione qualitatum, quibus omnibus adijci quoque potest Aristotelis auctoritas libro de sensu, & sensili; vbi rationem reddens, quare ignis non agit, vt ignis, & substantia est, ratio (inquit) est: quoniam igni, vt ignis est, nihil est contrarium: actio verò ratione contrarietatis efficitur, sed agit vt calidus est, quoniam vt calidus sibi contrarium frigus habet, ex quibus omnibus iam satis patere arbitror ex Aristotel. decreto, in substantia oppositionem contrariam secundum formas substantiales non reperiri, & hunc in modum categoriarum libro Aristoteles intellexit, cum à substantia contrarietatem denegauit. Tametsi, quandoque ad materiam quoque respiciens à substantia contrarietatem reiecerit, vt primo phys. cō tex. 42. quod ut studiosi intelligant monitos esse velim, quod cùm phylosophus in contex. 41. & sequentibus ostendisset in substantia principia contraria, vt priuationem, & formam reperiri, vt ostenderet pręter principia contraria in generatione substantiæ subiectum necessariò adinueniri artificiosa, et ingeniosa quadā vtens methodo in contex. 52. probauit princi

pia

pia substantiæ nō esse contraria, in ultima parte illius contextus hoc usus argumento; substantia non est contraria substantiæ, principia substantiæ sunt substantiæ; quoniam ex non substantia nullo pacto substantia fieri potest; igitur principia substantiæ non sunt contraria. Cum autem hæ duæ propositiones de eisdem principijs verificari non possint; quoniam impossibile est eadem principia esse contraria, & non contraria; itaque de diuersis principijs veritatem habent. Quamobrem aliqua principia substantiæ sunt contraria, & aliqua non sunt contraria; igitur præter principia contraria tertium quoddam principium reperitur, quod nulli est contrarium, quod materia & subiectum est. Quod satis apertè Aristoteles ipse deduxit in contextu 53. dicens (Quocirca siquis veram putabit rationem priorem, scilicet probantem principia esse contraria) & hanc scilicet probantem non esse contrariam subijci quandam tertiam naturam, & subiectum oportet. cum autem conclusio hæc, videlicet. Principia substantiæ non esse contraria ex illa maiore propositione deducatur, quoniam substantia non est substantiæ contraria, sicuti conclusio intelligitur secundum materiam, ità & illa maior, vtpotè substantiam non esse contrariam substantiæ secundum materiam intelligi debet. ex quibus nemo est, qui modo non satis facile intelligere possit verum intellectum illarum duarum propositionum, quæ inter se pugnare videbantur. Illa enim propositio in substantia nulla contrarietas reperitur, quæ in contextu 50. scribitur, secundum priuationem, & formam intelligitur. Altera verò, quæ in contextu 52. ponitur, vtpotè substantiam substantiæ non opponi, secundum materiam intelligi debet. sed hac in re illud minimè reticendum est, quod non ita ab alijs animaduersum est, qua via maior illa propositio, vtpotè substantiam substantiç contrariam non esse, inuenta sit. porrò hac methodo huiusmodi propositio inuenta fuit. nam cum unum contrarium quippiam non generet ex suo contrario: siquidem calor ex frigore calorē non producit, & ità de alijs, substantia uerò ex alia substantia aliquid generet. homo enim ex alia substantia hominem generat, & ignis ex alia substantia ignem producit, igitur substantia nō est alteri substantiæ contraria; quam rationem in contextu 51. eiusdem primi libri Aristoteles indicauit, cum inquit, non enim concordia ex discordia aliquid facit, neque rarum ex denso. quod si aliquando Aristoteles inter formas substantiales specificasue differentias oppositionem cōtrariam admittere uidetur id secundum communem rationem contrarietatis, ut secundum perfectum, & imperfectū, intelligi debet. Nam cùm formç substantiales quæ alterius sunt speciei ità se se habeant, quod una semper est altera perfecta magis ratione huius

distan-

distantiæ secundum maiorem, & minorem perfectionem aliqua contrarietas inter ipsas oriri videtur; enimuerò contrarietas quædam distantia est. Vel contrarietas inter formas substantiales ad qualitates referenda est, vt antea ex Aristotele statutum fuit, quod etiam animaduertit Auerroes 5.physicorum commen.10.contra Alexandrum,& hæc satis.

De methodo inueniendi materiam primam.

INTER *rerum naturalium principia materiam Aristoteles introduxit,eamque preter priuationem,& formam maximè opportunam esse demonstrauit.Qua autem methodo,& via ab ipso inuenta fuerit, inuenirique possit,cum non satis constet ea propter, vt id conspicuum fiat methodum hanc explicare decreui. Beatus Thomas suorum opusculorum libro opusculo 32.cum Aristotelis sententiam perlegisset, primo physicorum contex.69.vbi inquit subiectam materiam cognosci per analogiam, vt ipse interpretatur ad formam;asseruit methodum inueniēdi materiam primam esse per Analogiam ad formam.Qua in re ab Aristotele maximè abhorret.Primò.n.methodum,& viam cōfundit inueniēdi materiā quò ad qd est,et quo ad si est,enimuerò methodus per analogiā nō est methodus inueniēdi materiā quò ad si est,sed tantū quò ad quid est:siquidem Phylo.cū textu illo 69. statuisset materiā secundum analogiam scibilem esse ex hac materiæ primæ naturam deduxit, inquiens materiam suaptè natura substantiam quandam informem esse,in potentiaque ad omnes formas. Præterea methodus per analogiam supponit materiam esse, quod ex Aristotelis discursu loco citato satis conspicuum est,vbi ita ratiocinatur sicuti se habet æs ad statuam, itá materia prima ad res naturales.Iam verò discursus iste materiam esse præsupponit: quoniam inquit,ita se se habere materiam ad res naturales,sicuti materiam artefactorum ad res artificiosas. Quamobrem methodus analogiæ non facit ad probandum ipsam esse, sed ad ipsius naturā inquirendā deficit præterea unà cum Auerroe, cū Analogiam,qua Aristoteles inquit subiectam materiam cognosci habitudinem ad formam interpretatur, cùm tamen per analogiam proportionem ad materiam artefactorum intelligat.Declarans enim Aristoteles, quomodo per analogiam materia cognoscatur, inquit, Sicuti se habet æs ad statuam & lignum ad lectum, itá materia rerum naturalium ad res naturales. Iam verò illa informis est, potentiaque ad formas artificiosas.*

etiam vnum alterum transmutare dicitur, vno modo efficienter, vt cum ignis in lignum calorem producit, effectiuè lignum transmutare dicitur, prout ipsum alterat, caloremque producit. alio modo formaliter, vt calor in ligno receptus ipsum formaliter transmutat, prout efficit, vt lignũ sit formaliter calidum, taleque denominetur; cum antea neque calidum esset, neque denominaretur: nam sicuti transmutari est nunc aliter sese habere, quàm prius, ità aliquid transmutare dicitur, quod efficit, vt aliquid nunc aliter sese formaliter habeat, quàm prius; iam verò priuatio & forma subiectum ipsum transmutant non quidem effectiuè, quoniam hoc agentis munus est, sed formaliter, prout priuatio existens in materia ipsam denominat priuatam, efficitque, vt nunc aliter sese habeat, quàm prius: simili quoque modo forma materiam; ex qua educitur, transmutat. & proinde non sequitur priuationem, & formam principia agentia esse, cum subiectum in quo recipiuntur non efficienter, sed formaliter tantum transmutent, vt dictum est. Nunc ad aliam viam me conuerto: enimuerò Aristoteles secundo ex non contrarietate principiorum materiam introduxit. cum enim superius ostendisset principia generationis esse contraria, atque propterea cum vnum alterum sustinere non possit subiectum necessarium esse in contex. 52. principia non esse contraria demonstrauit; vt ex hoc materia quoque necessitatem deduceret, sicut ipsemet declarauit in contex. 53. Nam cum hæ duæ propositiones, videlicet principia sunt contraria, principiaque non sunt contraria de eisdem verificari non possint: quoniam fieri nequit eadem principia esse contraria, & non contraria: igitur de diuersis principijs veritatis locum habent; quamobrem aliqua principia sunt contraria, & aliqua non sunt contraria, quò fit vt præter principia contraria tertium quoddam subiectum esse oporteat, quod nulli sit contrarium, & hoc pacto, quod etiam animaduerterit Simplicius mira quadam arte, ingeniove quodam modo principijs contrarijs subiectum adiecit. Tertio Aristoteles via inductionis, & veluti fides sensuum in omnibus, quæ oriuntur, & occidunt eodem primo physic. contex. 62. & 63. materiam demonstrauit. quia enim rationis certitudo in hoc consistit, vt his concordet, quæ sensibus obuia sunt, ut 8. physicorum contex. 22. ab Aristotele scribitur, illaque ratio firmior, certaque magis esse dicitur, cui plures sensus consentiunt, vt declarauit Auerroes primo cęli cõmen. 22. ea propter Aristoteles, vt ostenderet rationes superius allatas, quibus materiam introduxit veras esse sensibusque consentire: idipsum inductione in accidentibus substantijs, arteque confectis, comprobare decreuit. Enimuerò accidentia, cum per ipsa

consistere non possint, subiecto egent, ex quo oriantur, cuive innitantur. In generatione quin etiam substantiarum materiam adinueniri sensus ipsi apertissimam fidem faciunt. Nam stirpes, & animalia, quæ ex propagatione oriuntur ex semine, vt ex subiecto procreari conspicimus, quod in ijs, quæ artificio fiunt, spectamus, siue compositione, siue transfiguratione, siue ablatione, vt ex lapide Mercurius generetur; vnde sicut philosophus eo libro cont. 43. & sequentibus in accidentibus substantijs, arteque elaboratis inductione ostendit, omne, quod oritur, ex præfinito quodam contrario oriri, & in contrarium corrumpi; ac proinde in quavis generatione principia contraria reperiri, ita inductiua ratione quæcunque fiunt ex subiecta materia, ac proinde in qua vis generatione materiam adinueniri, demonstrauit, & hæc media sunt quibus Aristoteles materiam adinuenit, & rerum ordinem introduxit. quibus mea sententia hoc etiam adhiberi facilè posset. Nam cum corpora naturalia duo habeant, vnum sanè, quod sunt, existentiamque habent: alterum verò, quod alteri non inhærent, quinimmò ipsis per multa inhærent, & innituntur: igitur naturalia corpora aliquid habere debent per quod alteri non inhæreant, & per ipsum corporibus naturalibus cætera inhæreant, cum autem id forma esse non possit: quoniam forma, cum actus sit, in naturali corpore ratio subiecti esse non potest, cum actui, vt actus est, subiecti ratio non conueniat, ac proinde naturali corpori subiecti rationem largiri non potest, vt cæteris subijciatur, hoc itaque materia erit, per quam naturale corpus alteri non inhæret, & per ipsam subiectum est, cui per multa alia inhærent, & hæc de inuentione materiæ primæ dicta sint.

De natura, & essentia materiæ primæ, & de methodo inueniendi eam.

QVoniam post problema si est. Quid res ipsa sit, considerandum consequitur ea propter cum hactenus ostensum sit materiam esse, quave methodo inuenta fuerit. Nunc eius natura cognoscenda, atque exploranda est. in qua sanè disquirenda quod arduum, maximeque difficile est, vt non iniuria ipsam Protheum appellarit Antiquitas, à suppresso genere auspicabor. enimuerò cum anteà decretum fuerit, materiam in rerum vniuersitate adinueniri, cuiusq; necessitatem esse, vt subiectum, formarumque domicilium sit; procul dubio materia est. ens enim quod nihil est, aliorum subiectum esse non potest. cum autem ens in substantium, &

tiam, & accidens distribuatur, materiam aut substantiam, aut accidens esse necesse est. porrò accidens esse nequit, siquidem accidens aliorum subiectum esse non potest, cum potius ipsum alteri, vt subiecto inhęreat; materia itaque substantia erit; quod si contra hoc aliquis hæsitabit; quoniam de ratione substantiæ est per se existere, cum autem materia per se non existat: igitur substantia non erit, dicimus, de ratione substantiæ in communi non esse per se existere, quoniam omnibus substantiæ speciebus, vt materiæ, & formæ minimè conuenit, sed solùm substantiæ compositæ proprietas est, neque per eandem rationem de ratione substantiæ in communi est subijci, siquidem non competit formæ, sed ratio substantiæ in vniuersum est non esse in subiecto penes, quod ab accidente distinguitur, cuius proprium est in subiecto esse. licet ergo materia per se non existat, quoniam tamen in subiecto non est, substantiæ rationem subit. Sed statim oboritur dubitatio, quoniam si de ratione substantiæ est, non esse in subiecto; igitur forma substantialis, cùm in subiecto sit, substantia non erit; nodus iste dissoluitur ex Aristote. libro cathegoriarum capite de substantia. Vbi describens esse in subiecto inquit, illud propriè in subiecto esse, quod est in alio; parsque alterius non est; licet ergo forma substantialis in materia sit, non tamen vt in subiecto est, quoniam pars est ipsius substantiæ. Vnde luculenter Alexander primo naturalium q. cap. 8. & Io. Gramm. 2. de anima super contex 4 esse accidentium ab esse formæ distinxerunt, dicentes, accidenti i propriè in subiecto esse; formam verò substantialem verius esse in materia, quã in subiecto: quoniam forma substantialis pars alterius est, neque à materia recipit eße, sed ei potius eße impartitur, vt itaque eo reuertatur, vnde effluxit oratio, materia est ens, quod substantia est. Sed quoniam hæc formæ, & composito etiam communia sunt, quænam substantia sit, quæve sit propria eius essentia, inquirendum est. Sed licet penitiori mentis indagine propriam eius essentiam perscrutemur: attamen vsque adeo delitescit, vt ab intellectu percipi minime possit, ita vt potiùs quid non sit, quàm quid ipsa sit intelligatur. Quò fit vt potiùs per negationem, quàm per affirmationem definiri debeat. Enimuerò quæ sensus nostros effugiunt, eorumque eßentia maximè recondita est, negatione describi solent, sicuti Deus optimus, & materia prima, quæ in tota amplitudine entis duo extrema sunt, quod sanè Arist. animaduertens septimo metaf. contex. 8. Materiam primam per negationem ita descripsit.

ſt,neque quid,neque quale eſt, neque priuationes horum, ſed omnia hæc inſunt ei ex accidenti;sed illud certè ſumma animaduerſione dignum eſt. Qua methodo ab Ariſtotele compertum eſt,materiam eſſentialiter, neq; formas,neque formarum priuationes includere, sed ex accidenti, cum id non arbitratu ſuo, sed aliqua ratione dixiſſe cenſendum ſit. Porrò ex vſu materiæ primæ id Ariſtoteles cognouit, quem primo phyſ. declarauit, enimuero propter hunc vſum in rerum vniuerſitate materiam neceſſariam eſſe oſtenſum fuit,vt contrariorum,priuationis ſcilicet,& formas eſſet receptiua. Nam cùm in rerum naturalium ortu vnum contrariorum alterũ recipere minimè poſſit, ſubiectum quoddam adinueniri neceſſarium fuit, quod modo vnum,modo alterum ſuſtineret,iamverò ſi forma eſſet de eſſentia materiæ,priuationem ſibi oppoſitam recipere non poſſet. quoniam cũ ſubiectum aliquid eſſentialiter includit, eius oppoſitum recipere minimè poteſt. Homo enim quoniam rationale, riſibileque eſſentialiter includit, nec vnius,nec alterius oppoſitum admittere valet,& eadem ratione ſi priuationem eſſentialiter includeret, formam recipere non poſſet. Cum itaque materia indiſſerenter, & formam, & priuationem recipiat, hinc ſtatim conſequitur,materiam neque formam,neque eius priuatione͂ eſſentialiter includere,sed ambo ex accidenti. Sed unum in hac definitione difficultatem facere videtur. Nam ſi materia,neque formam,neque formæ negationem includit; non igitur de quolibet eſt affirmatio,vel negatio uera,quod sanè axioma a ſapientibus receptum eſt; quod ſi veritatis locum habere debet,materiam,aut formam,aut formæ negationem habere operæ pretium eſt,quod etiam conſentaneum rationi eſſe videtur. nam ſi formã non hẽt,igitur forma caret;sed carẽtia formæ negatio ẽ, itaque ſi formam non habet, neceſſariò formæ negationem includit; quod etiam græci interpretes aſſeruerunt, arbitrati in materia formæ negationem adinueniri,pro reſolutione animaduertendum eſt. Materiam duobus modis formam, eiusque negationem includere poſſe: vno modo ſecundum exiſtentiam:alio modo eſſentialiter,ità vt forma,& eius priuatio ſint de eſſentia materiæ primæ: primo quidem modo, materia vel vnum, vel alterum neceſſariò includit, quoniam in materia, aut forma exiſtit, aut eius negatio,nec ab vno, vel altero vindicari, aut liberari poteſt. Nam cum contradictoria in entibus diuidant uerum & falſum, nec inter ipſa vllo pacto medium reperiatur, verum eſt dicere, materiam ſecundum eſſe aut formam,aut formæ negationem habere, quod ſanè in vltimis verbis definitionis Ariſtoteles indicare viſus eſt,cum inquit(ſed omnia hæc insunt ex accidenti)vult equidem in materia formam aut formæ priuationem adinueniri.

nini. Sed ex accidenti, & hoc pacto Graeci interpretes intellexerunt, asserentes in materia si in se, & vt est ens quoddam absolutum spectetur, formarum negationem reperi, si verò secundo modo consideretur, materia neque formam, neque formarum negationem includit, et vtrunque verè dicitur, quoniam neque forma, neque negatio formæ sunt de essentia, et de quiditate materiæ, sicut & numerus, licet secundum esse aut par, aut impar necessariò includat; tamen essentialiter nec vnum, nec alterum admittit, verumque est asserere numerum nec parem, neque imparem esse: quoniam nec vnum, nec alterum est de essentia numeri. neque ponuntur in definitione ipsius, pariter animal secundum esse aut sanum, aut non sanum est: essentialiter tamen neque sanum est, neque non sanum. quoniam neutrum est de essentia animalis, ità materia secundum esse, vel formam. vel formæ negationem habet: essentialiter verò nec vnum, nec alterum includit, & vtrunque de ipsa verificatur, neque hoc pacto cōtradictoria sunt: si quidem cum contradictorijs aliquis modus adijcitur non amplius contradictoria sunt. et inter ipsa medium reperitur. & hunc in modum Aristoteles in hac definitione intellexerit, vt eius verba apertissimè ostendunt: non enim absolutè dixit, materia non est quid, neque quale, neque negationes horum, sed dixit, materia secundum se, id est, essentialiter, neque formam habet, neque formæ negationem, sed omnia hæc insunt ex accidenti. Sed quoniam rationi consentaneum esse videbatur, materiam affirmatione definire, saltem per aliquam differentiam, quę eius essentiam exprimeret aut circunscriberet, ea propter philosophus materiam affirmatione ità definiuit.

Materia est substantia in potentia.

QVONIAM *turpe admodum, absurdumque esse videbatur negatiuæ primę materiæ definitioni acquiescere, in eaque persistere, nisi quædam alia per affirmationem excogitaretur, quę aliquo pacto materiæ essentiam atque naturam explicaret; ea propter Aristoteles hanc aliā per affirmationem adduxit, quæ nobis expendenda suscipitur; quæ tametsi pluribus scribatur locis, duobus tamen apud Aristotelem legitur, vt octauo metaf. contex. 3. & 2. de anima contex. 2. in qua explicanda dicam primo, qua methodo huiusmodi definitio inuenta fuit. Secundo, quomodo intelligatur. Quò ad primum definitio hæc per analogiam, similitudinemque ad materiam artefactorum primo phys. contex. 69. ab Arist. inuenta fuit; vbi materię primæ naturam iudagaturus, methodum: qua percipi posset his verbis explicauit. Subiecta quidem natura scibilis est secūdum analogiam,*

non

non quidem ad formam vt Auer. & B. Thomas falsò exposuerunt: sed ad materiam artefactorum, hoc autem declarans, inquit, sicut se habet materia artefactorum; vt æs ad statuam, & lignum ad lectulum, ità se se habet materia rerum naturalium ad formas naturales, iam verò materia artefactorum priusquam formas suscipiat, in formis est, uacuaque ab omni forma artificiosa, in potentiam tamen ad illas, ergo & materia rerum naturalium substantia quædam in formis est, in potentiaque ad omnem formam. quem cognitionis modum adulterum, illegitimumque Plato nuncupauit in Thimeo; vtpotè qui non per propriam similitudinem, & imaginem, quæ de vultu, eiusque facie, vt ait Themistius, eliciatur, sed per alterius similitudinem habeatur, probè tamen huiusmodi analogia intelligenda est. Non enim omni ex parte inter vtranque materiam similitudo, & analogia existit; sed similitudo in hoc est constituta, quòd sicuti materia artefactorum vacua est ab omni forma artificiali, in potentiaque est ad illam suscipiendam, ita rerum naturalium materia vacua est ab omni forma naturali, & in potentia ad illam. penes aliud autem est dissimilitudo, quoniam artefactorum materia est quid completum, & aliquid existens in actu, vt lignum & cæra, sed rerum naturalium materia non est ens completum, nec existens in actu, cum omni careat forma, per quā est hoc aliquid, & actu existit. Hinc facilè intelligi potest, rectè à nobis antea decretum fuisse, nō eandem methodum esse, qua inuenitur materiam esse, quaue eius essentia, & natura cognoscitur. Illud enim via transmutationis, & contrarietatis in ea existentis compertum est. Natura verò, & essentia materiæ via analogiæ inuenta est, quæ sanè similitudo, & analogia quàm maximè animo repetenda est, atque præ oculis habenda; cum potissimum medium sit, quo mentis aciem ad materiæ essentiam ducere, ac penetrare valemus. Ex quo illud etiam apertè colligitur, materiam non per se, sed per aliud tantum intelligi posse: siquidem Aristoteles materiæ naturam indagaturus, methodum declarans, qua percipi possit in contextu 69. statuit subiectam materiam scibilem esse per analogiam ad aliud. Nec vlla ad hoc est Scoti responsio, quòd licet Aristoteles dixerit, materiam per comparationem ad aliud scibilem esse, non propterea exclusit, quin etiam per se intelligi queat. siquidem materia conceptu proprio intelligi non potest, nisi vt potentia est. & licet conceptu quodam absoluto intelligi possit, videlicet, vt substantia, & ens est, tamen nullus istorum materiæ proprius est, cum huiusmodi prædicata etiam alijs communia sint. proprius autem materiæ conceptus, quo eius propria exprimitur essentia, quoue à cæteris distinguitur; est esse in potentia. Iam verò materiam esse

substantiam in potentia intelligi nequit, nisi per analogiam ad aliud vt potè ad materiam artefactorum, vt ab Aristotele compertum fuit. Qua methodo sublata non derelinquitur certè alia via, qua propria materiæ essentia inueniri queat, neque alia præter hanc viam Analogiæ ab Aristotele declarata est. quamobrem materia non per se, sed per aliud tantum intelligi potest, quod etiã Aristotelis authoritate confirmari potest 9. metaf. context. 20. vbi probat actum potentia nobiliorem esse ex hoc, quod res non sciuntur, dum potentia sunt, sed solum cum actu existunt; vnde concludens inquit. Quare palam est, quòd potentia, entia ad actum redacta intelliguntur, causa verò quoniam actus, & forma intelligendi ratio est. Cum itaque materia suapte natura pura potentia sit, vacuaque ab omni forma intelligendi ratione caret, ac proindè per se intelligi nequit; & si mente percipitur illud fit per aliud: quod actu est, nempè per similitudinem ad materiam artificiosam. Sed illud reticendum non est, quonam pacto materia per hanc similitudinem cognoscatur. Porrò putandum non est, materiam percipi ab intellectu per similitudinem artefactorum, ità vt per phantasma, imaginemque materiæ artificiosæ, vt potè ceræ rerum naturalium materia intellectui repræsentetur. Quoniam cum phantasma non repræsentet nisi illud, cuius est phantasma, proculdubio phantasma ceræ, & cuiusuis alterius materiæ artificiosæ non materiam primam, sed solùm ceram, artificiosamque materiam repræsentabit, sed ratiocinatione hunc in modum percipitur. Nam ex sensibus artificiosæ materiæ imagine ad intellectum delata, cognitaque ipsius natura, intellectus huic rerum naturalium materiam comparat, iudicatùe materiam primam, materiæ artificiosæ persimilem esse, quod sicuti materia artificiosa in formis, puraque potentia est, ad omnem formam artificiosam, ità & materia prima in formis substantia sit, puraque potentia ad omnem formam naturalem suscipiendam, assumitque proportionem illam, quòd sicuti se se habet materia artefactorum, ità se habet materia rerum naturalium. Sed vt ad radices rem ipsam resoluamus declarare oportet, quonam pacto hæc analogia necessaria est, quoùe modo Aristoteles nouit, quod sicuti se habet materia artefactorum, ità se se habet materia prima, huius analogiæ necessitas in hoc consistit, indeque Aristoteles nouit, quoniam sicuti artefactorum materia ex hoc, quod in varias mutatur figuras, nullam sibi præscribit, sed potentia est, vt ex ipsa omnes effingantur, ità proculdubio se se habebit materia prima, quæ cum in varias, infinitasque mutetur formas nullam sibi formam præscribet, sed potentia erit ad omnem suscipiendam, & hunc in modum huius analogiæ necessitas demonstratur, quod sicuti se habet materia artefactorum,

ità

ita se habet materia rerum naturalium, & hac de methodo inueniēdi materiam esse substantiam in potentia.

Huius definitionis explicatio.

PORRO *definitio hęc non itá ample intelligēda est, vt materia ad seipsā in potētia esse dicatur, itá vt materia sit potētia materia; quoniā est ens reale extra suas causas, & substantia quędā in actu, sed potētia esse dicitur ad ipsas formas, nō secus ac materia artefactorū, quæ est ens. et substantia quædam actu. dicitur autem esse in potentia ad figuram, & formam artificiosam. quò fit, vt huiusmodi potentia non omnem actum excludat; quoniam non excludit actum entis, gradumque substantiæ, sed solùm actum formæ existendique gradum excludit; quoniam licet materia ens actu sit; non tamen est hoc aliquid, nec per se ipsam existit, sed potentia est, vt fiat hoc aliquid, actuque existat beneficio formæ. & licet nonnulla sint Aristotelis loca, quæ probare videntur, materiam secundum se hoc aliquid esse, & ens completum, sicut 12. metaf. contextu 14 vbi inquit, quòd materia est hoc aliquid, vt videtur] & primo phys. contextu 66. vbi comparans materiam priuationi, inquit, materiam esse magis hoc aliquid, quàm sit priuatio. quibus etiam accedit Themistij authoritas primo physi. in digressione de potentia materiæ pariter, & Auerrois primo cap. de substantia orbis. dicentium, materiam esse aliquid per se existens. Hęc tamen facilem explicationem habent, & ad primam Aristoteles authoritatem dicimus. Ipsum non intelligere materiam esse vere hoc aliquid, & actu per se existentem: siquidem 2. de anima contextu 2. definiens materiam inquit, materia secundum se non est hoc aliquid, sed potentia, & ens quoddam incompletum. est autem hoc aliquid per formam, sed phylosophus intelligit, quòd materia sit hoc aliquid, vt videtur, idest, secundum apparentiam; quoniam quo ad apparentiam, ipsa nil aliud esse videtur, quàm ipsum compositum. imperitioresque homines nil aliud in animalibus materiam esse arbitrantur, quàm ipsorum partes. vt manus brachia, & consimilia: tamen, & si re uera non sit cōpositum, sed subiectum, & quoddam ens incompletum, ex quo compositum generatur. pariter primo libro physico. non intelligit ipsam esse verè hoc aliquid, sed respectu priuationis: quia enim materia naturam positiuam permanentemque habet, priuatio verò nequaquam: propterea magis hoc aliquid videtur esse materia, quàm priuatio. cùm autem Themistius, & Auerroes dicunt, materiam esse aliquid per se existens, non intelligunt ipsam per se actum existendi*

stendi habere. absque forma, sed intelligunt esse aliquid, quod ex se est formaliter ens, & substantia cui potestas inest, & habilitas ad formam recipiendam, tametsi ad Auerrois authoritatem primo capit. de substan. orbis, verius dicendum sit, ipsum intellexisse materiam esse aliquod ens absolutum, & alteri non relatum. Nam cum dixisset materiam substantiari per posse, discrimē ponit inter posse, & materiam dicens: differunt autem hæc inter se, quoniam materia est vnum existentium per se, posse verò est ens ad alterum: accipit ergo per se existens, vt contra distinguitur ab eo, quod ad alterum refertur, ergo intelligit materiam esse, quid per se existens, prout est quoddam ens absolutum; non autem, quod ex se actum habeat existendi, sed respectu huius potentia est. an vero potentia, quæ ponitur in materiæ definitione sit eius essentia, an eius proprietas, & accidens, quæue potentia hæc sit sequenti cap. declarabitur.

An potentia sit de essentia materiæ.

QVoniam materiæ primæ definitio superiore capite allata perfectè intelligi nequit, nisi quomodo materia ad potentiam sese habeat, explicetur, an scilicet potentia sit de essentia materię, idcircò operæpretium me facturum existimaui, si huius problematis veritatem explicarem, ex cuius sanè explicatione statim conspicuum fiet, an potentia, quæ in definitione materiæ ab Aristotele posita est, vt eius essentia ponatur, an vt accidens, & proprietas eius, in qua dubitatione tractanda dubitationis sensum primum aperiam, mox methodum qua propositæ dubitationis veritas haberi possit, explicabo: tandem dubitationem dilucidabo. Quò ad primum animaduertendum est, materiam bifariam considerari posse: vno modo vt ens est quoddam absolutum, & substantia quædā actu: alio modo vt refertur ad formam, & subiectum est quoddam transmutabile. iam verò proposita dubitatio nō est de materia secundo modo accepta: quoniam certum est, hoc pacto potentiam esse de essentia materiæ. siquidem materia ad formam non refertur, nisi per potentiam, per eandemque constituitur secundum naturam transmutabilem, quàm sanè rationē Themistio secundam materiæ notionem appellare placuit. Sed dubitatio est de materia secundum seipsam, & secundum propriam essentiam considerata. Methodus autem aptissima, qua huius dubitationis veritatem assequi valemus, ea est, quam nos docuit Aristoteles 1. phys. context. 69. quæ est per analogiam ad materiam artefactorum, ibi enim ex eo quòd artefactorum materia priusquam recipiat formas artificiosas informis est, in potentiaque

tiaque ad formas artificiosas, concludit rerum naturalium materiam informem quandam substantiam esse, & in potentia, quamobrem sicut artefactorum materiam ad potentiam esse habet, ità & rerum naturalium materia ad potentiam sese habebit, porrò artefactorum materia, vt cęra, aut alia quædam huic persimilis, ità sese habet, quòd primum est quid ens absolutum, & substantia quædam actu relationem non includens, ad formam artificiosam, mox cęram insequitur potentia, & habilitas quædam ad formam artificiosam, prout ex ea artificialia effingi, & efformari possunt, quę sanè potentia communis est, & indeterminata, quoniam non hanc, & illam respicit figuram, vt Cæsaris, aut equi, sed communem, & confusam, eademve stabilis, & fixa est, neque à cæra vnquam diuellitur: nam & si aliqua figura exornetur, non propterea huiusmodi potentia desinit, sed in cæra adhuc asseruatur, quoniam semper potentiam, & habilitatem, vt ex ipsa artificialia effingantur, ità, vt à natura cęræ quasi emergens ipsam cõtinuè comitetur. Verum, quia cęra non solum figuram communem respicit, sed etiam particularem, ad quam ab artifice ad actum deducitur, idcircò pręter potentiam illam communem in ipsa alia particularis potẽtia reperitur, quæ sicuti de nouo oritur, ita etiam hac, & illa particulari adueniente forma, desinit, & corrumpitur, & licet vtraque potentia in cæra accidens sit, prior tamen, & quę communis est, magis tamen intima, & essentialis est; tum quia a natura cæræ innascitur, tum quia ab ipsa nunquam diuellitur; particularis verò magis accidentalis est, tum quia ab eius essentia non fluit, tùm quia ab ipsa separatur. Quamobrem in materia artefactorum hæc tria hoc ordine sese consequuntur. primo enim est cæra, & alia artefactorum materia, vt est quoddam ens absolutum, & substantia nullum includens respectum: secundo est communis potentia ad formam communem: tertio particularis potentia, quæ interit, & ab ipsa materia separatur. Non secus res ipsa in rerum naturalium materia sese habet, vt ab Arist. 1. physic. contex. 69. decretum fuit, vbi inquit, ita sese habere materiam rerum naturalium, sicuti se habet materia artefactorũ. Primò enim est materia, vt ens quoddam absolutum, & ex se substantia quędam nullam includens potentiam, & respectum: quod satis luculenter Lucidus interpres Themistius declarauit 1 physic. in digress. de potentia materiæ, vbi hæc scribit; esse materiæ non est esse potentiæ, sed ipsa prius secundum se aliquid est, deinde fit aliorum materia, vt ad hæc potentiam habet, materiæ essentiam deinceps potentia quædam communis insequitur, ad formam communem, & confusam, quæ intima est, & essentialis materiæ proprietas ab eius essentia emergens. vt ex Aristo. colligitur 1. physic.

physic. contex.81. ubi inquit, materiam sua ipsius natura formam appetere, vt quoddam optimum, atque diuinum. iam verò si materia ex sui natura appetit formam, igitur appetitus materiæ ad formam ex propria natura materiæ inest: sed cum huiusmodi appetitus nil aliud sit, nisi ordo, & potentia materię ad formam veluti entis incompleti; igitur potentia hæc ex ipsa materię natura exoritur, immediateque in essentia materię figitur stabilisque materiæ perpetuò inhæret. Quod sane Aristo. 5. metaf. cap. de natura declarauit, vbi sic inquit, fit autem ex aliquo immobili existente secundum potentiam. Quod etiam indicauit 1. physic. contex. 82. inquiens: materiam ex accidenti oriri, & interire ratione priuationis, quæ in materia oritur, & interit: secundum potentiam verò ingenitam, & incorruptibilem esse: quibus uerbis, quæ alioquin expendenda sunt, apertissimè indicat in materia potentiam corruptibilem, & potẽtiam quandam æternam, & permanẽtem ab illa diuersam, reperiri. Nam cum priuatio in materia, vt inquit, de nouo oriatur, & intereat, ratione cuius materia oriri, & interire dicitur, priuatio verò necessariò potentiam includat; igitur in materia potentia reperitur, quæ de nouo oritur, & interit, & cum secundum potentiam ingenerabilis incorruptibilisque dicatur, igitur in materia præter illam alia potentia reperitur permanens, & ęterna, secundum quam nec oriri, nec interire dicitur: hęc autem potentia communis est, quæ ab eius essentia emergit. Vnde summa cum ratione, vt arbitror dixit, materiam secundum potentiam ingenerabilem, & incorruptibilem esse, non autem secundum substantiam. primò, vt ostenderet in materia potentiam quandam æternam, & immutabilem reperiri à priuatione diuersam: secundo, vt ostenderet materiæ essentiam per potentiam hanc communem, et æternam exprimi, nõ autem per potentiam particularem, quæ à materia diuellitur, atque recedit. ex quibus satis liquido constat, prę ter potentiam illam communem, & indeterminatam, in materia potentiã quandam particularem, & determinatam respectu huius, & illius formę, quę priuationem includit, quę duo potentiarum genera, licèt penes id inter se conueniant, quod neutra est de materiæ essentia: sed materiæ proprietas et accidens, tamen inter se satis amplo discrimine seiunguntur: Communis enim potentia fixa est in materia semper, & immutabilis, nec accessu formæ interit: particularis verò corrumpitur, accessuque formę desinit, cum forma iam genita non amplius materia ad illam potentia sit: præterea communis potentia ab essentia materiæ emergit, immediatèque in materia figitur: particularis verò ex materię dispositionibus oritur, ex quibus materia peculiarem determinatamque potentiam ad hanc, & illam formam

mam

mam nanciſcitur, quò fit, vt communis potentia intima ſit.eſſentialisque materiæ proprietas:particularis uerò extrinſeca & accidentalis, ac proindè quæ communis eſt,materiæ eſſentiam,atque naturam exprimat: particularis verò nequaquam.quam veritatem nouit Alexander 2.Natural. quæſt.cap.7.cum inquit,materiæ potentiam aliquam eſſentialem,aliquam vero accidentalem eſſe.

Dliucidatio,& problematis reſolutio.

Ex qua ſanè methodo ab Ariſt. propoſita, & iam ſatis à nobis explicata problematis ueritas facile intelligi poteſt,& pro reſolutione has ponimus enunciationes.prima eſt,potentia quæcunque illa ſit, non eſt de eſſentia materiæ;ita vt ipſam conſtituat, eique conueniat in primo modo dicendi per ſe,ſed accidens eſt ei ſuperadditum,quæ concluſio ex analogia materię artificialis,qua, vt methodo ad naturam materię innuirendã primo phyſic.contex.69.vſus eſt Ariſt.demonſtratur. Nam ſi ita rerum naturalium materia ſeſe habet,ſicuti materia artefactorum, cum hæc ita ſe habeat,quòd potentiam eßentialiter non includit,ita vt potentia ſit de eſſentia ceræ,aut æris,ſed prius,ens, quoddam abſolutum eſt, cui poſtea accidit potentia,& habilitas ad formam. igitur & rerum naturalium materia potentiam eſſentialiter nõ includit,ſed quoddam ens abſolutum eſt, & ſubſtantia quædam actu,ad quam poſterius habilitas, & potentia, ad formã conſequitur.Quæ ſanè methodus ad hanc veritatem oſtendendã maximam efficaciã habet, cum ex hac methodo Ariſ.materiæ naturam demonſtrare uoluerit,quam qui non animaduertunt varijs ambagibus implicari coguntur,quæ cõcluſio etiam ex Ariſt.ipſo confirmari poteſt 7.meta phy.cont.8.ubi inquit materiam ſecundum ſe non eſſe quid, neque quale, aut quantum,nec vllum aliorum prædicamentorũ,ſed omnia iſta materiæ ineſſe ex accidenti,tã verò ſi materia alicuius prædicamenti formã eſſentialiter non includit, ſed quamlibet ex accidenti.igitur reſolutionem eſſentialiter non includit, & ex conſequenti,neque potentiam, cum omnis potentia reſpectus,& relatio ſit.Quamobrem potentia de eſſentia materiæ non eſt,ſed accidens,& proprietas eius.quod etiam comprobauit Auerroes primo phyſi.com.70.in hũc modum,relatio non eſt de eſſentia rei abſolutæ. potentia relatio eſt, reſpectusque ad formam:igitur potentia non eſt de eſſentia materiæ,quæ ſubſtantia eſt, & quid abſolutum; ſecus materia in prædicamento relationis reponeretur,cum vnumquodque in eo prę-

dica-

dicamento locetur, in quo sua ratio formalis ediminuitur, quamuis secunda ratio, qua ibidem vtitur infirma sit, cum inquit, si potentia esset de essentia materiæ, cum potentia aduentu formæ corrumpatur, igitur & materia corrumperetur. quoniam ratio hæc de potentia particulari; & determinata respectu huius, & illius formæ solùm concludit: non autem de potentia communi & indeterminata quoniam hæc immutabilis est, & permanens in materia etiam ipsarum formarum accessu. Sed licet nec altera potentia sit de materiæ essentia, sed accidens ipsius: tamen potentia, quæ communis magis intima, & essentialis est materiæ, quàm particularis, vt anteà dictum fuit. Quomodo fit, vt potentia, quę ponitur in definitione materiæ potentia communis sit, quęue immutabilis est, permanensque in materia: hæc enim est, quæ materiæ essentiam exprimit, & declarat. secunda enunciatio est, Si materia, vt ad formam refertur, & subiectum, ex quo res fiunt, consideretur, potentia est de essentia materiæ, ipsamque constituit. Nam cum materia ad formam non refertur nisi per potentiam, neque subiectum sit ex aliquo aliquid fit, nisi transmutetur, transmutari autem minimè possit nisi potentia sit: quoniam motus actus est entis in potētia, vt potentia est, ea propter potentia est de essentia materiæ, ipsamque constituit secundum rationem subiecti, & secundum esse transmutabile, non secus, ac paternitas, quæ licet non sit de essentia Socratis, est tamen de essentia Socratis vt pater. siquidem sublata paternitate non ampliùs manet ratio patris, ità potentia licet non sit de essentia materiæ, vt substantia est, attamen de essentia materiæ est, vt refertur ad formam, & secundum rationem subiecti, porrò sublata potentia non amplius ad formam refertur, nec ampliùs subiecti transmutabilis rationem habet; hinc varia Græcorum & Auerrois dicta, qui sibi ipsis hac in re non satis constare videntur, facilè concliari possunt: cum enim aiunt potentiam accidēs esse materiæ superadditum, secundum primæ conclusionis sensum intelligunt: cum autem dicunt, materiam, eiusque essentiam in potentia consistere, intelligunt sanè vel prout potētia materiæ essentiam declarat, proprięque eius essentiæ uicem gerit. Accidentia enim propria, quæ loco latentis differentię substantialis ponuntur, de rei essentia dici solent, vel intelligūt, vt materia est formarum receptiua, subiectumque transmutabile, ratio enim recipientis, subiectique transmutabilis in potentia consistit, in quo etiam sensu locutus est Auerroes 1. cap. de substan. orbis, cùm inquit, materiam substantiari per potentiam, hancque differentiā eius substantialem esse, sicut sequentibus verbis seipsum declarat, inquiens, & hæc potentia, qua substantiatur materia, differt à natura materiæ, quoniam potentia est.

eius

ens ad alterum, materia verò ens absolutum est, relatiuum verò essentia rei absolutæ esse non potest. vt ipsemet memoriæ prodidit 1. physic. com. 70. & hæc satis.

Corrumpitur autem, & fit est autem vt sic, est autem, vt non, prout enim est id, in quo aliquid secundum se corrumpitur, quod enim corrumpitur in hac priuatio.

Quomodo materia oriatur, & intereat, curue potius ratione priuationis, quàm ratione formę corrumpi dicatur.



VONIAM eiusdem scientiæ est non solum rei naturam, sed etiam eiusdem proprietates contemplari; ea propter cũ anteà materiæ naturam explicasset, in contex. 82. 1. physi. in quo hæc sententia scribitur, materiam secundum substantiam ingenitam, & incorruptibilem esse; declarare instituit. Sed quoniam materia aliquo pacto oriri, & interire dicitur; ea propter his verbis, quæ in hoc theoremate allata sunt, quomodo oriatur, & intereat declarauit, inquiens: quòd tametsi materia secundum substantiam ingenita, & incorruptibilis sit: tamen ex accidenti ratione priuationis, quæ secundum se oritur, & corrumpitur, materia oriri, & interire dicitur: non quia dum priuatio oritur & desinit, materia aliquid secundum substantiam patiatur: sed eatenus materia generari, & corrumpi dicitur, prout est subiectum, in quo priuatio existit, quæ secundum se corrumpitur: Vnde verborum Aristotelis is sensus est. Materia vno modo oritur, & interit: alio vero modo nequaquam, vtpotè secundum potentiam, & substantiam, vt inferius declarat: oritur autem, & interit, prout est subiectum, in quo aliquid existit, secũdum se corrumpitur. quod enim in hoc subiecto corrumpitur, priuatio est. Sed circa hanc Aristotelis sententiam duo consideranda occurrunt: primum est, cum in materia non solùm priuatio oriatur, & intereat, sed etiam forma, quæ verius oriri, & interire dicitur, cum forma sit ens. priuatio verò non ens, cur Aristoteles non dixit, materiam oriri, & interire ratione formæ, quæ in materia oritur, & interit. Sed dixit ipsam oriri, & interire ratione priuationis, quæ sanè dubitatio perpulchra est, & minimè aspernanda. Alterum est, quonam pacto priuatio secũdum se oritur, & corrumpitur, cum priuatio sit non ens: quod sanè neque generari,

rari, neque corrumpi potest cum generatio transitus sit de non esse, ad esse: corruptio verò ab esse ad non esse, soluimus ista, & ad primum dicimus, summo consilio Aristotelem non dixiße, materiam oriri, & interire ratione formæ. licet forma in materia oriatur, & intereat. quoniam cum forma oritur in materia, dici profectò non potest materiam oriri. sed potius ad formæ generationem materia corrumpi dicitur. siquidem natura materiæ est vt sit potētia, cum vero forma in materia oritur, materia actu fit, ac proinde materia à sua natura recedere, & corrūpi videtur, quamobrē cum accessu formæ materia potius à suo statu, naturaque recedere, quàm generari videatur. ea propter Aristoteles non dixit materiam generari, cum in materia forma generatur: pariter dici non potest, cum forma in materia corrumpitur, materiam ipsam corrumpi, cum potius ad formæ interitum, materia oriri, & ad suam naturam reuerti uideatur. Nam, vt paulò ante dictum est, cum natura materiæ potentia sit, cum forma ipsa corrumpitur, materia desinit esse actu, & efficitur in potentia: igitur ad interitum formæ materia potius oriri quàm interire dicitur, & ob id Aristoteles non dixit materiā oriri, & interire ratione formæ, tametsi forma in materia oriatur, atq; intereat. Sed dixit istbæc materiam pati ratione priuationis. nam cum priuatio potentiam annexam habeat, cū priuatio in materia oritur, materia potentia fieri dicitur, ac propterea generari. pariter cū priuatio desinit, materia interire dicitur. quoniam cum priuatio desinit, potentia esse desinit, qua recedente status, & materiæ conditio recedere videtur, quo fit, vt prudenter ab Aristotele dictum sit, materiam oriri, & interire ratione priuationis. Neq; arduum est secūdum dubitationem persoluere; nā aliquid oriri, & interire bif. intelligi potest, vno modo propriè, & secundum esse, alio modo secundum denominationem, iam verò, priuatio cum sit non ens, formæq; absentia non interit, & oritur secundū esse, quoniā id solum competit enti reali, cum corruptio transitus sit ab eße, ad non esse, sed oriri, & interire dicitur secundum denominationem, prout sui præsentia materiam priuatam denominat, ipsaq; recedente non amplius materia priuata dicitur, & hunc in modum priuationem corrumpi Arist. intellexit.

Priuatio quodam modo forma est.

SCribitur propositio ista 1. phys. contex. 15. vbi cum philosophus pluribus rationibus ostendisset naturam de forma enunciari, statuit priuationem, quin etiam naturam esse; siquidē priuatio quodammodo forma est

sed

sed quid nomine priuationis intelligat, non satis perspicuũ est. Simplicius, & Auerroes propositionem hanc exponẽtes, duplicem expositionem tradiderunt, prima est, nomine priuationis Aristotelem priuationem in materia prima existentem intelligere, quæ terminus à quo generationis existit, quæ sanè est veluti species, & forma materię. prout ipsam denominat, & quoquo modo afficit. Sed hęc expositio falsa est; siquidem nomine priuationis ea intelligitur, quæ est altera species formæ, & naturæ, quæ inibi ab Arist. diuisa fuit. Nã inquit, forma, & natura duplex est, iam verò forma, & natura, quę diuisa fuit, est forma, & natura realis, & positiua, quod ex eo patet; quoniam cum in contex. 14. Arist. dixisset generationem dici naturam: quoniam uia est ad naturam, & formã: subinde formã, & naturam diuisit in priuationem, & formam. diuiditur itaq; forma, & natura ad quam generatio via est; sed hæc est forma realis, & positiua; igitur & priuatio, quæ est species huius, est forma realis, & positiua, cum realis generis species, reales quinetiã esse debeãt; quod sanè fortaße animaduertentes, & ipsi secundã expositionẽ tradiderunt, nomine priuationis formam realẽ imperfectã Arist. intelligere. enimuerò formæ diuersarũ specierum ità se habent, quòd æqualis perfectionis esse nõ possunt; sed vna semper est altera perfecta magis. vt ex Arist. colligitur 8. metaf. contex. 10. vbi habet, quòd species rerũ sunt sicuti numeri, nec non primo cęli contex. 100. vbi inquit, quòd à primo ente impartitum est esse omnibus, his quidẽ clariùs, his verò obscuriùs, & quoniã id, quod perfectius est, vt habitus, et forma se se habet, imperfectius verò vt priuatio. vt ex Arist. habetur primo de generat. cõtex. 18. vbi cõparãs terrã, & ignẽ inter se; & frigidũ, & calidum; ignẽ, & calidũ, habitus, & entia appellauit, frigidum autẽ, & terrã vtpotè quę imperfectiora sunt, priuationẽ, & nõ entia. quod etiã declarauit Auer. 8. Metaf. com. 10. vbi albũ habitum, nigrũ verò vt imperfectius priuationẽ appellauit, ea propter philosophus, cum naturã, & formam, ad quam generatio via est, diuisisset in formam perfectiorem & imperfectiorem, illã nomine formæ, hãc verò vt imperfectiorẽ nomine priuationis nũcupauit, & propterea hanc non absolutè formã vocauit, sed quodã modo, cũ aliquo pacto deficiat à dignitate formæ, ità vt totũ Aristo. cõnexum huiusmodi sit, generatio dicitur natura, quoniã via est in naturã, & formam; hęc autem duplex est, vna, quæ forma perfecta est, altera verò imperfecta, quæ priuatio nuncupatur, & hæc quidem germana est huius propositionis expositio, ex quo sequitur, ex hac propositione in qua maximã vim fecit superiori ætate Marcus Antonius Genua, minimè colligi posse, in materia prima, formam illã corporis de prædicamento substantię adinueniri: si qui

de forma hæc corporis, si in materia reperiretur, esset terminus, à quo generationis, priuatio verò, & forma hæc imperfecta, de qua in hac propositione loquitur Arist. est terminus ad quem generationis: quod ex eius processu facilè patet. Nam inquit, generatio dicitur natura, quoniam est via in naturam. Natura verò, & forma duplex est, altera quidem quæ priuatio est, & alia. s. quæ absolutè forma nuncupatur. Accipitur itaque priuatio, & forma imperfecta, vt spẽs est naturæ ad quam generatio via est, sed hæc est terminus, ad quem generationis: igitur & priuatio, quæ in hac propositione accipitur, est terminus ad quem generationis, & ex consequenti forma illa corporis materiæ coęterna esse non potest.

Formæ naturales absque materia, & motu intelligi minime possunt.

PRopositio est Aristotelis 1. Phis. contex. 19. vbi ponit differentiam inter formas Mathematicas, & naturales, quia formæ Mathematicæ sine materia, et motu intelligi possũt, formæ autem naturales nequaquam: & ex hoc deducit, quòd formæ naturales à materia separatæ in rerum natura reperiri minimè possunt, vnde inquit, latet autem hoc facientes aut dicẽtes Ideas. Physica enim abstrahunt, cum minus Mathematicis abstracta sint. fiet autem hoc manifestum si quis tentauerit vtrorumque dicere terminos. Cęterum propositio ista difficultatem habet, quia, vt ipsemet inquit, in cont. 12. eiusdẽ libri, forma licet à materia inseparabilis sit secundũ esse, separabilis tamen est secundũ rõnẽ: quinimmo de ipsius sententia naturalis formæ nõ solum secundum rõnem, sed ẽt vt à materia abstractæ sunt secundũ esse intelligi possunt. siquidẽ sub hac rõne à Metaphisico cõsiderantur, vt est Arist. sententia 6. Met. 2. vbi inquit, quòd naturalis, Mathematicus, & Metaphis. penes hoc distinguntur, quia naturalis formas considerat vt sunt in materia secundum esse & secundum rationem Mathematicus vt abstractę sunt secundum rõnem tantũ. Metaphis. formas perpẽdit vt abstractæ sunt à materia & secundum esse, & secundum rationem, itaque naturales formæ à materia abstrahi possunt. Zimara difficultatatem istam considerãs, in Theorematibus & in tabula, inquit, quod formę naturales bif. cõsiderari possunt, vno modò secundum considerationem naturalẽ, alio modo secundum abstractionem Mathematicã: tunc inquit, quòd si primo modo considerentur absque materia intelligi non possunt, quia naturalis formas ipsas in ordine ad materiam semper considerat: si verò secundo modò, intelligi vtique possunt, & secundum hanc Mathematicam

ticam abstractionem naturalis Philosophus, inquit, aliquando considerat formam sine materia, sed parcat mihi uir iste hac in re sicut in alijs pingui Minerua philosophatus est: nam si hæc sententia esset vera, sequeretur quòd formæ naturales non essent minus abstractæ quàm formæ Mathematicæ, vt inquit Philosophus contex. illo 19. Probatur consequentia, quia si formæ naturales secundum considerationem naturalem à materia abstrahi non possunt, secundum Mathematicam verò abstractionem intelligi possunt, cũ etiam formæ Mathematicæ similiter sese habeant, quia secundum considerationem naturalem à materia abstrahi non possunt, vt inquit Philosophus eodem 2. libro contex. 18. vbi ponit differentiam inter mathematicum, et naturalem penes considerandi modum. Secundum Mathematicam verò abstractionem absq; materia intelligi possunt, igitur formæ naturales non sunt minus abstractę quàm formæ Mathematicę, sed in æquali sũt abstractionis gradu. prætereà vt ibi inquit Philosophus, formę naturales se habẽt sicuti simum: sed simum, vt simum nullo modo sine materia intelligi potest; igitur neque formę naturales vt tales formę sũt à materia abstrahi possunt.

Dilucidatio.

Mea itaque sententia aliter dicendum est, quod formę naturales bif. considerari possunt: vno modo secundum rationem speciei, & vt tales formę sunt exem. gr. vt forma Bouis, & Leonis: alio modo sub ratione generis inquantum forma & quiditas, tunc dicendum est, quòd si formæ naturales primo modo considerentur absque materia intelligi minime possunt, & hoc modo intelligit Philosophus in hac propositione, & hoc pacto saluatur differentia inter formas Mathematicas & naturales ab Aristotele assignata, quia formæ Mathematicæ, vt tales formæ sunt, vt linea inquantum linea, & superficies ut superficies à materia abstrahi possunt, sub qua ratione à Mathematico considerantur: formæ verò naturales sub ratione species, & vt tales formæ sunt, à materia abstrahi minime possũt, & hoc modo etiam intellexit Auer. 7. Met. 39. vbi tandem habet sententiam, & primo de Anima 16. hinc Aristoteles inferre potuit, quòd formæ naturales non possunt reperiri a materia separatæ secundum esse, quia si inquantum tales formę secundum rationem a materia abstrahi minime possunt, igitur multo minus scdm esse: Sed dices, quare formæ Mathematicæ, vt tales formæ a materia scdm rõnem abstrahi possunt, formę verò na

turales nequaquã huius rei causa ab Auer. assignatur, 3. de Anima. Com. 11. vbi inquit, quòd ideò formæ Mathematicæ à materia abstrahi possunt, quia sunt à materia remotæ, & quod à materia remotum fuerit secundum rationem abstrahi potest. licet non habeat esse nisi in materia: formę verò naturales à materia nequaquam abstrahi possunt, quia sunt propinquę materię, quibus verbis nil aliud voluit Auer. nisi quòd formæ Mathematicæ ideò à materia abstrahi possunt, quia proprium & determinatum subiectum non habent, & quod huiusmodi est, à materia quodammodo remotum esse videtur: formæ verò naturales ideò sine materia intelligi non possunt, quia propriam & determinatam materiam habent, & forma quæ huiusmodi est, videtur esse magis propinqua materię, quam rationem quoque sed clarioribus verbis adduxit B.D. in eodem 3. de Anima in expositione contex. 10. Si verò consideretur forma naturalis sub ratione generis, in quantum forma, & quiditas est, hoc modo vt abstracta à materia secundum esse, & secundum rationem intelligi potest. & ratio est, quia non est de ratione formæ in quantum forma, & quiditas est, vt sit coniuncta materiæ secundum esse, & secundum rationem, quia si hoc esset de ratione formæ vt forma, & quiditas, cum ratio formæ, & quiditatis conueniat formæ abstractæ, igitur esset de ratione formæ abstractæ vt esset coniuncta materię secundum esse, & secundum rationem, quod minimè dici potest: deducitur, quia competit alicui, secundum aliquam rationem competit omnibus quæ rationem illam participant, quamobrem forma naturalis sub ratione generis, & inquantum forma neque secundum esse, neq; secundum rationem materiam concernit, & propterea vt vtroque modo abstracta intelligi potest, & hoc est quod voluit Philosophus 3. de Anima contex 11. vbi inquit, sicut res separabiles sunt à materia, ità & quæ circa intellectum sunt, quicquid dixerit Io. Gram. in expositione illius loci, & quoniam forma naturalis sub hac ratione à Metafisico consideratur vt forma & quiditas est. ea propter vt abstracta est à materia & secundum esse, & secundum rationem ab eodem consideratur. vnde talis abstractio formæ naturalis à materia non est abstractio Mathematica, vt dicit Zim. quia abstractio Mathematica est secundum rationem speciei, quæ non competit formæ naturali, sed est abstractio Metafisica, & secundum rationem generis: quæ sanè determinatio si bene consideremus ex ipsomet Aristo. colligi potest contex. illo 19. vbi sic inquit, Forma naturalis se habet sicuti simitas, iam verò simitas ita se habet, quod sub ratione speciei vt simitas est non potest intelligi absque materia, & absque naso, sed sub ratione generis inquantum curuitas est, quæ est genus simitatis sine materia intelligi

telligi potest. cum dicitur curuitas est depressio superficiei, igitur & forma naturalis sub ratione speciei non potest abstrahi à materia, sub ratione verò generis abstrahi potest, quia vt sic se habet vt curuum. & iuxta hunc secundum sensum concludunt dubitationes allatę aduersus propositum Theorema.

Forma est subiectum vniuersalitatis, & iste est intellectus cuiuslibet formæ.

SCribitur propositio ista formaliter ab Auer. primo Cæ. 92. quam ab Arist. accepit in eodem loco vbi philosophus dubitans contra mundi vnitatem ab ipso determinatam, probansque aut plures esse, aut possibile plures esse, huiusmodi ratione vsus est. Quæ formam habent, aut actu plura sunt, aut esse possunt, Mundus formam habet, Mundus igitur aut actu plurificatus est, aut plurificari potest: quam rationem persoluens philosophus concedit mundum plurificabilem esse ratione formæ, & consequenter formam plurificabilem esse, & subiectum (vt inquit Auer.) vniuersalitatis & pluritatis. quam propositiouem licet etiam Zimara in Theo. dilucidare voluerit: quia tamen ipsam exactè (vt opus erat) non explicauit, eam dilucidare decreui, hoc enim artis ingenium est, vt inquit Hip. aut nõ inuenta inuenire, aut imperfecta perficere, in qua propositione dilucidanda, duo consideranda sunt, vnum ex parte subiecti, alterum uerò ex parte prædicati: ex parte quidem subiecti, pro quo accipiatur forma in hac propositione, an pro forma vniuersaliter siue materialis sit, siue à materia separata, an pro forma materiali tantum: ex parte verò prædicati, an forma sit plurificabilis ab intrinseco, an ab extrinseco, quò ad primum resolutè dicendum, quod forma in hac propositione accipitur pro forma materiali tantum, quod patet ex uerbis Aristotelis in contex. vbi sic inquit, Quorumcumque substantia est in materia plura & infinita sunt, aut esse possunt, loquitur ergo Philosophus de forma quæ materiæ concreta est. prætereà probatur ex ratione Philosophi 12. Met 49. vbi probans non esse plures primos motores, ita ratiocinatur, Si essent plures primi motores, essent materiales, quia quæ sunt specie vnum, & numero plura materiam habent, primus motor non est materialis, est enim actus purus, & catelechia, igitur non est plurificatus. in qua ratione accipit Philosophus illud principium, quòd forma plurificabilis secundum numerum materialis est. & licet ratio ista sit de primo motore simpliciter. attamen concludit etiam de alijs intelligentijs, quia medium quo concludit primum motorem

rem plurificari non posse, quod est abstractum esse, & carere materia: competit etiam cæteris intelligentijs. quam rationem accuratius tandem considerans Scotus, vidensque rationem de materia illa totius quam sibi effinxit intelligi minimè posse, sed de materia partis, & proinde cæteris intelligentijs communem esse. secundo Sent. lib. dist. 3. q. 8. negauit illud principium, nempè quæ sunt numero plura, materialia sunt. clamauitque dicens rationabilius est Theologo à Philosopho in principio propter quod tenet aliquam conclusionem, consequenter discordare in conclusione, quàm errare cum eo, hæc Scotus. quamobrem secundum Aristotelis dogmata dicendum est, quòd forma materialis solum plurificabilis est, & consequenter forma quę in hac propositione pro subiecto accipitur supponit pro forma materiali tantum, sed quàm primum dicitò Auerroes videtur intelligere de forma vniuersaliter, quoniam inquit, & hic est intellectus cuiuslibet formę, quòd videlicet plurificabilis sit. respondetur, quòd Auer. intelligit de forma materiali tantum, quoniam propositio Auerrois non secus intelligi debet ac propositio Aristotelis, quam ipse interpretatur, quod ex eo etiam confirmari potest, quoniam ipse nullo pacto admittit formam abstractam plurificari posse, vt patet ex his quæ habet 3. de Anima Com. 5. vbi inquit, quòd cum intellectus sit forma abstracta, & immaterialis plurificari nequit, quare vnà cum Arist. vult Auerroes, quòd forma in hac propositione accipiatur pro forma materiali tantum, & tunc sensus erit, Forma materialis plurificabilis est, & hic est intellectus cuiuslibet formæ materialis: Nunc secundum consideremus, quæ res vt conspicua, & manifesta fiat distinctione opus est. nam pluralitas hic. considerari potest, vno modo secundum aptitudinem, alio modo secundum actum. Si primo modo consideretur sit ista enunciatio forma materialis ex se, & ab intrinseco plurificabilis est, & pluralitas ita accepta competit formæ in secundo modo dicendi per se tanquam propria passio ipsius, quæ conclusio ex Arist. probatur in contex. 93. vbi persoluens rationem factam contra mundi vnitatem, inquit, quòd mundus plurificabilis est ratione formæ, sed actu plurificari non potest, quia mundi forma vniuersam occupat materiam. concedit igitur, quòd mundus, & quodlibet aliud corpus, in quo alia est ratio formæ vt formæ, & alia vt in materia plurificabile sit ratione formæ, igitur forma ex se, & ab intrinseco plurificabilis est. adde quòd in contex. 92. inquit, quòd etiamsi in rerum natura vnus tantum numero circulus reperiretur, adhuc in eo aliud esset circulus, & aliud hic circulus. & circulus, inquit, forma est per seipsam sumpta, hic verò circulus forma est mixta cum materia. quibus sanè verbis ostendit quòd ablata actuali

pluralitate

pluralitate circulorum adhuc remanet natura communis vt pote circulus, qui forma est per seipsam sumpta, tunc sic arguitur, Natura communis est apta nata de pluribus prædicari, & in pluribus esse: forma per seipsam sumpta est natura communis, quoniam inquit, circulus est forma per seipsam sumpta, & in hoc contradistinguitur à seipsa vt mixta cum materia, quoniam vt sic singularis, & incommunicabilis est. igitur forma materialis de se est apta nata de pluribus prædicari, & in pluribus reperiri. Secunda enunciatio huiusmodi est, si pluralitas consideretur quo ad actum forma non est plurificabilis ab intrinseco, sed ab extrinseco vtpotè per materiam, licet enim forma de se sit apta nata plurificari, ista tamen aptitudo non reducitur ad actum pluralitatis nisi per materiam: conclusio ista probatur ex contex. illo 91. vbi inquit, quòd licet mundus plurificabilis sit ratione formæ, tamen non est actu plurificatus, neque plurificari potest, quoniam mundi forma non occupat partem materiæ, sed vniuersam materiam, itaque mundi forma non plurificatur actu ob defectum pluralitatis materiæ. & similiter in contex. 94. solutionem datam duobus illustrans exemplis hominis & simitatis, inquit, quòd si ex omnibus carnibus fieret vna caro numero tantum, tunc esset vna caro numero tantum, & non plures: sunt autem numero plures, quia plures sunt materię vt carnes, & ossa, quare actualis pluralitas inest formæ propter actualem materiæ pluralitatem, qua ablata tollitur actualis pluralitas in forma, vnde Auer. 7. met. com. 28. inquit, quòd multiplicatio formarum in eadem specie ab vno generãte prouenit ob multitudinem materierum, in quas agit, & in hoc sensu intelligi debent omnes Aristotelis, & Auerrois authoritates, in quibus aiunt, quòd materia est causa pluralitatis formarum, vide licet quo ad actum. cæterum animaduerte quòd licet materia sit causa actualis pluralitatis in forma, attamen forma est etiam causa actualis pluralitatis materiæ, & hoc in genere causæ finalis, nam vt habetur secundo phis. 91. forma est finis materiæ. sicut ergo finis est causa omnium ordinatorum in finem, illisque necessitatem imponit vt disponantur secundum existentiam finis, ita forma imponit necessitatem materiæ, quoniam ergo forma materialis est apta nata plurificari, operæ precium fuit materiam actu plurificari, atque in partes diuidi, vt ex diuisione, & pluralitate materiæ aptitudo illa formæ reduceretur ad actum pluralitatis: & propterea forma dicitur esse radix, & fundamentum pluralitatis, quoniam pluralitas, & diuisio materiæ originem habet à forma tanquam à causa finali, & ita materia est causa pluralitatis in forma, hæc vero est causa pluralitatis in materia, neque est inconueniens vt causæ sint sibi inuicem

causa, vt habet Arist. 2. Phis: 30. illud tamen animaduerte, quòd cum dicitur materiam esse causam actualis pluralitatis in forma, non accipitur materia præcisè, & secundum se, sed vt quantitate affecta, siquidem materia non potest esse causa pluralitatis nisi sit in partes diuisa, sed in partes diuidi minime potest, nisi per quantitatem, vt sententia fuit Aristo. 5. Met. 18. & Auer. primo cap. de sub. orbis: igitur materia vt quantitate affecta est veluti causa formalis actualitatis pluralitatis in forma, & hæc de propositione ista. sed quoniam in eodem contex. ex quo hæc propositio desumpta est, desumitur etiam mundum formam habere, ideò quæ sit mundi forma sequenti capite explicabitur.

Mundus ex forma constat & materia.

MVndum ex forma constare & materia statuit Aristoteles primo Cę. contex 93. quæ autem sit mundi materia declarauit ipse in contex. 95. & 97. dicēs, necesse est ex omni naturali, & sensibili constare corpore, & per consequens ex vniuersa materia, propterea quia extrà mundum nullum est corpus, neque esse potest, vult ergo mundi materiam esse omne corpus sensibile, & naturale, & præsertim quinque corpora simplicia vt cęlum, & elementa, sed quæ sit mundi forma ab ipso declaratum minimè fuit, & propterea non paruam eius interpretum animis ambiguitatem iniecit Auerroes in Com. 95. cęlum mundi formam esse asseruit, sed animaduerte modum loquendi Auerrois, quia non dixit absolutè cęlum esse mundi formā, sed quasi formā, nec elementa absolutè materiā, sed quasi materiā: etenim cum Cęlum non sit forma informans elementa, non dicitur verè forma, sed quasi forma, sed hęc Auerrois sententia in se vtiq; vera est, quia elementa respectu Cęli habent rationem materiæ, & Cęlum respectu elementorum habet rationem formę, quia vt ipsemet scribit 3. de Anima 36 quotiescunq; sunt aliqua quę ad vnius constitutionem concurrunt, & vnum est perfectius altero, cōtinens & cōseruans: alterum verò sit imperfectius, & contentum, id quod est perfectius, & cōtinēs habet rationem formæ, imperfectum verò & contentum habet rationem materiæ iam uerò Cęlum, & elementa ità se habent, quòd Cęlum est perfectius elementis, ipsáque continet, & conseruat: igitur Cælum habet rationem formæ, elementa verò rationem materiæ. Non tamen Auerrois sententia est ad Aristotelem in eo loco, quia Cęlum est materia mundi, vt materia contradistinguitur à forma, igitur Cęlum non est mundi forma. probatur assumptum ex contex. 97. vbi Philosophus inquit, quòd mundus con

stat ex omni corpore naturali, & sensibili, & ex hoc probat mundum ex vniuersa constare materia, Cęlum est corpus sensibile, & naturale; Cęlum igitur est materia, & non forma mundi. præterea forma mundi de qua loquitur Arist. ibi est illa cui non repugnat plurificari in plura numero: inquit enim, mũdus plurificabilis est ratione formę, sed non plurificatur actu, quoniam mundi forma vniuersam occupat materiam, sed Cęlo repugnat plurificari in plura numero, igitur Cęlum non est forma mundi. Ex altera parte Suessanus voluit, quòd Deus optimus sit forma mundi, quod ea ratione persuadet, quoniam Deus est primum agens, primus finis, & prima forma, sed non dicitur prima forma nisi respectu mundi, cæterum illud animaduertit, quòd hæc prima bif. considerari potest, vno modo, secundum esse intentionale, alio modo secundum esse reale: si primo modo cõsideretur, sic dicitur forma intelligentiarum, et intellectus nostri; si verò secundo modo sic dicitur mundi forma. Sed & Suessani sententia in se quidem vera est, quoniam Deus opt. dicitur esse forma & respectu intelligentiarum, & respectu mundi, nam secundum intentionale prout est obiectum intelligibile dicitur esse forma intelligentiarum, & intellectus nostri: dicitur autem forma mundi, inquantum est agens conseruans ipsum, hoc enim rationem formæ habet, attamen Deus opt. non est forma mundi, de qua loquitur ibi Philosophus, quia vt dicebamus aduersus Auer. quia forma mundi de qua loquitur Philosophus est cui non repugnat in plura numero plurificari, Deus autem non est huiusmodi, quare non potest dici forma mundi. adde, quòd forma mundi de qua loquitur Philosophus est forma materialis cuius esse quod habet secundum se est aliud ab esse quod habet vt mixta cum materia, sed Deus optimus non est forma materialis; nec eius esse secundum se variatur, & cõtrahitur ab esse in materia, itaque Deus opt. de Aristotelis sententia mundi forma dici non potest. ex quibus etiam rationibus ostenditur mundi formam non esse colchodeam, aut virtutem aliquam abstractam, & immaterialem, quid ergo dicendum?

Dilucidatio.

PRO *resolutione dicimus, quòd mundi forma de Aristotelis sententia est forma materialis cui non repugnat plurificari, & cuius esse contrahitur vt est in materia: secundo dicimus, quòd Mundus non est compositus per se vnum vnitate aliqua essẽtiali, quia compositum per se vnũ requirit materiam vnam, quæ in potentia est, ex qua fit vnum per se cũ forma dante esse, vt inquit Philosophus 8. Met. 15. iam verò mundus non cõ*

stat ex vera materia quæ sit in potentia, quia eius materia, vt inquit ipse, sunt omnia corpora naturalia, & sensibilia. Sed mundus dicitur vnus vnitate aggregationis, & ordinis, prout componitur ex pluribus ad vnum primum ordinem habentibus, ex quo sequitur quòd mundus non habet vnam formam substantialem à qua dici possit compositum per se vnum. quę nam ergo erit ista forma materialis quæ est mundi forma, cum non sit forma substantialis? Respondetur, quòd est forma accidentalis, & ista à nonnullis dicitur esse ordo, & non immeritò, quia si omnia corpora naturalia reperirentur, nullumque ordinem haberent, ita vt ignis poneretur in medio, & terra sursum, non esset mundus, quare ordo corporum naturalium mundum componentium mundi forma dici potest. Nos autem dicimus, quòd figura sphcrica est mundi forma, de qua verificatur quòd plurificabilis sit, & quòd aliud est esse secundum se ab eo quod habet in materia, ita vt Mũdus ex materia & forma, ita definiri queat, Mundus est corpus compositum ex omnibus corporibus sensibilibus & naturalibus, sphcrica figura contentum: corpora enim naturalia sunt materia, sphericitas autem forma, quod si quis dicat, vt dicunt quidam imperiti moderni Aristotelem per mundi formam intelligere formam substantialem, non quidem mundi propriam à qua habeat esse, sed omnes formas substantiales corporum naturalium, ex quibus componitur mundus, id omnino reijciendum est, quia ea attributa quæ ab Arist. attribuuntur formæ mundi, vt quòd ei non repugnet plurificari in plura numero, & quòd eius esse contrahatur, & diminuatur ex eo quod est mixta cum materia, non conueniunt formis omnium corporum naturalium, & sensibilium, ex quibus mundus componitur: licet enim formis corruptibilum illa attributa conueniant, de formis tamẽ corporum cælestium verificari non possunt, quia cum abstractę sint, neque secundum numerum plurificari possunt, neque per esse in materia contrahuntur, igitur forma mundi non accipitur pro omnibus formis corporum naturalium, ex quibus mundus ipse componitur, & hęc satis.

Per quid forma materialis sit vna numero.

C*VM superius per quid forma materialis plurificabilis sit explicatum fuerit, non erit ab re hoc in loco per quid sit vna numero dilucidemus. Zimara huius fuit sententiæ, quòd forma materialis est vna numerò seipsa, nec suæ vnitatis alia assignanda causa est à suamet essentia. quã sententiam primo probauit ex Aristotelis authoritate* 8. *Met. vltimo, vbi habet, quòd simplicia scipsis sunt formaliter vnum, & ens, nec alia in eis est inquirenda causa à propria eorum natura: secundo eam confirmauit ex*

uit ex Auerrois authoritate 3.Phis.68.vbi inquit, omnis res est vna per suam formam,forma verò est indiuisibilis,hoc est vna per se. potest etiam hac ratione confirmari,forma duplex habet esse extra animam, & in anima.primum quidem habet ex se formaliter non ab alio nisi effectiuè, quoniam de potentia ad actum educi non potest nisi beneficio agẽtis, alterum verò habet ab anima:et quoniam vnitas numeralis conuenit formæ vt habet esse reale,& extra animam, quoniam omne quod extra animam vnũ numero est,idcirco sicut non est assignare causam quare sit ens reale, ita non est assignare causam diuersam à sua essentia quare sit vna, & quia vniuersalitas competit ei vt in Anima,ideo à quo habet vt sit in Anima, ab eodem habet vt sit vniuersalis.itaque quærenda est causa per quam sit vniuersalis,et assignatur intellectus:nõ est autẽ quærẽda aliqua causa quare forma sit numero vna alia à sua essentia.Sed ista opinio falsa est,qa vt patet ex Aristo.primo Cę.93.& 94.forma est vna numero,quia materia est vna:si enim inquit ex omnibus carnibus fieret vna tantum numero caro,vna tantum eßet numero forma & non plures, & ista ratio sumpta à materia est per causam,ut notauit Auerro. in Cõment. 95. igitur forma non est una numero seipsa,sed per causam extrinsecam: quòd si forma esset una numero seipsa,tunc Philosophus assignans unitatis numeralis formæ materiam pro causa assignasset,non causam pro causa. præterea forma materialis ex se communicabilis est in plura numero, igitur ex seipsa non potest esse numero una: antecedens patet ex superioribus, probatur consequentia,quia uni et eidem naturæ opposita per se conuenire non possunt.sed esse communicabile,& esse unum numero sunt opposita,quoniam esse unum numero est esse incommunicabile in plura, igitur formæ per se conuenire non possunt:cum igitur forma ex seipsa communicabilis sit,ergo ex seipsa non potest esse numero una, & incommunicabilis. sed uide quid respondeat uir iste. inquit enim, quòd forma communis est ex se communicabilis in plura,& hæc non est ex se una numero,sed forma singularis dicitur esse ex se una numero, & propterea non sequitur quod uni & eidem per se conueniant opposita.Sed hæc figmenta sunt, & mere nugæ. nam quæso per quid forma communis contrahitur ad esse singulare, aut ex seipsa,aut per aliquod additum suæ naturæ? non primo, quoniam idem non poteſt eſſe contrahens & contrahibile,diuidens & diuisum: ergo contrahetur per aliquod additum suæ naturæ, quod etiam Aristotelis verba confirmant primo cę.92. dicentis, quòd cum duplex sit ratio formæ, alia quidem formæ vt forma, alia verò formæ vt in materia est, forma nòn redditur singularis & incommunicabilis per rationem formæ, quia per

rationem

rationem formæ communicabilis est in plura, & per eandem rationem non potest contrahi ad oppositum, sed redditur singularis, vt in materia; vnde inquit, differunt circulus, & hic circulus, quoniam circulus forma est, hic autem circulus forma est cum materia: iam verò per quid forma redditur incommunicabilis, & singularis per idem redditur vna numero, atqui singularis redditur nō ex se, sed per aliquod diuersum à sua natura, igitur non ex se, sed per aliquod diuersum redditur vna numero, & in hoc immorari superfluum est.

Dilucidatio.

PAtefaciam ego sententiam meam his conclusionibus, quarum prima est, si loquamur de vnitate entis quæ eadem est cum essentia rei, & ut inquit Auer. 3. disp. in Algaz. fol. 14. dubij non dicit supra rei essentiam aliquod additum, sicut dicit albedo in ente, sed priuationem diuisionis in entitate tantum, forma seipsa est vna, & non per aliquod additum suę naturæ, quia sicut seipsa, & non alio est formaliter ens, ita etiam seipsa est formaliter vna, nec huius vnitatis alia est assignanda causa, quàm suamet essentia. Altera conclusio, si loquamur de vnitate numerali quæ ab illa maximè diuersa est, quia hæc accidens est, & supra rem addit dispositionē accidentalem, vtpotè in diuisionem & diuisionem accidentalem, forma non est vna numero seipsa, sed per aliquod diuersum à sua essentia, vt per materiam non quidem præcisè sumptam, sed quatenus signata est, dispositionibusque affecta, vnde seclusa materia signata forma non manet amplius vna vnitate numerali, sed tantum vnitate entis, & ideo quęrenda est causa vnitatis numeralis ipsius, & assignatur materia, licet modo aliquo concurrat etiam respectus ad agens, non tamen est quærenda causa vnitatis entis alia à sua essentia: hinc te colligere velim communem illam propositionem falsam esse, quam plurimi comprobant Philosophi, quod materia est vna numero positiuè per formam substantialem dantem sibi vnitatem numeralem, cum potius res econtra sese habeat, quòd forma substantialis est vna numero per materiam signatam, & in illo priori quo materia formam substantialem antecedit proprijs dispositionibus affecta, est singularis, & indiuidua, siquidem mediantibus illis ante aduentum formæ, communis materiæ gradum egressa est, quibus ita constitutis, obiecta in oppositum facilè diluuntur: & ad primum dicimus, quòd Arist. 8. meth. vltimo intelligit de vnitate entis, quia sicut simplicia seipsis sunt formaliter entia, ita etiam seipsis sunt formaliter vnum ea vnitate quæ consequitur

sequitur ad essentiam rei: composita vero quoniam habent causam suæ substantiæ, habent quoque causam suæ vnitatis. ad Auerrois authoritatem dicimus, quòd si Auerroes intelligit de vnitate entis, conceditur, nec officit nostræ sententiæ: si verò intelligit de vnitate numerali à vero peripatetico inficianda est. Ad rationem autem ita respondetur, quòd ista vniuersalitas, communicabilitas, vnitas entis, & vnitas numeralis, vel singularitas non eodem modo sese habent ad ipsam formam, quoniam vniuersalitas non competit ipsi formæ secundum esse reale extra animam, sed per intellectum, vt habetur tertio de Anima 18. qui abstrahens formam à conditionibus materiæ quod nil aliud est nisi intelligere formam non intelligendo materiæ conditiones, reddit ipsam vniuersalem, ipsamque hoc modo perinde ac lumen irradiat, & materiæ conditiones, quæ perinde ac tenebræ impedimento erant, quo minus intelligeretur, depellit ut suo loco declarabitur: communicabilitas autem vnitas entis, & vnitas numeralis conueniunt formæ secundum esse extra animam, sed diuersimodè. quoniam communicabilitas in plura, & vnitas entis conueniunt ipsi formæ ex se, vnitas autem numeralis non conuenit formæ ex se, vel per aliquod contrahens ipsam, tunc ad argumentum dicimus quòd cum vniuersalitas non conueniat formæ nisi per intellectum, ideò quęrenda est causa huius, & assignatur intellectus: communicabilitas autem & vnitas entis conueniunt formæ ex se, & ideo non est quęrenda causa horum alia ab essentia formæ. Vnitas autem numeralis & singularitas licet conueniant formæ secundum esse extra animam, non tamen conueniunt ei ex se, sed per aliquod extrinsecum, vnde non valet vnitas numeralis conuenit formæ vt habet esse extra animam, igitur ex se. quoniam non omne quod conuenit re secundum esse extra animam conuenit ei ex se, sed aliqua ex se, aliqua uerò per aliquod extrinsecum.

Qua uia probetur corpora naturalia composita esse ex materia, & forma.

CVm superius declaratum fuerit qua via corpora simplicia esse, pariterque ex pluribus corporibus mixta dignoscatur, nunc qua via corporum naturalium compositio ex materia, & forma cognita sit, considerandum est. quod satè declarantes dicimus, quod corporum naturalium compositio ex materia, & forma per mutationem, & motum ab Aristotel. cognita fuit. Verum quia corpora naturalia duum generum sunt, alia enim sunt corruptibilia, & caduca, alia verò sempiterna, vt cœlestia

stia corpora, huiusmodi compositio in vtrisque non per eandem speciem motus cognita fuit: in corruptibilibus enim per mutationem in substantia cognita fuit. in corporibus autem cælestibus per motum localem, vt etiam testatum reliquit Auer. sub initium primi cap. de sub. orb. vbi ita inquit, Determinatum est enim corpus cęleste componi ex duabus naturis, sicut generabilia, et corruptibilia, sed tamen in istis declaratum est has duas naturas esse per generationem, in cęlestibus verò per motum localem. Cęterum illud considerandum est, vbi, & quomodo per mutationem in substantia corporum corruptibilium compositio inuenta est, & vbi, & quomodo corporum cęlestium per motum localem. porrò corporum corruptibilium compositio ex materia et forma ab Arist. primo phis. cognita fuit, modus autem ille fuit: demonstraturus enim Aristoteles numerum principiorum in contex. 41. illam enunciationem accepit, quòd principia eorũ quæ fiunt sunt contraria, quam sanè & communi priscorum consensu, & ratione comprobauit. verum quia vnum contrarium alterum contrarium recipere minimè potest, in contex. 51. præter principia contraria tertium dari oportere probauit quod recipiat contraria, hoc autem materia est, quamobrem tria erunt principia duo contra, & vnum subiectum quod subijcitur contrarijs. Ex qua via illud ẽt demonstratur theorema, ꝙ omne corpus naturale fit, & generatur interuentu materiæ formæ, & priuationis, quia si in omni mutatione principia contraria reperiuntur vt priuatio, & forma, et pręter hęc quia vnum reliquum recipere minimè potest. requiritur etiam materia, igitur omne corpus naturale generatur interuẽtu priuationis, formæ, & materiæ: sed quoniam accedente forma priuatio corrumpitur, cum simul stare non ualeant, & materia manet, quæ in sui gremio aduenientem suscipit formam, igitur in omni corpore naturali quod generatur manent materia, & forma, & consequenter corpus naturale componitur ex materia, & forma: vnde corporum corruptibilium compositio ex his propositionibus deducitur. prima est, quòd in omni mutatione principia contraria reperiuntur, vt priuatio, & forma: secunda est, quòd vnum contrarium non recipit alterum cõtrarium, & ex hac deducitur materia: tertia, quòd accedente forma priuatio corrumpitur, & materia manet recipiens formam, hinc deducitur in omni corpore naturali quod generatur manere materiam & formam, & per consequens componi ex materia, & forma. hinc sequitur, quod talium corporum compositio ex materia, & forma præsupponit cognitionem, & inuentionem principiorum, atque cognitio principiorum naturalium necessaria est ei qui corpora naturalia composita esse ex materia, & forma cogniturus est. & proinde Philosophus primo

mo

mo Phis.contex.64.post principiorum inuentionem collegit corpus natu rale quod generatur compositum esse, dicens, quare ex dictis manifestum est omne quod fit semper compositum esse, unde Theophrasti sententia reijcienda est, qui principia rerum naturalium probauit ex eo, quòd corpora naturalia composita sunt, cum tamen res econtra se habeat, quòd ex inuentione, & notitia principiorum corpora naturalia composita esse ostendatur. nunc verò secundum explicemus, vbi, & quomodo per motum localem cæleste corpus ex materia & forma compositum esse ab Aristotele ostẽsum fuit. dicimus autem ad hoc, id in octauo Phisicorum libro ab Aristotele hunc in moduum ostensum fuisset, Omne quod mouetur ex se compositum est ex duabus naturis, quarum altera est mouens, & altera mota. celeste corpus ex se mouetur, igitur ex duabus naturis, quarum altera est mouẽs, et altera mota compositum est. sed pars mota materia est, pars mouens est forma, igitur cæleste corpus cõpositum est ex materia, & forma. minor propositio eodem loco demonstrata fuit, maior autem propositio ex his, quæ dicta sunt in eodem libro probatur, vbi dictum est, quòd omne quod mouetur motorem habet, neque idem secundum idem potest esse mouens & motum, quia omne quod mouetur vt potentia est, mouetur: motus enim est actus entis in potentia, & omne quod mouet inquantum est actu mouet. iam verò eidem secundum idem actu & potentia esse non potest, quia oppositæ rationes & differentiæ vni & eidem conuenire non possunt. igitur idem secundum idem nõ potest esse mouens, & motum. itaque cæliste corpus cum ex se moueatur secundum idem non poterit esse mouens & motum, quapropter ex duabus naturis, quarum altera mouens est, & forma: & altera mota est, & materia compositum esse necesse est. quo discursu vsus etiam est Auerro. sub initium primi cap. de subst. orb. quo in loco de naturis ex quibus cæleste corpus componitur, pertractaturus anteà (vt par erat) cæleste corpus ex duabus naturis tanquam ex materia & forma compositum esse ostendit: quamobrem corpora naturalia composita esse ex materia & forma per mutationem & motum ostenditur, corruptibilia quidem per mutationem in substantia, cælestia vero per motum localem. ex quibus illud consequitur, quod aduersus Auicennã demõstrauit Auerroes primo Phis. comm. vltimo, et cum eo tenuit Simp. eodem libro com. primo, quòd demonstrare corpora naturalia composita esse ex materia & forma, nõ ad Metaphisicũ attinet, sed ad Philosophum naturalem, quia cum corpora naturalia composita esse per motum demonstretur, motus autem sit medium naturale, igitur spectat ad Philosophum naturalem. Scientia enim & Demonstratio medij naturam insequuntur,

vt plerisque in locis declarauit Arist. & præsertim primo rethor. cap. 2. sub finem, vbi format consequentiam istam, si rethorica demonstraret aliquam conclusionem rethoricam per medium poeticum, aut naturale, non erit amplius rethorica, sed illa per cuius medium demonstrat, aut poetica, aut naturalis: quæ consequentia ex eo necessitatem hẽt quia scientia sequitur naturam medij, & scientia, & demonstratio tales esse dicuntur quale est medium, & ideò valet Aristotelis consequentia, si rethorica demonstraret aliquam conclusionẽ rethoricam per medium alterius scientiæ, non erit amplius rethorica, sed illa per cuius medium demonstrat. quem Aristotelis locum cupio vt diligenter obseruent studiosi propter quorundam modernorum ignauiam, qui dicere nõ erubescunt, quòd aliqua demonstratio probat aliquam per medium naturale, non tamen demonstratio illa est naturalis, nec attinet ad naturalem, sed demonstratio illa insequitur naturam problematis, & quæsiti, sicut est de demonstratione illa qua probatur genus abstractorum esse per motum æternum: hæc enim, inquiunt, procedit per medium naturale nempè per motum, non tamẽ demõstratio est naturalis, sed metaphisica rõne quæsiti quod demonstratur, hoc autem est abstractum esse, quod quidem est secundum ipsos quæsitum metaphisicum, non autem naturale. quorum quidem sententia ridicula est; nã si hoc verum esset, Aristotelis ratio statim collaberetur. nam dum inquit, si rethorica demonstraret aliquam conclusionem rethoricam per principia & media alterius scientiæ, vtpote per medium naturale, non erit amplius rethorica, sed illa per cuius media demonstrabit: negabitur consequẽtia, quia dicam, quòd licet rethorica demonstret aliquam conclusionem rethoricam per medium alterius scientiæ, vt per medium naturale, non erit naturalis, sed erit rethorica ratione quæsiti, & conclusionis quæ demonstratur quæ rethorica est. Sicut dicunt boni isti philosophi quod scientia illa quæ demonstrat genus abstractorum esse per medium naturale, non est naturalis, sed est metaphisica ratione illius quod demonstratur, quod est abstractum esse, quod de ipsorum sententia est quæsitum metaphisicum: si ergo Aristotelis ratio consistere debet, dicendũ est, & à quouis resolutè tenendum, quòd demonstratio semper insequitur naturam medij. cum ergo corporum naturalium compositio demonstretur per mediũ naturale, huiusmodi demonstratio erit naturalis, & per consequens id attinebit ad Philosophum naturalẽ. Sed fortè ad hoc dicent alij, quòd corporum compositio demonstratur per mutationem, & motum, sed hoc non solum est medium naturale, sed etiam est medium metaphisicum, quoniam motus à Metafisico quoque consideratur, & proinde talis compositio à

metaphisico et demonstrari potest. minus à vero declinant isti quàm alij, sed nec horũ sententia satisfacit, quia tametsi motus à metafisico considetur, tamen vt à metaphisico cõsideratur medium esse nõ potest per quod corporum naturalium compositio demonstrari queat. probatur, quia metafisicus considerat ens inquantum ens, & omnia sub ratione vniuersali, vt legitur quarto Met. & sexto vtrobiq; contex. primo. igitur considerat motum vt ens est, & sub ratione vniuersali, omnia enim sub eadem ratione formali in eadẽ scientia considerantur: iã verò motus per rationẽ formalẽ entis vt ens quod est obiectum metaf. non potest intellectus duci in notitiã huius conclusionis, vtpote compositionis ex materia & forma, igitur motus vt à metafisico consideratur, mediũ esse nequit ad demonstrandum cõclusionem istam. probatur minor, quia ratio entis communis est simplicibus & compositis, igitur mediũ esse non potest ad probandum rerum compositionem: adde quòd non solũ motus, sed vnumquodq; aliud quod à Metafisico consideratur, quod participat rationem entis medium esse posset ad probandũ corpora naturalia composita esse ex materia & forma, quod tamen communiter inficiantur. concluditur ergo, quòd corpora naturalia cõposita esse ex materia & forma demonstratur per mutationem & motũ inquantum medium naturale, & per consequens hanc conclusionem probare solum attinet ad Philosophum naturalem, quod erat probandum.

Quæcunquè sunt præter materiam primam, & vltimam formam sunt materiæ compositæ, & formæ compositæ.

TAmetsi propositum meum non sit Auerrois dicta perpendere, quia tamen sententia hæc, quæ primo physi. ab ipso scribitur cõmentario primo animaduersione digna est neque silentio inuoluẽda. pręcipuè quoad secundam eius partem, eam explicandam lubenter suscepi, in qua sanè explicanda duo considerabo, primo quidem quid per materiam primam vltimamq; formam intelligatur. secundo quæ sint materiæ compositę, & formæ compositæ, quoad primum, quid per materiã primam intelligatur vsq; adeò perspectum est vt explicatione non egeat, sed quid per vltimam formam ipse intelligat dubium est & apud eius interpretes satis controuersum, vt autem huius rei verus intellectus habeatur, aliorumq; patet error primum verba ipsius Auerrois propono quæ huiusmodi sunt [& intẽdit ut mihi uidetur causas existentes in re primas nõ cõpositas, & sunt prima materia, & ultima forma, quæ enim sunt præter primã materiã, et vltimam formam cuiuslibet rerum naturalium sunt materię compositę,

& formæ compositę]ex quibus verbis vnusquisq; facile intelligere potest Ioannem bacc. grauiter hallucinari,qui per vltimam formam Deum opt. Auerroem intelligere arbitratur.cum tamen Auerroes per primam materiam,& vltimam formam causas simplices in qualibet re naturali existentes intelligat.certum autem est Deum opt. rerum naturalium internā causam non esse,sed externam:itaque nomine vltimæ formæ Deus opt.intelligi nequit. ex quibus etiam verbis liquidò constat neque Zimaram Auerroem intellexisse:quippe qui in tabula dictione (quæcunque)per vltimam formam Auerroem formam mixti intelligere arbitratur.nam (sicut inquit)per primam materiam compositione primam intelligit.ita per vltimam formam postremam vltimamque compositionē intelligit, quæ simplex dicitur,quoniam solum formę rationem habet, non autem materiæ,cum posteriorem formam non habeat,ad quam ordinetur respectu cuius materia dici possit. subtilis quippe expositio hæc est, sed ab Auerroe maximè aliena siquidem per vltimam formam eam intelligit, quæ in qualibet re naturali adinuenitur, & a qua vna cum prima materia naturalis scientia auspicatur.iam verò proxima forma mixti nec in quavis re naturali adinuenitur, quia elementis non inest, nec ab ipsa naturalis scientia exorditur,quinimmò doctrinę ordine postrema est,ad quam naturalis sciētia progreditur. Quare per vltimam formam mixti forma ab Auerroe minimè intelligitur,neque Auerrois mentem assecuti sunt illi,qui per vltimam formam Auerroem elementorum formā intelligere arbitrati sunt, quæ vltima est in resolutione, siquidem Auerroes per vltimam formam intelligit eam,à qua in naturali philosophia auspicandum est. Certum est autem,quod in pertractandis rerum naturalium principijs naturalis scientia à formis elementorum non auspicatur, non enim Aristoteles in libris de physico auditu,qui primi, & vniuersales sunt,à forma elementorum exorditur. itaque per vltimam formam neque elementorum forma ab Auerroe intelligitur:ea propter verius dicendum est Auerroem per vltimam formam nil aliud intelligere nisi formam communem, & vniuersalem,quoniam sicuti per materiam primam eam intelligit,quæ rerum naturalium commune subiectum est, ita per vltimam formam vniuersalem formam communi materiæ correspondentem intelligit,nec arbitretur aliquis per formam communem formam illam quam corporeitatis vocant de prædicamento substantiæ materiam coeternam me intelligere. siquidē hanc minimè probo.quinimò vt nulli vsui accommodatam penitus reijcio, sed per formam communem eam intelligo, quæ omnibus formarum speciebus commune genus existit, quod ope intellectus ab omnibus formis abstra-

abstrahitur, sicuti natura communis animalis ab omnibus speciebus animalis, & de hac forma communi verba commentatoris veritatem habēt. enimuerò forma communis causa intrinseca est, & in quauis substantia naturali adinuenitur, atque ab ea naturalis scientia exorditur. in libris enim physicorum sicuti communis materia definiturità & forma communis secundo Physicorum contex. 28. definitur, cum inquit forma est, quòd quid est, quæ sanè forma, & elementis & mixtis communis est. Hæc autem communis forma vltima dicitur in resolutione, quoniam omnes aliæ species formæ in communem formam resoluuntur, communis autem forma in vlteriorem formæ gradū resolui non potest, & ideo simplex forma ab Auerroe nuncupatur, sicuti & materia prima simplex dicitur, quoniam cętera vt semen, & elementa in materiam primam resoluuntur. Hęc autem in aliam materiam resolui non potest, & hæc de primo, nunc ad secundam Theorematis partem deuenio.

Quæ sint materiæ compositæ & formæ compositę.

SEcunda hæc pars magis dubia, & perdifficilis est. nam licet in quibusdam satis conspicuum sit, materiam compositam esse materiam secundam, quæ aggregatum quoddam est ex materia & forma, vt elementa, quę mixtorum materia proxima sunt, quæue materiæ compositæ dicuntur: quoniam materiæ & formæ compositionem includunt, nec non, & semen, quod materia proxima est ipsorum animantium: dubium tamen est, quę sit materia composita in elementis; cum in his solum materia prima, vnicaue & simplex forma reperiatur, nec dici potest, in his materiam compositam non reperiri, cum id veritati, & Auerroi maximè aduersetur. qui inquit in qualibet re naturali materiam compositam, formamue cōpositam adinueniri, ac proindè non solùm in mixtis, sed etiam elementis materiam compositam inesse, ea propter dicendum est, etiam in elementis materiam compositam reperiri: sed vt res ista perspicua fiat, animaduertendum est, materiam compositam eam esse, quæ à materia prima contradistinguitur; quoniam Auerroes inquit, quæ sunt præter primam materiam sunt materiæ compositæ, iam verò materia prima communis materia est, indifferensque ad omnes formas. igitur materia composita, materia proxima, & propria rerum naturalium est. cęterum materia propinqua bif. composita dici potest, vno modo ex materia, & forma substantiali, proprijsque dispositionibus, alio modo ex materia prima, & proprijs dispositionibus tantum, quibus materia prima cohibetur, propriaque efficitur

ad

ad hanc, & illam formam suscipiendam, primo quidē modo in mixtis adin uenitur, nam quatuor elementa, quę mixtorum proxima materia sunt cō-posita sunt ex materia, & forma substantiali, proprijsq; dispositionibus quibus propria fit huius, & illius mixti materia. secundo autem modo in elementis reperitur, enimuerò materia prima propijs dispositionibus affecta quæ propinqua est elementorum materia composita est ex materia prima proprijsque dispositionibus unicuique elemento conuenientibus, & huiusmodi aggregatum materia composita dicitur: ex aduerso autem materia prima vt indifferens est, omnibusue formis communis: quoniam neque formam substantialem vllam includit, aut dispositionem propriā simplex materia appellatur. nunc autem quę sint formæ compositæ, & quomodo explicandū est. Zimara loco superius citato formas compositas esse inquit formas omnes præcedentes vltimam mixti formam: nam sicuti proxima forma mixti vltima forma, simplexue ab Auerroe nuncupatur, ità formæ omnes pręter vltimam mixti formam compositæ formę dici debēt, sicuti sunt formæ elementorum respectu animæ vegetalis, & hæc respectu animæ sentientis: priores autem formæ respectu posterioris compositæ quidem dicuntur non quidem re: quoniam omnes simplices sunt, sed secundum denominationem: quia scilicet duplicem respectum habent. Nam respectu materię, cuius sunt perfectiones, actus, & formæ dicuntur: respectu autē formæ posterioris materiæ appellantur: enimuerò hic naturæ ordo est, vt perfectiora uicem formæ, imperfectiora vero materiæ vicem gerant: quoniam itaq; huiusmodi formæ duplicem respectum habent, proinde cōpositæ dicuntur, vltima verò forma mixti. quoniam vnum tantum respectum habet, vtpotè ad materiam, pręcedentesq; formas: ad posteriorē autem formam ordinē non habet, respectu cuius materia dici possit: proinde simplex forma dicitur. Hæc Zimara subtilis porrò, ut inquit ipse, sua est hæc expositio: sed Auerroi minimè consentanea. nam per formas compositas illæ intelligendę sunt, quę ab vltima forma contradistinguuntur: quoniam Auerroes ait quæcunq; sunt præter vltimā formam compositę formæ sunt. iam verò, vt superius ostensum fuit per vltimā formam proxima mixti forma non intelligitur. igitur per formas compositas formæ præcedentes mixti formā intelligi minimè possint. iccircò quidā alij Auerrois interpretes arbitrati sunt per formas cōpositas omnes alias, quæ elemētorum formas insequuntur intelligendas esse: sicuti sunt formæ mixtorum: nā sicut, inquiunt, per vltimā formam elementorum formas intelligit, quæ vltimæ in resolutione sunt, ità per formas cōpositas mixtorum formę ab ipso intelliguntur, quæ sanè respectu formarum elementorum compositæ

dicuntur

dicuntur non quidem re, sed vt loquuntur ipsi, ex præsuppositione, quia scilicet mixtorum formæ elementorum formas præsupponunt, & hac de causa compositæ quodammodo dici possunt; sed ne ista expositio recta est, & eadem ratione reijcitur, qua Zimaræ sententia reiecta fuit. siquidem per formas compositas illæ intelligi debent, quæ ab vltima forma contra distinctæ sunt: iam verò per vltimam formam elementorum formæ ab Auerroe non intelliguntur. igitur per formas compositas posteriores mixtorum formæ intelligi non possunt. quamobrem mea sententia multo verius secundum Auerroem dicendum est, quod etiam Aristoteli maximè consonum est per formas compositas omnes formarum species intelligendas esse. nam sicuti Auerroes per vltimam formam communem, vniuersalemque intelligit, ita per formas compositas, quæ ab illa contra distinctæ sunt omnes formarum species intelligi debent, vt sunt elementorum formæ inanimatorumque, & animantium omnium, quę compositę dicuntur, non quidem realiter: quia quælibet simplex est, sed secundum rationem. siquidem omnes formarum species sub ratione formæ, tanquā sub communi quadam natura conueniunt. enimuerò forma ignis forma est, similiterque forma hominis, aliorumque animantium: sed quoniam formarum species inter se discretę sunt, vt forma ignis à forma aquæ, & forma hominis à forma equi, ea propter ex natura generis, in quo conueniunt, & natura differentiæ constare dicuntur. quoniam verò Natura generis à specie re ipsa non differt, neque differentiæ, quibus discretæ sunt ab essentia huius, & illius formæ re ipsa distinguuntur, cum non per aliquod additum ab earum essentia distinguantur: sed ex seipsis, internaque earum natura, vt octauo metaf. contex. vltimo Aristo. declarauit, iccirco huiusmodi formæ secundum rationem, vt ex ratione generis, & differentiæ compositæ dicuntur. forma verò communis, quæ vltima ab Auerroe nuncupatur; quoniam vlteriorem, communioremque formam non habet, in quam resoluatur; ob id simplex esse dicitur, & hæc germana est Auerrois sententia Aristoteli maximè consentanea, & hęc satis.

Actus

Actus est qui separat, & qui distinguit,

Locus est Aristotelis 7. Met. 49. à plurimis malè intellectus, arbitrati sunt enim propositionem intelligi tam de distinctione numerali, quàm specifica: si quidem voluerunt indiuidua eiusdem speciei per substantialem formam distingui, & hinc deduxerunt indiuidua per formam quò ad esse singulare, & indiuiduum constitui. sed horum sententia quò ad distinctionem numeralem ab Arist. recedit, quòd ex ipsomet Arist. probatur, & in primis ex 7 Met. 28. ibi ponit conclusionem cum ratione dicens, Socrates & Callias propter materiam distinguuntur, quoniam forma non diuiditur. perpendo rationem hanc ab Arist. quòd ideò Socrates & Callias propter materiam differunt, quoniam forma non diuiditur: aut enim intelligit quòd forma non diuiditur in plura, & diuersa secundum speciem, vt multi exponunt, aut quòd non diuiditur in plura & diuersa numero: primum quidem dici non potest, quoniam ex hoc quòd forma specifica in plura & diuersa secundum speciem non potest, haud inferri potest, quòd Socrates & Callias propter materiam distinguntur, quia dicam, quòd licet forma indiuidua sit in plures secundum speciem, est tamen diuidua in plura & diuersa numero, & proinde Socr. & Callias non sunt diuersi propter materiam, sed propter formam, quæ in plura numero diuidua est: ergo intelligi debet secundo modo, quòd scilicet ex se indiuidua sit in plura numero, & tunc aut intelligitur secundum aptitudinem, aut secundum actum: non primo, quoniam forma materialis ex se communicabilis est vt vnà cum Aristo. testatum reliquit Auer. primo Cę. 92. intelligitur ergo secundo modo, videlicet quòd forma specifica secundum actum ex se in plura numero indiuidua est, & non diuiditur nisi per materiæ diuersitatē, vndè postea ex hoc infertur, igitur Socrates & Callias non distinguntur numero propter formam, sed propter materiam: nam si essent differentes propter formam, necessariò formæ essent diuersæ, atque diuisę, sed non sunt actu diuisæ, neque diuersæ nisi propter materiam. igitur indiuidua eiusdem speciei non sunt diuersa propter formam, sed propter materiam, & hic est verus huius rationis sensus, quem præ cæteris assecutus fuit Aphr. Alexander primo de Anima cap. de intellectu in habitu, vbi hæc scribit ad verbum, Quippè singularium hominum differentia à materia proficiscitur. & reddens rationem inquit: formę enim per quas sunt homines nullam inter se differentiam habere cernuntur, sed vult dicere per materiam habent: vult ergo Alexand. quòd diuersitas numeralis compositorum, &

formarum

formarum ad materiam reducatur. prętereà eundem quoque Aristotelem adduco decimo Met 2) . vbi inquit, quòd ideò aliqua differunt specie, quia eorum differentia sumitur à forma: aliqua verò non differunt specie, sed numero, quia eorum differentia sumitur à materia, & ex hoc subindè declarauit, quod masculus, & fęmina non distinguntur specie, sed numero, quoniam eorum differentia sumitur à materia. eandem quoque sententiam habet Arist, primo Cęl 94. vbi apertissimè inquit, quòd formæ sunt plures, et numero diuersæ, quia materiæ sunt diuersæ, & ablata materierum diuersitate, tolleretur diuersitas numeralis formarum, & compositorum, & tandem vbicumque Philosophus loquitur de diuersitate numerali siuè formarum, siuè compositorum, semper assignat materiam pro causa, & nunquã formam, nec profectò assignare potuit, & ratio ea est, si Aristotelis fundamentum attingere velimus, quia cum differentia ex diuisione causetur, diuisio verò alia sit essentialis secundum quòd vna forma diuiditur contra formam, vt albedo contra nigredinem, & talis diuisio facit differentiam essentialem, & quiditatiuam: alia verò sit diuisio numeralis, quę quidem diuisio ex hoc est, quia ipsa quiditas diuiditur, & numeratur infra se, non contra aliam quiditatem, cum autem quiditas ipsa de se sit vna, & indiuisa, oportet quòd si numeratur, ipsa numeretur per aliquod additum formæ, & quiditati, & ità diuisio, & differentia numeralis necessariò est per aliquod additum quiditati, hoc autem materia est: igitur differentia numeralis à materia proficiscitur.

Dilucidatio.

PRAESENS itaque propositio intelligitur solum de distinctione specifica: huius enim radix & causa actus est, & forma substantialis: sed animaduerte, quod intelligitur in compositis, & differentibus: hæc enim, vt inquit Philosophus. 10. Met. 12. per. alind distinguntur, in his autem quæ sunt primo diuersa, vt sunt simplicia propositio minimè intelligitur, quoniam simplicia seipsis, & non per alium actum essentialiter distinguntur, sicut sunt materia, & forma, & similiter duæ formæ specie distinctæ. Sed vt res ista fiat vndequaque conspicua, animaduertant studiosi, quod quidem à paucis explicatum est, actus, & forma substantialis est radix & origo distinctionis specificæ compositorum: hæc enim per formas specie distinguntur, & propriè differentia nũcupãtur: formæ verò secundum speciem diuersæ seipsis. & ab intrinseco distinctæ sunt, & potius dicuntur primo diuersæ, quàm differentes: materiæ enim diuersas secundum

dum speciem formas habentes, non sunt causa diuersitatis specificæ ipsarum formarum, sed signum, vt benè dixit Auer. octauo Phisi. 46. Materia verò signata est prima, & principalis causa diuersitatis numeralis, dico quidem signata, quoniam materia præcisè, & secundum se sumpta non est causa distinctionis, sed vt signata est, vtpote quantitate cæterisque dispositionibus affecta: per hanc enim composita, pariter & formæ numero distinguntur. Materiæ verò signatæ seipsis distinguntur. & potius primo diuersæ quàm differentes dici debent. vnde quia distinctio specifica à forma proficiscitur, distinctio verò numeralis à materia signata, illa formalis, hæc verò materialis distinctio nuncupatur, & hunc in modum hæ duæ naturæ sibi hæreditatē diuiserūt. Sed circa dicta pulchra occurrit dubitatio, quia falsum eße videtur, ꝙ materia sit cā diuersitatis numeralis in forma, quia sicut materia est propter formam, & non forma propter materiam, vt inquit Aristotel. secundo Phisico. 91. ita diuersitas materiæ videtur esse propter diuersitatem formæ, non autem diuersitas formę propter diuersitatem materiæ, quod etiam dicere visus est Auer. 2. de Anima 60. vbi inquit, quod melius est existimare diuersitatem formæ causam esse diuersitatis materiæ, quàm econtra: Zimara quoniam nesciuit sese ab hoc laqueo explicare, ob id voluit distinctionem numeralem præcipuè magis conuenire composito per formam, quàm per materiam: ego verò instantiam ita persoluendam existimo, quòd sicuti materia est propter formam, tanquam propter finem, ita diuersitas materiæ est propter diuersitatem formæ tanquam propter finem: forma enim cum sit id cuius gratia, & finis ad quem ordinatur materia imponit necessitatem materiæ, vt secundum exigentiam formæ disponatur, conditionemque recipiat. cum autem forma sit apta nata plurificari, operępretium fuit materiam ipsam plurificari, et in diuersas partes diuidi, ex cuius diuersitate aptitudo formæ ad multitudinem & diuersitatem numeralem ad actum deducitur, vnde forma dicitur esse causa diuersitatis numeralis materiæ in genere causæ finalis: materia vero signata prout est in partes diuisa est tanquam ratio formalis diuersitatis numeralis in forma, sicut à simili forma dicitur esse causa extensionis materiæ, non quia ipsi materiæ extensionem tribuat, quia hoc materia inest beneficio quantitatis, sed in genere causæ finalis: quia enim forma materialis est apta nata extendi, operæpretium fuit materiā ipsam extendi, qua ità per quantitatem extensa, formam substantialem eductam ex ea ad actum extensionis deducit: & hæc est vera argumenti solutio, & si hoc pacto intellexit Auer. bene dixit, sin minus ab Aristotele dissentit.

An secluso quolibet accidente substantia materialis sit singularis, & indiuidua.

PVTAVIT Zimara dari indiuiduum signatum substantiæ secluso quolibet accidente, in hoc vt opinor ab Auer. deceptus secundo de anima Commen. 63. vbi declarans diuersum apprehendendi modum singularis substantiæ ab imaginatiua, & cogitatiua, inquit, quod imaginatiua singularem substãtiam apprehendit coniunctam cum sensibilibus communibus, & proprijs: cogitatiua vero eandem singularem substantiam cognoscit vt separata & spoliata est à sensibilibus communibus, & proprijs, quod etiam repetiuit tertio de Anima 6. dicens, declaratum est enim illic, quòd virtus cogitatiua non est nisi virtus quæ distinguit intentionem rei sensibilis à suo idolo imaginato, quibus locis patet Auerroem voluisse, quod substantia sit singularis & indiuidua secluso quolibet accidente, cum cogitatiua adhuc singularem substantiam cognoscat semotis sensibilibus communibus & proprijs: nam si voluisset substantiam non esse singularem nisi vt coniuncta est cum accidentibus, tunc species substantiæ non representaret indiuiduum nisi coniuncta cum speciebus accidentium, & ità periret operatio cogitatiuæ ab ipso assignata: quod fortè videns Zimara nec illud magis considerans propter Auerrois maiestatem illud recepit atque probauit, sed opinio ista falsa est, nam accipio indiuiduum signatum substantiæ compositum ex materia & forma secluso quolibet accidente, & quæro aut hæc forma occupat totam materiam, aut partem materiæ: non primum, quoniam nullum aliud esset indiuiduum sub eadem specie, vt deducitur ex primo Cæli context. 93. & 94. si secundum, cum materia non habeat, nec intelligi queat habere diuisionem in partes nisi per quantitatem, vt habetur quinto Met. contex. 18. & ex Auerro. primo cap. de substan. orb. vbi inquit, si materia non haberet quantitatem, non esset in partes diuisa, & proindè eodem tempore diuersas formas habere non posset. igitur indiuiduum signatum necessario includit quantitatem & accidens: itaque est repugnantia dicere indiuiduum signatum & ab accidentibus separatum. prętereà multitudo aut est rerum differentium secũdum formam, aut secũdum quantitatem, vt inquit Auerro. primo Phisicorum 6. & habetur etiã ex Aristo. tertio Met. 11. iam verò diuersitas & multitudo indiuiduorum hoc modo consideratorum aut est multitudo rerum differentium secundum formam, aut secundum quantitatem: porrò al-

terum duorum fateri oportet, secus diuisio esset insufficiens: non potest esse multitudo rerum differentium secundum formam, quoniam hæc est multitudo specierum, vt Arist. & Auerro. dicunt citatis locis, igitur erit multitudo rerum differentium secundum quantitatem, ergo vniuersaliter indiuidua signata includunt quantitatem, & accidentia. quod etiam confirmatur ex Aristot. secundo Post. 20. vbi inquit, quòd sub eadem specie multæ sunt differentiæ, sed non secundum substantiam, neque per se, quem locum exponens lucidus interpres Themistius, sic inquit, Primum id non necesse est, omnes differentias sciri, propterea quòd ab accidentibus infinitæ trahi possunt, quibus res sub eadem specie comprehensæ inuicem discernuntur: igitur omnia indiuidua signata sub eadem specie contenta, accidentia secum tenent: alioquin per se & secundum substantiam sub eadem specie distinguerentur. quam veritatem cognouerunt græci interpretes, & in primis Aphrodiseus Alex. primo lib. suæ Pharaphr. de Anima cap. de intellectu in habitu, vbi hæc habet, porrò abdicatis materiæ appendicijs & accidentibus non amplius singularem, sed communem hominem intuemur. similiter Porphirius in lib. Prædicab. ca. de specie, nec non Simp & Ammo. in libro prædicam. concludendum itaque est, quòd indiuidua tam diu indiuidua sunt, quàm diu accidentibus coniuncta sunt, seclusis autem accidentibus non amplius indiuidua sunt, sed vniuersalia, vndè illa Auerrois sententia minimè probanda est, quòd cogitatiua singularem substantiam cognoscat semotis sensibilibus communibus, & proprijs, quoniam semotis sensibilibus materiæque conditionibus non amplius natura illa remanet singularis, sed vniuersalis, quæ non amplius iudicio subijcitur cogitatiuæ, sed intellectus cuius proprium est separare intentionem ab idolo imaginato, quòd falsò ab Auerro. cogitatiuæ ascribitur. Sed cogitatiua duntaxat substantiam cognoscit, quæ cum accidentibus & materiæ conditionibus coniuncta est: neque illud verum est, quòd cogitatiua distinguatur à phantasia, quoniam in secundo de Anima, à contex. 150. vsque ad 160. vbi distinguit intellectum à sensu, deinde phantasiam ab intellectu: tertio autē ostendit qua ratione diuersa sint phantasia à sensu nullam differentiam ponet inter phantasiam & cogitatiuam, cum tamen eo loco earum animæ potentiarum, quæ similiores inter se esse videntur, diligenter varietatem ac discrimen inquirat. Adde quòd si cogitatiua distinguitur à phantasia mediaque est inter phantasiam & intellectum, tunc Aristoteles absoluto sermone de phantasia ad cogitatiuam transire debebat, eiusque naturam declarare. quod tamen non facit, sed habita doctrina de phantasia, statim de intellectu disputationem aggreditur, non itaque secundum Philoso-

losophum cogitatiua à phantasia re ipsa disiungitur, diuersumque habet opus, vt putauit Auerro. & hæc satis.

Cœleste corpus animatum est.

Scribitur propositio hæc ab Ari. 2. cæ. cõt. 13. in cuius explicatione tria consideranda sunt: primum. An cęlum sit animatum: Secundum, qua anima sit animatum: postremum, qua methodo, et uia compertum sit, cęlum animatum esse. Circa primum duo sunt, quæ probare videntur cęlum animatum non esse; primum est. quoniam animatum omne est corpus organicum: siquidem anima, vt 2. de anima cont. 6. docuit Arist. est actus corpori organici, iam verò cęlum organicum non est, vt in explicatione definitionis animæ inferius probabitur: igitur cęlum animatum non est. Alterum fundamentum ab Aristo. desumitur 2. de anima cont. 3. vbi allata corporis naturalis diuisione in corpus viuens, & non viuens, corpus viuẽs describens illud inquit, esse, quod ab interna ui nutritur, & augetur. iam verò cęleste corpus non nutritur, neque augetur: igitur non est corpus viuens, neq; animatum, neq; dici põt, eo loco naturale corpus in viuens, & non viuens Aris. diuidere, quod generabile est. siquidem ibi corpus naturale diuidit, quod à corpore artificioso contradistinguitur; hoc aũt naturale corpus est cõe generabili, & æterno; igitur sub hac partitione cęlum ẽt cõtinetur. cum aũt sub naturali corpore viuente, non contineatur, sub altero igitur cõtinebitur membro, quod est corpus non uiuens, & animatũ, cæterum hæc, quæ hanc Aristotelis sententiam demoliri videntur; facilè dissolui possunt, & ad primum, qui tuentur cęlum organicum esse, facilè ex hoc nodo sese explicarent. cæterum quia id à veritate, & ab Aristotele abhorret, ea propter difficultati secus est occurrendum: dicimus autem non omne corpus animatum organicum esse: siquidem nonnulla reperiuntur corpora, quę animata sunt, & tamen organica non sunt, sicuti cęlum est. quod quidem simplex est, & homogeneum, vt primo cę. contextu 8. ab Aristotele decretum fuit. nam cũ simplici motu circulari moueatur, quippè qui partium varietatem non exposuit, cum corporis Simplicitate absolui potest. vt elementorum exemplo satis patere potest. quò fit, vt corpus animatum, vt animatum est, organicum non sit. sed quod diuersas habet operationes, quę per eandem exerceri non possunt. corpus itaque animatũ aliud simplex, & homogeneum est, aliud verò organicum, partiumque diuersitatem habens, vt corpus animatum caducum, et mortale. Ad aliud autem obiectum respondetur, cęleste corpus sub viuente corpore non contineri,

timeri, quod 2. de anima contextu 3. ab Aristotele definitur: siquidem eo loco corpus viuens non definitur in communi ad omnes vitæ gradus, vt nutriri, sentire, intelligere, & moueri secundum locum. Sed pressius ad vnum vitæ gradum tantum. vtpotè ad gradum nutritionis, & incrementi. qui primus est vitæ gradus. Sed potius sub altero membro illius diuisionis continetur, videlicet sub corpore non viuente, prout corpus non viuens à corpore viuente contradistinguitur, quod gradu nutritionis viuit. vt eo loco ab Aristotele accipitur. tametsi cęleste corpus sub corpore viuente contineatur, in communi, quod ad omnes vitæ gradus commune est.

An anima uegetali Coelum animatum sit.

QVOD *hac in re difficultatem facit, illud est. quoniam cum tres sint animæ species, Vegetalis, sentiens, & intellectiua, dubium est, qua animæ specie animatum sit. Porrò vegetali anima cęlum animatum non est, quod ea ratione ostendi potest. vbi vegetalis animæ operatio non reperitur, ibi vegetalis animæ adesse non potest: formæ enim ex operibus innotescunt, qua etiam methodo Aristoteles sentientem animam in stirpibus non reperiri posse demonstrauit, cum in illis nulla sentientis animæ operatio reperiatur: iam verò in cęlesti corpore vegetalis animæ operatio non reperitur, igitur neque animæ vegetalis, minoris propositionis veritas ex eo patet, quoniam inter cæteras vegetalis animæ operationes, & quæ aliarum est fundamentum, nutritio est, iam verò in cęlesti corpore nutritio non reperitur. siquidem nutritio non ob aliam causam viuentibus à natura tributa est, nisi vt instauretur quod assiduo fluore in eis dissoluitur, in cęlesti aut corpore nihil quicquam dissoluitur, cum ab alteratione, & ab interitu, vt primo cęli contextu 20. statutum fuit, sit liberum & immune, huiusque rei prætenta sæcula certissimam fidem faciunt. cum nulla hominum ætas viderit, obseruauerit in cęlo aliquid consumptum, aut senio imminutum esse; igitur in cęlo nihil rependi, aut instaurari debet, & ex consequenti neque cęlum nutriri oportet, præterea nutritio absque instrumento corporeo primarumque qualitatum, & præsertim caloris naturales beneficio administrari potest: iam vero in cęlesti corpore membra, instrumentaque nutritioni, excrementisque delegata, primæue qualitates non reperiuntur, quod etiam his verbis* Plato *docuit in Thimeo inquiens, cum cęlestia corpora non alantur, membris opus non fuit, quibus noua alimenta susciperent, aut decocti alimenti excrementa emitterent. Itaque in cęlesti corpore nō reperitur nutritio, & ex consequenti neque aīa vegetalis,*

lis, quæ huius functionis effectrix causa est. Vnde ad fabulas Orfei, Hesiodique sententia reijcienda est dicentium solem & astra ex humoribus ab Oceano mari in altum delatis nutriri. quòd si vapores ab aquis in sublimē locum attolluntur, non propter hunc finem attolluntur, vt illa ex his enutriantur, sed ex materiæ necessitate propter actionem solis, vnde postea à frigore mediæ regionis aeris in aquam, & niuem conuersi, inferius relabuntur. Sed cum anima vegetali cęlum animatum non sit, an anima sentiente animatum sit, nunc considerandum est.

An sentiente anima cęlum animatum sit.

HAc in re apud philosophos non eadem fuit opinio. putauit Ioannes Grammaticus, vt ab ipso scribitur 2. de anima super contex. 15. in cęlo sensus adinueniri, tametsi multò præstantiores his, qui in mortalibus reperiuntur, ac proinde sentiente anima cęlum animatum esse: cuius etiam sententiæ fuit inter Arabes Auicennas, quamuis aliquo pacto inter se dissentiant. Auicennas enim vim sentientem internam tantum, vtpotè imaginatiuam cęlo accommodauit, Ioannes Grammaticus sensus etiam externos cęlo inesse existimauit. Quorum sententia his rationibus suffulta est, quarum prima ea est. quicquid perfectionis in inferioribus respicitur, id à superioribus corporibus remoueri non debet: iam verò sensus perfectio quædam est, cum actus, & forma sit; igitur cū in inferioribus reperiatur, in superioribus quoque corporibus necessario reperiri debet, quod etiam Auicennas hac ratione confirmauit, in cęlesti corpore plures reuolutiones reperiuntur, quæ singulis diebus fiunt, quæ ab agente per cognitionem proficiscuntur. Iam verò huiusmodi agens aut intelligentia est, & forma abiuncta à materia, aut sensitiua, nō primo, quoniam intelligentia non cognoscit particularia; erit igitur sensitiua: quare cęleste corpus anima sentiente animatum erit. quorum sententiæ Platonis verba in Thimeo fauere videntur, quæ huiusmodi sunt, in cęlesti corpore anima corpori coniuncta est, animæ verò mens, iam verò nomine animæ, aut mentem intelligit, aut sensitiuam, non primo: quoniam tunc mens menti iuncta esset: igitur nomine animæ sensitiuam intelligit. quarè præter mentē sentientem animam cęlo Plato etiam accōmodare videtur, qui sanè locus in causa fuit, vt Plotinus sexto quartæ Enneadis libro, ac plerique alij ex Platonis sententia in cęlesti corpore sentientem animā reperiri existimarint, quibus etiam fauet Aris. authoritas 3. de anima contex. 60. vbi sic inquit, non potest autem corpus non mansiuum, vel mobile intellectum habere absque sensu. generabile autem,

autem, at neque ingenerabile: propter quid enim habebit hęc Aristo. quibus verbis asserere videtur, quodlibet corpus, siue generabile, siue ingenerabile habens intellectum, habere quin etiam sensum, ac proinde cęlũ, quod ingenerabile est, intellectumque habet, sensu quoque præditum esse. sed hæc primò quamuis his innitatur rationibus, & authoritatibus à veritate abhorret, quod tum ex sententia Platonis & Aristot. cum ex ipsa in natura apertissimè demonstrabo. etenim Plato in Thimeo ita scribit: cęlum neque oculis, neque visu egebat, quia nihil erat, quod à se separatim, aut cerni deberet, nec auribus, audituque egebat, quia nihil erat, quod à se audiri debe ret, quod Platonis argumentum ab obiecto desumitur. Nam cum potẽtia absque obiecto esse non possit, alioquin frustra esset, & perpetuò ociosa, ea propter si in cęlesti corpore sensus reperiuntur, profectò & ipsorum propria essent obiecta. cum autem neque visibile obiectum, aut auditile aliqđ sit, quod ab ipsis aut spectari, aut audiri possit, aut debeat, eapropter neq; in cęlesti corpore sensus reperiri possunt, neque Aristotelem, cęlo sensus accommodasse ita probari potest. Nam secundo de anima contex. 128. numerum sensuum ex numero organorum ostendens, ita ratiocinatur: si sextus sensus reperiretur, profectò aliud organum reperiri operępretium esset, quoniam sensus absque organo consistere nequit, sed non adest aliud organum; igitur neque præter quinque sensus externos alius sensus adinuenitur, vnde ex carentia organi carentiam sexti sensus Arist. demonstrauit. iam verò in cęlesti corpore organum sensus, vtpotè oculus, & aures & consimilia non reperiuntur, igitur neque sensus illius in cęlo adinuenitur. Insuper id ex eodem Arist. 3. de anima contex. 62. probari potest, vbi ita ratiocinatur, si animal sensum habet, eius corpus, aut simplex est, aut mixtum. si simplex corpus fuerit, sensum non habebit; siquidem sensus ex temperata mixtione elementorum exoritur, hinc huiusmodi argumentum depromi potest. Cęlum simplex corpus est; igitur sensum non habet, quod si cum corporis simplicitate sensus existere potest, statim Arist. consequentia collaberetur, id tandem ex ipsa rei natura probari potest. nam sensus propter aliquem finem animalibus à natura tributi sunt; aut enim ratione corporis tributi sunt, sicut animalibus brutis, quæ beneficio sensuum salutaria amplexantur, nocuaque aufugiunt, seque ab illis, quæ iniuriam, atque interitum ipsis inferre possunt, commodè tueri queunt: aut ratione corporis, & animæ tributi sunt, sicut etiam ab Arist. 3. de anima contex. 61. memoriæ proditum est, vt hominibus ipsis, in quibus cum intellectus absque phantasmatum, sensuumque ministerio nihil quicq; intelligere possit sibi sensus impartiri operæpretium fuit. cum autem cęleste corpus inalterabile, incor-

le, incorruptibileve sit, nec vllum ei incommodum accidere possit, neq; intelligentia, quæ cœlo insidet, ope sensuum, aut phantasmatum intelligat? igitur neque ob salutem corporis, neq; in gratiam animæ sensus cœlesti corpori accommodari debent: neque dici potest, vel quibusdam placuit, ob excellentiam, & dignitatem sensus in cœlo ponendos esse, cum multò præstantius sit vi sentiēte præditū esse, quàm ea carere, quoniam & stirpibus, metallis, & cadaueribus pariter sensus ob excellentiam, & dignitatē, quemadmodum & cœlo inesse deberent. Quòd autem nulla vis sentiens interna, vt imaginatiua insit cœlo, vt placuit Auicennæ, ita probatur. Nam huiusmodi virtus aut est corruptibilis, aut æterna, non primum. quoniam cœlum corruptibile esset. si æterna igitur abstracta, & immaterialis, igitur intellectus, siquidem omni forma à concretione materiæ abiuncta secundum esse intelligens est, vt 3. de anima docuit Arist. contex. 15. & 16. sicut è conuerso, omnis forma, quæ materiæ concreta est, solum intelligibilis est, non autem intelligens, quare huiusmodi virtus non sensitiua, sed intellectus erit. præterea phātasia, vt scribit Arist. 2. de anima cōtex. 160. est motus factus à sensu vtpotè externo. iam verò in cœlesti corpore externi sensus non reperiuntur, vt anteà probatum fuit, igitur neque phantasia, & sensus internus, quod si quispiam dixerit, eo loci Arist. phantasiam mortalium tantum definiuiße, tunc quærendum est, vbi nam phantasia in communi, aut quæ cœlestis corporis propria est, ab Arist. definita fuit, de hac enim habenda erat oratio, & magis, cum perfectioris corporis sit. cum igitur sub ea definitione non contineatur, nec vsque alibi de ea Arist. pertractauit, aut igitur phantasia, quæ cœlestis corporis propria est, admittenda non est, aut negligentiæ crimine Arist. maximè accusandus esset, vtpotè qui eam silentio præteriisset, quid igitur dicendum?

Dilucidatio.

Porro sicuti in cœlesti corpore vegetalis anima non reperitur, ita neque sentiens aut externa; aut interna adinuenitur, tùm quia cœlum simplex est, tùm quia in cœlo nulla est sensuum opportunitas, neq; ex parte corporis, neque ex parte animæ, vt antea ostensum fuit, cui veritati ante Auerroem subscripsit lucidus interpres Themistius. 3. de anima capi. 3. his verbis: extremis mundi partibus sensus à natura denegati fuerūt. extremas mundi partes, cælum, & plantas intelligo, quamuis non eadem ratione vtrique defuerint: cælo quidem prænobilitate, quia eminentiore ordine habebatur; quàm vt ad hunc vsum descenderet: plantis verò præ

naturæ crassamento, & ignobilitate, quæ Themistij sententia, vt conspicua fiat, illud accipiendum est, quod 3. de anima ab Arist. scribitur sensum ex attemperatione elementorum, Symmetriaque primarum qualitatũ oriri, quod etiam veritas ipsa ostendit, nam cum sensus à vehementi sensibili labefactetur, sensus intemperata quodam proportione primarum qualitatũ consistere videtur. qua quidem sublata sensus quoque collabitur, ex quo sequitur, cum corporis simplicitate sensus consistere minimè posse, quod etiam 3. de anima contex. 62. Arist. confirmauit, vbi sic inquit, si sensum habet, corpus aut simplex, aut mixtum est, si simplex, sensum quidem non habet, neque cum immoderata elementorum mixtione sensus considere valet. Nam cum in mediocritate primarum qualitatum sensus consistat: igitur vbi hęc non reperitur, neque sensus adesse potest: cum autem cęleste corpus simplex sit, & non mixtum, vt primo cęli contextu 8. statutum fuit, ei sensus inesse nõ possunt; stirpes verò, quoniam nimis terrenæ sunt, mediocritatemve primarum qualitatum non habent, sicut ossa in animalibus, ea propter stirpes sensus à natura promereri non potuerunt, vnde diuinè dixit Themistius: non eadem ratione extremis mundi partibus, vt cęlo, & plantis sensus denegatos fuisse, plantis quidem præ naturæ crassamento, hoc est intemperata elementorum mixtione: cęlo verò tum propter corporis simplicitatem, tum quia ab alteratione, & ab interitu liberum est, atque immune, cęlum autem & stirpes extremæ Mundi partes dicuntur. quoniam viuentia in triplici gradu reperiuntur: duo enim extrema sunt, vt cęlum & stirpes, alia verò intermedia, vt animalia, cęlum quidem, & stirpes extremæ mundi partes dicuntur. quoniã extremas animæ species continent: cęlum quidem intellectum tantum, stirpes verò animam vegetalem tantum, animalia verò intermedia sunt, quoniam præter vegetalem, sentiente quinetiam anima, quæ media animæ species est, prædita sunt. Sed hac in re illud est animaduertendum, quòd hic vegetalis, & sensitiua in cęlesti corpore formaliter non reperiantur; causaliter tamen, & virtute continentur. virtute autem ab aliquo contineri nil aliud est, nisi ab eo produci posse. cum autem cęleste corpus vim habeat, & potestatem stirpes, & animalia producendi, quæ vegetali, sentientique anima formata sunt, vegetalem, sentientẽque animam producendi vim habere dicitur, ac proindè ipsas virtute, & eminenter continere. sicut & Deus optimus, & sensum, & cętera omnia eodem modo continere dicitur. vt 12. Metaf. com. 18. declarauit Auerr. inquiens, formæ potentia continentur in materia prima, actu verò videlicet virtuali, & eminẽti in primo motore. quem sensum si habuisset Ioãnes Grammaticus, à veritate quidem non recessisset, sed

ſet, ſed quoniam eius verba loco citato animam potius, quàm modum præ ſe ferre videntur, idcircò vim ſentientem formaliter cęlo accommodaſſe videtur, ſicut etiam recentiores non nulli exiſtimarunt, quibus ita conſtitutis, nunc obiectis eſt occurrendum, & ad primum quidem dicamus. maiorem illam ita intelligendam eſſe, quòd illud, quod dicit perfectionem ſimpliciter ſi in inferioribus reperitur, à ſuperioribus remoueri non debet; iam verò ſenſus, licet profectiorem dicant; quoniam actus, & formæ ſunt; quia tamen annexã imperfectionem habent connotantque interitum respectu corporis, cuius ſunt virtutes ſiquidem vt anteà dictum fuit animalibus accommodati ſunt ſenſus, ab ea alteratione, & ab interitu ſeſe tueri poſſint. ea propter cęleſti corpori ſenſus accommodari non debent. ſicuti etiam ſibi ſimile procreare perfectionem dicit. quoniam tamen imperfectionem connotat. ſiquidem ſibi ſimile generare corruptibile eſſe præſupponit. ea propter licet huiuſmodi proprietas in inferioribus reperiatur, non tamen in ſuperioribus adinuenitur. Nec Auicennæ ratio quicquam efficit, primò enim ratio hæc ſeipſam deſtruit, quoniam imaginatiua non cognoſcit cum præſentia obiecti ſenſibilis, ſed in eius abſentia propter motum factũ à ſenſu externo; ſi itaque imaginatiua, quæ cęlo ineſt particulares præſentesque cęli reuolutiones cognoſcit, non itaq; imaginatiua eſſe poteſt. præterea ratio nullum momentum habet. nam licet in cęleſti corpore particulares reuolutiones reperiantur, quæ ſingulis diebus fiunt, ab agenteque per cognitionem proficiſcantur; illæ tamen ſub ratione particulari cognoſci nõ debent, & ratio ea eſt. quoniam particulares motus in inferioribus ideò cognoſci debent, quoniam impediri, multaque eis incõmoda occurrere poſſunt; vnde vt illa euitentur, in particulari cognoſci debent. cum autem motui cęleſtis corporis, neque iniuriæ, neque impedimenta aliqua occurrere poſſint; idcircò opus non eſt, vt ſub ratione particulari cognoſcatur; ſed ſatis eſt, vt ſecundum naturam motus tãtum ab intelligentia percipiatur, quæ cum motum intendat, ipſum vt opus proprium cognoſcere debet, neque Platonis locus in Thimeo, ſi rectè expendatur, noſtrę aduerſatur ſententię, cum inquit; corpori cęleſti animam coniunctam eſſe, Animæ verò mentem ſiquidem nomine mentis, & animæ non duo re diſtincta intelligit, ſed vnam & eandem animam, vtpotè intelligentiam, quæ prout duas habet operationes, vnam internam, vt intelligere, alteram verò externam, vt mouere ſecundum locum, ita duo ſortitur nomina; prout enim intelligit, intellectus dicitur ſiue mens, prout verò mouet ſecundum locum, animæ nomen, & rationem ſortitur, cuius rei ea cauſa eſt. quoniam animæ ratio in hoc conſtituta eſt, vt ſit corporis actus, corporive viam largiatur. quoniam

autem intelligentia prout cęlum mouet corporis actus est, quoniam moue re nequit, nisi corpori iuxta & coniuncta sit, cum motus absque corporis ministerio fieri non possit, orbique vitam largiatur, cum motus circularis cęlestis corporis vita sit: ea propter intelligentia prout mouet, animę rationem subit, quoniam verò vt intelligit actus corporis non est, cum ad hoc, vt intelligat, corpus non expostulet, nec intelligere corpori largiatur, ea propter secundum operationem hanc non animæ, sed mentis, & intellectus tantum rationem habet, summoque consilio ab eodem dictum est, corpori animam, mentem verò non corpori, sed animæ iunctam esse. quoniam cum animæ rationem habeat, vt mouet secundum locum, mouere autem minimè possit, nisi vt corpori vnita est. Idcircò vt anima corpori coniuncta esse dicitur: quoniam verò vt mens intelligit, & contemplatur, intelligere uerò medio corpore non fiat, idcirco vt mens corpori coniuncta non est, sed mens animæ coniuncta esse dicitur; quoniam cum cęlum moue re non possit, nisi intelligat, mouere autem animæ attribuatur, intelligere verò menti, ea propter mentem animæ coniunctam esse oportet; hoc est, forma cęli vim mouendi animęque habere non potest, nisi præcedat, eique iungatur vis intelligendi, ità vt hoc ordine hæc tria in cęlesti corpore sese consequantur, primò enim mens est, & ratio intelligendi; secundò, ratio animæ, & vis mouendi; postremo, corpus, quod in orbem mouetur, & hoc pacto cęlum corpore, & anima, menteque constare dicitur, corporique animam, animæ vero mentem coniunctam esse, & hæc ni fallor, fuit germana Platonis sententia eo loci; nunc Aris. conte. perpendo 3. lib. de ani. qui ob variam lectionem, aliquam difficultatem facere videtur. Nam illum Plutarchus, referente Simplicio, ita legit, nullum corpus non manens intellectum habere potest absque sensu, generabile quidem, at neque ingenerabi le, propte quid enim non habebit? aut enim hoc erit propter melius animæ, aut corporis: at propter neutrum horum est. Alex. autem, & Themistius affirmatiue ità legunt. Corpus non manens intellectum habens sensum qui etiam habet, generabile quidem, at neque ingenerabile, hoc est non autem corpus ingenerabile, propter quid enim habebit, aut enim propter melius animę, aut corporis illum habebit, lectio quidem Plutarchi stare nō potest: primò quidem ex Aris. in eo contex. quoniam verba illa hoc pacto legi non possunt corpori ingenerabili, vt cęlum est, sensus inesse possunt, tum propter animę, cum propter melius corporis: nō primò, quoniam intelligentia ministerio sensuum, & phantasmatum non intelligit. neque secundò, quoniam cum cęlum, & ingenerabile corpus inalterabile, incorruptibileque sit, nullam salutem, nullamúe vtilitatem ei afferre possunt. secun-

dò

dò id ex contex.seq.confirmari potest, vbi Philosophus inquit, corpus simplex sensum habere nõ posse, cum sensus ex temperata elementorum mixtione oriatur, quapropter cum Alexandro, & Themistio contextus ita legi debet: nullum corpus mobile intellectum absque sensu habere potest. generabile quidem, at neque ingenerabile, hoc est. corpus autem ingenerabile non ita se habet: propter quid enim habebit, quasi dicat nulla profectò huius necessitas, neque propter melius animæ, neque propter melius corporis. cui sanè expositioni ipsemet Arist. consentire videtur secundo de anima contex. 15. vbi sic inquit, separari quidem hoc ab alijs possibile est, alia autem ab hoc impossibile in mortalibus. his verbis ostenders, in mortalibus perfectiores animæ species, intellectumque sine sensu constituere non posse; in ęternis autem secus sese habere intellectum quidem absque sensu constituere posse, & propterea 3. de ani. dicere non potest. corpus ingenerabile intellectum absque sensu consistere non posse, quoniam statim exclusiua illa collaberetur, quam ponit Arist. 2. de anima contex. 15. Sed cum neque sentiente anima cęlum præditum sit, modò an anima intelligente animatum sit, considerandum est.

An anima intelligente cœlum animatu m sit.

Porro cęlum animatum esse hac ratione ostendi potest. Omne, quod à seipso mouetur, animatum est, vt testatum reliquit Arist. octauo phy. contex. 29. vbi inquit, moueri à seipso propriè animatorum esse, quod à Platone accepit in decimo de legibus, vnde huiusmodi motus secundum locum, 2. de anima contex. 13. inter gradus, & species vitæ ab Arist. dinumeratur: iam verò cęleste corpus à seipso in orbem mouetur, vt eodem octauo phy. ab eodem Arist. scriptum est, itaque cęleste corpus animatum est; sed cum neque vegetali, neque sentiente anima sit animatum, erit igitur animatum anima intelligente, quod etiam hac ratione ostendi potest. nam cum cęlum anima tamquã forma præditum sit, hæc autem æterna sit, tum quia cęlum æternum est, tum quia æterni motus causa est, erit igitur abstracta, & immaterialis: quoniã verò forma abstracta à materià secundum esse, intellectus est, vt 3. de anima docet Aris. contex. 16. igitur huiusmodi anima, qua cęlum est animatum, intellectus erit, & hac est methodus, qua Deum optimum, æternasque sphærarum cęlestium motrices substantias intelligentes esse compertum est; quoniã à concretione materia liberæ, & separatæ sunt. cui veritati subscribitur etiã Auer. 12. Met. com. 38. vbi sic inquit: cęlum de virtutibus animæ non habet nisi intelle-

ctum

ctum,& appetitum, sola autem hæc animæ species, quæ intelligentia est, in cęlesti corpore satis est, neque vlla alia requiritur forma, aut anima, neque ex parte materiæ, ita vt materiam reddat in actu, neque ex parte inclinationis, ita vt materiæ propensionem tribuit ad circularem motum, tum quia materia cęli suaptè natura ad circularem motum propensa est, tum quia aptitudo ad motum non est ex parte formæ substantialis, neque necessaria est ex parte motus circularis, si quidem sola intelligentia satis est ad producendum motum circularem æternum, quomodo verò intelligentia vniatur cęlo, an vt forma, vel vt motor priore nostrarum Dilucidationum libro iam satis declaratum fuit, & hic finem habeant, quæ circa huius problematis explicationem proposita fuerunt.

An materia cœli sit eiusdem naturæ cum materia inferiorum.

CVm cęleste corpus ex materia & forma concretum sit, primò considerandum occurrit, an eius materia sit eiusdem naturæ cum materia inferiorum. qua in re non est eadem apud omnes opinio, ex Græcis Io. Grammat. Auicennas primo libro suæ suffic. cap. 4. ex Latinis Egidius in proprio quæsito de materia cęli concordes asseruerunt materiam cæli eandem habere naturam cum materia inferiorum, quam sententiam pluribus persuadere conati sunt, & primo sic, In pura potentia nulla reperitur distinctio, quoniā actus est qui causa distinctionis existit, ex 7. met. cōtex. 49. Sed materiæ cęli, & inferiorum sunt pura potentia, igitur in eis secundum essentiam nulla reperitur distinctio, probatur minor ex Auer. 2. cę. cō. 3. vbi ait, quòd ex materia & cęlesti forma fit magis vnum quàm ex materia & forma inferiorum, igitur ex materia & cęlesti forma fit vnum per se, atqui vnum per se fit, quia forma est actus, & materia potentia, vt scribit Arist. 8. met. contex. 15. igitur materia cęli potētia est, prætereà si materia cęli & inferiorum essent alterius rationis, igitur hæ duæ naturæ non æqualiter distarent à primo ente. deducitur consequentia, quoniam ex 8. Met. 10. species rerum sunt sicuti numeri, sicut igitur numeri non æqualiter distant ab vnitate, ita species entium non æqualiter distant à primo, si ergo hæ duæ materiæ diuersam habent naturā, ergo altera erit perfectior, & primo enti, propinquior, id autem dici non potest, quoniam tunc altera ipsarum actus magis particeps erit, et ita non erit pura potentia, quod falsum esse supra ostensum fuit. cum igitur ambæ pura potentia sint, igitur ambæ æqualiter distabunt à primo, & æqualis erunt perfectionis, & per consequens eiusdem naturæ, & rationis. tertio arguit Egidius hoc pacto,

materia,

materia, vt testatum reliquit Auerr. primo de phis. auditu commē. 70. est quid medium inter ens & nihil. igitur in ea non reperiuntur gradus. deducitur consequentia, quia si materia gradus haberet, hoc esset, vel vt comparatur ad ens, vel vt comparatur ad nihil, hoc est, vel quia altera materia magis particeps esset entitatis quàm reliqua, vel quia altera tenderet magis ad nihil quàm reliqua: si primum dicatur, tunc illa quæ sic ponitur esse materia, non erit materia, quia non erit media inter ens, & nihil, sed inter ens & materiam: si verò dicatur secundum, nec illa erit materia, quia non erit media inter ens & nihil, sed inter materiam cęli & nihil. præterea si essent alterius rationis non essent naturæ simplices, sed compositæ. deducitur, quoniam quæ differunt, per aliquam differentiam differunt, igitur compositionem habebunt differentiæ per quam differunt. insuper, quę inuicem secundum magnitudinem comparātur communicant in materia, vt legitur 2. de gener. contex. 37. cęlum & inferiora secundum magnitudinem comparantur: dicimus enim solem maiorem esse tota terra. igitur communem habent materiam. ratio ista adijcitur, omne corpus corruptibile, Cęlum corpus est igitur corruptibile, igitur materiam habet eiusdem naturæ cum materia inferiorum: probatur maior ex demonstratione Aristotelis 8. phis. contex. 79. quæ huiusmodi est: nullum corpus, aut virtus in corpore potentiam habet infinitam, primus motor habet potentiam infinitā, igitur primus motor non est corpus, neque in corpore, virtus, tunc quæritur, pro quo supponit corpus in maiore propositione, aut enim supponit vniuersaliter, aut non. si primo, habetur propositum. si secundo, igitur Aris. non probauit primum motorem non esse corpus vniuersaliter, sed indefinitè. igitur non potuit inferre indiuisibilem & impartibilem esse. si igitur inferre debet primum motorem impartibilem esse, necessariò corpus vniuersaliter accipi debet, quamobrem nullum corpus habet potentiam infinitam. cum autem cęlum corpus sit, potentiam igitur non habet infinitam. caducum itaque erit, & per cōsequens cum sublunaribus communem materiam habebit. qua ratione vsum fuisse Ioan. Grammaticum ad probandum cęlum corruptibile esse testatur Auerr. 8. phis. com. 79. hæc sunt ex quibus probant materiam cęli, & inferiorum eandem habere naturā, sed istorum virorum opinio ab Aristotelis sententia penitus dissentit. nam si cęlum materiam haberet eiusdem naturæ cum materia inferiorum, cęlum non secus ac inferiora corruptibile esset, quod falsum esse primo cæli 20. Aristoteles demonstrauit: consequentia est ipsius Philosophi loco citato, pariter cōsequentia est Auerrois, qui vbique hanc consequentiam format. fuit etiam Alexandri Aphrodisei primo quæst. natural. cap. 15. & Simplicij

plicij 8.phis.contra Io.Gram.nam cum materia sit causa per quam res potest esse & non esse,vt habet Arist.2.de gener.51. si hæc in celesti corpore reperiretur,igitur in eo reperiretur causa per quam posset non esse.ceterum huic rationi satisfaciūt interpretes isti,vario tamē modo.Io.Grammaticus recepit totum argumentum,concessitque cęleste corpus sui natura corruptibile esse,cùm internum habeat corruptionis principium, quod si æternum est,id habet à voluntate primi mouentis . Sed responsio ista Aristotel. apertissimè contradicit, nam vt demonstratum est ab Arist. primo cęli possibile ex se ab alio perpetuari non potest,quoniam tunc natura contingens in necessarium commutaretur, quod etiam nos fusius proprio capite demonstrauimus,ad quem locum lectorem reijcimus. præterea Philosophus 1.cęli 20.causam assignans quare cęlum sit ęternum, inquit, cęlum ęternum est,quoniam caret materia,quòd si cęleste corpus à primo motore æternitatem habet,tūc causa referēda erat in primum motorem, non in carentiam materiæ: secus uero causam pro causa assignasset . adde quòd Aristoteles falso principio vsus esset,cum inquit,cęlum ęternum est quoniam caret materia.aliquis enim dicere posset hoc principium falsum est,quoniam secundum Io.Gra. cęlum materiam habet. ea propter Aegidius alio modo rationem persolucre nixus est,illud in primis animaduertens, quod materia non est corruptionis causa nisi merito contrarietatis repertæ in formis: ex qua contrarietate oritur priuatio in materia : hoc stante sic respondet,quòd licet cęlum communem habeat materiam cum inferioribus,non propterea cęlum corruptibile est, quoniam eius forma non habet contrarium,& ob id non ponit in materia priuationem, & potentiam ad aliam formam,vndè causa incorruptibilitatis Cęli non est carentia materiæ,sed carentia contrarij . sed & hæc Aegidij responsio ab Arist.aliena est,nam cum inquit quòd materia non est corruptionis causa nisi ratione contrarij, id Aristoteli aduersatur primo cęli 20. vbi inquit, quòd omne quod corrumpitur ex subiecto,& contrario corrumpitur : igitur non solum contrarium, sed etiam materia ex se corruptionis causa est.secus si materia solum ratione contrarij corruptionis causa esset ,falso Philosophus vt distinctam corruptionis causam materiam assignasset, à quo accepit Auer.primo de sub.orb.vbi sic inquit,causa corruptionis entium est contrarietas existens in formis, & commune subiectum,quod nullam propriam formam habet. itaque secundum Arist.materia non solum ratione contrarij,sed etiam ex se corruptionis causa est. illud insuper falsum est,quod addit,quòd licet Cęlum communem cum inferioribus habeat materiam,non tamen habet formam habentem contrarium. non legit vir

iste Aristotelem in libro de lõg. & breu. vitæ, vbi inquit, quòd vbi materia, ibi de necessitate contrarium, quem sequutus est Auerroes primo Cęli Com. 95. vbi ità ratiocinatur, si cælestia corpora materiam haberent eiusdem scilicet naturæ cum inferioribus, ergo haberent contrarium, quæ hipotetica ex ea necessitatem habet, quoniam vbi materia ibi contrarietas. pariter Com. primo Phis. Com. 79. format consequentiam istam, si cęlestia veram materiam haberent, ergo haberent annexam priuationem, quoniam impossibile est materiam à priuatione seiungi & à contrarietate, vnde illa affirmatiuè, & negatiuè inuicem conuertuntur, vbi non est commune subiectum, ibi non est contrarietas, & versa vice, vbi non est contrarietas, ibi non est commune subiectum. vt etiam declarauit Auerr. primo de sub. orb. inquiens, si aliqua corpora simplicia sunt, quorum formæ careant contrarijs non sunt corruptibiles, nec habent commune subiectum. pariter affirmatiuè se consequuntur, vbi contrarietas ibi commune subiectum, quoniam contraria commune subiectum expostulant, vt habetur primo Phis. contex. 51. & vbi materia, & commune subiectum, ibi contrarietas, vt patet ex libro illo de long. & breu. vitæ. quo fundamento innititur illa Auerrois propositio Commen. 124. omne possibile ab intrinseco est possibile ab extrinseco, quoniam vbi materia ibi contrarium, ideo si possibile est ab intrinseco per materiam, est possibile ab extrinseco per contrarium. nec illud admitti potest quod etiam addit, quòd causa quare cęlum incorruptibile sit non est carentia aut diuersitas materiæ, sed carentia contrarij, quoniam Philosophus primo Cęli 20. reddens causam quare Cęlum est incorruptibile inquit, quoniam caret contrario, & materia: igitur non solum carentia contrarij est causa incorruptibilitatis Cęli, sed etiam carentia materiæ: quòd si solum carentia contrarij causa esset, si igitur Philosophus temerè præter carentiam contrarij, carentiam quoque materiæ assignasset, ex quibus iam satis patere arbitror Aegidij responsionem nullo pacto peripateticam esse: consistit ergo argumentum in robore suo, quòd si Cęlum cum inferioribus communem habeat materiam, quòd instar inferiorum corruptibile erit, quod fuit præcipuum fundamentum, quo non solum Auerr. Alexan. & Simplicius innixi sunt, verum etiam Aristoteles loco citato. prætereà vnitas generis & differentia ex materia sunt, vt habet Arist. 10. Met. 12. tunc sic arguitur, quæ non habent vnitatem generis, non habent vnitatem materiæ, Cælum & inferiora non habent vnitatem generis, quoniã ex 10. Met. contex. 26. corruptibile & incorruptibile genere distinguntur, igitur Cælum & inferiora non habẽt vnitatem materiæ quo, obsecro, se ver-

tet Aegidius, nam cum dicitur cælum & inferiora corruptibile & incorruptibile differunt genere, aut intelligit de genere Phisico, aut de genere Logico, si primo habetur propositum, quoniam hoc materia est. si secundo, tunc accipio maiorem illam Aristotelis, quæ non habent generis vnitatem, non habent vnitatem materiæ, & quæro pro quo supponit genus in hac propositione, vel pro genere Logico, vel Phisico. si primo, igitur quę non habent vnitatem generis logici non habent vnitatem materiæ, & ita si per ipsum corruptibile & æternum, vt cælum, & inferiora generis Logici vnitatem non habent, igitur nec vnitatem materiæ: si secundo, hoc summæ dementiæ est, quoniam idem est ac si dicat, quæ non habent vnitatem materiæ, non habent vnitatem materiæ. propterea quouis modo dicatur cælestia, & inferiora non habere vnitatem materiæ, fateri necessariũ est. colligitur quoque fundamentũ ex Aristotelis dicto primo de gener. 87. quod est quæ inuicem non transmutantur non habent eandem materiam, cælum & inferiora inuicem non transmutantur, ergo non habent eandem materiam. sunt postremo duo Aristotelis loca, quæ istorum sententiam penitus euertunt. vnus quidem est 8. Met. 12. vbi Philosophus ita scribit ad verbum, In naturalibus quidem sempiternis alia ratio, aut non habent materiam, aut non talem: Sed solum secundum locum mobilem: alter verò est 12. Met. 10. in quo ita habet, quæcunque transmutantur materiam habent, sed aliam sempiternorum quæcunque non generabilia sunt latione autem mobilia, verum non generabilem habent, sed vnde & quo, hæc Aristoteles. in quibus nemo est qui non videat, quod eam materiam reijcit à corporibus sempiternis, qualem inesse affirmat corporibus corruptibilibus, quia dicit æterna illa corpora aut materiam non habent, aut si habent, talem non habent, qualem scilicet possident caduca, sed aliam: verũ nec ista loca pertimuit Aegidius, sed ad hæc quoque responsionem excogitauit, quòd materia bif. considerari potest, vno modo vt subiectum formæ, alio modo vt subiectum transmutationis, tunc inquit, quòd quando Philosophus ait, quòd æterna non habent eandem materiam quam habent sublunaria, materiam accepit vt est subiectum transmutationis: quia enim æterna secundum substantiam non transmutantur, vt inferiora, proinde non habent eandẽ materiam, vt est subiectũ transmutationis, sed non negat quin habeant eandem secundum essentiam, & vt est subiectum formæ, sed non cognouit Aegidius propositum Aristotelis in illo contex. 12. octaui Met. nam vt cæcutientibus etiam notissimum est, in illo contex. declarat quòd in definitione absoluta oẽs causæ collocari debent, vt hominis collustrat exẽplo, in cuius definitione forma, finis, & efficiens, pariter & materia inesse debet

se debet

se debet. cum autem hoc Philosophus declarasset, inquit, in substantijs naturalibus æterna alia ratio, nam in his aut non reperitur materia, aut in definitione ipsarum non ponitur talis materia, quæ ponitur in definitione corruptibilium, ecce quòd loquitur de materia respectu definitionis, ergo negat in Cęlo tandem esse materiam respectu definitionis: non itaque in eo contex. negat tandem esse materiam Cęli, & sublunarium respectu transmutationis, vt inquit ipse. præterea Philosophus declarans naturam materiæ Cęli, & differentiam inter hanc & illam, habet hæc verba, In naturalibus substantijs sempiternis alia ratio: aut enim in his non reperitur materia, aut non talis, sed qualis, inquit, solum inest materia mobilis secundũ locum, & potentia, vnde ex quo, vt asserit libro 12. contex. 10. si igitur solum est materia mobilis secundum locum, & potentia vnde & quo, ergo non est subiectum formæ, & potentia ad formam. nam des oppositum, tũc materia illa non solum erit subiectum respectu motus, et solum potentia respectu vbi, sed erit etiam subiectum respectu formæ, & potentia ad formam contra Philosophum, cum hac exclusiua dicẽtem, quòd solum est materia mobilis secundum locum, & potentia ad vbi, quare non solum negat esse eandem respectu transmutationis, sed etiam secundum essentiam, quoniam sublunarium materia est subiectum receptiuum formæ, & potẽtiam ad formam, materia autem cæli subiectum solum respectu motus, & solum potentia ad vbi, quod etiam confirmo, vt hic error è mentibus hominum penitus auferatur. ex primo de generat. 87. vbi Philosophus inquit, quod quæ non sunt inuicem transmutabilia non habent eandem materiam, vt sanitas, et ars medicatiua. sed hæc non solum diuersam habent materiam respectu transmutationis, sed etiam secũdum essentiam, quoniam subiectum artis medicatiuæ est anima, subiectum verò sanitatis est corpus, quæ etiã secundum essentiam distinguntur, ergo quæ non sunt inuicem transmutabilia non habent eandem materiam, nec respectu transmutationis, nec secundum essentiam. iam verò cum cælestia corpora & sublunaria non sint inuicem transmutabilia, ergo non solum diuersam habent materiam respectu transmutationis, sed etiam secundum essentiam.

Dilucidatio.

OB hæc itaque statuimus, & hanc pro veritate conclusionem ponimus, quòd materia cæli & materia inferiorum sunt alterius rationis, & alterius naturæ, quam conclusionem tenuerunt Alexander, Simplicius, Auerr. & inter Latinos præcipuus B. Doctor: materia enim est

quoddam genus commune analogum, vel ab vno, & ad vnum sub quo materia cæli, & materia inferiorum, vt diuersa analogata, diuersique modi materiæ continentur, vt dicere videtur Aristoteles secundo de gener. contex. 51. vbi inquit, sunt igitur & numero æqualia, & genere eadem principia, quæ & in sempiternis & in corruptibilibus, hoc enim vt materia, hoc autem vt forma, tertium vt agens. vnde materia cęli & inferiorum. ita sub vno communi genere continentur, vt forma & efficiens. certum est autem quòd forma & efficiens æternorum, & generabilium nō conueniunt genere vniuoco, sed analogo, ergo & materia cæli & inferiorum sub vno communi analogo continentur. qua conclusione ita constituta reliquum est, vt rationes quibus ij propriam tuentur sententiam, persoluantur, & ad primam, quicquid dixerit, B. D. negatur illa minor, quòd materia cæli sit pura potentia, siquidem materia cæli, vt infra magis patebit, ex se actu est, ideo intrinsecè distingui potest à materia sublunariū: & talis distinctio dicitur esse per actum, sicuti cum materia distinguitur à forma, talis distinctio dicitur esse per actū secundum Aegidium, quoniā materia est potentia, & forma est actus. ita cum materia cæli actu sit, materia autem inferiorum potentia, huiusmodi distinctio dicitur esse per actum: sed verius dicuntur primo diuersa quàm differentia. composita enim propriè differentia dicuntur, quoniam per aliud distinguntur, simplicia verò dicuntur primo diuersa, quoniam seipsis & non alio inter se distincta sunt. Ad illam autem Auerrois authoritatem 2. cęli commen. 3. qua probabatur quod materia cæli potentia sit, quia ex intelligentia, & orbe fit magis vnum quam ex materia & forma inferiorum, dicimus quòd non intelligit Auerr. quòd ex intelligentia & orbe fiat vnum per se, vt proprio cap. ostensum fuit. Sed intelligit quòd ex intelligentia & orbe fit magis vnum, hoc est magis indiuisibile quàm ex materia & forma inferiorum, quia cum intelligentia non vniatur orbi mediantibus dimensionibus indiuisibilis est, ex indiuisibili autem, & diuisibili, vt ex intelligentia, & orbe fit magis indiuisibile, & consequenter magis vnum. quam ex materia & forma inferiorum, quarum, & vna, & altera diuisibilis est. Ad secundam cum dicebatur si sunt alterius rationis non æqualiter distarent à primo secundum perfectionem naturæ, & ita non erit vtraque pura potentia, sed altera erit magis princeps actus. ad hoc concedimus totum argumentum, nec nos ad aliquod deducit incommodum, immò quæ apud ipsum falsa sunt, nos maxime peripatetica dijudicamus, nam materia cęli actu est, & ita altioris & perfectioris naturæ quàm materia sublunarium, quæ pura potentia est, & sicut in omni alio genere causæ reperitur

ordo

ordo & gradus secundum maiorem & minorem perfectionem naturæ, ita etiam reperitur in genere causæ materialis, nam vna est eminentidris gradus quàm altera, quod etiam declarauit Auerr. 1. Cap. de subst. orb. vbi inquit, quòd materia corporum cęlestium est perfectior cæteris modis materiæ, & reddens causam inquit, quia non est in ea de potentijs nisi potentia tantum ad vbi. quod etiam repetiuit in vlt. capit. dicens, materia enim gradus habet, quoniam datur materia quæ pura potentia est, quæ infimi gradus existit. datur autem materia altioris gradus, quæ media est inter puram potentiam, & purum actum sicut est materia cæli, quare in genere causæ materialis gradus reperiuntur, quos etiam innuere vsus est Aristoteles 8. Met 12. cum verò addit Aegidius, Materia est quid medium inter ens & nihil, & Auerr. primo Phis. 70. igitur in ea non reperiuntur gradus. dicimus quòd Auerr. in eo loco non loquitur de materia simpliciter, & in sui communitatem secundum omnem modum ipsius, sed loquitur de materia sublunarium tantum: hæc enim cum sit pura potentia est quid medium inter ens, & nihil, & propterea in ea non est dare gradus, at materia Cęli est media inter ens vel actum purum & materiam quæ pura potentia est. quod ex ipsomet Auer. declarari potest vltimo capit. de substan. orb. vbi ita scribit de materia Cęli, sed ista materia habet esse medium inter materiam, quæ est omnino in potentia, & actum purum, scilicet tres dimensiones, in quibus non est potentia omnino, nam non est, vt materia inferiorum, quoniam materia cęli actu est, non est sicuti tres dimensiones, quoniam materia cęli habet aliquam potentiam, scilicet ad vbi. tres autem dimensiones quæ in ipsa sunt nullam potentiam habent nec ad esse, quoniam actu existunt in materia cęli. nec potentiam habent ad terminum quoniam terminatæ sunt, & propterea actus puri, & sine potentia ab Auerr. hæ tres dimensiones nuncupantur. ecce quòd Auerr. non ponit materiam secundum omnem modum ipsius quid medium inter ens & nihil, vt putauit Aegidius, sed solum materiam inferiorum cum insuper dicebatur si sunt alterius rationis, non erunt naturæ simplices. negatur consequentia, ad probationē autē dicimus, vt anteà animaduersum est, quod non est idem esse differens & diuersum, nam quæ propriè differunt per aliquam differentiam differunt, et ideò ista differentia compositionem includunt, hæc autem cōposita sunt, quæ propriè differentia dicuntur, & differentiæ, & actus per quem distinguntur compositionē admittunt, sed quæ primo diuersa sunt non per aliud, sed seipsis distinguntur. iam verò materiam cęli & inferiorum non dicuntur differentes, sed sunt primo diuersæ, & seipsis distinctæ: & proinde non

sequi-

sequitur vt composita sint, sicuti à simili materia & forma, & duæ differentiæ substantiales inter se distinguntur, non tamen compositæ sunt, quoniam sunt primo diuersæ, & seipsis distinctæ, cui solutioni astipulatur Alex. primo naturali quæst. cap. 15. Ad penultimam concedimus, quòd cęlestia & sublunaria secundum magnitudinem comparantur, sed sicuti magnitudine conueniunt, ita etiam materia, at secundum magnitudinem conueniunt non vniuocè, sed analogicè si naturaliter considerentur. ergo etiã materiæ analogicè conueniunt. Ad vltimam rationem negatur maior, ad probationem respondet Auer. in Com. illo 79. quòd subiectum illius maioris supponit vniuersaliter, sed Aristoteles per potentiam infinitam non intelligit potentiam infinitam extensiuè, & in duratione, sed vigoris, vt sit sensus, Nullum corpus, aut virtus in corpore habet potentiam infinitam, in vigore, sed ista responsio falsa est, quia si potentia infinita acciperetur intensiuè & in vigore, tunc potentia infinita in vigore cõueniret omnibus intelligentijs. quod dici nequit: probatur consequentia, quoniam si in maiore propositione accipitur potentia infinita in vigore, igitur eodem modo accipitur in minore. secus eßet æquiuocatio in terminis. sed cum in minore propositione prædicetur de quolibet motore cęlesti, quia primus motor qui est subiectum illius minoris supponit confusè pro quolibet motore cęlesti, non speciatim pro primo motore simpliciter, vt à nobis demonstratum fuit contra communem sententiam in capite de principio indiuiduationis substantiarum separatarum, ad quem locum lectorem reijcimus. igitur infinitus vigor omnibus conueniret intelligentijs. præterea esto, quòd primus motor accipiatur pro primo motore simpliciter, igitur primus motor haberet potentiam infinitam in vigore. nam cum in maiore secundum ipsum accipiatur potentia infinita in vigore, igitur eodem modo accipitur in minore, & cum in minore affirmetur de primo motore, igitur primus motor erit infiniti vigoris, quod est contra ipsius sententiam, qui in eo loco & alibi determinauit, quòd primus motor est finiti vigoris. quarè dum se tueri putat Auer. in alium scopulum nauim impingit, ea propter aliter mea sententia dicendum est, quòd in eo loco non intendit Arist. demonstrare primum motorem non esse corpus, vt putat Auer. eo modo formando demonstrationem, quia non esse corpus superius demonstrauit, cum probauit immobilem esse & per se & per accidens, sed demonstrare intendit primum motorem (accipiendo semper primum motorem, confusè vt est quid commune cuilibet motori cęlesti) non esse virtutem in corpore, & in magnitudine, hoc est non esse virtutem constitutam in esse per magnitudinem & subiectum, & demonstratio huiusmodi est, nulla virtus in magnitudine habet

bet potentiam infinitam in duratione,primus motor habet potentiam infinitam in duratione, quoniam mouet tempore sempiterno, igitur primus non est virtus in magnitudine,igitur indiuersibilis erit & impartibilis.sed statim occurret aliquis dicens,quòd Aristoteles per potentiam infinitam non intelligit in duratione,sed in vigore,quia paulo infra format consequentiam istam.si virtus in magnitudine haberet potentiam infinitam, igitur moueret in instanti,hoc autem non sequitur ex infinitate durationis,sed vigoris:igitur per potentiam infinitam non intelligit durationis, sed vigoris, difficili sanè versamur loco.dicimus tamen Aristotelem accipere potentiam infinitam in duratione.ad instantiam autem respondemus, quòd consequentia Aristotelis valet ex hoc,quoniam si esset aliqua uirtus in magnitudine quæ æterna esset,æternoque tempore moueret,tunc esset infiniti vigoris,nam si virtus est in magnitudine.defatigari & deficere potest: si autem æterna est,et mouet tempore æterno, igitur nunquam defatigabitur, nec vnquam deficiet.igitur perpetuo resistet causis defatigationis, & corruptionis:id autem fieri nequit nisi sit uigoris infiniti: non enim virtus caduca & defatigabilis perpetuo resistere potest causis laboris et interitus, nisi sit infinitæ virtutis & vigoris,quamobrem si fuerit virtus in magnitudine quæ sit durationis infinitæ,necessario erit infinitæ virtutis & vigoris:si sic,ergo mouebit in instanti, non tamen sequitur si sit virtus extra magnitudinem & abstracta, quoniam vt sic infatigabilis est,& nunquam defectura,nec habet causas laboris & defectus sibi occurrentes, quibus perpetuò resistere debeat,& propterea non sequitur si sit extra magnitudinem,quod sit infiniti vigoris, & consequenter quòd moueat in instanti, & in hoc ni fallor,consistit Aristotelis demonstratio, sed cum materiam Cœli alterius rationis esse à materia sublunarium ostensum sit,an pura potentia sit vel actu,sequenti cap.declarabimus.

An materia Cœli potentia sit, an actu exacta explicatio.

Coelestis corporis materiam alterius rationis esse à materia sublunarium superiori capite cum latissime demonstrauimus, nunc illud à nobis considerandum est,an materia cœli potentia sit, an actu, qua etiam in re apud interpretes controuersia est.putauit B. D. quòd materia Cœli quamuis sit alterius rationis à materia sublunarium, nihilominus ex se pura potentia sit,actu autem per propriam formam constituatur.differentia tamen (vt inquit) est inter hanc & inferiorum materiam, quoniam materia cœli est potentia ad esse,tantum, quam etiam vocant ad dimi-

dium

dium contingentis, & vnica forma contenta sit à qua nunquam separari potest.cum nulla sit in ea priuatio alterius formæ:at inferiorum materia potentia est ad esse & ad non esse, nec vnica forma contenta est, quoniam in ea semper iuncta est priuatio alterius formæ, quam etiam opinionem plures ex modernis sequuti sunt, quæ opinio inde fundamentum sumere videtur, quoniam omne compositum per se vnum constat ex duabus naturis, quarum altera est actus, & reliqua potentia. Cęlum est compositum per se vnum, ergo constat ex duabus naturis, quarum altera est actus, & reliqua potentia, quarè materia Cęli erit pura potentia: probatur insuper ex Aristo.8.Met.3.vbi diuisa substantia in materiam, formam, & compositum hunc in modum materiam definit, Materia secundum se potentia est.quod etiam repetiuit 2.de Anima 2.certum est autē ꝙ diuiditur substantia in communi, ergo diuiditur in membra diuidentia in communi, secus non euacuaretur tota natura diuisi.quarè definitur materia in communi ad materiam Cęli, & ad materiam inferiorum, igitur utraque materia secundum se potentia est.sed opinio ista ab Aristotelis sentētia aliena est, quòd ex plurib. Aristotelis locis validissimè demonstrari potest, & primo probatur ex octauo Met.contex.12.vbi Philosophus differentiam ponens inter materiam Cęli, et materiam inferiorum, sic inquit, in sempiternis autem corporibus materia reperitur solum secundum locum mobilis, & solum potentia vndè & quò, vt etiam repetiuit in 12.contex.10.quòd si solum est materia mobilis secundū locum, cum subiectum motus sit in actu, ergo materia Cęli secundum se existit in actu, & non est potentia nisi ad vbi.cęterum nonnulli ita respondent, quòd cum Philosophus inquit, quòd materia Cęli est solum mobilis secundum locum, & potentia ad vbi, non accipit materiam secundum se, quoniam vt sic non est in actu, nec est subiectum motus, sed accipit materiam Cęli, vt est informata propria forma, & hoc pacto actu est, mobilisque solum secundum locum habens potentiam ad vbi.sed ij Aristotelis intentionem in eo loco minimè sunt assequuti, nam Aristoteles eo in loco loquitur de materia, vt ponitur in definitione, vt patet legenti textum illum.iam verò materia non ponitur vt informata forma, quoniam tunc est, compositum, sed ponitur vt natura simplex, & natura contradistincta à forma & ab alijs causis, ergo Philosophus loquitur de materia vt est contradistincta à forma, & secundum se. cum ergo dicit quòd materia Cęli actu est, vel mobilis secundum locum, id intelligi debet de materia Cęli secundum se non considerata forma.insuper Philosophus in eo loco contradistinguit materiam Cęli à materia inferiorum, tunc quæro, aut Philosophus accipit vtramque materiam vt vtra-

que

que informata est, vel vt materia Celi informata est, & materia inferiorum sine forma. aut accipit vtramque secundum se, & vt sine forma est. si primo modo dicatur, id falsum est, quoniam tunc non contradistinguere-tur materia Celi à materia inferiorum, quia sicuti materia Celi vt informata, est subiectum motus, ita & materia inferiorum, adde quòd vt informata non ponitur in definitione vt dictum est, seclusa forma, ergo non accipitur vtraque vt per propriam formam actuata & formata est. nec dici potest secundo modo, quoniam tunc comparatio esset in æquiuoco, quia accepisset materiam celi vt informata est, & materiam inferiorum vt in formis est. igitur vtraque accipitur secundum se, & sine forma, ergo materia celi secundum se seclusa forma erit in actu, & mobilis secundum locum, materia verò inferiorum erit in potentia, præterea quòd materia celi non sit potentia probatur ex nono Met. 17. vbi Philosophus probans motionem celi non esse laboriosam, ita ratiocinatur, causa laboris, & defatigationis est materia in potentia, non autem quæ actu: materia celi est in actu, igitur materia celi non est causa laboris, in qua ratione duplex supponit dari materiæ genus, vnum quod potentia est quod laboris causa esse dicitur, alterum verò quod actu est, & quòd materia celi actu est, quod ex eo confirmari potest, nam omnis potentia ad esse est potentia contradictionis, & ad non esse, si igitur materia celi est in actu per formam, ab intrinseco autem & ex se est potentia ad esse, igitur erit potentia ad non esse, quare celum non erit æternum, probatur assumptum ex Aristotele nono Met. contex. 17. vbi hac ratione probat æterna non habere potentiam ad esse, si æterna haberent potentiam ad esse, ergo haberent potentiam cõtradictionis & ad non esse. probat consequentiam, quoniam omnis potentia simpliciter vel ad esse, est potentia contradictionis, qua etiam ratione vsus fuit Aristoteles duodecimo libro contex. 30. ad probandum intelligẽtias non esse in potentia. ex qua quidem Aristotelis ratione è medio tollitur potentia illa ad esse tantum, quam etiam vocant ad dimidium contingentis: nam si daretur huiusmodi potentia, Aristotelis consequentia nulla erit, cum inquit, si æterna haberent potentiam ad esse, ergo haberent potentiã ad non esse, quoniã dicam quòd æterna habent potentiam ad esse tãtum, negaboque propositionem illam quam affert probationis loco, quòd omnis potentia simpliciter & ad esse est potentia contradictionis, quoniã dicam semper quòd datur aliquid quod habet potentiam ad esse, quod tamen non seruat potentiam ad non esse, vt dicunt isti: si ergo Aristotelis ratio necessaria est, dicendum est quòd omnis potentia ad esse est potentia ad non esse, & consequenter materia celi si ex se potentia est ad esse, igi-

tur erit potētia ad nō esse, quare cęlū non erit æternū, cū habeat materiam quę est in potētia cōtradictionis ad esse, & ad nō esse. verū fuere nonnulli, & acuti quidē hoīes ex classe B. Thomæ qui huic rationi ita respondere conati sunt, ꝙ potentia duplex est, vna quidē abijciens actum, alia verò coniuncta actui, tunc dicunt quòd omnis potentia abijciens actum est potētia contradictionis, & hanc remouet Aristoteles à substantijs æternis, potentia verò coniuncta actui non est in potentia ad non esse, & hæc reperitur in materia cęli, & de ista non loquitur Aristoteles contextu illo 17. Sed isti non perceperunt quamuis grauissimi sint interpretes Aristotelis intentionem in contex. illo, nam vt patet ex primis verbis illius contextus intentio est declarare, quòd actus secundum substantiam est prior potentia. dicit enim (secundum hanc rationem palàm est quòd actus prior est secundum substantiam potentia) quare de illa potentia loquitur quam actus antecedit; sed hoc non solum est potētia abijciens actum, sed omnis potentia, quæ est passiua & receptiua actus, ergo non solum Philosophus in eo contextu loquitur de potentia abijciente actum, sed de quauis potentia passiua sermonem habet, secus non probaret actum priorem esse secundum substantiam omni potentia, sed solum potentia abijciente actum, itaque subiectum huius propositionis, omnis potentia ad esse est potentia ad non esse, supponit pro omni potentia paßiua & receptiua actus. accedit quòd data responsione ista rueret Aristotelis ratio 12. Met. 30. qua probat quòd substantiæ illæ mouentes cęlum nullam potentiam paßiuam secum teneant, sed sint actus absoluti: sic enim ratiocinatur, Si substantiæ mouentes cęlum potentiam haberent ad esse, ergo potentiam haberent ad non esse, igitur non essent æternæ, & consequenter nec motus ęternus. iā verò si datur potentia ad esse tantum, & coniuncta actui, Aristotelis consequentia nulla erit, quoniam dicam quòd habent potentiam coniunctam actui, non autem potentiam abijcientem actum, & propterea non sequitur quòd possint non esse, sequeretur enim si potentiam haberent abijcientem actum, quare Philosophus non demonstraret diuinas illas mentes esse actus puros, vt infert, & ab omni potentia immunes, sed tantum à potentia abijciente actum. quapropter dicendum est, quòd omnis potentia ad esse est potentia contradictionis nulla facta distinctione de potentia abijciente actum, vel coniuncta actui, & per consequens si materia cęli ex se est in potentia ad esse, erit potentia ad non esse; vltimo & principaliter, quòd materia cęli non sit potentia, sed actu, probatur ex methodo et uia quia Aristoteles cognouit materiam cęli, nam materia cęli ab Arist. inuenta & cognita est ex motu locali, iam verò motus localis non arguit,

nisi materiam, & subiectum in actu, cum potentia ad terminum motus, & ad vbi, igitur ab Arist. in cęlo non cognita fuit alia materia, nisi materia in actu, cum potentia ad vbi, et ideò iuxta hanc methodum qua incessit Arist. 8. met. contex. 12. & vbique dixit in cęlo aut non reperiri materiā, aut solum secundum locum mobilem & actu, potentia verò unde & quo.

Dilucidatio.

PRopositam itaque difficultatem determinantes dicimus, quòd materia cęli quæ alterius rationis est à materia sublunarium, vt superius ostensum fuit, non est potentia, vt censuit B. Thomas, sed sui natura actu est, vt nuper ex Arist. demonstrauimus, quòd etiam rationi maximè consentaneū esse videtur. nam cum materia & forma quoquo modo relatiua sint, vt legitur 2. Phis. 26. igitur qualis diuersitas reperitur in formis, eadem in materiebus reperiri debet. cum autem dentur formæ quæ indigent materia, vt subsistant vt formæ inferiorum, aliæ verò non indigent materia, vt subsistant, vt formæ æternæ. igitur & duo materiæ gradus reperiri debent, quorum alter indigeat forma, vt actu sit, vt materia inferiorum, alter verò nō indigeat forma, vt subsistat, & actu sit sicuti materia cęli. et ita formarum diuersorum ordinum erunt materiæ diuersi ordinis, vt uult Arist. 1. Phis. 26, nam formæ cęlestes cum motrices sint solum secundū locū, materiam habebunt mobilem secundum locum, et ita in actu: formę verò mortales cum generabiles sint materiam habebunt in potentia, & sicut in formis dantur gradus, ita etiam in materiebus gradus inueniūtur, quod adeo mihi rationi, & naturæ ordini consentaneum esse videtur, at Aegidius cū oppositum tenuerit, à recta philosophandi methodo recepisse videatur, quam etiam veritatem cognouit Com. Auer, qui vt inquit Doctor subtilis, qui perraro Auerroem laudare solitus est, solus in hoc Arist. mentem habuiße videtur: inquit. n. Auer. 2. cap. de sub. orb. vbi ponit fundamentum ab Arist. desumptum 9. Meth. 17. hoc autē est, omnis potentia in substantia est potentia contradictionis, in cęlo non reperitur potentia in substātia, igitur in cęlo non reperitur materia, quæ sit potētia in substantia, sed tantū ab vbi, qđ etiam habuit primo Phis. 63. vbi inquit, in cęlesti corpore reperitur materia, quę est potentia ad vbi, sed non reperitur materia, quæ est in potentia ad formā, quoniam reperiretur forma constituta in esse per subiectum, ecce φ ne latum vnguem Auer. ab Arist. recedens, vult quòd omnis potentia ad esse, & ad formam, est potentia ad non esse, idcirco Auerroes semper hoc innixus principio format consequentiam istā, Si in cęle-

sti corpore reperiretur materia in potentia, in actu verò per formam esset in potentia contradictionis, & forma constituta in esse per subiectum, sed non reperitur potentia contradictionis, ergo non reperitur materia, quæ sit in potentia ad esse, actu verò per formam, ex quo patet quòd neq; de Auerrois sententia datur potentia illa ad esse tantum, vt ei imponunt moderni, quoniam si secundum ipsum huiusmodi daretur potentia, argumentum eius peccaret per fallaciam consequentis, & à parte ad totum negatiue, non habet potentiam contradictionis, ergo nullam habet potentiã, quæ respiciat esse, quoniam dicam habere potentiam ad esse tantum. insuper quòd materia cæli ex se actu sit, declarauit Auerr. in Paraphrasi primi de cælo summa 6. iuxta principium, vbi hæc habet, cælum est corpus simplex, non compositum ex materia & forma, accipiendo cælũ pro orbe, sed veluti materia in actu ad formas abstractas, magisque simile materiæ quàm formæ, licet neutri horum similitudinem obtineãt: adumbrat enim materiam, tum quia sensibile, tum quia corpus, tum quia potentiam habet ad vbi: assimilatur autem formæ, quia sua natura existentiam possidet actu, ecce qđ vult materiam cæli sui natura actu existere, & proinde habere similitudinẽ formæ, quam ẽt scripsit 1. cæ. 95. vbi cõtradistinguens materiã cæli à materia inferiorũ sic inquit, inferiorũ materia potentia est: materia autẽ cæli actu est. nec dici põt, vt quidam dicunt moderniores, ꝙ Auerroes accipit materiam cæli, vt informata forma, quoniam comparatio esset in æquiuoco, quia fieret cõparatio inter materiam inferiorũ, vt informis est, & materiam cæli, vt formata. tum ẽt quia capit materiã cæli, vt est cognoscibilis secundum analogiam, perinde ac materia inferiorum: talis autem non est materia formata, igitur non capit materiam cæli, vt est formata forma cum dicit tam esse in actu, sed secundum se, hinc error detegitur nonnullorum Auerroistarum qui secundum mentem Auer. dicunt, quòd materia cæli secundum se potentia sit, actu autẽ constituatur per formam, quod tantum distat ab Auerr. sententia, quantum distat verum à falso, sed licet materia cæli non habeat potentiam ad esse, & ad formam, habet tamen potentiam ad vbi, & proinde inquit Auerr. 2. cap. de sub. orb. quòd materia cæli est perfectior cæteris modis materiæ, quia non est in ea de potentijs, nisi potentia ad vbi. causa verò quare hanc potẽtiam habeat, est, quoniam potentia intrinsecè spectat ad motum, ut patet ex definitione motus, quæ est, motus est actus entis in potentia, vt in potentia, & in contex. 15. eiusdem tertij libri, motus in alio genere collocari nõ potest, quam in genere actus imperfecti, qui semper annexam potentiã habet ad terminum motus, vnde habitibus præsentibus in materia cessat mo-

sat mo-

ſat motus, quoniam ceſſat potentia, quæ eſt de conſtituentibus motum: idcircò cum cęlum moueatur, motus autem ſit actus entis in potentia ad terminum, propterea in cęlo reperitur potentia ad vbi, tanquam ad terminum motus: hanc autem potentiam perpetuò habet, quoniam ſi deficeret iſta potentia deficeret motus cęli, qui eſt actus cum potentia: cum autem motus cęli æternus ſit, ea propter ſemper coniunctam habet potentiam ad terminum motus, & ad vbi. itaque materiæ cęli naturam concludentes dicimus, quòd materia cęli eſt alterius rationis à materia ſublunarium, per ſe exiſtens in actu, ſolum habens potentiam ad vbi. qua concluſione ita conſtituta, ad ea quæ in contrarium adducta fuerunt ita reſpondeamus, & ad primam rationem dicimus, quod illa minor propoſitio falſa eſt, quoniam cęlum non eſt compoſitum per ſe vnum, ita vt ex materia & forma ipſius reſultet vna ſubſtantia, quoniam cauſa quare fiat vnum per ſe, eſt potentia ad formam, ex octauo Meth.contex.15. cum autem materia cęli non ſit potentia ad formam, proinde ex tali materia & forma cęli non fit vnum per ſe, ſed ſolum eſt compoſitum ex materia & forma, aut ex corpore & anima, tanquam ex mouente & mobili: & ideo cum ſit compoſitum vnum quod ex ſe mouetur, ſolum potentiam habet ad terminum motus, & ad vbi. Ad Ariſtotelis authoritatem dicendum, quòd Ariſtoteles 8. Meth. 3. non definit materiam in communi, ſed materiam generabilium, quod ex verbis Ariſtotelis oſtendi poteſt: inquit enim materia potentia eſt, forma autem ſubſtantia eſt ſola ratione ſeparabilis; compoſitum autem cuius generatio & corruptio eſt. ecce quod loquitur de materia, quæ eſt pars compoſiti generabilis & corruptibilis. ſimiliter ſecundo de Anima 2. dici poteſt loqui de materia corruptibilium, vel dato quòd loquatur de materia in communi, vt ratio probare videtur, dicendum quòd vtraque potentia eſt, diuerſimodè tamen, nam materia corruptibilium dicitur potentia ad formam, materia autem cęli dicitur potentia, vnde, & quo, & hæc ſunt quo ad materiam corporis cæleſtis. qualis verò ſit eius forma, & quomodo ſeſe habeat ſequens caput declarabit.

Quæ ſit cœleſtis corporis forma.

HActenus naturam materiæ cæleſtis corporis abundè ſatis explicauimus, nunc quæ ſit eius forma, à nobis conſiderandum eſt, qua in re varij & inter ſe diſſidentes Ariſtotelis interpretes ſunt. Cõmentator vt apud ipſum legitur 12. Met. 38. & 2. ca. de ſub. orb. cẽſuit, ꝙ forma cęleſtis

stis corporis sola intelligentia sit, nec in eo præter hanc alia reperiatur forma, ex altera parte fuerũt alij qui duplicem formam in cęlesti corpore posuerunt, informãtem vnam per quam cęlum in esse constituatur, alterã verò assistentem, vt intelligentiam quæ sibi motum, & operationem largiatur, Sed ij adhuc inter se varij ac discrepantes sunt, nã alij posuerunt formam hanc informantem non esse animam, vt B.D. in prima parte summæ quæst. 7. ar. 3. & Simp. 2. cęli, vbi aduersus Alexandrum tenet, quòd in cęlo non sit idem Anima & natura, sed in eo reperiatur natura distincta ab Anima, per quam cęlum inclinationem habet, vt moueatur: Anima uerò distincta ab hac est principium actiuum circularis motus. Alij verò vt Auicennas & nonnulli ex recentioribus dixerunt formam hanc esse de genere animarum, nõ quidem vegetalem, sed sentientem, per quam cęlum constituitur in actu, & corpus est neque graue, neque leue, vnde secundũ istos in cęlo duplex reperitur compositio vna quidem ex propria materia, & propria forma, per quam cęlum est, & actu existit: altera verò est ex cęlo sic in actu & ex intelligentia tanquam ex nauigio & nauta, & ita ex propria forma fit vnum per se, & secundum substantia; ex intelligẽtia verò quæ cęlo vnitur in actu per propriã formã fit vnũ secundum esse mobile, quod à seipso mouetur: tres ergo in summa de forma cęli extitere sententiæ, vna fuit quod sola intelligentia sit forma cęli, vt Auer. Alia verò quod præter intelligentiam insit propria forma, sed non anima, vt B.D. et Simp. Tertia, quòd propria forma præter intelligentiam sit de genere animarũ quæ imaginatiua dicitur, vt Auic. & recentiores. ij aũt qui propriã formam præter intelligentiã cælo accõmodarunt, hæc habẽt fundamenta, & primo B.D. primo cæli lect. 6. ita probat, cælum seclusa intelligentia est actu ens, secus non ageret in ista inferiora, igitur vel est actus, vel habens actum. non primo, quoniã actus & forma non potest esse subiectũ motus. ergo est habens actum, ergo seclusa intelligentia compositum est ex materia, & forma. amplius cælum seclusa intelligentia est singulare, & indiuiduum, ergo seclusa intelligentia formam habet cum materia. consequẽtia habetur ex Aristotele primo Cæli contex. 92. vbi inquit, quòd qui dicit hoc cælum dicit formã cum materia. addimus nos, & hæc alia duo, nam Aristoteles primo cæli demonstrauit cælũ diuersam habere naturã à quatuor elementis. huiusmodi distinctio & diuersitas cæli à quatuor elementis, vel erit à natura materiæ, vel à natura formæ; non primo, quoniam materia non est causa distinctionis, & diuersitatis, ex 7. Met. contex. 49. si secundo, vel erit à forma separata, & ab intelligentia, vel ab alia forma propria citra intelligentiam. non primo, quoniam cum intel-

ligentia

ligentia non sit quiditas cęli non potest esse causa diuersitatis eius à quatuor elementis: idem enim est principium distinguendi & constituendi rem: cum ergo intelligentia non sit principium constituendi, igitur non erit principium distinguendi cęlum ab alijs. igitur erit propria forma in materia præter ipsam intelligentiam à qua subiectum ipsum recipit esse, & denominationem, scilicet quòd neque graue neque leue appelletur, quamobrem in cęlo præter intelligentiam alia reperitur forma, & ista ratio maximè fauet huic opinioni. prætere id ex Auer. confirmari potest primo Cęli 92. & 95. vbi inquit, impossibile esse aliquid per idem esse sensibile & intelligibile, sed est sensibile per materiam, & intelligibile per formam. iam verò cęlum seclusa intelligentia sensibile & intelligibile est, igitur est sensibile per materiam, & intelligibile per formam: igitur seclusa intelligentia compositum est ex materia et forma. hæc sunt quibus probatur in cęlo præter intelligentiam aliam formam adinueniri. Sed istorum opinio falsa est, & primo aduersus id in quo conueniunt, quòd scilicet cęlum citra intelligentiam propriam formam habeat: instabimus secundò aduersus vtranque separatim, quo ad primum ita probatur, si cęlo inest alia forma præter intelligentiam, tunc intelligentia erit superflua & ociosa. probatur, quoniam nulla alia est necessitas secundum ipsos ponendi intelligentiam, nisi vt ei tribuat operationem, et motum: iam vero si citrà intelligentiam habet formam propriam dãtem esse, ergo ab hac etiam habebit operationē & motum, si quidem omnis forma dans esse rei, dat omnia accidentia consequentia esse illius rei, & est principium operationum illius rei, igitur non erit necessaria intelligentia vt ipsi tribuat operationem, & motum, nisi fortè dicant, quod non omnis forma dans esse rei, habeat rationem agentis, & tribuat propriam operationem rei. Sed hoc est maximè ridiculum, tunc enim euerteretur Aristotelis dictum 2. de Anima 37. vbi inquit, quod Animal quæ est causa vt forma, et actus corporis viuentis, est quoque causa vt agens & principium operationum corporis animati. nam dicam ego id esse falsum, quia licet sit causa vt forma, non tamen est causa vt agens, sed oportet ponere præter hanc aliam formam, quæ viuenti corpori operationem largiatur & motum, sicut est in cęlesti corpore, in quo forma est quæ dat esse cęlo, non tamen sibi largitur propriam operationem: sed præter hanc aliam formam ponere oportet, quæ habeat rationem Agentis, & cęlo propriam operationem largiatur, & ista ratio præsertim recentiores cogit, qui dicunt, quod hæc Anima sentiens quæ est propria forma cęli continetur sub definitione Animæ tradita in secundo libro de Anima, nam si sit est, igitur sicut Anima quæ est

causa

causa vt forma, est etiam agens respectu operationum: pariter propria forma cęli erit etiam agens, & principium motus. Amplius, si hæc propria forma cęli non est principium motus, quomodo igitur innotuit ipsam in cęlesti corpore reperiri? cum forma nō innotescat nisi ex operationib. et Aristoteles non alia Methodo demonstrauit cęlum esse compositum ex duabus naturis, quam ex motu, vt patet ex 8. Phis. itaque omnis forma dans esse rei, ei quinetiam operationem, & accidentia propria largitur, sicut bene dicit Doctor subtilis, quòd vera forma tria habet, dat eße rei, facit vnum per se, dat operationem, & motum. quare cum ista forma dat esse cęlo, ergo ei tribuet operationem & motum, qua superflua erit intelligentia. prӕterea forma hӕc aut erit corruptibilis, aut ӕterna. medium non datur. si primo, ergo cęlum erit formaliter corruptibile, quod falsum est. si ӕterna, ergo à materia abstracta, ergo intelligens, deducitur vltima consequentia ex Arist. 3. de Anima 16. vbi inquit, quòd omne per essentiam abstractum à materia est intelligēs: sicut. n. materialitas causa est, vt forma sit intelligibilis solum, et nō intelligēs, vt inquit eodē loco, ita vacuitas et carentia materiӕ causa est vt forma sit intelligibilis, et intelligens: si ergo huiusmodi forma abstracta est, & non educta de materia, ergo erit intelligens, ergo vniuscuiusque orbis duӕ erunt intelligentiӕ contra Aristotelis decretum 12. Met 44. vbi vnicuique orbi vnicam tantum accomodauit intelligentiam: postremo, tunc Philosophus alias substantias separatas venari non potuisset. probatur, quoniam ex hoc medio eas venatur motus ӕternus, ergo motor ӕternus, igitur substantia ęterna, et à materia abstracta, vt patet ex 8. Phis. & 12. Met. 30. iam verò si datur hӕc forma citrà intelligentiam, dicam quòd hic motor ӕternus, & hӕc substantia ӕterna est propria forma cęli quӕ ipsum constituit in esse. & est principium motus ӕterni, & prӕter hanc non datur alia substantia separata, quare posita hac forma ablata erit via venandi alias substantias separatas. nunc seorsum vtranque opinionem cōsideremus, vt falsitas istarum opinionum magis appareat, & primo opinionem Simplicij & B. doctoris, dicunt isti quòd huiusmodi forma non est de genere animӕ, quod sanè tam falsum est, quàm quod falsissimum. nam si hӕc forma ӕterna est, ergo abstracta à materia, ergo intelligens erit, ergo anima, quinimmo supra animam cum gradus intellectiuus supra animam sit, nam repugnantia est me herclè, asserere, quòd est forma externa, et non est anima, vel intellectus, quoniam si hoc prӕdicatum stat cum subiecto, quòd sit ӕterna, & non sit intelligens, tunc Philosophus ex hoc principio quòd substantiӕ mouentes cęlum sunt ӕternӕ, nunquam potuißet inferrè quòd sunt intelligentes, si dicant isti quòd

Philoso-

Philosophus non demonstrat quòd sint intelligentes ex hoc principio, ꝙ sint æternæ. sed quia sunt actus puri. sed dicāt isti (obsecro) vnde nam Arist. demonstrauit, quòd sint actus puri, nonne ex hoc principio, quia sunt æternæ? sic arguens 12. Met. 30. formæ cęlestes sunt æternæ, ergo omnino à materia, & à potentia abstractæ: ergo puri actus, quòd si ex hoc medio quòd sint abstractæ à materia, & actus puri probauit quòd sint intelligentes, quòd autem sint abstractę à materia purique actus non intulit, nisi ex hoc medio, quia sunt æternæ, igitur esse intelligentes induxit ex hoc, quia sunt æternæ, & propterea egregiè dixit Auer. 2. cap. de sub. orb. quòd natura huius formæ æternæ est natura animæ tantum. Insuper falsum est, & ab Arist. *alienum, quòd huiusmodi forma æterna sit vere natura, nam cū Philosophus 2. Phis. 12. declarasset quòd natura dicitur de forma, declarans de qua dicitur natura, inquit, natura dicitur de forma quæ inseparabilis est à materia, & quæ terminus generationis est, vt inquit etiam in contex. 14. quod etiam confirmauit primo de animalium partibus cap. 1. vbi uolens probare quòd forma æterna & abstracta à materia nō consideratur à naturali, sic ratiocinatur, Philosophus naturalis cōsiderat naturā, non oīs Aīa, vt æterna & abstracta est natura, ergo &c. ecce ꝙ forma æternæ & abiuncta à materiæ cōditionibus non est natura, licet secundū analogiam & proportionē natura dici queat, vt inquit Auer. 2. Cę. 3. quoniā sicut forma corruptibilis q̄uæ vere natura est in proprio subiecto, motū producit, ita forma æterna in proprio orbe, & hoc ēt voluit Aphrodis. Alex. cum dixit, ꝙ in cęlo idem est Anima & natura non intelligens, ꝙ sit verè natura, quoniam si secundum Alex. Anima* Cęli *non est proprie Anima, ut ipse inquit primo suæ* Paraph. *de Anima lib. cap. 9. sed secundum analogiā Anima dici debet, multo minus secundum ipsum erit natura, sed Anima dicitur vt est actus corporis cęlestis, dicitur uerò natura quatenus in proprio orbe motum producit: grauiter enim peccat Simplicius, cum inquit, quòd huiusmodi forma causa est, vt Cęlum moueatur, nā forma non est causa, vt res patiatur, sed vt agat. actio enim & passio à diuersis proficiscuntur naturis, actio quidem à forma, passio uerò a materia, & cuicunque conuenit passio, conuenit rōne materiæ, vt testatum reliquit Arist. 1. de Gener. 55. & secundo lib. 53. quarè opinio Simplicij & Beati Thomę nullo pacto peripatetica est.* Nec *Auicennæ opinio & recentiorū dicentium quòd huiusmodi forma est Anima sentiēs, & imaginatiua Aristoteli consentanea est, siquidem vt habetur secundo de Anima cont. 160. imaginatiua est motus factus à sensu secundum actum, sed in Cęlo non reperiuntur sensus, vt sub finem tertij de Anima Arist. declarauit, quia ne-*

que propter melius Animæ, neque propter melius corporis, ergo in cęlo non reperitur imaginata. nec valet si dicant, quòd ibi in secundo de Anima definitur imaginatiua mortaliũ, & hæc præsupponit sensus externos, non autem imaginatiua cęlestis corporis, quoniam de ipsorum sententia, quando est vna natura communis analoga prius definitur illa natura communis, quàm sua analogata. imaginatiua secundum ipsos dicitur secundum prius & posterius de imaginatiua Cęli & mortalium, ergo prius definitur natura illa communis, & imaginatiua in communi, quàm hęc, aut illa, quarè definitio ista erit de imaginatiua in communi, quòd sit motus factus à sensu secundum actum, & consequenter vtraque præsupponit sensus exteriores. præterea vbi Philosophus egit de huiusmodi imaginatiua quæ est quiditas Cęli, nam cum sit forma, & quod quid est ipsius Cęli, de ipsa necessario erat agendum, secus pertractasset de cęlo, & non declarasset quod quid est, & forma ipsius, quòd si ea non definitur in secundo de Anima, cum alibi non consideretur, igitur nullibi Philosophus de ea pertractauit, itaque purum figmentum est & meræ nugæ, quòd imaginatiua præter intelligentiam in cęlesti corpora reperiatur.

Dilucidatio.

NON recedentes ergo in huius problematis determinatione ab opinione Auerrois, qui hac in re ueram Aristoteles mentem est assecutus, dicimus quòd forma Cęli sola intelligentia est, nec Aristoteles prę ter intelligentiam vllam aliam in cęlesti corpore forma cognouit, qua habita veritate quæ in oppositum adducta fuerunt, persoluamus. & primo ad rationem Beati Thomæ dicimus, quòd illa ratio bis. peccat, primo quidem cum dicit, quòd Cęlum seclusa intelligentia agit in ista inferiora, quod falsum est, nam Cęlum non agit in ista inferiora nisi mediante lumine, & motu: iam verò Cęlum seclusa intelligentia non mouetur, nec lumen habet, cũ ista habeat ab ipsa intelligentia. igitur seclusa intelligentia non agit in ista inferiora: peccat secundo, quoniam argumentum est ab insufficienti, nã cum dicit si est actu, vel est actus, vel habens actum, dicimus quòd nec est actus, nec habens actum & formam, sed est materia per se existẽs in actu, itaque argumentum peccat ab insufficienti. Ad secundam autem rationẽ bis. respondetur, et primo negatur antecedens, quoniam Cęlum seclusa intelligentia nec singulare, nec indiuiduũ est, si quidem ablata intelligentia omnia quinetiam accidentia auferuntur, quibus mediantibus orbis, & Cęlum singulare, & indiuiduum efficitur: secundo de mente Auer. respondere potest,

gest, quoniam Auer. primo Cę. com. 95. dicere videtur, quòd orbis, & materia per se indiuiduata est, respondetur negando consequentiam, ad illam autem Aristotelis authoritatem dicimus, quòd ibi Aristoteles capit Cęlum pro mundo, de quo dubitationem mouit aduersus vnitatem inibi de eo demonstratam, & illa authoritas vera est de mundo & non de cęlesti corpore: & ratio est, quoniam mundus singularis est & indiuiduus per aliud vt per compositionem materiæ & formæ, & proindè qui dicit hunc mundum, formam dicit cum materia, at Cęlum seclusa intelligentia non est singulare, & indiuiduum per aliud, sed per se, & proinde non sequitur formã habere cum materia. vnde illa propositio singulare & indiuiduum formã habet cum materia, veritatem non habet in ijs quæ sunt indiuidua per se sicut sunt substantiæ separatæ, & corpora cęlestia. Ad tertiam verò ità respondemus, quòd Aristoteles primo libro de cęlo demonstrauit cęlum diuersam habere naturam à quatuor elementis: cęlum autem ibi capit ut est subiectum simplex, quod est aptum natum moueri motu circulari, per se existens in actu sine forma. cum autem quæritur an talis diuersitas sit à natura formæ, vel à natura materiæ, dicimus quòd prouenit a natura materiæ, quæ per seipsam distinguitur à natura quatuor elementorum, vnde in hac propositione, Cęlum est alterius naturæ ab elementis, accipitur Cęlum pro subiecto simplici, et pro parte corporea quæ est materia ex se existens in actu, quæ quidem ab intrinseco, & ex sui natura distinguitur à natura quatuor elementorum: hoc enim pacto Cęlum considerauit Aristoteles in lib. de Cęlo, uidelicet quò ad partem corpoream tantum quæ cum actu sit per se quali motu est apta moueri, tali mouetur: Ad vltimam negatur minor propositio, quia Cęlum seclusa intelligentia non est sensibile, si quidem non est sensibile nisi mediantibus accidentibus, vt lumine, figura & motu: hæc autem cum non habeat nisi ab ipsa intelligentia vt ipsemet testatur Auer. 2. cap. de sub. orb. igitur seclusa intelligentia non habet huiusmodi accidentia, quare seclusa intelligentia non est sensibile, quinimmo seclusa intelligentia non est intelligibile per se, siquidem eius natura cognoscibilis non est nisi per analogiam & similitudinem ad ista inferiora, nam sicut se habet subiectum motus localis in inferioribus, ità se habet in corpore cęlesti, sed in inferioribus subiectum motus localis est in actu, igitur & in Cęlo subiectum motus localis actu est: discrimen tamen est quòd subiectum motus localis in inferioribus est actu per formam, in cęlestibus autem est actu per se. vtrunque tamen cognoscibile est secundum analogiam, sed differenter, quia materia et subiectum mortalium cognoscitur per analogiam non quidem ad formam, sed ad materiam artificialem, vt legitur a-

apud Aristo. primo Phis. 69. subiectum autem cęlestium corporum cognoscitur per analogiam ad materiam inferiorum. quoniam ergo Cęlum seclusa intelligentia nõ est intelligibile per se, sed per comparationem ad aliud, ea propter non sequitur, seclusa intelligentia materiæ & formæ compositionem habere, sed hoc in loco occurret aliquis aduersus id quod dictum est, quòd cęlum seclusa intelligentia, quoniam non habet accidentia secum iuncta, sensibile minimè est. nam inquit Auer. primo illo de cęlo 92. et 95. quòd omne sensibile est sensibile per materiam, igitur remotis omnibus accidentibus adhuc Cęlum sensibile erit, cum remaneat materia quæ sentiendi ratio est. dicimus ad hoc quòd materia bif. considerari potest, uno modo secundum se, alio modo vt sensibilibus qualitatibus affecta, tunc dicendum quòd si primo modo consideretur materia non est causa sentiendi, quoniam si daretur compositum ex materia et forma sinè sensibilibus qualitatibus, vt sine colore non esset visibile, quoniam vt habetur secundo de Anima contex. 63. substantia per accidens sensibilis est mediantibus qualitatibus ipsis, vt visibile vt coloratum, gustatile vt saporosum: si verò secundo modo accipiatur materia vt sic causa est vt res sensibilis sit, verum ratio formalis sentiendi per quam aliquid dicitur sensibile est qualitas sensibilis, quę per seipsam sensibilis est, & cętera per ipsam: color enim per se visibilis est & ratio alia sentiendi. materia verò concurrit vt conditio agentis. cum ergo inquit Auerro. quòd quicquid est sensibile, est per materiã, non accipit materiam primo, sed secundo modo, licet ergo in Cęlo seclusa intelligentia remaneat materia, quia tamen non remanet accidentibus affecta, propterea non est sensibile. ex his itaque quæ hactenus dicta sunt mihi satis conclusum esse videtur, in cęlesti corpore præter intelligentiam nullam aliam formam adinueniri, sed nunquid intelligentia ei vniatur vt motor, vel vt forma ne legentium animos nimia prolixitate tędio afficiamus, sequens caput declarabit.

An intelligentia sit forma dans esse corpori cœlesti.

C*VM in cęlesti corpore (vt superius ostensum est) nulla alia reperiatur forma nisi intelligentia, nunc illud considerãdum est, an corpori cęlesti vniatur vt forma, vel vt motor, hoc est an sit forma informans, vel assistens, perinde ac nauigio nauta, & licet huius problematis resolutio ex superioribus aliquo pacto haberi queat, nihilominus vt magis atque magis*

veritas

veritas illustretur, & aliorum dicta hac in re omnibus conspicua fiant id, mihi in præsenti capite inuestigandum proposui, in cuius problematis determinatione non est eadem apud omnes opinio, Achillinus tertio libro de orbibus dubio primo, Suessa. & ex modernioribus plurimi alij, de Aristotelis & Auerrois intentione dixerunt, quòd intelligentia est forma dans esse formaliter Cęlo. quam opinionem pluribus rationibus & authoritatibus persuadere conati sunt: & primo per rationem formæ hoc pacto, Forma, vt habetur secundo Phisicor. context. 28. est quod quid est esse rei, igitur intelligentia cum forma sit, est quod quid est ipsius Cæli, quod confirmant ex Aristotele secundo de Anima 37. vbi (vt inquiunt) ita ratiocinatur. Anima forma est. igitur causa est vt viuentia sint, à pari intelligentia forma est, igitur causa est, vt cęleste corpus actu sit: Secundo quòd intelligentia sit forma dans esse probatur ex ratione Philosophi, secundo de Anima 24. qua probat Animam esse corporis actum, omne id per quod alicui propria operatio inest, corporis actus est, sed per intelligentiam Cęlo propria operatio inest, igitur intelligentia cęlestis corporis actus est, et forma dans esse: tertio, quod vnitatem largitur rei, idem tribuit esse, quoniam ab eodem est esse, et vnum esse, vt habetur 2. de Anima contex. 7. & quarto Met. 3. sed intelligentia cælesti corpori vnitatem largitur, ergo eidem tribuit esse: minor patet ex Auerro. secundo Cęli, vbi inquit, quòd ex intelligentia & orbe fit magis vnum quàm ex materia & agēte, igitur intelligentia quæ abstracta est, cęlestis corporis causa erit ut forma, finis, & agens, sed causalitas formę est dare esse rei, igitur intelligētia dabit esse formaliter Cęlo: probāt insuper hoc nonnullis Auerrois authoritatibus, & primo ex Auerrois authoritate primo Phisic. 63. vbi inquit, quod cęleste corpus constituitur per intelligentiam, sed intelligentia non cōstituitur per corpus cęleste, iam vero sicut negatur de intelligentia quod constituatur Cęlo, ita affirmatur de ipso, quod constituatur ab intelligentia, sed negatur, quod intelligentia secundum esse, constituatur à Cęlo, ergo affirmatur de ipso, quod constituatur ab intelligentia secundum esse. itaque intelligentia cōstituet Cęlum in esse, atque ita erit forma informās. Accedit alia Auerrois authoritas primo Cęli 95. vbi apertissimè inquit, quod materia Cęli nō est per se existēs in actu, igitur erit in actu per intelligentiam, sed id per quod res actu est, dicitur esse forma informans, ergo intelligētia dicitur esse forma informās. postremo afferūt Auerrois authoritatem in Paraphr. metaf. tract. 4. vbi sic inquit, Substantię abstractę non sunt tantum motores corporū cælestium, immo dantes eis formas suas quibus sunt id quod sunt. hæc sunt ex quibus ostēdunt de Aristotelis et Auer

rois

rois sententia intelligentiam esse formam dantem esse formaliter cælo, sed opinio ista, nec est ad mentem Aristotelis, nec ad mentem Auerrois. & quamuis summi Aristotelis & Auerrois interpretes, & præcipuè Zimara infinita adduxerint argumenta, nihilominus non tetigerunt radices, & vera Aristotelis, & Auerrois fundamenta, hinc factum est, quòd oppositam tenentes partem ipsorum argumenta facilè subterfugere potuerunt. Nos autem multitudinem argumentorum derelinquentes, quoniam perfectio rerum non numero, sed pondere dimetitur, vera Aristotelis, & Auerrois fundamenta inquiremus, & primo horum opinionem non esse ad mentem Aristotelis, mox non esse ad mentem Auerrois ostendemus. quòd autem non sit ad mentem Aristotelis ita probatur, Si intelligentia est forma dans esse, ergo cum orbe facit vnum per se, quoniam vt supra ex quarto Meth. 3. & secundo de anima contex. 7. ab eodem est esse, & vnum esse, sed non potest fieri vnum per se, nisi quia vnum est actus, & reliquum potentia ex 8. Meth. contex. 15. igitur si intelligentia est forma dans esse, materia cæli est in potentia ad esse, atqui materia cæli non est in potentia ad esse, quoniam tunc esset in potentia contradictionis, & ad non esse, vt superius abunde satis demonstratum fuit. si itaque materia cæli non est in potentia ad esse, igitur non potest fieri vnum per se. igitur intelligentia non est forma informans, quoniam antecedens non stat cum opposito consequentis: Nec valet modernorum responsio dicentium, quod potentia duplex est. vna ad esse tantum, & ad dimidium contingentis: alia verò ad vtrumque, & quòd materia cæli est in potentia ad esse tantum, & per hanc recipit intelligentiam ipsam cum qua facit vnum per se, quoniã si illa distinctio esset vera, euerteretur Aristotelis ratio nono Met. 17. vbi probat, quòd æterna non habent potentiam ad esse, quoniam tunc haberẽt potentiam ad non esse. & 12. Meth contex. 30. vbi probat intelligentias in sua substantia potentiam non habere, quoniam tunc haberent potentiã ad non esse. quis enim asserere posset in sua substãtia intelligentias potentiam habere, quæ secundum dimidium contingentis est? & proinde inferre non licet, ipsas contingere non esse. ea propter dixere nonnulli, vt hanc vitarent difficultatem, quòd anima cæli est forma informans, & facit vnum per se, non tamen materia cæli est potentia, quoniam ex materia cæli, & forma vnum per se fieri potest. etiam si materia cæli non sit potentia ad esse, responsio ista tam procul abest ab Aristotelis sententia, vt nihil magis, nam si fieri posset vnum per se absque potentia, tunc rueret ratio, quã assignat Philosophus 8. Meth. 15. cum inquit, quod ideò fit vnũ per se, quia vnum est actus, & reliquum potentia: dicam enim ego, quòd altera causa

superflua

superflua est, scilicet potentia, quoniam vnum per se fieri pōt actu solum absque potentia, sicut efficitur ex forma, & materia cæli: si itaque ratio ab Arist. assignata consistere debet, dicendum, quod vnum per se necessario includit actum & potentiam tanquam causam adæquatam, nec ullo pacto vnio formæ per informationem cum materia fieri potest absque potentia: præterea velint, nolint isti fateri coguntur, quod si est forma informans, necessariò materia est in potentia, quòd ita probatur. Si anima cæli dat esse, & tribuit actum materiæ, igitur materia cæli sui natura caret esse, & caret actu: & quoniam est apta nata perfici, & recipere actum, igitur in materia cæli reperitur carentia cum aptitudine ad recipiendum actum, sed carentia cum aptitudine priuatio est. ergo materia cæli secum annexã & comprehensam habet formæ priuationem, sed priuationi semper iuncta est potẽtia ad formam, vt etiam declarauit Themistius celebri illa digressione primo Phisicorum de potentia materiæ. igitur si in cælo reperitur forma informans, in materia cæli necessariò reperitur potentia ad formã, quòd ipsi aufugere voluerunt, vt argumenta vitarent aduersus primã responsionem adducta: cum autem materia cæli non sit potentia ad esse, sed natura quædam per se existens in actu, igitur ex hac materia & forma non potest fieri vnum per se, cum duo actu non fiunt vnum actu, vt legitur 7. Meth. tex. 49. nec ipsi materiæ per informationem vniri potest, cum forma informans materiam postulet in potentia: secundo, & principaliter vtor argumento communi, si intelligentia esset forma informans, igitur numeretur per accidens ad motum subiecti. consequens falsum est ex octauo Phisic. deducitur consequentia, quoniam omnis forma recepta in materia, & perficiens materiam mouetur ad motum sui subiecti. Sed ij argumentum hoc facilè dilui posse existimarunt. dicentes quòd forma informans in duplici differentia est: alia enim est forma informans constituens subiectum, & constituta in esse per subiectum, sicut sunt formæ materiales. alia verò est forma informans constituens subiectum, sed non constituta per subiectũ, tunc dicunt, quòd forma informans constituta in esse per subiectum mouetur per accidens ad motum sui subiecti, non autem forma informans non constituta, quia huiusmodi forma non est extensa in materia: iam verò intelligentia est forma informans non constituta per subiectum, ea propter non mouetur per accidens ad motum subiecti. fuit distinctio hæc de duplici formarum genere sacra (vt aiunt) anchora, qua isti omnes nodos dissoluere, & omnes scopulos aufugere crediderunt. & licet Zimara totis viribus hoc duplex formarum genus demoliri conatus sit, id tamen ex Aristotele non effecit, & satis debiliter ex Auer. comprobauit, vt

vnus-

vniusquisque apud ipsum proprio quæsitò de triplici causalitate intelligentiæ perlegere potest. demonstrabimus autem nos distinctionem hanc non esse ad mentem Aristotelis, & suo loco non esse ad mentem Auerrois, q non detur forma informans non educta de materia probatur ex Arist. secundo de Aaima 11. vbi tradita animæ definitione infert hoc corrolariũ, Anima est actus, & quod quid est corporis animati, ergo est à corpore inseparabilis, aut quædam subiectæ animæ partes si partibilis est. ecce quod forma informans, & quæ est quod quid est rei, est à corpore inseparabilis, & consequenter educta de materia, quod si daretur forma informans non educta, tunc Aristotelis consequentia falsa esset, cum inquit, est quod quid est corporis animati, ergo à corpore inseparabilis, quoniam antecedens stat cum opposito consequentis, nam datur forma, quæ est quod quid est corporis, & tamen non est inseparabilis, nec constituta per subiectum. secundo ita probatur, si est forma informans, & perficiens materiam, ergo materia sui natura actum excludit, & ex se potentia est. ergo si est forma informans recipitur in materia in potentia. hoc stante sic arguo, Omnis forma recepta in materia in potentia educitur de potentia materiæ, sed per hypotesim omnis forma informans recipitur in materiam potentia, ergo. Omnis forma informans educitur de materia. maior propositio probatur, quoniam cum forma recipitur in materia in potentia aut extrinsecus inducitur, aut educitur, sed non extrinsecus inducitur: hæc enim opinio Academicis ascribitur, non aũt Aristotelis fuit. nam vt scribit Auerr. 8. Meth. 15. & 12. Meth. 18. agens non congregat formam cum materia, sed formam extrahit de potentia ad actum. cum itaque secundum Arist. forma in materia ab extrinseco non inducatur, sed educatur, igitur omnis forma recepta in materia in potentia, & unita materię per informationem, de sinu materiæ educta est. quod ex eo confirmatur, quia omnis forma quæ recipitur in materia in potentia ad esse, recipitur in materia quæ est in potentia ad non esse, vt crebrò dictum est. ergo illa forma poterit non esse, ergo corruptibilis, & educta, igitur omnis forma recepta in materia in potẽtia necessario de materia educta est. & quia omnis forma informans recipitur in materia in potentia, igitur omnis forma informans educta est. quare distinctio illa ad quam miseri isti confugiunt de forma informante cõstituta, & non constituta ab Aristotele prorsus aliena est. quamobrem si intelligentia est forma informans, igitur reciperetur in materia in potentia, ergo de materia esset educta, igitur extensa, & diuisa ad diuisionem subiecti, igitur per accidens mobilis ad motum subiecti, quod probandum erat. præterea si intelligẽtia est forma informans, & quiditas cęlestis corporis, igitur talis

tur talis quiditas ab aliquo artifice considerari debet. aut ergo considerabitur à mathematico, aut à diuino, aut à naturali Philosopho: non à Mathematico, quoniam Mathematicus substantiam non contemplatur, & si aliquis ex Mathematicis de substantia theoriam facit, vt Astrologus, non tamen ita altius sese attollit, vt formam, & cęli quiditatem contempletur: non à diuino, quoniam diuinum considerat intelligentiam, & animam cęli non ea ratione qua est principium determinati entis, sed ea ratione qua est principium entis. hic enim est conueniens considerandi modus primi Philosophi, vt statuit Aristoteles sexto Meth. contex. primo, vbi sic inquit, Quæruntur enim principia entium, inquantum entia sunt, non à naturali Philosopho, quoniam vel in octauo Phis. vel in lib. de Cęlo, vel in lib. de Anima, in alijs enim naturalis scientiæ partibus considerari non potest. Sed non consideratur in octauo Phis. quoniam ibi agitur de primo motore sub ratione mouentis, non autem sub ratione formæ, non in lib. de Cęlo, quoniam vt vnicuique patet qui accuratè perlegit et primum & alterum librum de cælo, ibi non agitur de forma cęlestis corporis, sed duntaxat de parte corporea disputatio habetur: non in libris de Anima, vt ipsis videtur, quoniam, vt superius dictum fuit, in libris de Anima ea anima definitur, quæ est actus illius corporis animati, quod ponitur in diuisione corporis naturalis in tex. 3. secundi libri, sed corpus illud animatum quod est membrum diuisiuum corporis naturalis, illud est ut ibi describit Philosophus, quod in se principium habet nutritionis, & incrementi, hoc autem est corpus generabile & corruptibile, igitur in libris de Anima duntaxat definitur & consideratur anima corporis generabilis, & corruptibilis, sicut ẽt extat oĩum Græcorũ sententia, itaq; nec in libris de Anima cęlestis corporis quiditas consideratur. cũ ergo intelligentia, vt quiditas cęlestis corporis à nullo artifice cõsideretur, igitur nõ erit forma informãs & cęlestis corporis quiditas. postremo si esset intelligẽtia forma informãs, cęlũ nõ diuideretur in partẽ per se mouentẽ, & partẽ per se motam, quod Aristoteli aduersatur, qui 8. Phis. statuit cęlum diuidi in partẽ per se mouentẽ, & partẽ per se motam, cum à seipso moueatur. consequentia conspicua est, quoniam si intelligentia est forma constituens materiam in actu, ipsa erit pars per se mouens. pars verò per se mota non potest esse materia, quoniam cum de se non sit in actu, sed in potentia, non potest esse pars per se mota, quoniam subiectum motus localis actu est. vt legitur quinto Phis. contex. 8. si itaque intelligentia esset forma informans, cęlum non diuideretur in partem per se mouentem, & partem per se motã, quod cum falsum sit, falsum erit id ex quo sequitur. hæc sunt ex quibus iã

probatum esse arbitramur opinionem hanc non esse ad mentem Aristotelis. Nunc verò superest, vt demõstremus opinionem hanc non esse ad mentem Auerrois, cuius doctrinam ipsi tantopere profitentur, cuius opinionẽ lubenter perpendimus, tum propter illos qui Auerrois dogmata insequuntur, tum etiam, vt ostendamus istos illum authorem non intelligere quem profitentur: accipimus autem in primis principium hoc secundum doctrinam Auerrois, quòd omnis forma informans educta est de potentia materiæ, cuius principij veritas ex ipsomet ita ostenditur, Si forma dat esse actu materiæ, igitur materia sui natura nec actu est, nec habet esse, ergo suapte natura potentia est ad recipiendum esse. igitur omnis forma dans esse, perficit, & recipitur in materia, quæ est in potentia ad esse, sed ubi materia est, quæ in potentia est ad esse, ibi est forma constituta per subiectum, ut aperta est Auerrois sententia primo Phis. 63. vbi sic inquit, In cęlo reperitur potentia ad vbi, non potentia ad formam, quoniã si reperiretur materia, quæ sit potentia ad formam, ibi reperiretur forma constituta per subiectum: quoniam autem nõ reperitur materia, quæ sit in potentia ad formam, ideo non reperitur forma constituta per subiectum, hæc Auer. si igitur vbi forma dans esse, ibi materia in potentia ad esse, & vbi potentia ad esse, ibi forma constituta per subiectum: igitur de primo ad ultimum, omnis forma dans esse est forma constituta per subiectum, & educta de materia, quamobrem talis discursus in forma erigi potest, Omnis forma recepta in materia, quæ sit in potentia ad esse est constituta in esse per subiectum, omnis forma informans recepta est in materia, quæ est in potentia ad esse. igitur omnis forma informans est cõstituta per subiectum, & educta de materia. quòd si quis dicat illa maior propositio intelligitur de forma recepta in materia, quæ est in potentia ad esse, & ad non esse, non autem de materia, quæ est in potentia ad esse tantum, & cum Auer. inquit, quòd vbi materia, quæ est in potentia ad esse, ibi forma constituta per subiectum intelligit de materia, quæ est in potentia ad utrunque contingẽs, non autem ad esse tantum. responsio ista falsa est, quoniam Auer. ibi, non accipit potentiam in substantia, vt contradistinguitur à potentia ad esse tantum, sed vt contradistinguitur à potentia ad vbi, quoniam sic inquit, In cęlo reperitur potentia ad vbi, sed non reperitur potentia ad formam: ecce quòd accipit potentiam ad formam, vt contradistinguitur à potentia ad vbi, & non ab alia potentia ad esse tantum. præterea secundum Auer. omnis potentia in substantia, & ad esse, est potentia ad non esse, vt patet sub initium secundi cap. De sub. orb. vbi ita ratiocinatur, In cęlo non reperitur potentia in substantia, & ad esse, quoniã si hæc potẽtia reperiretur,

tunc

tunc esset potentia contradictionis, & ad non esse, iam verò si secundum ipsum daretur potentia ad esse tantum, consequentia nulla esset, quoniam dicam, quòd in cęlo reperitur tantum ad esse, & ideo non sequitur quòd sit potentia contradictionis, & ad non esse, quare secundum doctrinam Auerrois qui in hoc est Aristotelem insecutus, omnis potentia ad esse contradictionis est, & per consequens omnis forma quæ vnitur materiæ per informationem, & recepta in materia in potentia constituta est, & deducta de materia. hinc velim te de Auerrois sententia colligere propositiones istas, Prima est, quòd omnis potentia ad esse est contradictionis & ad non esse, quæ fuit etiam Aristotelis nono Met. 17. Altera propositio est, quòd vbi potentia, ibi forma habens contrarium. vnde semper Auer. format consequentiam istam, si æterna haberent potentiam præter potentiam ad vbi, haberent contrarium, quæ ratio ex eo necessitatem habet, quoniam vbi potentia, ibi forma habens contrarium. Tertia propositio est, quòd omnis forma recepta in materia in potentia ad formam de materia educta est, quo principio innititur Auerrois consequentia primo Phi. 63. vbi potentia ad formam, ibi forma constituta per subiectum. Hinc sequitur quarta propositio, quòd cum omnis forma dans esse recepta sit in materia in potentia, quòd omnis forma dans esse educta est de materia, in quibus propositionibus cum Beatus doctor Auerroi contradicit, Aristoteli quoque maximè contradicit, quibus sic explicatis, illoque firmato principio, itá argumentamur, omnis forma informans educta est de potentia materiæ, intelligentia non est forma educta de materia, igitur intelligentia non est forma informans. Secunda ratio principalis ex Auer. omne compositum est nouum, & corruptibile, quo principio vtitur ipse 12. Met. com. 39. sed si intelligentia est forma dans esse cęlo, cęlum erit compositum ex materia, & forma dante esse, ergo cęlum erit nouum & corruptibile. Sed huic rationi hunc in modum isti satisfaciunt, dicentes, quòd illa maior propositio intelligitur de materia quæ est potentia contradictionis, & forma habente contrarium, et constituta per subiectum, iam verò cęlum non est compositum ex materia quæ sit potentia contradictionis, & forma constituta. ea propter non sequitur cęlum esse nouum & corruptibile. Cęterum quia ista responsio eo capite reprobata est, quo perpenditur illa propositio, omne compositum est nouum, ideò lectorem ad illum locum reijcimus, ne toties eadem repetamus. tertio, si intelligentia est forma dans esse, aut orbi vnitur ex se, & sine agentis beneficio, aut orbi vnitur mediante agente: si dicatur secundo modo, tunc prima intelligentia non erit simpliciter incausata, quoniam supra se habebit aliud agens. adde quòd vt inquit ipsemet

met Auer.8.meth.15.& libr.12.com.18.agens non congregat formam cum materia,sed formam extrahit de potentia ad actũ.igitur prima, aut quæuis alia intelligentia vnitur orbi mediante agente, igitur extrahetur de potentia ad actum,igitur non erit æterna. quam consequentiam etiam formauit Auer.12.Met.39. loquens de compositione primæ substantiæ contra Saracenos inquiens, quod si in prima substantia vna pars alteri componatur mediante agente,altera erit educta de potentia ad actum. si vero dicatur quod per se sine agente orbi vnitur,tũc daretur compositum aliquod per se sine agente,quod est contra Auer.nona disput.sol. primi dubij,vbi redarguit Algazelem dicentem,quod datur corpus antiquum compositum per se sine agente,sicut datur ens à se, ex quo respondebat argumento Philosophorum dicentium,primum motorem non esse corpus compositum, quoniam omne compositum habet agens. quam propositionem negauit Algaz.dixitque dari corpus compositum æternum sine agente. Auerroes autem responsionem istam redarguit dicens,sed non datur aliquo pacto corpus compositum æternum absque agente, vt scriptum est in libro Philosophorum,nec par iudiciũ est de ente,et de cõposito, quòd sicut datur ens à se,ità detur compositum à se:si itaq; daretur secundum Auer. compositum aliquod ęternum absque agente,tunc non esset impugnata Algazelis responsio, quinimmo Auerroes iret in sententiam Algazelis, quam reprehendit, quod etiam probatur ex Auerro. 12. Met. 39. vbi redarguit solutionem illam traditam per Sarracenos, quòd substantiæ illæ quę primam intelligentiã componunt per se vniantur,& per se componantur,sic inquiens, Si huiusmodi substantiæ sunt per se compositę,ergo per se sunt de potentia ad actum deductæ sine agente, ecce quòd pro inconueniẽti habet quòd aliqua per se componãtur absque agente: secus non esset impugnata Sarracenorum respõsio si aliqua per se componi possunt sine concursu agentis.hinc sequitur quòd illa propositio, causalitas causæ intrinsecæ necessario præsupponit causalitatẽ causæ extrinsecæ & efficientis, est vniuersaliter vera, & non solum in materialibus vt limitant moderni. adde etiam, quòd si intelligentia per se vnitur orbi per informationem, ergo per se educitur de materia, consequentia est Auerrois loco citato,vbi sic ratiocinatur:sit substantiæ illæ primam intelligentiam componentes per se in vnum componuntur,ergo per se educuntur de potentia. quòd si Auerrois ratio concludit, itidem & nostra, quare siue intelligentia vniatur materiæ mediante agente,siue per se,sine agentis concursu,aliunde sequitur & inconuenientia:igitur intelligentia nullo modo per informationem orbi copulari potest:postremo Auer.1.Cęli 95.postquam declarauit conuenientiam

tiam inter materiam cęli & inferiorum, quòd vtraque cognoscibilis est in ordine ad aliud, differentiã ponens inter vtranque, sic inquit, Materia infe riorum potentia est, materia autem cęli actu est, tũc quæro aut Auer. accipit vtranque materiam informatam, aut materiam inferiorum, accipit secundum se, & materiam cæli in actu per formam, aut accipit vtranque secundum se, non consideratis formis. primum quidem dici non potest, quoniam accipit vtranque vt cognoscibilis est in ordine ad aliud: dicit enim sicut materia sublunarium cognoscibilis est in ordine ad aliud, ita materia cęli. iam verò materia vt informata est, & actu per formam non cognoscitur in ordine ad aliud: accedit quòd contradistinguit materiam cęli à materia sublunarium, quoniam materia cęli est natura per se indiuiduata: materia verò inferiorum non est per se indiuiduata, igitur non accipit vtranque materiam vt vtraque informata est. nec secundum dici potest, quoniam tunc comparans esset in æquiuoco. adde quod accipit materiam cęli vt est indiuiduata & vna numero per se, ergo accipit materiam cęli seclusa forma: quare dicendum est quod accipit vtranque materiam secundum se seclusis formis, quod scilicet materia inferiorum secundum se potentia sit, materia autem cęli secundum se sit in actu: si igitur per se actu est, non igitur secundum Auer. indiget intelligentia informante, & actuante, ex quibus superque satis probatum existimo, vt multa alia silẽtio inuoluam, istorum opinionem non esse ad mentem Aristotelis, nec etiam ad mentem Auerrois.

Dilucidatio.

REM itaque determinantes dicimus, quod vera & germana Aristotelis, & Auerrois sententia est, quod intelligentia non est forma dans esse, nec cælo vnitur vt forma, quemadmodum superius vberrimè demonstratum fuit. sed cælo vnitur tanquam motor, & forma est, vt aiunt, assistens perinde ac nauigio nauta ei tribuens motum; neque enim per methodum qua progressus est Arist. quæ motus est secundũ locum. 8 lib. Phi. in cælesti corpore aliam compositionem cognouit ex forma æterna & orbe, quam vt ex mouente & mobili. verum quia motus secundum locum est unus ex illis quatuor uitæ gradibus ab Aris. 2. de Anima 13. enumeratis, de illo loquor qui à seipso fit, quoniam talis animatorum est, ut idem testatur 8. Phis. 29. viuere autem uiuentis est esse, vt inquit secundo de Anima contex. 37. & iuxta multiplicem uitæ gradum multiplex

etiam

etiam est esse, Deo intelligentia tribuens motum cælo tribuit sibi vitam, et tribuens sibi vitam, dicitur sibi tribuere aliquo modo esse. sed huiusmodi esse non est per informationem, aut quia deducat materiæ potentiam ad actum, sed est esse viuens secundum hunc vitæ gradum, qui motus est secundum locum, ex qua determinatione illud consequitur, quòd intelligentiæ non sunt veræ formæ, sed potius causæ agentes sunt. formæ namque ratio in eo consistit, vt rem constituat in esse, vt patet ex 2. de Anima 37. vbi ex hoc medio probat, quòd anima causa sit, vt forma, quoniam causa est, vt res ipsa sit. cum ergo intelligentiæ non sint causæ, vt cælestia corpora actu sint, in quo formæ ratio consistit, ideò à ratione formæ deficiunt. quoniã verò causæ sunt operationis & motus; idcirco agentes sunt, etenim ex hoc medio loco citato cõcludit Philosophus, quòd anima est causa agẽs, quoniam principium est operationum corporis animati & sumitur ex definitione agentis: agens enim est principium vnde motus, quare intelligentiæ non formæ, sed potius agentes causæ sunt, tametsi formæ dici possint, quatenus cælestia corpora conseruant in esse, non quia suaptè natura corruptibilia sint, sed quoniam, vt inquit Auer. secundo cap. de sub. orb. si intelligentia non esset cælum, non esset. sed hæc non est causalitas formæ, sed potius agentis. verum quia se habent ad instar formæ, quia positis ipsis cælestia corpora ponuntur, & ipsis ablatis auferuntur, ideò causæ, modo formæ dicuntur, sicuti interpositio terræ dicitur forma eclipsis, non quia vera forma sit, quoniam est extra quiditatem eclipsis, & causa efficiens ipsius, sed quoniam ipsa posita ponitur eclipsis, & ipsa ablata aufertur, ea propter causa dicitur, vt forma, vt testis etiam est Auerr. primo Post. 35. quibus sic explicatis nunc reliquum esse videtur, vt rationes in oppositum adductas perpendamus, & reijciamus. et ad primam quæ sumitur ex definitione formæ, dicimus, quòd illa definitio non competit omnibus formis, sed solum formis generabilibus, & corruptibilibus, quòd ex eo patet, quoniam Philosophus eam formam definit, de qua proposuit agere in vltimo textu primi Phis. Sed ibi seclusa forma à materia separata de formis naturalibus generabilibus pertractare instituit, igitur 2. Phis. solum formam generabilem & corruptibilem definit, & huic duntaxat secundum placita Aristotelis competit vniri materiæ, vt formam. ad confirmationem ex secundo de Anima dicimus, quòd isti præposterè accipiunt rationem Aristotelis, nam illud quod est conclusio accipiunt pro medio, non enim Philosophus ibi ita ratiocinatur, forma est causa, vt res sit, Anima est forma, ergo st causa, vt res sit: quoniam ibi non intendit concludere, quod sit causa vt res sit, sed quod sit causa in triplici genere causæ, vt forma, finis, & agẽs,

quare quòd forma sit, non est medium in ea ratione, sed conclusio: & ratio huiusmodi est, id quod est causa, vt res sit, forma est, Anima est causa vt viuens sit, igitur anima est causa, vt forma, ecce quòd habita Aristotelis intentione apertissimè constat, quòd isti contrario modo Aristotelis rationem accipiunt. Sed dices, Aristoteles secundo de Anima contex. 2. formam definiens inquit, forma est substantia per quam est hoc aliquid & in actu. certum est autem, quòd ibi definitur forma in communi ad corruptibilem, & æternam, quoniam definitur forma, quæ est membrum diuisiuum substantiæ in communi, & quę est membrum condiuidens ipsum ens, atque forma quæ continet animam intellectiuam, quoniam ea forma definitur, quæ ponitur in definitione Animæ, atqui in ea definitione ponitur actus, & forma, quæ continet animam intellectiuam, igitur in tex. 2. definitur forma, quæ etiam animam intellectiuam complectitur. cum autē hæc æterna sit, & immortalis, igitur complectitur formam æternam, quamobrem forma æterna est substantia per quam aliquid est in actu, tenentibus animam intellectiuam æternam & immortalē sicuti nos tenemus, & de Aristotelis sententia teneri debet. argumentum aliquam facit difficultatem. Nos tamen ita respondemus, quòd forma quæ definitur contex. illo secundo ambitu suo complectitur formam corruptibilem & æternam, vt probatum est: cum aūt dicitur, igitur forma æterna constituit rem in actu. respondetur quòd constituere aliquid in actu bif. intelligi potest, vno modo quo ad esse substantiale, ita vtpotè etiam materiæ deducat ad actū. alio modo quo ad perfectum aliquem vitæ gradum, tunc dicimus, quòd forma æterna facit hoc aliquid, & constituit rem in actu, non primo modo, quia hoc solum, vt prius competit formæ corruptibili, sed secundo modo, & ita Anima intellectiua dicitur constituere hominem in actu, accipiendo hominem pro gradu illo eminentiori, & quò ad esse diuinum, quò ad gradum videlicet intellectiuum, & similiter intelligentia cęlum constituit in actu, quia ipsum deducit ad perfectiorem vitæ gradum, vtpotè ad gradum intellectiuum, appetitiuum, & motiuum secundum locum. Ad aliam rationem negatur maior. ad Aristotelem autem dicimus, quòd per illud medium non intendit probare quòd Anima sit forma dans esse, sed solum quòd sit actus & forma, non autem corpus, & materia. quod patet ex conclusione quam infert dicens, Anima est principium quo viuimus &c. quare Anima forma est & species, non materia & subiectum, ecce quòd ex hoc medio non concludit, quòd sit forma dans esse, sed quod non sit materia, & subiectum. præterea admissa illa maiore, adhuc non habetur intentum, quoniam illa maior propositio intelligitur de eo per quod conuenit operatio, vt principium

quo, non

quo,non vt quod, iam verò intelligentia non est principium quo mouendi, & intelligendi, sed principiū quod mouet, & intelligit cum sit natura per se subsistens, idcirco non sequitur quod intelligentia sit forma dans esse, quare sic intellecta maiore,minor propositio est falsa. Ad alteram negatur minor: ad probationem autem dicimus, quòd Auerr. non intelligit quod ex intelligentia & orbe fiat vnum per se,vt ipsi temerè arbitrantur, vt alias ostensum est, sed intelligit quòd ex intelligentia & orbe magis vnum,hoc est magis indiuisibile quam ex materia & forma materiali: nec officit alia ratio, quia forma abstracta, est causa cęlestis corporis, vt efficiens,finis,& forma, efficiens quidem quatenus est principium motus:est etiam causa, vt finis, quoniam cęleste corpus propter intelligentiam est, vt eo videlicet vtatur ad suam bonitatem communicandam, omnia enim phisica corpora animæ instrumenta sunt pro exercēdis eius operationibus: est quoque cęlestis corporis causa,vt forma,non quidem secundum causalitatem veræ formæ, sed dicitur forma quatenus est agens conseruans cęlum, id enim quod alterum conseruans est, modo formæ sese habet, quod etiam declarauit Auer.4.cę commen.primo.nunc ad Auerrois authoritates me conuerto,& ad authoritatem illam primi Phisic.63. respondetur, quòd cęleste corpus dependet ab ipsa intelligentia duobus modis,vno modo quò ad eius dispositiones, alio modo quò ad esse,non quidem formaliter, sed inquantum est agens conseruans ipsum,vnde dependet ab intelligentia in esse conseruatiuo,quoniam si intelligentia non esset, cęlum non esset, vt ipsemet inquit 2.cap.de sub.orb.vbi inquit, quòd cęlum non solum habet virtutem mouentem, sed agentem,& conseruantem:nec officit authoritas primi de cęlo, quia non intelligit, quòd materia cęli non existat per se in actu,sed intelligit,quòd per se non est in actu secundo sine intelligentia, qđ patet ex verbis ipsius quæ huiusmodi sunt, sed materia cęli non operatur, nisi inquantum est subiectum formæ] ecce quòd cum inquit Auer.materiā cęli non esse in actu,intelligit de actu secundo quatenus per se sine intelligentia non operatur. Nec ipsis fauet vltima authoritas, quæ sumitur ex Epitho.Met.tract.4.quoniam non inquit Auerr.quod substantiæ separatę sint formæ dantes esse, sed inquit quod dant formas suas corporibus cęlestibus, sed per ipsummet Auerr.tertia disp. contra Algaz.sol.18. dubij dans formam est agens,igitur cum intelligentiæ formam ipsi cęlo largiantur,agentes erunt, & non formæ, quod etiam ex eodem loco probatur.in quo postquam dixit,quod intelligentiæ dant formas corporibus cęlestibus, infert,(& ideo sunt eorū agētia quoquomodo)quare non intelligit Auer. quod sint formæ dantes esse,sed potius agētes. dicuntur autem cęlo formā

tribuere

tribuere non quia aliam formam largiantur, cum nulla alia forma præter intelligentiam in orbe, secundum Auer. reperiatur, sed formam tribuere dicuntur, quatenus propriam perfectionem largiuntur sicut motus est, qui vita est corporis cęlestis, & gradus appetitiuus, & intellectiuus, quòd Commentator innuit in his verbis inquiens, nam si tolluntur isti motores, nequaquam inerit forma corporum cęlestium, quemadmodum si tollitur, non inerit nobis vltima perfectio, quare isti motores in cęlo sese habent vt intellectus in nobis, & forma, quam isti tribuunt cęlo se habet vt vltima perfectio, quam tribuit nobis intellectus: sicut ergo intellectus non tribuit perfectionem substantialem secundum Auer. igitur nec intelligentiæ quæ se habent vt intellectus in nobis tribuunt perfectionem substantialem cęlo, & hæc est germana Auerrois sententia, quem isti non intelligunt, solum verborum superficiem considerantes, & hoc modò rationibus in oppositum satisfactum sit: remanet ergo firma opinio nostra, quòd intelligentia non est forma dans esse, ex qua conclusione & alijs quæ superius declaratæ fuerunt, quæ sit cęlestis corporis compositio colligi potest, videlicet, quod cęleste corpus compositum est ex duabus naturis, vt ex materia & forma, non tanquam ex materia in potentia, et forma dante esse, sed vt ex subiecto, vel materia per se existente in actu, & forma assistente tanquam ex mouente, & mobili.

Ex intelligentia & orbe fit magis vnum, quàm ex materia & forma, sed secundum dispositionem magis diminutam, quàm sit vnio recipientis, & recepti in forma abstracta.

F*VIT hæc Auerrois propositio secundo Cęli Comment. 3. tametsi propositio in propria forma quò ad primam partem in commentario minimè habeatur, sed duntaxat quò ad postremam partem, in qua compositũ ex intelligentia & orbe ad id confert, quod ex abstracto, & abstracto componitur. cuius verba lubenter subijciam, vt id quod dicimus verum esse intelligatur, & ideò forma & formatũ in eo sunt vnũ, sed secundũ dispositionẽ magis diminutã quàm sit vnio recipientis & recepti in forma abstracta, ex quibus verbis nemo est qui non videat Auerroem orbis, & intelligentiæ vnionem non ad hæc materialia conferre, sed ad abstracta, quomodo autem prima propositionis pars ex eo loco extrahatur, Zimaram præ cæteris adinuenio, quippe qui quo nam pacto extrahi possit, declarare conatus est: dicit enim quòd si litera legatur affirmatiuè*

matiuè vt iacet, procul dubio propositio hic non habetur, sed si litera negatiuè legatur, vt dicat; in (forma non abstracta) propositio extrahi posset, sed me herclè tantum abest si litera negatiuè legatur, vt hæc propositio elici possit, vt eius oppositum potius colligatur: propositio enim huiusmodi esset, si verba negatiuè legãtur, forma et formatum in eo sunt vnum, sed secundum dispositionem magis diminutam, quàm sit vnio recipientis, & recepti in forma non abstracta] quare ex intelligentia & orbe non magis vnum quàm ex materia & forma, sed potius secundum dispositionem magis diminutam fieri Commentator assereret: nec dici debet propositionem extrahi si illa particula, [& secundum dispositionem magis diminutam] permutetur vt dicat [forma & formatum in eo sunt vnum] sed secundum dispositionem maiorem quàm sit vnio recipientis et recepti in forma non abstracta, quoniam hoc esset peruertere & dilacerare vniuersam literam, quæ ad hæc vsque tempora ità legi consueuit. ego autem Auerrois verba ne latum unguem peruertens, dico, quod licèt prima pars propositionis in propria forma minimè habeatur, ex ratione tamen quam assignat Auerroes, si quis in eam accuratius incubuerit, facile extrahi potest. Auerroes enim causam reddens quare ex intelligentia & orbe vnum fiat, causa (inquit) ea est, quoniam intelligentia mediantibus dimensionibus materiæ non cohæret, vt formæ generabiles & corruptibiles: ergo cum formæ generabiles & corruptibiles materiæ vniantur secundum ipsum, mediante dimensione, ex ipsis non fit ita vnum, vt ex intelligentia & orbe, ita vt ex hac ratione Auerrois discursus iste erigi possit, intelligentia immediatius vnitur orbi, quàm forma materiæ, ergo intelligentia cum orbe verius facit vnum, quàm forma cum materia: consequentia ex eo colligitur, quia hoc medio ostendit intelligentiam cum orbe facere vnum, quoniam absque ulla dimensione orbi vnitur. cum itaque intelligentia orbi immediatius vniatur, quam forma materiæ, igitur ex intelligentia & orbe vnum magis efficitur, quàm ex forma & materia; & hunc in modum (meo iudicio) ex eo loco præsens elicitur propositio: iam verò cum ostẽderimus quomodo ex hoc loco propositio eliciatur: nunc quomodo alij eam intellexerint, consideremus. arbitrati sunt plerique ex intelligentia & orbe fieri vnum per se, & secundum substantiam, vnde ex hoc loco inferunt postea secundum Auerroem intelligentiam dare esse orbi per informationem, sed hi aut Auerroem hoc loco non viderunt, aut eius uerba minimè considerarunt, siquidem causam reddens quare ex intelligentia & orbe vnum fiat, eam inquit esse, quoniam mediantibus dimensionibus orbi minimè cohæret: hæc autem ratio non est quare per se vnum efficiatur, cum

huius

huius causa actus cum potentia sit, vt ex eodem habetur 8. Meth. 15. quare si per vnum intelligat vnum per se, aut non, causam pro causa assignabit, aut sibimet pugnantia dicet. cum alibi vnum per se fieri affirmauerit, quoniam vnum est actus, & reliquum potentia, ea propter dixerunt alij quòd ex intelligentia & orbe fit uerius & magis vnum, quàm ex materia et forma, quoniam fit vnum æternum quod est verius vnum, quàm id quod est generabile, & caducum. Sed nec istorum sententia probanda est, quoniam tunc ex intelligentia & orbe non fieret minus vnum quam ex abstracto & abstracto, sicut inquit Auer. quia sicut ex abstracto & abstracto fit vnum æternum, ita ex intelligentia & orbe, quinimmo ex intelligentia & orbe fit uerius vnum quàm ex aliquo abstracto & abstracto, quoniam ex abstracto & abstracto, vt ex intellectu & intelligibili non fit semper vnum æternum, vt legitur apud ipsum tertio de Anima. 5. & 20. vbi inquit, quòd intellectus speculatiuus, & intentiones intellectæ corruptibiles sunt. itaque si propositio hunc in modum intelligeretur, tunc non esset absolutè maior vnio recipientis & recepti in forma abstracta, quàm ex intelligentia & orbe, cum ex illis non semper fiat vnum æternum, non ergo huius vnitatis ratio ab æternitate desumitur.

Dilucidatio.

IAM verò aliorum reiectis opinionibus, quis sit verus propositionis intellectus dicendum est. ut autem res fiat conspicua magis, hæc animaduertenda sunt, primum quidem quòd compositio triplex est: vna ex abstracto, & abstracto, hæc autem est ex intellectu & intelligibilia, litera est ex materia & forma abstracta, & ità ex corporeo & abstracto qualis est ex intelligentia & orbe: postrema est ex materia & forma materiali, & ita ex corporeo & corporeo, quam triplicem compositionem eo in loco innuit Com. vnam quidem, cum ait ex intelligentia et orbe fit unum: alteram verò cum inquit, sed minus unum quàm sit unio recipientis et recepti in forma abstracta: tertiam innuit in ratione quam affert dicens, quia intelligentia non unitur orbi media quantitate, ut forma generabilis unitur materiæ. Alterum quod sciendum illud est, quòd unum pluralitatis et diuisionis priuationẽ dicit, vt decimo Meth. habetur tex. 2. vndè illud uerius unum dicitur, quod minus particeps est diuisionis, atque quod omnino indiuisibile est, illud summum unitatis fastigium possidet, vnde Deus opt. quia simpliciter indiuisibilis est, ideò simpliciter

vnus, quinimmo vnitas dicitur. & est, quibus sic explicatis dicimus, quòd hic verus est propositi Theorematis intellectus, quòd ex intelligentia & orbe fit magis vnum quàm ex materia & forma, hoc est fit magis indiuisibile, intelligentia enim cum orbi mediante dimensione minimè vniatur indiuisibilis est, forma autem materialis cum mediante dimensione materiæ vniatur diuisibilis est, iam verò ex indiuisibili & diuisibili magis indiuisibile fit, quàm ex vtroque diuisibili: cum autem intelligentia indiuisibilis sit, & materiæ, & orbis diuisibilis, forma autem materialis diuisibilis, sicut & materia cui iugata est. igitur ex intelligentia & orbe fit quoddam magis indiuisibile, quàm ex materia & forma. & quoniam quod est minus particeps diuisionis, est magis vnum, vt dictum est, idcircò cũ ex intelligentia & orbe magis indiuisibile fiat, magis unũ efficitur quàm ex materia & forma, & quòd hoc voluerit Com. ex eius ratione ostenditur, cum inquit, intelligentia cum orbe facit vnum, & magis quàm forma materialis cum materia, quia intelligentia non vnitur orbi mediante quantitate, & consequenter quia indiuisibilis est, forma verò materialis, quoniam materiæ vnitur mediante quantitate diuisibilis est, & proinde diuisibile cum diuisibili materia facit, & proinde minus vnum quàm illud quòd ex intelligentia indiuisibili, & orbe diuisibili resultat, ex quo Auerrois dicto illud elicitur, quòd varius atque diuersus est ordo materiæ, formæ, & accidentium in diuinis corporibus, & mortalibus. in his enim ista hoc ordine sese consequuntur, in primis enim extat materia, quam immediatè consequitur quantitas interminata: succedit tertio forma substantialis, quàm postremo consequuntur accidentia terminata, quem ordinem clarè admodum ponit Auerro. primo cap. de subst. orbis. at in corpore cęlesti res secundum ipsam aliter sese habet: in primis enim forma est, mox consequitur materia, succedit tandem quantitas, & cætera accidentia, quæ vt idem secundo de substan. orbis testatum reliquit, sunt in cęlo propter materiam, & sunt in materia propter formam: dicuntur enim inesse propter materiam, quatenus per hanc, quæ est ratio patiendi, cęlum ipsum his accidentibus subijcitur, sunt autem propter formam, quatenus ab ipsa forma dependent: sed cum iam primã Theorematis partem superque satis declarauerimus, nunc secundam partem explicemus, quæ est, quòd ex abstracto, & abstracto fit magis unum quàm ex intelligentia & orbe. Dicimusq; ad hoc quòd ex abstracto & abstracto vtpotè ex intelligente, & intelligibili, quia huiusmodi est vnio, & compositio abstractorum, vt alibi dictum fuit, efficitur magis vnum, hoc est magis indiuisibile, quàm ex intelligentia, & orbe: nam cum abstra-

ctum & abstractum indiuisibilia sint, intelligentia verò indiuisibilis, orbis autem diuisibilis: ex indiuisibili autem indiuisibili fiat magis indiuisibile quàm ex vno indiuisibili & altero diuisibili, ideo ex abstracto & abstracto fit magis indiuisibile, & per consequens magis vnum quàm ex intelligentia & orbe. accedit quòd cum talis abstractorum compositio spiritalis sit, in ea minor est diuersitas, cum intellectus aliquo modo intelligibile fiat, quàm in compositione reali ex materia & forma, in qua neque materia, forma, neque hæc materia effici potest, & hæc circa præsentis propositionis expositionem dicta sint. in qua habes, quòd triplex est vnionis & compositionis gradus, primus quidem & supremus ex abstracto, & abstracto: secundus ex abstracto & corporeo: tertius & infimus ex corporeo & corporeo, vt ex materia & forma materiali.

Corporis simplicis simplex est motus, & motus simplex simplicis corporis est.

F*Vit hæc Aristotelis sententia primo Cę.contex.* 8. *& est vna ex illis suppositionibus, quæ ab Arist. acceptæ fuere ad demonstrandam corporis cęlestis simplicitatem, in qua dilucidanda tria à nobis consideranda sunt. Primo quidem, quid sit corpus simplex. Secundo quid sit motus simplex. Tertio qua ratione & via huius sententiæ veritas demonstrari possit. Quo ad primum corpus simplex definitum fuit eodem primo Cæ. contex.7 .hunc in modum, Corpus simplex est quod habet in se principium motus secūdum naturam: quam definitionem exponens Simplicius inquit, quòd corpus simplex est illud quod habet in se principium motus, quòd est natura, ad differentiam animalium quæ mouentur ab Anima, quæ à Natura contradistincta, & tunc definitio ita exponēda erit: Corpus simplex illud est in quo principium motus est Natura, & non Anima, vnde secundum ipsum sub hac definitione continentur etiam mixta inanimata, quæ à Natura mouentur, & non ab Anima. Sed hæc Simplicij expositio falsa est. Nam data hac expositione, sequeretur quod cęlum non esset corpus simplex, quod tamen Aristoteles in eo loco sibi demonstrandum proposuit: probatur consequentia, nam secundum ipsum, corpus simplex illud est quod mouetur à Natura, non ab Anima, cęlum non mouetur à Natura, sed ab Anima vtpotè ab intelligentia, quæ vt inquit ipse à Natura con-*

tradistin-

tradistincta, & non solum Anima quæ abstracta est. sed etiam quæ materialis existit. igitur cælum non est corpus simplex. Secundo sequeretur, quod corporis mixti per se esset motus simplex aduersus Aristotelis sententiam dicentis in tex. 7. quòd mixto accidit motus simplex ratione corporis simplicis, quod in eo prædominatur: deducitur consequentia, quia corporis simplicis ab Arist. definiti est motus simplex proprius, & per se, sicut corporis mixti per se est motus mixtus. iam vero si sub corpore simplici definito continetur etiam mixtum inanimatum, igitur corporis mixti erit per se motus simplex, sed id falsum est, ergo falsum est, quòd sub definitione corporis simplicis contineatur mixtum corpus inanimatum: præterea legat obsecro Simplicius diuisionem corporũ positam ab Arist. sub initium textus 7. quæ huiusmodi est, Corporum alia simplicia sunt, alia verò composita ex his, videlicet corporibus simplicibus, tunc sic Aristoteles definit illud corpus simplex, quod est contradistinctum à corpore mixto ex corporibus simplicibus, mixtum inanimatum non est contradistinctum à corpore mixto ex simplicibus, quinimmo non cõtinetur sub illo membro, igitur sub corpore simplici definito corpus mixtum inanimatum minime continetur, nec ea definitio ita intelligenda est, quare Simplicius simplex corpus non intellexit. secus itaque dicendum, & meo iudicio definitio ita est intelligenda, quòd corpus simplex est quod habet in se vnicum principium motus naturalis, neque illa particula, secundum naturam, ad principium referri debet, ita vt principium motus in corpore simplici sit: Natura, & non Anima, vt inquit Simplicius, sed ad motum referri debet: Nec immerito hæc particula adiecta fuit, quoniam corpus simplex respectu motus violenti, et præter naturam plura principia habere potest. illud autem animaduerte, quòd cum dicitur corpus simplex habere vnicum principium motus naturalis, id intelligas de principio actiuo motus. ex definitione autem corporis simplicis, vt notauit Auerr. in Commẽ. 7. dedit Aristoteles intelligere definitionem corporis mixti, quæ talis erit. Corpus mixtum est quod habet plures naturas mouentes, & plura principia motus. quòd si fortasse quispiam dixerit, mixtũ non habere plures naturas mouentes, quia Animal mixtum est, & tamẽ vnicum principium actiuum motus habet, quod Anima est. similiter in alijs mixtis propria eorum forma principium motus est. cui nos ita respondemus. quòd licet mixtum habeat vnicam virtutem mouentem, quæ est prima, & principalis causa motus, quia tamen illa cum diuersis naturis coniuncta est, vtpotè cum grauitate, & leuitate, quę formam illam communem diuersimodè afficiunt, & ad diuersos motus inclinant. proinde mixtum plures formas pluresque naturas mouentes ha-

bere

bere dicitur, vnam quidem principalem, quæ formarum forma ab Alexandro dicitur, & alias disponentes, ex quarum coniunctione, & mixtione motus mixtus exoritur. Sed corpus simplex cum formam non habeat, quæ cum alijs formis coniuncta sit, vt patet in elementis, proinde simplicem vnicamve naturam mouentem habere dicitur, ex cuius unitate, & simplicitate simplex quoque motus proficiscitur, nunc quid sit motus simplex explicemus.

Quid sit motus simplex.

Porrò motus non dicitur simplex per carentiam inæqualitatis, & compositionis ex veloci & tardo, quoniam talis inæqualitas, & compositio existens in motu non tollit simplicitatē motus. alioquin nullus elementorum naturalis motus, quæ corpora simplicia sunt, esset simplex. cum in principio sit tardior, & in fine velocior, sed dicitur simplex per negationem, & carentiam compositionis ex diuersis motibus vel genere, vt ex recto & circulari, vel specie vt ex recto & recto, vt patet ex Arist. in tex. sexto eiusdem primi, vbi ponens diuisionem motus, inquit, motus alius rectus, alius circularis, alius verò mixtus ex his, atque ij duo solum videlicet rectus, & circularis simplices sunt: accipit ergo Philosophus Motum simplicem, vt contradistinguitur à motu mixto ex his vtpotè recto & circulari, & recto, quare motus simplex dicitur per carentiam compositionis ex diuersis motibus. talis verò carentia compositionis oritur ex simplicitate, & vnitate principij mouentis, ex simplicitate corporis, & ex simplicitate spatij, sine quæ motus simplex esse non potest; hæc enim tria ad motus simplicitatem concurrunt: vnitas Naturæ mouentis, quia simplex & vnica Natura mouens est principium vnius, & simplicis motus. Simplicitas corporis, quia simplicis corporis est simplex motus. concurrit & simplicitas spatij, nam super spatium aliquam obliquitatem, & compositionem habēs non potest esse simplex motus, vt significauit Arist. tex. illo quinto, dicēs, Rectus & circularis sunt solum simplices motus, quia duæ solum sunt simplices magnitudines recta & circularis, per magnitudines simplices non intelligens corpora mobilia simplicia, vt male exposuerunt Auerr. & Alb. Magn. quia tunc Arist. peteret principium: supponeret enim dari corpus circulare simplex, quod tamen demonstrandum erat, sed per magnitudines simplices intelligens spatia simplicia super quibus efficitur motus localis, ex altera verò parte motus mixtus dicitur, quia componitur ex recto, & circulari, vel ex recto & recto. talis verò compositio oritur ex plu-

ralitate

ralitate principiorum mouentium, sicut contingit in animalibus, & sicut contingit in motu ventorum, qui propter diuersitatem principiorum mouentium nempè grauitatis, & leuitatis mixtus est ex recto & recto, ascensu & descensu: secundo oritur ex compositione corporis, tertio ex compositione spatij, quæ est, vel ex recto & recto, vel ex recto & circulari, quibus sic declaratis, iam habetur sensus propositionis quod corporis simplicis simplicem & vnicam naturam mouentem habentis, est simplex motus. alterius motus mixtionem excludens, & motui simplici simplex quoque motus correspondet. Cæterum, quia huius propositionis veritatem Aristoteles minime probare visus est, propterea qua ratione & via eius ueritas demonstrari possit, considerandum est.

Qua uia, & ratione propositionis veritas demonstretur.

P*Vtauit præcipuus inter latinos B. D. id ex motus definitione demonstrari posse. nã cum motus sit actus entis in potentia, actus autem ex potentia proportionari debeant: idcircò si ens in potentiæ simplex est, pariter & motus, qui eius actus est simplex esse debet: si verò ens in potentia compositum fuerit, pariter & motus compositus esse debet, & ex hoc voluit propositiones istas conuerti, Corporis simplicis motus simplex est, & motus simplex corporis simplicis est: sed Beati doctoris sententia nullo pacto probanda est, quia tunc sequeretur, quod corpus simplex motu mixto violenter, & præter naturam moueri minimè posset. quod sanè falsum esse ex eo manifestum est. Quia cum terra mouetur sursum violenter per lineam obliquam mouetur motu mixto: probatur consequentia ex eadem definitione motus, quæ non solum conuenit motui naturali, sed etiam violento, nam & motus violentus est actus entis in potentia, igitur si ens in potentia fuerit simplex: igitur & motus violentus qui eius actus est, erit simplex, & ita corpus simplex non mouebitur motu violento mixto, sed simplici, ea propter propositionis veritas aliunde petẽda est. dicimusque resolutè cum Auer. in principio com. 8. qui in hoc egregiè sentit, quòd huius propositionis veritas probatur ex definitione corporis simplicis tradita in tex. 7. hunc in modum. Corpus simplex est quod habet vnicam, & simplicem naturam mouentem, sed vnica & simplex. Natura mouens est principium vnius atque simplicis motus: igitur corpus simplex habet simplicem motum, & similiter probatur conuersa, nam simplex motus est qui fit ab vnica & simplici forma, sed cui inest vnica & simplex forma mouens est corpus simplex ex definitione ipsius, igitur si fuerit motus*

tus simplex, necessariò corpus simplex erit, & ex hoc Aristoteles demonstrauit cęlum esse corpus simplex. nam cum motus simplex sit corporis simplicis, & motus circularis simplex sit. igitur cęlum cui huiusmodi competit motus, simplex erit: simplex intelligas non per negationem compositionis ex materia, & forma, quoniam compositionem istam admittit, vt suo loco demonstrabitur: sed simplex per negationem compositionis ex diuersis corporibus, sicut & elementa simplicia dicuntur corpora, & sicuti ex definitione corporis colligitur corporis simplicis motum simplicem esse, & è contra, ita ex definitione corporis mixti probatur corporis mixti motum proprium mixtum esse, hunc in modum: Corpus mixtum est quòd habet plura principia mouentia, sed pluralitas principiorum mouentium est causa motus mixti, igitur corpus mixtum motum quoque mixtum habet, licet corpori mixto accidit motus simplex ratione corporis simplicis in eo prædominantis, vt dicit philosophus in tex. 8. nec officit ratio diui Thomæ, quia illa propositio, actus & potentia, debent inuicem proportionari, intelligitur quo ad hoc, quòd propria potentia refertur ad proprium actum, & proprius actus recipitur in propria potentia, quia quodlibet nō fit ex quolibet, sed determinatum ex determinato, vt testatum reliquit Philosophus primo Phis. tex. 43. cæterum ne vllus remaneat dubitandi locus, vna dubitatio soluenda est circa illud Aristotelis dictum, quòd motus simplex potest esse corporis mixti ratione corporis simplicis in eo prædominantis, quia hoc dictum destruit necessitatem demonstrationis, qua philosophus corporis cęlestis simplicitatem demonstrat. nam si motus simplex potest esse corporis mixti ratione corporis simplicis in eo existentis: igitur ex motu circulari simplici non necessariò infertur ab Aristotel. Cęlum esse corpus simplex, quia cum antecedente stat oppositum consequentis, nempè quòd motus sit simplex, & tamen sit corporis mixti: & ideò cum dicitur, Motus circularis est simplex, ergo Cęlum est simplex, dicam quòd vtique motus circularis est simplex, Cęlum tamē non est simplex, sed mixtum, quod ratione corporis in eo existentis motus circulari simplici mouetur. tanta fuit uis huius difficultatis, vt magnus ille Auer. in com. 8. dixerit, quòd ex motu simplici non necessariò infertur corpus simplex actu per se existens, sed infertur corpus simplex aut per se existens, aut mixto inexistens tanquam pars ipsius, ratione cuius ipsi mixto motus simplex conuenit, vnde cum Aristoteles ex motu circulari simplici probat dari corpus circulare simplex, non probat illud dari vt actu per se existens, sed quòd vel datur vt per se existens in actu, vel vt pars mixti, & licet sit pars mixti, necesse est tamen vt quandoque inueniatur per se, quasi dicat ex motu circulari simplici probat dari corpus simplex

circulare vel de facto, vel de possibili. cui responsioni dat manus Suessanus in eo loco. Sed hæc Auerrois responsio nulla est, quoniam Philosophus demonstrauit illud corpus circulare simplex esse quod simplici circulari motu mouetur secundum Naturam, quòd ve est quintum corpus alterius Naturæ ab elementis, quòd vè statuit neque graue, neque leue esse, ingenerabile & incorruptibile. Sed hoc est cęleste corpus per se existens actu non alteri coniunctum corpori mixto: igitur philosophus ex motu circulari simplici demonstrauit necessariò dari corpus circulare simplex per se existens in actu: confirmatur, quia illud corpus circulare simplex demonstrauit, quod statuit in 22. tex. esse locum & domiciliũ Deorum, & à quo per traditã hominũ memoriã nihil vnquã ablatũ est. sed hoc est corpus cęleste per se existens, quodve sensu ipso à nobis conspicitur, igitur &c. quid ergo dicẽdum? dubitatio certè non leuis est, & à paucis, vt video, animaduersa, bis. tamẽ dubitatio persolui potest. Primo quidem sic, quòd ex vera, & exacta simplicitate motus necessario concluditur corpus simplex, & hoc pacto philosophus ex motu circulari simplici conclusit dari corpus circulare simplex per se existens, motus autem simplex qui competit mixto ratione corporis simplicis in eo prædominantis non est verè simplex, sed secundum quandam sensuum apparentiam, & ex huiusmodi corpus simplex necessario inferri nón potest, nec de simplici motu vsus est Arist. pro medio termino: vel secundo dici potest, vno modo quo ad simplicitatem & vnitatem Naturæ mouentis, vel quo ad simplicitatem spatij tantum: tunc dicendum est, quòd si motus simplex primo modo accipiatur vt sic motus simplex est corporis simplicis, & ex tali motu simplici necessariò infertur corpus simplex per se existens, quoniam si motus simplex fit ab vnica natura, cum simplex & vnica natura mouens sit corporis simplicis, igitur motus simplex necessario est corporis simplicis, & hoc modo Philosophus vsus est motu circulari simplici pro medio ad probandum corpus circulare simplex esse. Si verò accipiatur secundo modo, vt sic motus simplex potest esse corporis mixti ratione illius simplicis in eó prædominantis, nec de motu simplici ità accepto verificatur propositio ista, Motus simplex est corporis simplicis, quia potest esse corporis mixti, nec tali motu simplici vsus est Arist. pro medio ad demonstrandum cęlestis corporis simplicitatem, et hunc in modum dubitationi arbitror satisfactum iri.

Vnius corporis simplicis unus tantúm est motus secundum naturã.

EXTAT *Aristotelis propositio eadem primo cęli contex. 9. quæ ibi ob eam causam adducta fuit, vt ostenderet motum circularẽ nulli*

elemen-

elementorum conuenire secundum naturam, vt autem præcipuum Aristotelis scopum assequi valeas scitò, quod huius instituti ea causa fuit, vt ostēderet motum circularem esse proprium, et naturalem cęli, vt ex hoc ostenderet cęlum esse alterius naturæ ab elementis, quod erat pręcipuum Aristotelis institutum atque consilium: cum enim in tex. 8. conclusisset cęlum esse corpus simplex, reliquum erat ostēdere an esset eiusdem vel alterius naturæ ab elementis: Ad ostendendum autem hoc, necessarium erat accipere motum circularem esse naturalem & proprium cęlo, quo non cognito, nec diuersitas illa cognosci potuisset. illud autem probauit ex hoc, quia motus circularis nulli elementorum competit secundum naturam. hoc autem e x propositione ista demonstrauit, quam præ manibus considerandā habemus, cuius sanè propositionis veritas ex eadem corporis simplicis definitione pendet, ex qua pendebat veritas propositionis superius declaratæ hunc in modum. Corpus simplex est quod habet simplicem & vnicam naturam mouentem. sed vna natura est principium vnius motus secundum naturam: igitur vnius corporis simplicis vnus tantum est motus secundum naturam, et similiter sua conuersa. ex eadem definitione ita probatur vnus simplex motus secundum naturam ab vna tantum prouenit natura, quia vnitas specifica motus non stat cum diuersitate specifica formarum, sed vna natura mouens vnius corporis simplicis est. igitur vnus motus simplex est vnius tantum corporis simplicis secundum naturam. Sed licet ex hac radice istarum propositionum veritas pendeat, attamen & vna & altera difficultate non caret. prima enim contra se manifestissimas habet instantias. nam inferiores sphæræ cęlestes duos habent motus, vnum ab oriente ad occidens, alterum verò ab occidente ad oriens. iam verò aut ambo sunt naturales, aut vnus naturalis & alter violentus, secundum dici non potest, quia si alter esset violentus non esset perpetuus. consequentia est Arist. primo cę. 15. vbi volens probare motum circularem non cōuenire cęlo violenter, probabat ex eo medio termino, quia tunc non esset perpetuus. igitur ambo illi motus sunt naturales, igitur vnius corporis simplicis plures sunt motus secundum naturam. præterea si aer existens in loco ignis deorsum ad locum proprium moueretur, talis motus esset sibi naturalis, cum sit ad locum proprium, si verò ex altera parte sit in loco aquæ, vel terræ naturaliter mouetur sursum ad eundem locum, sed motus sursum, & deorsum differunt specie, cum sint inter se oppositi, igitur vni corpori simplici plures motus secundum speciem secundum naturam conuenire possunt. Cęterum isthæc obiecta à nobis facile diluuntur, et ad primum concedimus sphæras inferiores duplicem habere motum: cum autem quæritur an ambo sint naturales, vel vnus naturalis, & alter violentus,

lentus, respondetur, quòd nec ambo sunt naturales, nec vnus naturalis, & alter uiolentus: Sed vnus est naturalis, vt qui fit per propriam illius orbis virtutem & Animam: alter verò est non secundum naturam, vt ille qui fit ad motum primi mobilis, talis enim non est secundum naturam, atque violenter, & cõtra naturam, sed est non secundum naturam, qui ab Auer. primo cę. 14. motus accidentalis appellatur, qui vniuersalior est motu violento, & non opponitur motui naturali, sed essentiali. & à Simplicio in eodem loco prater naturam negatiuè nũcupatur, nec inconueniens est hũc in mõdum vni corpori simplici plures conuenire simplices motus. Nec ob stat secundum, nam licet verum sit quòd si aer moueatur à loco ignis deorsum ad locum proprium, & à loco terrę sursum ad eundem locum, vtroque motu moueatur secundum naturam, illi tamen duo motus facti sursum & deorsum non sunt specie differentes, illi enim motus secundum speciem diuersi sunt, qui fiunt à diuersis naturis secundum speciem, & terminantur ad diuersa loca secundum speciem. cum illi duo motus aeris fiant ab vna & eadẽ natura specifica aeris, & sint ad vnum, & eundẽ terminũ ad quem secundum speciem. non itaque secundum speciem, sed numero tantum sunt differentes. & cum dicebatur, motus sursum & deorsum sunt oppositi, igitur specie differentes, respondetur, quòd non quilibet motus sursum, & deorsum oppositi sunt, sed solum ij qui fiunt ad opposita loca, & ad oppositos terminos, ex quorum oppositione oritur oppositio inter motus, sicut sunt motus ignis sursum, & motus deorsum terræ, qui oppositi sunt, quoniam fiunt ad opposita loca: motus autem sursum & deorsum qui fiũt ad vnum & eundem locum secundum speciem, sicut est motus sursum & deorsum Aeris ad proprium locum hi non sunt oppositi, nec specie differentes, & licet illi duo motus Aeris incipiant à contrarijs terminis, à quibus vt à loco ignis, & à loco terræ, non tamen sunt contrarij, quoniam oppositio in motu nõ desumitur à termino à quo, sed à termino ad quem. sed cum propositio ista ab occurrentibus difficultatibus libera sit, nunc eius conuersam à calumnijs Io. Grammatici vindicemus. Io. Grammaticus, vt ex Alpharabio refert Auer. in Com. 8. perturbauit conuersam illius propositionis, quæ erat, quod vnus motus simplex vnius tantum est corporis simplicis secundum naturam. dixitque quòd vnus motus simplex pluribus corporibus secundum speciem differẽtibus, conuenire potest. nam motus sursum est vnus motus simplex secundum speciem: & tamen competit igni & aeri, qui specie distinguntur. similiter motus seorsum aquæ & terræ, sed decipitur Io. Gram. & temerè hac in parte reiecit hanc Aristotelis propositionem, quæ firmo nititur fundamento: nam, vt dicebatur supra, huius propositionis veritas ex hac pendet radice, quòd motus vnus secundum speciem

ciem ab vnica prouenit natura secundum speciem, nō autem à diuersis naturis secundum speciem, quia si cum diuersitate specifica formarum staret vnitas specifica, motus tunc præcluderetur via ex vnitate operationis inueniendi vnitatem specificam formarum. Sed vna natura secundum speciem est vnius tantum corporis simplicis secundum speciem, igitur vnus motus simplex est vnius tantum corporis simplicis secundum speciem, nec sua ratio quæ ostendit oppositum, alicuius est momenti, quoniam falsum est, quòd motus sursum ignis, & aeris sint eiusdem speciei, nam cum à naturis proueniant specie differentibus quales sunt formæ ignis, & aeris, fiantque ad loca secundum speciem diuersa, locus enim ignis est orbis Lunę concauum: locus verò aeris est concauum ipsius ignis, quæ secūdum naturam, diuersa sunt, huiusmodi motus eiusdem speciei esse non possunt: similiter motus deorsum aquæ & terræ bene sunt eiusdem speciei subalternæ, quapropter non omnis motus sursum est eiusdem speciei cum motu sursum, neque motus deorsum cum motu deorsum, sed ij solum qui fiunt ad eundem locum, & ad eundem terminum secundum speciem: qui vero fiunt ad loca diuersa secundum speciem, ij secundum speciem diuersi sunt: cęterum solutio ista instantiam contra se habet, quoniam si motus, qui terminos diuersos habent, diuersæ sunt speciei: igitur motus terræ deorsum per casum à concauo orbis Lunæ ad superficiem vsque terræ non erit vnius & eiusdem speciei, quod falsum est, quoniam tunc vni corpori simplici plures conuenirent simplices motus secūdum naturam. deducitur consequentia, quoniam hic motus fit per diuersos terminos secundum speciem; fit enim per locum ignis, aeris, & aquę, quæ specie diuersa sunt. Pro solutione sciendum, quòd terminus motus duplex est, vnus quidem vltimus & essentialis, & is est in quem mobile quiescit, nec vltra progreditur: alter verò est non vltimus, & accidentalis, tunc dicendum est, quòd illi motus specie distincti sunt, qui terminos habent vltimos, & essentiales diuersos secundum speciem, sicut sunt motus deorsum terræ & aquæ: ij enim quia ad vltimos terminos tendunt diuersos secūdum speciem, propterea specie diuersi sunt, similiter motus sursum ignis, & aeris: si verò motus terminos habent diuersos non vltimos, & accidentales, ij specie non distinguntur, quoniam specifica differentia non sumitur ab ijs quæ accidentalia sunt. iam verò motus ille deorsum terræ in casu posito licet habeat plures terminos non vltimos & accidentales, habet tamen vnicum terminum vltimum, & essentialem, vtpote superficiem terræ, & proinde totalis ille descensus & motus deorsum est vnus secundum speciem. & hæc satis.

Motus

Motus circularis competit cœlo secundum naturam.

PRopositio ista tametsi ab Aristotele scribatur 1.cę. cont. 14. & 25. lubet autem hoc in loco ipsam expendere. quoniam motus circularis cęlum animatum consequitur, quæ licet ab Aristotele prolata fuerit, attamen Auicennas, 9. suæ met. cap. 2. & doctor subtilis 4. sent. libr. dist. 48. q. 2. dicere non dubitarunt, circularem motum cęlestis corporis naturalem non esse, neque ex parte mouentis, neque ex parte mobilis, nō quidem ex parte mouentis. quoniam cum motus circularis ab intelligentia proficiscitur, quæ natura non est, sed supra naturam, ea propter ratione intelligentiæ mouentis non naturalis, sed supra naturam, & voluntarius dici debet, neque ex parte orbis. quoniam orbis ad huiusmodi motum propensionem non habet, neque violentus est, cum contra orbis inclinationem minimè fiat; sed motus, aiunt, neuter est, orbisque ad huiusmodi motum in potentia neutra est, non secus ac superficies ad colorem in potentia neutra esse dicitur. Sed hi ab Aristotelis sentētia apertissimè dissentiunt. siquidem Aristoteles à contex. 9. ad 16. vsque textum, nō semel declarauit. motum accepit ad ostendendum cęleste corpus ab elementis diuersam naturam habere. enimuerò in contex. 9. asseruit, vniuscuiusque corporis simplicis vnum esse motum simplicem secundum naturam, cum autem, cęlum corpus simplex sit; igitur simplex motus, qui circularis est; conuenit ei secundum naturam. præterea cont. 11. responsionem illam reijciens, quæ suæ demonstrationi afferri potuisset, cęlum videlicet esse alterius naturæ ab elementis. sed circularem motum ei præter naturam conuenire, ita ratiocinatur. si motus circularis competit cęlo præter naturam, ergo alter motus competit ei secundum naturam, aut igitur erit motus sursum. aut deorsum, cum autem nullus istorum sit. quoniam aut ignis, aut aliquod aliorum elementorum esset, quare diuersum non erit ab elementis, vt dicit responsio: igitur motus circularis competit cęlo secundum naturam, id ipsum ex demonstratione allata in cont. 14. facilè ostendi potest, vbi hac vtitur ratione; motus qui competit alicui præter naturam competit alteri corpori secundum naturam; iam verò motus circularis competit elementis præter naturam: igitur competit alteri corpori secundum naturam, cum autem motus circularis competat cęlo: igitur cęlo competit secundum naturam: id tandem confirmat demonstratio allata in contex. 16. vbi inquit, motum circularem, aut conuenire cęlo præter naturam, aut secundum naturam. non primò, quoniam non esset æternus & continuus. quoniam ea, quæ præter naturam. quinimmo eodem loco inquit, motum circularem cęlo

natu-

naturalem esse, sicuti motus sursum igni, & motus deorsum terræ naturales sunt, ex quibus vnusquisque facilè intelligere potest cęlestis corporis motum, non esse motum, (vt aiunt) neutrum. Sed motum naturalem esse, alioquin non esset cęlo naturalis, sicut motus sursum ignis, & deorsum terræ, & ex hoc, quod motus in orbem cęlesti corpori naturalis est, concludit diuersam, maximeque discrepantem ab elementis naturam habere.

Dilucidatio.

VT propositi Theorematis veritas intelligatur, illud primò considerandum est. An mouens à quo cęlestis corporis motus proficiscitur, natura si, mobileque, et orbis ad huiusmodi motum propensionem habeat. Porrò effectrix causa circularis motus natura non est. quoniam effectrix causa intelligentia est; & forma abstracta, quæ quidem natura non est, vt ex 2. Phy. contex. 12. ab Aristotele scribitur, vbi declarans de qua forma, natura dicatur, inquit, naturam dici de forma à materia inseparabili secundum esse, quæ tamen cogitatione separabilis est: idemque statuit contex. 14. quod etiam apertis verbis ad memoriam reuocauit primo de partibus animal. cap. primo. vbi inquit, non omnem animam naturam esse, sed aliquam, vt quæ materiæ concreta est, abstractam verò atque æternam naturam quidem non esse, tametsi secundum analogiam, & similitudinem quandam natura dici possit. quoniam sicut natura in eo, in quo existit, principium motus est, ita intelligentia prout in orbe, cui insidet, principium motus est, naturæ similitudinem habet. Sed licet intelligentia natura non sit, orbis tamen, qui materia est, principiumque passiuum circularis motus natura est, & ad huiusmodi motum propensionem habet, quam sanè ex forma non habet, quæ citra intelligentiam orbi coniuncta sit, vt Simplicius, et B. Tho. arbitrati sunt. quoniam in cęlesti corpore præter intelligentiam nulla alia reperitur forma, quæ det esse orbi, quæue naturæ nomen promereri possit, vt alibi à nobis ostēsum fuit; neque huiusmodi inclinationem ex Spherica figura habet, vt Alberto magno visum est. Sed ex propria ipsius natura. Nam quia ad circularem motum materia cęli propensa est, idcircò vt circulari motu commodè circumferri posset, Spherica figura ei accommodata fuit. Secundò animaduertendum est, Naturale bif. capi. posse. vno modo, vt distinguitur à voluntario, alio modo, vt distinguitur à violento. quibus ità constitutis, huius Theorematis veritas his propositionibus consistit: prima est. Si naturale recipitur, vt distinguitur à voluntario, motus circularis quidem non est, sed voluntarius, & supra naturam. quoniam ab intelligentia proficiscitur, quæ natura non est. sed intellectus, & supra naturam; cui

veri-

veritati ipse quoque subscribit Auerroes 2. cæli com.3. ex qua propositione Alberti magni statim diluitur obiectio 2.phys. cap.3. cum inquit, cæli motum naturalem non esse, quoniam æternus, & infinitus est: natura verò infinitum motum producere nequit, concludit enim motum cæli à mouente non proficisci quod natura sit. quoniam natura de forma dicitur finita, & mortali, quæ infinitum motum efficere non valet, quod et nos ipsi vltrò concedimus. Secunda propositio est. Si naturale accipitur, vt distinguitur à violento, cæli motus naturalis est, & ex parte mouentis, & ex parte mobilis. quoniam ex principijs internis dependet, & ad huiusmodi motum inclinationem habentibus. quoniam sicuti orbis vim confert & ad circularem motum propensionem habet, ità & intelligentia motus apta nata est, inclinationemque habet, vt circulo moueat: motus autem, qui ab interno fit principio, vim etiam conferente passo naturalis est, vt distinguitur à violento, qui ab externo pendet principio, nullam quidem patiente, mobilique vim conferente, vt 3. Ethic. cap.3. ab Aristotele memoriæ proditum est. Cui etiam veritati consentit Auer. 8. phy. com. 27. vbi inquit, cæli motum naturalem esse, tùm ex parte animæ mouentis, tùm etiam ex parte mobilis, & in hoc sensu verba illa Arist. intelligenda sunt primo cæli 15. cum inquit, motum cæli naturalem esse, sicuti motus ignis sursum, & motus terræ deorsum, non autem secundum prioris propositionis sensum. quoniam elementorum motus à forma proficiscitur, quæ verè natura est, distinguiturùe à voluntario: cæli autem motus ab agente promanat. qui supra naturam est, & hoc pacto intelligit Auerroes 2. cæli com.3. cum dixit motum cæli naturalem non esse, sicuti est motus elementorum. Cæterum huic conclusioni duæ se se opponunt difficultates: prima est, motus naturalis ab initio est tardior, in fine verò velocior, & motus cæli, & initio, & fine vniformis est. igitur motus cæli naturalis esse non potest: altera dubitatio est, motus cæli ab externo pendet principio, quoniam ab intelligentia proficiscitur, quæ orbi intrinseca non est: igitur motus cæli naturalis non est. argumentum ex Aristotele deducitur 7. physic. contex. 10. vbi inquit; motum qui ab externo mouente dependet, naturalem non esse, sed absque vllo negotio allatæ difficultates à nobis persolui possunt, vt ad primam dicimus, conditiones illas non esse de ratione motus naturalis, vt naturalis est. quoniam de ratione motus naturalis est, vt ex principijs internis fiat, & quæ ad motum propensæ sint, sicuti ex opposito de ratione motus violenti est, vt ab externo principio fiat, nullam ad motum mobili propensionem habente; sed conditiones illæ sunt motus recti naturalis elementorum sibi ratione medij contingentes: nam cum in principio medium, siuè illud fuerit aer, siuè aqua, magis resistat, in fine verò minus, idcircò naturalis elementorum motus initio

tus initio tardior est, in fine verò velotior, quamobrem propositio illa non vniuersaliter de omni motu naturali intelligenda est, sed de motu naturali elementorum, qui per medium fit, intelligi debet. Secunda verò dubitatio bif. dissolui potest. primo quidem inficias imus intelligentiā mouens extrinsecum esse. nam licet intelligentia orbi per informationem, non vniatur, vt priore libro ostensum fuit, non propterea ab orbe extrinseca dicitur cum loco, & subiecto ab eo secreta, separataque minimè sit: sed quoniam orbi, vt peculiaris eius motor applicata est, idcircò intrinsecum mouens esse dicitur: præterea vltro etiam cōcesso intelligentiam mouens extrinsecum esse; non proinde sequitur motum circularem naturalem non esse. quoniam non omnis motus ab externo mouente violentus est, & præter naturam. vt ex Aristotele colligitur 8. physico. contextu. 27. vbi facta diuisione in ea, quæ mouentur à seipsis, & ea, quæ ab extrinseco mouentur: diuidit ea, quæ ab extrinseco mouentur in ea, quæ mouentur secundum naturam, & in ea, quæ præter naturam mouentur, quod etiam ratio ipsa confirmat. Nam si terra ab aliquo deorsum proijciatur, motus ille ab externo mouēte progreditur, & tamen motus ille violentus non est, sed naturalis. quoniam terra ad huiusmodi motum inclinationem habet: illa autem Aristotelis authoritas non ita ieiunè intelligi debet: sed cum hac conditione, vt seipsum declarauit 3. Ethic. cap. 3. quod motus, quod ab externo fiat principio, mobili vim, aut inclinationem ad illum motum non habente, licet ergo motus circularis ab externo mouente proficiscatur, non propterea præter naturam censeri debet. quoniam ad huiusmodi motum orbis vim confert, propensionemque habet.

Possibile ex se ab alio perpetuari non potest.

F*Vit Aristotelis sententia primo libro de cęlo versus finem, quam Io. Gr. ex Græcis, ex Arabibus Algazel, & Auicennas, vt legitur apud Auer. tertia in Algazelem disputatione solui. 19. dubij, absolutè negarunt: voluit enim Io. Gr. cęleste corpus sui natura corruptibile esse, aliunde verò perpetuari. Alij verò omne ens causatum sui natura possibile esse affirmarunt, ab extrinseco verò consequi æternitatem. quam opinionē quia Aristotelis eo loco adductę falsam esse apertissimè ostēdunt, idcircò vt à principijs Peripateticis aliena reijcienda est. Auer. aūt 12. Meth. Com. 41. eam hunc in modum perpendit, ꝙ propositio vera est in substantijs, non autem in accidentibus, si quidem in accidentibus fieri potest, vt sui natura passibile ab alio perpetuetur. nā motus Cęli sui natura corruptibilis est, quoniā contrariā quietē hēt, & tamen ab alio æternitatē consequitur, qđ ex eo cōfirmat,*

quoniam Philosophus eo in loco sermonem habet de mundo, qui substantia est. propositio igitur in substantijs, non autem in accidentibus intelligenda est, cuius sententiam secutus est Zimara Theoremate 46 & licet Auer. alibi asserere videatur, quòd propositio neque in substantijs veritatem habeat, vt secundo cap. de subst. orbis, vbi inquit, quòd cęleste corpus non solum indiget virtute largiente sibi motum æternum, sed etiam virtute largiente in se, & in sua substantia permanentiam æternam. Cęlum autem substantia est, igitur tam in substantijs, quàm in accidentibus corruptibile permanentiam æternam ab alio adipiscitur. Aduertendum, quòd non intelligit ipse, quòd cęlum sit corruptibile ex se, & ab alio fiat æternum, quoniam, ut inquit in eodem loco, Cęlum simplex est, & non habet potētiam ad corruptionem, cum careat causis corruptionis, vt materia, & contrarietate, & propterea est ex se formaliter æternum: undè non indiget aliquo sibi largiente æternitatem, sed illud eo in loco uult Auerroes, quòd uirtus cęli sibi permanentiam æternam largiatur, quatenus motum ipsum conseruat, sine quo Cęlum esse non potest: nam vt inquit in eodem loco, si intelligentia non esset, non esset motus, & si non esset motus, non esset Cęlum, quia motus, vt habetur 8. Phis. contex. 1. est tanquam vita corporum naturalium, et ab ipso Auer. tertia in Algaz. disp. sol. 10. dubij, esse Cęli quodammodo consistit in motu, vnde intelligentia dicitur largiri permanentiam Cęlo quatenus motum eius conseruat. sine quo Cęlum esse non potest. quod autem ista sit eo in loco Auerrois sententia verba ipsius in mediū afferam, quæ huiusmodi sunt, & debes scire, quòd corpus cęleste non indiget virtute mouente semper in loco tantum, sed uirtute largiente in sua substātia permanentiam æternam, quoniam & si simplex sit, & nullam habeat potentiam in se ad corruptionem, tamen est finitæ actionis necessariò, & ideò cum intellectus potuerit ipsum existens per se absque eo quòd aliud largiatur sibi permanentiam æternam, necesse est, vt ita sit de finitate suæ permanentiæ in substantia, sicut est de finitate suæ actionis. hæc Auer. remanet ergo glosa Auerrois, quòd propositio in substantijs, non autem in accidentibus veritatem habet: sed licet maxima sit Auerrois authoritas, tamen si pro ueritate philosophandum est, hac in re Aristoteli, & sibimet apertissimè aduersatur. Aristoteli quidem vt probatur ex rationibus quibus usus est primo de cęlo, & primo sic, Si motus Cęli sui natura possibilis esset, & ab alio æternus, ergo idem simul erit, & non erit, quod impossibile est, contradictionem implicat, deducitur consequentia, si motus ex se possibilis est, ponatur in esse quod non sit, quoniam posito in esse quod non sit, non sequitur impossibile, tunc igitur non erit. & quoniam est ab alio æternus, ergo semper erit. igitur in eo instanti, in quo positus est non esse

erit.

erit. igitur in eodem instanti erit, & non erit. hoc autem impossibile est, cum autem hoc non sequatur ex eo quòd possibile positum est in esse. quoniam ex possibili non sequitur impossibile, ergo sequitur ex eo quòd corruptibile sit æternum. itaque quod corruptibile est, æternum fieri minime potest. qua ratione vsus fuit primo Cę. contex. 120. sed huic rationi respondere videtur Auer. Com. illo 41. 12. Meth. dicens, quòd ratio ista in substantijs valet, non autem in accidentibus & motu, & ratio, inquit, diuersitatis ea est, quoniam substantia permanentiam habet ex se, motus autem ab alio, et ideo impossibile est inuenire substãtiam possibilem ex se, & necessariam ab alio, quod est possibile in motu. quasi dixerit Com. quòd ratio diuersitatis quare ratio adducta valeat in substãtijs, non autem in motu huiusmodi est, quoniam substãtia principium habet internum corruptionis & æternitatis. nam si substãtia possibilis est non esse hoc est per materiam, quam intrinsecus habet, quæ causa corruptionis est. si verò æterna est, id est propter carentiam materiæ quæ est causa æternitatis, vt legitur 1. Cę. cont. 20. vbi ex carentia materiæ, et contrarij Cęlum probauit esse æternum, quarè si substantia possibilis fiat æterna cum sit possibilis per materiam, & ab intrinseco, æterna verò per carentiam materiæ, & pariter ab intrinseco, ergo simul materiam habebit, et non habebit, & ab intrinseco erit corruptibilis, & æterna, quod impossibile est. motus verò cum accidens sit, nõ habet principium intrinsecum corruptionis, cum non habeat materiam ex qua, sed principium corruptionis in eo est contrarietas, nec intrinsecum principium habet æternitatis, quoniã æternitatem habet à motore externo, & ideo si motus corruptibilis est, æternus esse potest, quoniam non eadem ex parte, & ab intrinseco erit corruptibilis, & æternus, sicuti substantia est. Sed corruptibilis ex se, æternus verò ab alio, & hoc, vt inquit non est inconueniens, & hoc vult in illis verbis obscure, & cõcisè traditis. vnde secundum Auer. Aristotelis ratio ad hoc tendit, si corruptibile fieret æternum, tunc idem ex se, & ab intrinseco simul erit & non erit. & quõniam hoc tantum sequitur in substantijs, non autem in accidentibus, & motu, ideò ratio solum concludit de substantijs, & non de motu, sed hæc Auerrois solutio nulla est. quoniam Aristotelis ratio ad probandum quòd possibile ex se non possit fieri æternum, ad hoc deducit incommodum, quòd tunc idem simul erit, & non erit, iam verò hoc absurdum non solum sequitur in substantijs quæ principium habent intrinsecum æternitatis, sed etiam in accidentibus, & his quæ ab alio æternitatem habent, quòd ita ostenditur, si motus sui natura possibilis est non esse, ponatur in esse quod non sit, tunc igitur non erit, cum autem ab alio sit æternus. igitur semper erit, ergo in eo instanti in quo non est, erit. itaque si-

mul erit, & non erit, & ita cum hoc absurdum sequatur tam ad id quod est ab alio, quàm ad id quod est ab intrinseco æternum. igitur de utrisque ratio concludit. nec diuersitatis ratio ab eo assignata Aristotelis demõstrationem euariat, quod ex eo confirmatur, quoniam Philosophus arguit contra ponentes mundum ex se corruptibilem, & ab alio, nempè à primo motore æternum, igitur ratio etiam valet in his quæ ab extrinseco æternitatem habent. & consequenter in accidentibus, & motu qui secundum ipsum ab alio permanens est. Secundo, & principaliter probatur, quòd propositio uniuersalis sit tam in accidentib. quàm in substantijs, ex Arist. eodem 1. Cę. contex. 118. vbi inquit, quòd omne corruptibile habet determinatum tempus ad esse, in quo non erit. declarans autem in quibus propositio intelligi debeat, inquit, propositionem veritatem habere in omni prædicamento. cuius verba huiusmodi sunt; his verò definitis dicendum est ad ea quæ sequuntur, quòd si quædam possibilia sunt esse, & non esse, quoddam tempus maximum essendi & non essendi definitum esse necesse est. dico autem rem esse posse, & non esse in omni prædicamento, vt hominem, album, aut tricubitum & id genus. quid clarius? quem locum exponens Auerroes, inquit, quòd iste sermo, omne corruptibile habere determinatum tempus in quo non erit, est vniuersalis in omni prædicamento. itaq; & de ipsius sententia omne corruptibile cuiuscunque prædicamenti necessario corrumpetur, & ita vniuersaliter nullum corruptibile fiet æternum. Amplius si in accidentibus, vt inquit Auer. corruptibile æternum fieri potest igitur erit aliqua potentia quæ nunquam reducetur ad actum, quod Aristoteli, & ipsimet Auerroi aduersatur. Aristoteli quidem, quoniam in contex. 118. inquit, quòd omne possibile non esse in aliquo tempore non erit, quòd non valet nisi supposito quòd omne possibile reducatur ad actum. similiter in contex. 120. sic ratiocinatur si est aliquod corruptibile quod perduret tempore infinito, illud corruptibile potentiam habet ut non sit, igitur quandoque non erit, quæ consequutio non valet nisi supposito, quòd omnis potentia reducatur ad actum, de ea potentia loquendo, quæ naturalis est, ad differentiam illius potentiæ, quæ logica nuncupatur, quæ non dicit aliquid reale, sed solum est respectus quidam causatus ex non repugnantia terminorum. Auerroi verò aduersatur 1. Cę. Com. 20. vbi ait, quòd si in cęlo materia esset eiusdem rationis cum ea quæ in sublunaribus reperitur, in ea esset potentia ad non esse, sed ista nunquam reducatur ad actum, cum Cęlum æternum sit, igitur esset potentia quæ non reducetur ad actum. & ita ociosa in natura, quod impossibile esse affirmat. quam etiam sententiam habet 8. Phis. Com. 64. vbi ita scribit. & fundamentum est, quod omne quod est in potentia aliquando exibit in actum, & si non, tunc natura age-

ret

ret ociose: postremo Auerrois opinionem falsam esse apertissimè demonstratur ex decimo Metaf.contex.26.vbi Philosophus posita diuisione contrariorum in ea quæ insunt per accidens,& ea quæ insunt per se, & secundum substantiam,inquit, quod corruptibile, & incorruptibile non secundum accidens insunt rei,sed per se,& secundum substantiam. quod hac ratione ostendit,quod est secundum accidens potest non esse, corruptibile & incorruptibile non possunt non esse,igitur non secundum accidens, sed secundum substantiam insunt rebus.& licet ratio de corruptibili fiat, ratio tamen ad incorruptibile etiam se se extendit,vt verba sequentia apertissimè ostendunt, quæ huiusmodi sunt.eadem profecto ratio est de incorruptibili, ambo enim ex hisce sunt quæ secundum substantiam insunt: iam vero si motus cœli sui natura corruptibilis est,extrinsecus autem & ab alio incorruptibilis.igitur non secundum substantiam,sed per accidens incorruptibilis erit,aduersus Philosophi sententiam.dissentit tandem Auerroes à seipso,quoniã 1.Cę.Com.118.habet,quod tã in accidentibus,quàm in substantijs ista propositio vera est, quod omne corruptibile cuiuscunque generis habet definitum tempus in quo non erit, igitur secundum ipsum corruptibile cuiuscunque generis necessario corrumpetur, & per consequens nullum corruptibile æternum fieri potest.insuper tertio libro de Anima.Com. 6.inquit, quod intentiones imaginatæ non possunt esse æternæ, quoniam tunc natura corruptibilis fieret æterna, & tamen intentiones imaginatæ accidentia sunt,quia sunt qualitates spiritales, quæ ipsi Animæ obiectum representant:igitur tam in accidentibus, quàm in substantijs, impossibile est corruptibile fieri æternum. & reuera Auerroes à contradictione vindicari non potest. itaque rem ipsam determinantes dicimus,quod tam in accidentibus,quàm in substantijs,omne corruptibile necessario corrumpetur & vniuersaliter nullum corruptibile fieri potest æternum: quod si quis in contrarium dixerit,aliquod corruptibile, quod tamen æternum est, sicuti sunt partes ignis in propria sphæra,quæ sui natura corruptibiles sunt,cum materiam habeant per quam possunt non esse, nunquam tamen corrumpuntur,cum ibi contrarium non habeant à quo corrumpi queant, cui dubio ita satisfactum ijs debet,quod partes ignis in propria sphæra corruptibiles sunt, & quandoque corrumpuntur à contrario quod sibi finitimum & proximum est:igni enim aer contiguus est, qui cum contrariam habeat qualitatem.humiditatem scilicet, ratione cuius igni opponitur qui siccus est.in ipsum ignẽ agit, ipsumque secundum partes successiuè transmutat. vnde hæc duo elementa cum dimicantes habeant qualitates,adinuicem generantur,& corrumpuntur,atque ita omne corruptibile necessario corrũpetur,nullũque possibile cuiuscunque generis fuerit, æternũ fieri potest.

Gene-

Generatio vnius, est corruptio alterius, & vnius corruptio alterius generatio est.

SCribitur sententia hæc ab Arist. 1. de ortu, & interitu contex. 17. in qua sanè dilucidanda quatuor à nobis explicanda sunt. Primum, quam ob causam ea in parte ab Aris. allata fuit: Secundum, quis sit propositionis sensus. Tertium, de veritate propositionis erit: postremum, vtra istarum prior sit, an generatio vnius an corruptio alterius. Quò ad primum, ob eam sanè causam propositio hæc allata fuit, vt ex ea duplicem illam propositam quæstionem persolueret: vnam quidem de causa æternitatis generationis, & corruptionis; alteram verò de generationis subiecto, cuius causa prior illa mota fuit. nam cum philo. priscorum sapientum iam explicatis opinionibus, suam de natura generationis, deque inter generationem, & alterationem differentia aggrederetur sententiam, in contex. 11. dubitationem illam proposuit. An sit generatio simpliciter, quæ substantiarum est. cumque rationem persoluisset, quæ generationem simpliciter euertere videbatur, statuißetque generationem substantiæ fieri non ex ente, in actu, sed ex ente in potentia, in contex. 12. aliam proposuit quæstionem, quonam pacto sese habeat ens illud potestate, quod generationis subiectum statutum fuit, an actu aliquod prædicamentorum includat, aut certè nullum. Nam si primum detur, ita vt substantia tantum potestate sit, actu verò alia prædicamenta includat, accidentia absque substantia consistere poterunt; siquidem accidentia actu erunt, substantia actu non existente. si verò secundum dicatur, non ens actu per se consistere poterit. cum ergo, & vnum & alterum absurdum esse videatur propterea grauis oriebatur dubitatio, quonam pacto se se habeat hoc ens potestate, quod subiectum generationis statuitur, qua posita difficultate in contex. 13. alteram huic quæstionem annectit, quænam æternitatis generationis, & corruptionis causa sit, ex solutione huius priorem de subiecto generationis dubitationẽ persolueret. Illud autem Aristoteles animaduertens, quæstionem de causa æternitatis generationis propositam, non de effectrice causa, sed de causa materiali intelligendam esse: quoniam hæc ad naturam explicandam subiecti generationis sibi maximè inseruiebat, propositam autem de causa æternitatis generationis dubitationem persoluens, in contex. 17. inquit, generationem, & interitum perenni quadam successione proinde, quoniam corruptio vnius, est generatio alterius, & vnius generatio alterius est corruptio. quæ quidem causa, si rectè consideretur, ad materiam redigitur; ideo enim vnius corruptio, alterius est generatio, quoniam materia dum vna forma exuitur,

exuitur, alteram recipit, atque vnius generatio alterius est corruptio, quoniam cum materia vnam formam recipit, altera spoliatur. ex qua quidem solutione mirabili quadam arte priorem etiam de generationis subiecto quæstionem persoluit. Solutio autem ea est, quòd ens potestate, quod subiectum generationis statutum fuit, ab omni forma, & actu denudatum minimè reperitur, sed semper cum aliqua forma coniunctum est. Nam cum generatio vnius alterius sit corruptio, igitur cum vna forma in materia oritur, altera in materia corrumpitur. itaque materia cum ea, quæ corrumpitur forma coniuncta erat, & cum vnius corruptio, alterius sit generatio, igitur cum vna forma corrumpitur, altera in materia oritur: quamobrem, ens potestate, quod generationis subiectum ponitur, semper cum aliqua forma copulatur, ac proinde non sequitur, passiones, & accidentia separabilia esse, actuque existere substantia actu non existente, cum ens illud potestate materia scilicet, semper actu existat, & alicui formæ iugata sit, ex qua etiam propositione argumentum illud dissoluitur in 16. contex. allatum, quo probari posse videbatur generationem aliquando defecturam: argumentum autem illud erat, omne quod corrumpitur, abit in non ens, hoc autem cum nihil sit, vniuersum iam consumptum esse deberet, cum id, ex quo generatio fit, finitum sit; finitum autem per continuam partium ablationem tandem absumatur, soluitur, inquam, quoniam, quod assumitur falsum est. Nam licet, id, quod corrumpitur, dicatur corrumpi in non ens, tanquam in terminum per se primum, quoniam corruptio transitus est de esse ad non esse: corrumpitur tamen in aliquod ens, tanquam in terminum secundarium, quoniam corruptio vnius est generatio alterius, quoniam scilicet altera consequitur forma, remanetque materia, quæ orientem inducit formam, ac proinde generatio in infinitum producitur. Hoc itaque pacto philosophus ex hac propositione mira quadam arte tot persoluit difficultates, & hæc de primò, nunc sensum propositionis aggredior.

Quis sit propositionis sensus explicatur.

EQuidem propositio ista formaliter intelligenda non est, ita vt generatio sit corruptio, & generatio vnius sit formaliter corruptio alterius, quoniam generatio ignis non est corruptio aquæ: siquidem ignis generatio mutatio est, qua aliquid acquiritur, & terminatur ad esse: corruptio verò mutatio est, qua aliquid amittitur, & terminatur ad non esse; iam verò mutationes, quæ ad diuersos terminos proficiscuntur, & aliquam oppositionem includunt, formaliter idem esse non possunt, præterea in hoc sensu propositio ista ad quæstiones illas persoluendas nihil prorsus Aristo-

teli

teli inseruiret, vnde quamuis propositio hæc sensum hunc habere posset: attamen propositiones non in eo sensu, quem faciunt, sed in eo sensu, quo fiunt, intelligi debent. quamobrem propositio hæc causaliter, vel concomitanter intelligenda est, videlicet corruptio vnius causa est generationis alterius, vel ad vnius interitum alterius consequitur generatio, & è conuerso, atque in hoc sensu ab Aristotele allata est, in quo planè sensu propositæ soluuntur difficultates, de generationis subiecto, & de causa æternitatis generationis, & interitus, porrò mutationes istæ ita sunt inuicem connexæ, & complicatæ, vt vna ad alteram necessariò consequatur, cuius necessariæ connexionis causa, materia est: quoniam cum suaptè natura potentia sit, & per seipsam consistere minimè possit: idcircò cum vna forma exuitur, alteram induere, necesse est: atque huic connexioni necessitatem imponit: quòd vnius corruptio alterius est generatio: quoniam verò materia duabus absolutis, perfectisque formis simul perfici nequit, eapropter cum vna oritur in materia, alteram in materia præexistentem interire oportet, & hoc pacto, alterius connexionis causa est, videlicet vnius generationem, alterius corruptionem esse. Vnde hac in re quorundam modernorum errorem reticere minimè possum, qui rationem reddentes, cur materia absque forma consistere non possit, eam huius rei causam esse inquiunt, quoniam corruptio vnius, alterius est generatio, cum tamen è contra sese res habeat, quod ideo vnius corruptio alterius generatio est, quoniam materia absque forma consistere minimè potest. siquidem philosophus eo primo de gener. loco ante citato, de æternitatis generationis causa, quæstionem proponens, non effectricem inquit, sed eam, quæ in materiæ specie est, causam inquiri. quæstionem autem persoluens ait, ideo generationem æternam esse, quoniam corruptio vnius, alterius est generatio. quæ sanè ratio ad materiam vt ad causam ipsemet authore Aristotele, refertur: quamobrem materia causa est vt generatio sit æterna, & vt corruptio vnius, sit generatio alterius. & quoniã causa est huius secundi, ideo est cã primi. ratio quamobrem causæ, cur materia absq; forma consistere non possit, ea certè nõ est. quoniã scilicet corruptio vnius, alterius est generatio, vt inquiunt moderni, quoniã id est effectus, non autem causa. sed causa est. quoniam materia potentia est, & ob id formam aliquam semper requirit, qua actu sit. & quoniam potentia est radix huius propositionis. Vnius corruptio alterius est generatio.

De veritate propositionis.

C*AEterum propositio ista tùm in substantijs, tùm in accidentibus dubia est, & de veritate quàm maximè suspecta in substantijs quidem.*

quoniam

quoniam ex quatuor elementis oritur mixtum, & tamen elementa non corrumpuntur, cùm actu in mixto supersint, oritur quinetiam animatum, & tamen mixtum non corrumpitur. quoniam cum naturalis mixti interitus, putredo sit, vt 4. Meteororū contex. 3. docuit Aristoteles, si in generatione animati mixtum interiret, tunc putredo nedum animati interitum, sed etiam eiusdem generationem præiret. quod eo loci Aristoteli aduersatur, vbi inquit, animatorum interitum, vt auansin in plantis, & senectutem, mortemque in animalibus putredinē præire, & ad hanc viam esse, prę tereà aliquid interit, absque generatione alterius, enim verò corrumpitur animatum, & tamen mixtum de nouo non generatur. similiter cum mixtū in elementa dissoluitur, elementa de nouo non generantur, nec non in accidentibus propositio maximè dubia est; quoniam in mixtis sapores, & colores oriuntur absque saporum, aut colorum interitu. & licet apud D. Thomam, illosùe, qui eius dogmata insequuntur, quę de substantijs dubitationes allatæ sunt, ne vllum quidem negocium facere videantur. siquidem arbitrati sunt, elementa in mixto actu non supereſſe, sed secundum substantiam corrumpi, & in quouis corpore mixto vnicam tantum formam substantialem adinueniri, in generationeque vltima accedēte forma, priores omnes aboleri: in interitu verò forma rei corrupta de nouo aliam suboriri, ac proindè generationem vnius semper alterius corruptionem coniunctam habere, & è conuerso: tamen si Aristotelem reique naturam sequi velimus, elementa in mixto actu manere, & in animati generatione certè mixtū haud corrumpi, neq; in animati interitu mixtum recenter generari constanter tenendū est. quod inferius cum mixtionis definitionem explicabo, me ostensurum polliceor, quò fit, vt allatæ dubitationes contra propositionem non leue negocium facere videantur. Vgo senensis in primam sen Auicennæ cap. de elementis, vt elementorum remanentia tueretur in mixto dixit propositionem hanc in elementis solùm intelligendā eſſe; in his enim generatio vnius, alterius est corruptio, vt cum ignis generatur ex aqua, generatio ignis est corruptio aquæ, & è contra: in mixtis verò propositionem locum non habere, sed hæc sententia ab Aristotele omnino dissentit. quoniam propositio de ea generatione intelligi debet, de qua ibi philosophus sermonem habet. verò iam ibi de generatione ex corruptione elementorum, & mixtorū sermonem habet, vt patet ex contextu primo, et quarto primi de generatione. vbi non solùm de generatione elementorum, sed etiam mixtorum disserendum proponit igitur propositio de generatione elemētorum, & mixtorum, intelligenda est: præterea eo loci Aristotelis institutū perpendo, porrò propositio ista in contex. 17. allata fuit ad explicandā causam æternitatis generationis, & corruptionis, de qua inibi dubitatio mota fuit, nec non ad de-

clarandum generationis subiectum ; itaque propositio de ea generatione intelligitur, de cuius æternitate, pariter & subiecto ibi dubitatio ab Aristotele mota fuit . iam verò dubitatio ea in parte mota fuit de causa æternitatis, deque subiecto generationis in communi tam mixtorum, quàm elementorum . siquidem de causa æternitatis illius generationis, pariter & subiecto mota dubitatio fuit, de qua philosophus dubitauit in contex 11. vtrum sit, nec ne. enim verò hac dubitatione proposita, solutaque ratione, quæ generationem simpliciter non esse ostendere videbatur. ostensoque generationem ex ente fieri in potentia, quæsiuit quomodo ens hoc potestate sese habeat, quod subiectum generationis est. pro cuius solutione secundam illam quæstionem de causa æter[illegible] generationis adijecit. itaque dubitatio ibi mota, fuit de causa æternit[illegible] [illegible]lius generationis, pariter & de subiecto, de qua addubitauit in contex. [illegible] iam vero hôc ipso contex. de generatione simpliciter, vt à generatione accidentium, & secundum quid distinguitur dubitatio mota fuit, vt legentibus facilè patet. Igitur propositio ista [Generatio vnius, alterius est corruptio] de generatione mixtorum, & elementorum intelligi debet, non autem elementorum solùm, vt dicit ille Senensis. Eapropter D. subtilis 4 sententiarum lib. dist. 10. quæst. v. propositionem istam perpendens, inquit, propositionem hanc immediatè, & mediatè, intelligi posse immediatè quidem, vt si ignis generetur ex aqua. generationi enim ignis immediatè iungitur interitus aquæ, & è contra corruptioni aquæ immediatè connectitur generatio ignis. mediatè verò, vt in mixtis. quoniam generationi animati non immediatè nectitur corruptio formæ mixti. quoniam remanet, sed mediatè, & remotè. quoniam ad generationem mixti præcessit corruptio elementorum. pariter corruptioni animati, nõ immediatè nectitur generatio mixti. quoniam eodem forma mixti, quæ præfuit in viuente manet in cadauere, sed remotè, prout ad corruptionem mixti sequitur generatio vermis, aut alterius. deuenit in hanc sententiam Scotus. quoniam cum ex vna parte animaduerteret in generatione animati formam mixti non interire, nec in interitu animati formam mixtī de nouo non generari, & ex altera parte asserentem Aristotelem videret cuius generationem, alterius esse interitum, & econtra, vt vnum, & alterum seruaret; dixit propositionem non immediatè tantum, sed etiam mediatè intelligendam esse. Ingeniosa quidem est hæc Scoti interpretatio, non tamen Aristoteli consentanea. quoniam philosophus primo de gener. contex. 21. rationem afferens, cur ex corruptis alijs semper aliquid generatur, inquit, quoniam terminus ad quem corruptionis, est terminus à quo generationis, & è contra: igitur terminus à quo generationis, immediatè iungitur cum termino ad quem corruptionis, & ex consequenti vniuersaliter

corruptioni vnius immediatè connectitur generatio alterius. iam verò ex Scoti sententia, terminus ad quem corruptionis, non erit terminus à quo generationis. Achillinus 2. lib. de elementis inquit, propositionem hanc, & in mixtis & in elementis immediatè veritatem habere; ad instantiam autem de elementis, quæ actu manent in generatione mixti, respondet, quòd licet elementa in mixti generatione secundum totum non corrumpantur: Secundum partem tamen aliquo pacto corrumpuntur. quoniam in generatione mixti secundum formas substantiales remittuntur, atque ita quoquo modo corrumpuntur, ac proindè generationi mixti annectitur corruptio aliqua ex parte ipsorum elementorum. Cæterum hæc Achillini sententia supponit elementorum formas intendi, & remitti. quod ab Aristotele alienum esse primo nostrarum dilucidationum libro ostensum fuit: ad quem locum lectorem reijcimus. Præterea cùm generatur sentiens in ortu animalis, manet vegetalis, vt inquit Auerroes, cuius doctrinam ipse insequitur 2. colliget cap. 11. vbi sic scribit. Anima vegetalis, quæ est in embrione parata & recipere animam sentientem, & ratio ipsa persuadet. quoniam generans non corrumpit nisi formam contrariam formæ introducendæ, non autem illam, quæ dispositio est formæ venturæ, sicut est vegetalis ad animã sentientem: igitur anima vegetabilis manet accessu animæ sentientis, & tamen anima vegetabilis non remittitur, cum sit forma perfecta, itaque fit generatio vnius absque corruptione alterius, vel completa, vel incompleta, quid ergo dicendum?

Dilucidatio.

PRopositi theorematis germanum intellectum nos declarantes, dicimus primùm præsens theorema in omnibus substantijs generalibus, immediatè, & semper veritatem habere, in substantijs quidem omnibus, contra Vgonem, immediatè contra Scotum, semper quidem, vt ipsemet Aristoteles eo primo de gener. contex. 20. his verbis declarauit inquiens, & est generatio vnius in substantijs semper alterius corruptio, & è contra,] & id ad differentiam accidentium, in quibus non semper res ita sese habet; vt paulò inferius declarabitur. sed si in mixtis accedente forma priores non corrumpuntur, & corrupta vna forma, vtpotè animati forma mixti de nouo non generatur, vt superius dictum est. qui igitur in mixtis propositio veritatis locum habet? sciendum, aliquid bif. generari, & corrumpi posse, vno modo simpliciter, & secundum substantiam, alio modo secundum quid tunc dicimus propositionẽ hanc non primo modo tantum, sed vtroque modo, videlicet, aut simpliciter, aut secundum quid, intelligen-

dam esse. interdum enim generatio vnius, alterius corruptio simpliciter est, vt in elementis, cum ignis generatur ex aqua, & interdum etiam in mixtis, vt cum ex equo generatur cadauer. generatio quidem huius corruptio simpliciter est formæ ipsius equi. interdum vero generatio vnius, non est corruptio simpliciter alterius, sed solum secundum quid, vt cum generatur mixtum elementorum formæ secundum substantiam non corrumpuntur, sed secundum quid, prout amittunt quoquomodo rationem formæ, quatenus esse specificum, & demonstratum non largiuntur, sed fiunt potentiales, & veluti materia formæ mixtorum introducendæ, eodem modo in animalium ortu adueniente sensitiua anima vegetabilis secundum quid corrumpi dicitur. simili quoque ratione, corruptio vnius simpliciter alterius generatio secundum quid esse potest, vt cum corrumpitur animatum forma cadaueris de nouo generari dicitur non quidem simpliciter, sed secundum quid, prout de nouo incipit formæ rationem habere: siquidem denominat, esseque demonstrat, specificum largitur, quod antea, animæ præsentia, minimè faciebat, & dum corrumpitur cadauer, eodem modo elementorum formæ generari dicuntur: sicut etiam contingit in numeris: nam accedente quarta vnitate, tertia vnitas corrumpi dicitur, non quidem simpliciter. quoniam tertia vnitas manet in quaternario, sed secundum quid. quoniam neque denominat, neque numerum [illegible] constituit. quarta verò vnitate sublata tertia vnitas de nouo generari dicitur, pro vt de nouo formæ rationem habere incipit, quoniam numerum ternarium constituit, quod antè non faciebat, præsentia quartæ vnitatis. consimile certè accidit formis, quæ instar vnitatis sese habent. & hoc satis est Aristoteli ad habendum propositum suum: decreuerat enim ex hac propositione secundo loco declarare, ens potestate, quod subiectum generationis simpliciter esse statuerat, cum aliquo actu semper coniunctum esse. iam verò cum animatum corrumpitur, licet forma mixti simpliciter non generetur, & cum mixtum corrumpitur, licet elementorum formæ de nouo secundum substantiam non generentur, materia cum aliquo, & cum aliqua forma coniuncta est. Vnde ad saluandam Aristotelis propositionem, ad dissoluendasque dubitationes, quibus propositio hæc ab Aristotele allata fuit, necesse non est ad corruptionem vnius formæ, alteram simpliciter generari, vt ferè latini interpretes communiter arbitrati sunt. Aristotelis intentionem non assequuti, neque ad huiusmodi propositionem soluendam ponere formæ veritatem in mixtis vlla necessitas cogit. quamobrem Aristotelis propositio in substantijs immediatè, & semper, vel simpliciter, vel secundum quid intelligenda est.

Quomodo in accidentibus propositio veritatem habeat.

IN accidentibus verò propositio vniuersaliter vnitatem non habet, vt contex. illo 20. his verbi Aristoteles indicauit, inquiens, in subſtātijs semper corruptionem vnius, alterius generationem. esse, ex hoc ostendens in accidentibus non semper veritatem habere. quæ res, vt conspicua fiat, est animaduertendum, accidentia dum generum esse. quædam enim sunt, à quibus materia separari potest, & quæ cum forma substantiali necessaria connexionem non habent, vt sunt colores, sapores, & odores, & cætera id genus: alia verò sunt, à quibus materia disiungi, separarique non potest, ex eo quia cum forma substantiali necessariam connexionem habent, vt sunt qualitates primæ. quia enim forma substantialis proprias in materia dispositiones expostulat, sine quibus nec è materia educi, nec in materia conseruari potest. ea propter ista cum forma substantiali necessariam connexionē habere dicuntur. et sicuti materia à formis substantialibus separari nequit, ita neque à qualitatibus primis vllo pacto diuelli potest. quod sub initium secundi de Gener. Aristoteles etiam scriptum reliquit. His habitis pro resolutione duo hæc ponimus theoremata. primum est, si de accidentibus sermo sit, à quibus materia diuelli potest, nec cum forma substantiali necessariam habent connexionem, propositio in his veritatem non habet. fit enim generatio caloris in mixto absq; corruptione alterius. pariter cum corrumpitur color in mixto non fit generatio alterius in elementis. quoniam cum ab his materia solui, denudarique possit, huic connexioni necessitatē minimè imponit, vt corruptio vnius sit generatio alterius, & è contra. Alterum theorema illud est, si de accidentibus sermo sit, quæ cum forma substantiali connexionem necessariam habent, vt sunt qualitates primæ. generatio vnius, est corruptio alterius, & vnius corruptio alterius generatio est, quoniam cum huiusmodi qualitates cum formis substantialibus ita connexæ sint, vt absque illis formæ substantiales vllo pacto consistere possint. Eapropter sicut vnius formæ substantialis generatio, alterius est corruptio, & è contra, ita vnius primę qualitatis generatio, alterius corruptio est, & è contra, vt exempli causa forma substantialis ignis calorem, & siccitatē exposcit, forma autē aquæ frigus, & humorem: sicut ergo, si ignis ex aqua generari debet, ad corruptionem formæ aquæ, sequitur generatio formæ ignis, & corruptioni formę aquę, frigoris, & humoris corruptio iuncta est, & generationi formæ ignis, caloris, & siccitatis, generatio iūcta est, ita corruptioni vnius primæ qualitatis necessariò iuncta est generatio alterius oppositæ qualitatis. sed dicito in mixtis corporibus propositio ista non vide-

tur locum veritatis habere, quoniam cum corrumpitur animatum corpus, calor quidem euanescit. quoniam animati corporis interitus per defectum, interitumque caloris efficitur, non tamen ad interitum caloris, in cadauere sequitur generatio frigiditatis: quia sicuti post interitum animati elementa de nouo non generantur: itá neque primæ qualitates. Soluitur, propositionem, & in elementis, & in mixtis veritatem habere, diuersimodè tamen, quoniam in elementis generatio vnius primę qualitatis, alterius est corruptio simpliciter. sicut enim in his vna forma simpliciler corrumpitur, & altera simpliciter generatur, ista necesse est, qualitatem primam formæ coniunctam quæ corrumpitur, etiam simpliciter corrumpi, & alteram huic oppositam simpliciter generari: an mixtis verò propositio nō simpliciter, sed secūdum quid tantùm intelligitur. quoniam sicut in mixtis, corruptio vnius formæ, non est alterius simpliciter corruptio, sed secundum quid, itá corruptio vnius primæ qualitatis non est alterius qualitatis simpliciter generatio, sed secundum quid. & enim dicta viuens corrumpitur, naturalis calor & ipse corrumpitur, non quidem simpliciter, & ex toto, sed pro eo gradu, eaque mensura, quæ animæ pro conseruatione ipsius in corpore necessarium erat, & frigidum quidem generatur non simpliciter, sed secundum quid, videlicet quo ad prædominium, quia cum iam pridem in viuente corpore dominium esset caloris supra frigus, in viuentis interitu deficit calor, & frigus inualescit: & è contra generatio frigidi est corruptio calidi secundum quid. & hoc pacto in mixtis quoque corporibus, vnius qualitatis corruptio, alterius est generatio, & in hoc sensu ab omnibus his, qui elemēta in mixto actu manere profitentur, propositio hęc intelligenda est. quibus itá constitutis, obiecta, quæ sub initium aduersus hanc propositionem tàm in substantijs, quàm in accidentibus adducta fuere, vnusquisque facilè dissoluere potest. Nunc quartum aggrediamur.

Inter generationem vnius, & corruptionem alterius quis ordo reperiatur.

HActenus generationem vnius in substantijs alterius in corruptionem coniunctam semper habere declaratum fuit. quoniam verò inter hæc duo aliquid ordo, secundum prius, & posterius necessariò adinueniatur, nec satis constat vtra istarum prior sit generatio vnius, an corruptio alterius: eapropter ad exactam huius theorematis explicationem, problema hoc, quod postremum in ordine propositum fuit, illustrandum etiam duxi. vt autem huius rei veritas resolutissima habeatur, animaduersione dignum est, vnum altero prius tripliciter dici posse. primò quidem prioritate

tate intentionis; secundò prioritate originis, & naturæ; tertiò verò secundum tempus. qua habita distinctione, problematis veritatem tribus propositionibus patefacio; prima est, prioritate intentionis agentis generatio vnius prior est, quàm corruptio alterius. siquidem generans primò, & per se generationem intendit. quoniam agentis consilium est patiens sibi simile reddere, & seipsum propagare. verum quia id efficere nequit, nisi patiens id, quod agit, destruat, & corrumpat, proinde veluti ex accidenti alterius corruptionem intendit. enimuerò lupus cum agnum, aut ouem inuadit, præcipuè quidem agnum occidere non intendit, sed primò se ipsum alere, & conseruare: verùm quia id efficere nequit, nisi agnum, aut alıud animal occidat, ea propter ex euentu alterius corruptionem intendit. Sicut etiam politicus dùm spontè sese exponit morti, primò quidē mortem non intendit. quoniam malum, sicuti mors est, à nullo per se appetitur; sed primò quidem commune bonum, patriæque salutem, aut fęliciorē sibi vitam, intendit. verùm quia isthæc consequi minimè potest, nisi morti sese exponat, idcircò ex accidenti mortem respicit, atque intendit. altera ennnciatio ea est prioritate secūdum naturam, corruptio vnius prior est generatione alterius. siquidem forma generanda in materia introduci non potest, nisi præexistens ex materia abijciatur. Cum enim ignis generatur ex aqua, profectò forma ignis ex materia haud traduci potest, nisi antea forma aquæ corrumpatur. postrema enunciatio est, prioritate secundum tempus, vna non est altera prior, sed simul tempore fiunt. eodem enim temporis momento, quo forma in materia præexistens corrumpitur, forma generanda introducitur. quoniam si alio, atque alio temporis momento esset vnius generatio, & alterius corruptio, cum inter duo temporis momenta, & instantia tempus medium sit, hoc temporis intermedio materia absque forma, consisteret, quod certè dici nō potest. Vndè primum esse formæ generādæ, est primum non eße formæ corrumpendę: & primum non eße formæ corrumpendæ, est primum esse formæ generandę, cum ex parte generationis non detur vltimum instans, in quo forma non sit. Sed primum esse ipsius, & ex parte corruptionis non detur vltimum instans, in quo sit, sed primum non eße ipsius. Quamobrem eodem temporis momento primum non esse vnius, est primum eße alterius, & è contra. & licet hæc simul tempore fiant, tamen vnum, vtpotè primum non esse vnius natura, primum esse alterius antecedit. quoniam cum temporis simultate prioritas secundum naturam consistere potest. Homo enim & risibile simul tempore sunt, & tamen homo risibile natura antecedit. Et hęc satis dicta sunt.

De

seù qualitatum in materia.quantitatis enim necessitas est propter diuisionem.vt materia scilicet partem extrà partem habeat,ac proindè transmutari possit:qualitatem verò propter materiæ determinationem, vt scilicet materia determinetur, huicùe & illi formæ propria efficiatur, tametsi illud etiam discriminis sit, quòd quantitas à materia numquàm diuellitur. Sed est materiæ coęterna,quamuis termini varientur secundum diuersitatem formarum,qualitates verò,& dispositiones de nouo in materia ab agente introducuntur, atque etiam corrumpũtur.cuius sanè diuersitatis ea causa est:quoniam quantitas prout indeterminata est, omnibus formis generabilibus communis est,& propterea in materia numero eadem semper manere potest.enimuerò accidens & passio,quæ genito, & corrupto communia sunt;non corrumpuntur: vt primo de gener.contex.24. Aristoteles declarauit.Qualitates verò vt calor,& frigus,siccitas,& humor quoniam non omnes omnibus formis communes sunt,sed quædam huic, quædam verò illi formæ propriæ sunt,ea propter secundum formarum diuersitatem, de nouo in materia introducuntur. Sed illud hac in re difficultatem facit, an huiusmodi dispositiones,quę antè formã substantialem in materia introducuntur,adueniente forma,remaneant,aut corrumpantur:putauit D.Thomas huiusmodi dispositiones in materia accessu formæ generandæ non remanere,sed simul cum forma in materia præexistente corrumpi,eo persuasus fundamento.quia forma substantialis immediatè materiæ primæ vniri debet,nõ autem medio aliquo accidente, quoniam tunc aggregatum ex materia,& dispositionibus præcederet aggregatum ex materia,& forma substantiali ,ac proindè aggregatum per accidens præiret aggregatum per se, quod fieri nequit,cui etiam Aristoteles ipse fauere videtur primo de gener.contex.23.vbi inquit:generationem,mutationem esse non manente subiecto sensibili.& in contex.25.vbi sic inquit generatio fit cum nihil omnino alterum manet,cuius sit passio vel accidens] Sed hæc dicti Thomæ sententia à veritate abhorret. quoniam si dispositiones quæ pro forma generanda in materia ab agente introductę fuerunt, vnà cum forma pręexistente abolentur:Igitur materia indifferens,communisùe ad plures formas derelinquitur.quoniam non magis huic quàm alteri formæ determinata est: igitur ex huiusmodi materia indifferenter omnis forma poterit generari. Scio diuum Thomam,aut pro ipso quempiã dicturum, quòd licet in corruptione huiusmodi dispositionum materia indifferens,communisùe derelinquatur, non tamen omnis forma indifferenter, sed determinata, ex ipsa generatur, propter præsentiam agentis determinati; quod est aptum hanc formam & non illam producere, vt si ignis generetur ex aqua; licet enim caliditas, & siccitas, quæ in materia pro generatione

ratione ignis introductæ sunt; corrumpantur, simul cum forma aquæ, materiaque nuda supersit, indifferensque: nihilominus ex illa materia forma ignis, & non alia generatur propter præsentiam ignis generantis. Sed hæc responsio non satisfacit. quoniam licet aliquo pacto sese tueri possit in generatione, quæ fit ab agente vniuoco & particulari, non tamen sese tueri potest in generatione, quæ fit ab agente æquiuoco, atque communi. Nam si à Sole, qui alioquin generans est indifferens ad plures effectus, ex putrida materia rana generari debeat, dispositionesue, quæ in materia pro ranæ generatione introductæ sunt, corrumpantur, tunc materia communis, indifferensque remanebit, & ad formam ranæ, & ad formam muris, & cum Sol generans communis indifferensque sit non solum ad formam ranæ, sed etiã ad alias formas, vt vespæ, vel muris; igitur tum ratione materiæ, tùm ratione agentis, quod præsens est: non magis rana, quam alterum animal poterit procreari, quo fit, vt præsentia agentis non satis sit, sed requiritur in materia aliquod ipsi inexistens, vt dispositio, quæ materiam potius ad hanc quã ad illam formam determinet. Quod sanè indicauit philosophus 2. de anima contex. 2. vbi inquit: actus, & formæ recipiuntur in patiente probè dispositio quæ ratio certè aduersus D. Thomam vim demonstrantem habet, cui hæc altera addi potest: si dispositiones pro forma generanda in materia introductæ corrumpuntur, & simul cum forma aliæ consimiles generãtur: cùm forma substantialis ex D. Thomæ quoque sententia acquiratur in instanti, igitur & primæ qualitates acquirũtur in instanti, quod fieri nequit, quoniam, tota latitudo primarum qualitatum simul, temporisque momẽto acquiri nõ potest. Eapropter multò verius dicendum est, dispositiones, quæ in materia pro forma generanda introducuntur, aduentu formæ easdem necessariò permanere, quæ sunt copula, mediumq; vnionis formæ cum materia; quod & ipsa rei natura indicare uidetur. non enim consentaneum esse videtur, perfectum, sicuti forma substantialis est, enti imperfectissimo vt materiæ primæ immediatè, & sine aliquo apparatu vniri. quo factum est, vt forma perfecta enti imperfectissimo materiæque medio aliquo actu imperfecto vt medio accidente vniatur. Vnde generans ipsius formæ generatione nudam materiæ essentiam non attingit, vt putauit D. Tho. sed materiam accidentibus tectam, & adumbratam transmutat, formamque traducit. Nec D. Thomæ fundamenta quicquã officiunt, & primum quidem falsum est formam substantialem immediatè vniri materiæ primæ. & ad probationem dicimus aggregatum per accidens dispositiuè præire aggregatum per se; quod tantum abest falsum esse, vt potius verissimum sit, summèque necessarium, siquidem imperfecta, & quæ ad finem ordinantur, tũ media necessariò finem præire debent: neque Aristotelis authoritas vl-

lam molestiam præbent, quam cum priore libro super definitione generationis explicauerim, hic lubens prætermitto: sed ad ordinem reuersus ait, dispositionibus materiam probè excultam, & præparatam ab agente tandem formam substantialem tradici, quæ compositum cõstituit, materiamque perficit, eique existentiam præbet, & hæc de primo.

De ordine in rerum naturalium interitu.

Q*Voniam cuncta orta occidunt, atquè intereunt, nec satis conspicuum sit, quis ordo sit in rerum naturalium interitu, eapropter id quoque breuiter explicandum est, porrò sicut in generatione substantiali ab agente primum in materia qualitates introducuntur, quibus materia disponitur ad hanc, & illam formam suscipiendam, tandemque forma ex materiæ gremio educitur, ex cuius vnione cum materia compositum ipsum cõsurgit; ita & in interitu primum quod corrumpitur qualitates ipsæ sunt. nam cum hę media sint, quibus materię forma copulatur, quibusue in materia conseruatur, quoniam tandiù forma cohęret, in eaque asseruatur, quandiù illius formæ dispositiones in materia reperiuntur, ita dispositionum ablatio in causa est, vt forma à materia diuellatur, quoniam copula, & vniculum formę cum materia aufertur. ad ablationem autem qualitatum mox forma corrumpitur: cum forma in materia absque qualitatibus constare minimè possit. ad cuius interitum tandem compositum ipsum corrumpitur. Cæterum Zimara huic veritati theoremate 52. vbi contra Auerroem arguit, qui huic sententiæ aßentiri videtur, ità sese opponit, in generatione substantiæ ex Aristotele 7. metaf. context. 27. id, quod primo, & per se generatur, et corrumpitur compositum est, igitur quod primo oritur, & interitu, nõ erit forma: accedit ex eodem contex. quòd forma ex accidenti oritur, & interitu, ad ortum, & ad interitum ipsius compositi: igitur forma posterius ipso composito oritur: & corrumpitur, quam instantiam nescio qua ratione ipse dimiserit insolutam, cum tandem & ipse nostram hanc sententiam probare videatur. ergo autem, ità respondeo, quòd sicut in generatione ex materia iã disposita id, quod primo oritur, & in esse erumpit, forma est. enimuerò cum forma ipsius compositi causa sit, necessariò ipsum præire debet: ac proinde prius oriri, ac prius quàm compositum interire debet, non prius inquam tempore, quoniam hæc simul tempore fiunt, sed natura, & causalitate. ad instantiam autem, dicimus ab Aristotele compositum dici primo, & per se generari, & corrumpi, non quia prius origine oriatur, aut intereat, quàm forma: sed quoniam obiectum est, quod primo, & per se ab ipsa genera-*

tione respicitur. nam cum generari nil aliud sit, quàm acquirere esse, cum generatio transitus sit de non esse ad esse, illud primò, & per se generari dicitur, quod per se habet esse: hoc autem cum compositum sit, et non forma, proindè compositum dicitur præcipuè, & per se generari, ac obiectum generationis esse, non autem forma, tametsi forma prius in actum erumpat, intereatque, quam compositum. Ad id autem, quod secundo loco adijciebat est aduertendum, quòd cum generari nil aliud sit, quam acquirere esse, illud per se dicitur generari, quod per se hẽt esse: cum aũt forma per se non existat, sed ad existentiam compositi, quod per se existit, proindè forma ex accidenti generari dicitur ad generationem compositi, corrumpiùe ad corruptionem eiusdem: in quo sensu forma etiam composito posterior esse dicitur, generarique ad generationem compositi, prout existentiam non habet, nisi ad existentiam compositi. sicut etiam materia ab Aristote. dicitur generari ex accidenti ad generationem compositi, prout existentiam non habet nisi ad existentiam compositi, quod per se existit: qua etiam ratione materia ipso composito posterior esse dicitur: quamobrem licet forma prius oriatur, intereatque quàm compositum, nihilominus non primo, hoc est principaliter, & per se generatur, ex accidenti ad generationem compositi, eandemque posteriorem esse, ut declaratum fuit.

Mutatio secundum totum, non manente sensibili vt subiecto eodem, generatio, & corruptio est.

PONitur definitio hæc primo De gene. cont. 23. quæ cũ hactenus ab alijs non rectè fuerit explicata, iam dilucidare decreui. In qua sanè dilucidanda quatuor à nobis perpendenda sunt: primo quidem an definitio hæc sit generationis tantum, an generationis & corruptionis simul: Secundo, an cõueniat generationi & corruptioni cuiuslibet substãtiæ generabilis & corruptibilis: tertio, tota explicabitur definitio: postremo quædam persoluetur dubitatio. Quò ad primum attinet, mea est sententia, hanc non esse definitionem generationis tantum, vt communiter dicunt interpretes, sed definitionem generationis & corruptionis simul, vt ex ipsomet Arist. probatur eo loco, vbi inquit, mutatio secundum totum non manente sensibili subiecto eodem generatio, & corruptio est. perpende diligenter verba ista, quoniam non inquit, mutatio secundum totum generatio est, sed inquit mutatio secundum totum, generatio, & corruptio est. vt cùm ex semine sanguis, & ex aere fit aqua mutatio enim secundum totum aeris pariter & seminis non manente subiecto eodem corruptio est. mutatio vero secundum totum aquæ & sanguinis generatio est. igitur definitio ista generationi & corruptioni communis est. præterea si hæc corruptioni communis non est,

quę nam ergo erit definitio corruptionis? huius enim rationem explicare proposuit Aristo.in contex.primo primi libri,& se eam explicasse asseruit in contex.24.& in epilogo facto contex.primo secundi libri: Nec profectò dici potest hanc esse corruptionis definitionem. corruptio est mutatio non secundum totum, manente sensibili subiecto eodem, quoniam non distingueretur ab alteratione,nā & alteratio est mutatio non secundum totum,manente eodem sensibili subiecto. erit igitur ista,corruptio est mutatio secundum totum,non manente eodem sensibili subiecto. nam si generatio dicitur mutatio secundum totum, quia est mutatio secundum substantiam,igitur & corruptio cum sit mutatio secundum substantiam, erit mutatio secundum totum, immo quia in corruptione totum esse rei deperditur:ideo in generatione totum esse rei acquiritur.& quoniam in corruptione non manet idem subiectum sensibile,ideo nec in generatione. adeò enim sunt connexæ generatio & corruptio,vt generatio vnius sit corruptio alterius,& econtra. & mutatio secundum totum vnius,sit mutatio secundum totum alterius, & per consequens vtraque sit mutatio secundom totum, ea propter resolutè dicendum est,quòd definitio ista communis est generationi & corruptioni,& simul & semel Philosophus definitione hac vtranque mutationem complexus est.ambæ enim sub hac communi ratione conueniunt,quòd vtraque est mutatio secundum totum, non manente eodem subiecto sensibili.& illa particula, [mutatio secundum totum] communis est mutationi ad esse, & ad non esse: & si dicatur mutatio ad esse fit propria generationi:generatio enim est mutatio qua acquiritur totum:si verò dicatur,mutatio ad non esse fit propria corruptioni,hæc enim est mutatio qua deperditur totum,vnde illud dici potest, quòd definitio ista per se primo competit mutationi substantiali,quę est quid commune ad generationem & corruptionem:contrahitur autem ad generationem & corruptionem per esse,& non esse,tanquam per differentias,ita dicentes, generatio est mutatio secundum totum ad esse, non remanente sensibili subiecto eodem.Corruptio verò est mutatio secundum totum ad non esse,non manente similiter subiecto eodem,& hæc de primo.

An conueniat generationi,& corruptioni cuiuslibet substantię generabilis & corruptibilis,

HAC in re non conuenit apud omnes. Zimara vt legitur theor. 20. voluit, quòd definitio ista non competit generationi & corruptioni cuiuslibet substantiæ generabilis, sed duntaxat generationi, & corruptioni elementorum. & ratio est, quia præcipua, inquit Aristotel. intentio in libris de generatione est agere de generatione,

&

& modo generationis elementorum, vnde in 2. de anima contex. 117. & in libro de sensu, & sensili cap. de sapore appellat illos libros de gener. libros de elementis, & in tali elementorum mutatione fit mutatio secundū totum, non manente eodem sensibili subiecto. Sed opinio istius ab Arist. apertissimè dissentit, quoniam Philosophus contex. primo primi libri suam ponens intentionem, sic inquit, De generatione & corruptione eorum quæ natura generātur & corrumpuntur, & similiter de omnibus causæ distinguendæ & rationes ipsorum. in quibus verbis nemo est. qui non videat Aristotelem non perstringere intentionem suam ad generationem & corruptionem elementorum, sed ad generationem & corruptionem omnium corporum, quæ natura generantur & corrumpuntur. & in contex. 4. suam clarius patefaciens intentionem, inquit, se non velle agere de generatione elementorum tantum, vt fecit Plato, sed de generatione elementorum & mixtorum, quid clarius? ita vt talis discursus formari queat, ea generatio & corruptio definitur in contex. 23. de qua proposuit agere in contex. primo, & 4. sed in his contex. agere proposuit de generatione & corruptione elementorum, & mixtorum. igitur definitur generatio & corruptio elementorum, & mixtorum. id præterea confirmant exempla posita in ea definitione: inquit enim, mutatio secundum totum non manente sensibili subiecto eodem generatio & corruptio est, vt cum ex semine sanguis, & ex aere aqua, affert exempla in generatione & corruptione mixtorum, vt seminis & sanguinis, ex elementorum vt aeris, & aquæ: igitur vult definitionem communem esse generationi & corruptioni elementorum, & mixtorum. plura quoque ad hoc adducere possem, sed quoniam superuacaneum esset in re aperta, ideo hæc sufficiant. itaque dicendum est, quòd definitio generationis & corruptionis quæ tradita est in contex. 23. communis est generationi & corruptioni elementorum, & mixtorum. sicut etiam voluerunt Ioannes Gram. & Auer. sed præcipua causa quæ Zimaram in hunc errorem mihi impulisse videtur, fuit ista, quoniam sese ex hoc laqueo explicare non potuit, quonam pacto generatio mixtorum potest esse mutatio secundum totum, non manente sensibili subiectó, cùm elementa in generatione mixtorum maneant vt subiectum, nam si elementa in generatione mixtorum manent vt subiectum, generatio mixtorum non erit mutatio non manente sensibili subiecto: & si generatio mixtorum erit mutatio non manēte sensibili subiecto, elementa non manebunt vt subiectum in generatione mixtorum. cum ergo bonus Zim. ista duo saluare non posset, & quòd elementa in generatione mixtorum maneant vt subiectum, & quòd mixtorum generatio fiat non manente sensibili subiecto, negauit definitionem istam conuenire generationi & corruptioni mixtorum, quod certè nobis nullum exhibet

bet negocium.tenemus enim secundum Arist.quòd elementa in generatione mixtorum manent vt subiectum, & quod definitio ista conuenit etiam generationi, & corruptioni mixtorũ.vt nuper ostensum fuit, quod quomodo saluari possit, inferius patebit. Nec officit ratio quę adducebatur à Zimara, assentimur enim & nos, quòd præcipua intentio in libris de generatione & modo generationis elementorum, quam tractationem inchoatam reliquerat. Arist. 3. Cę. quæ res vt omnibus reddatur conspicua, sciendum, quòd cum Philosophus in 3. Cę. cępisset agere de elementis, ostendissetque aduersus Emped. generabilia, & corruptibilia esse, & quod ex se inuicem generantur, in contex. 56. cępit disserere de modo mutuæ generationis elementorum: cum autem aduersus veterem sapientum opinionem ostendisset ex se inuicem non generari per segregationem, neque per figuræ mutationem, aut dissolutionem in superficies, reliquum erat suam de re hac afferre sententiam, & verum declarare modum, quo elementa inuicem generentur. verum ibi illum reticuit, alibique tanquam opportuniore loco explicandum reliquit, vt in libris De gener. in quibus, vt ait Alexan. initio Metheo. absoluitur, qđ tertio Cęli fuerat inchoatum: nã tertio cęli vt ibi notat Auer. com. 56. de modo generationis elementorum falsæ veterum reiectæ fuerę opiniones: in libris autem De gener. verus modus & ratio mutuæ generationis elementorum explicatur. & hæc est præcipua Aristotelis intentio in libris De gener. neque in hoc à Zimara discrepamus, & licet res ita se habeat, non tamen sequitur, quòd definitio generationis tradita in primo libro contex. 23. sit definitio generationis & interitus elementorum, sed est definitio generationis in communi, quæ necessario præmittenda erat: & ratio est, quia cum scopus esset declarare modum generationis elementorum, hic autem explicari minimè posset, nisi cognita natura generationis communi, eiusque differentia ab alteratione, cæterisque mutationibus, ea propter prius de generatione in communi agendum fuit, atque eius differentia ab alteratione antea explicanda. quòd autem modus quo ex se inuicem generantur elementa cognosci minimè posset nisi prius cognita natura alterationis, & generationis in communi, ita probatur inde sumpto principio, elementa ex se inuicem generantur, vt tertio Cęli ostensum fuit. sed ex se inuicem non generantur aut per segregationem, aut per figuræ mutationem, aut dissolutionem in superficies, vt ibidem aduersus veteres ab Arist. probatum fuit, igitur elementa inuicem generantur: aut per mutationem in quali, aut per mutationem in substantia. sed inuicem non generantur per mutationem factam in quali, quia hæc est alteratio, quæ non est eadem cum generatione, igitur inuicem generantur per mutationem factam in substantia, quæ vera generatio est: cum itaque, probetur quòd elementa non ex se

inuicem

inuicem generantur per mutationem in quali, quia hæc est alteratio, quæ non est eadem cum generatione, sed per mutationem in substantia, quæ vera generatio est. igitur prius cognoscenda erat natura alterationis, quod est mutatio facta in quali, & natura generationis in communi, quod est mutatio secundum substantiam, & consequenter diuersitas inter alterationem, & generationem. quibus nō cognitis, aut explicatis, nūquam Philosophus declarare potuisset, quòd elementa ex se inuicem non generentur per mutationem factam in quali, sed in substantia: hoc enim supponit declaratam naturam mutationis in quali, quòd scilicet talis est alteratio, & naturam mutationis in substantia, quòd scilicet talis est vera generatio, et corruptio. quam necessitatem animaduertens diuinus Aristoteles initio librorum De generatio. agere proposuit de generatione, & corruptione in communi. & de differentia inter generationem, & alterationem, quod propositum absoluit in contex. 23. & 24. vbi declarans naturam alterationis, & generationis, & corruptionis in communi, sic inquit, Alteratio est mutatio facta in quali manente eodem sensibili subiecto: generatio verò & corruptio est mutatio secundum substantiam non manente eodem sensibili subiecto: ex quo colligitur latissimum discrimen inter alterationem, & generationem, vnde isthæc, & omnia alia, quæ sunt considerata in primo libro vt contactus, actio & passio, & mixtio, ea non sunt considerata propter se, sed propter generationem elementorum; vt etiam dicere visus est Aristo. in eo primo contex. 43. vbi suæ intentionis causam assignans, inquit, Ideo de tactu, actione, & passione, & mixtione agendum esse, quoniam de elementis, & de mutua eorum generatione agendum est. ex quo loco patet, quantum à veritate recedant Iuniores nonnulli, qui asserunt de elementis tractari propter generationem in communi, & propter ea quæ sunt considerata in primo libro, cum tamen oppositum ab Aristo. dicatur, quòd de illis in primo libro agendum erat, quoniam de elementis disputatio futura erat: redeuntes ergo ad Zimaræ rationem formaliter dicimus, quòd licet præcipua intentio sit agere de elementis, & modo generationis eorum, non tamen definitio generationis & corruptionis tradita in contex. 23. est definitio generationis & corruptionis elementorum solum, sed generationis in communi, cuius natura primum cognoscenda erat, velut fundamentum ad cognoscēdum quomodo ex se inuicem fieret generatio elementorum, vt dictum est. Sed hoc in loco occurrit dubium, propter quid cum Philosophus 3. Cę. tractare cępisset de modo mutuæ generationis elementorum, variosque veterum explicasset dicendi modos, ea in parte dubitationem illam non persoluit, sed ab ea supersedit, eamque distulit ad libros De generat. non sine maxima eorum, qui legunt, confusione, de quo sequenti cap. Dubium hoc, quod ad

Aristotelis

Aristotelis attinet artificium summa consideratione dignum mihi semper visum est, cui respondens dico, quòd Philosophus ea in parte non potuit hanc dubitationem persoluere. & ratio ea est, quoniam cum elementa ex se inuicem non generentur nisi per mutationem factam in substantia, hæc autem non fiat nisi per mutationem præcedentem primarum qualitatum in quibusdam quidem per mutationem ambarum qualitatum, vt in generatione ignis, & aquæ, in quibusdam verò per mutationem vnius qualitatis tantum, vt in generatione ignis ex aere, operæpretium erat prius cognoscere has qualitates, & differentias elementorum ab his qualitatibus desumptas. cum autem hæ qualitates primæ in libris de cælo neque possent, neque considerari deberent, idcirco in his libris considerari non potuit modus generationis elementorum, qui considerationem primarum qualitatum secum necessariò iunctam tenet. Sed iterum insurgit dubitatio propter quid primæ qualitates, vt caliditas, frigiditas, siccitas, & humiditas, in libris de cælo considerari non potuerunt, sicut qualitates motiuæ vt grauitas & leuitas: Ad hoc dicimus eam fuiße causam, quoniam elementa ea in parte considerantur vt vna cum cælo hanc mundi vniuersitatem constituunt, ideò ibi eæ qualitates considerari debebant, quibus elementa id efficere possent, iam verò hæ non sunt primæ qualitates, sed qualitates motiuæ, quia per has propria sibi determinant loca, suamque habent totalitatem, quibus mediantibus hoc vniuersum constituunt, ea propter ibi qualitates alteratiuæ considerari non potuerunt, sed duntaxat qualitates motiuæ, & earum opera, vnde Philosophus falsis priscorum reiectis opinionibus de modo generationis elementorum, animaduertens ibi suam de re hac non posse explicare sententiam in contex. vltimo illius tertij de Cælo, elementorum differentias cognoscendus proposuit. & quoniam elementorum differentiæ à pluribus ducuntur fontibus, aliæ quidem à virtutibus, scilicet à grauitate & leuitate, has enim ita appellat in contex. primo illius quarti: aliæ verò ab affectionibus, hoc est à qualitatibus alteratiuis, aliæ verò ab operibus quæ à virtutibus & ab affectionibus proficiscuntur. ideò de his erat agendum. verum quia ille idoneus locus non erat pertractandi de qualitatibus alteratiuis, ideo statim agere cæpit de qualitatibus motiuis, & earum operibus, de quibus agit in quarto libro, nec proinde post quartum librum agere cæpit de qualitatibus alteratiuis, & de mutua elementorum generatione, sed de natura generationis in communi, deque eius differentia ab alteratione, & augumentatione, quoniam absque huius notitia, quæ ex se inuicem est elementorum generatio minimè deprehendi poterat. & quoniam nonnullis elementorum generatio congregatio esse videbatur, vt inquit ipse in contex. 43. hæc autem

mixtio est. ideò de mixtione agendum erat. & quoniam hæc non est sine actione & passione: omnes enim, inquit, qui elementa generant, & qui segregatione vtuntur & congregatione agere, & pati vtuntur, ideo de actione & passione: & quoniam hæc non est sine contactu, ideò & de contactu, quæ omnia considerauit in primo libro, & quoniã elementa inuicem transmutantur mediantibus qualitatibus alteratiuis, ideo Philosophus secundum aggrediens librum de qualitatibus alteratiuis agere cępit, declarans quæ sint, qualitates quibus elementa inuicem transmutantur agunt, & patiuntur, quot sint, & quomodo singulis elementis accommodantur. quibus omnibus sic explicatis, alia differentia elementorum ab affectionibus desumpta, & mutua generatio elementorum facilè potuit explicari. & hæc est methodus & ordo admirabilis in his ab Aristo. seruatus, sed cum iam satis digressi simus, nunc tertium in ordine propositum prosequamur.

Definitio generationis & interitus explicatur.

GEneratio, inquit Aristo. & interitus mutatio est secundum totum non manente sensibili vt subiecto eodem. datur definitio hæc per terminum, & per subiectum. nam sicut his duobus mutatio substantialis constituitur, & ab alteratione distinguitur, ita his duobus definitur, ex quibus enim res constituitur, & ab alijs distinguitur, ijsdem deficitur: datur enim per terminum cum inquit, [mutatio secundum totum] generatio enim est mutatio qua acquiritur totum, corruptio verò qua deperditur totum. nec arbitreris quòd dicatur mutatio secundum totum, ita vt etiam materia generetur, & corrumpatur, quoniam materia nõ generatur, neque corrumpitur vt terminus, sed per totum forma substantialis intelligitur, quę terminus mutationis substantialis existit. non quidem vt tota formarum vniuersitas, & omnes formæ quæ in re præerant, in generatione, & corruptione mutentur, sed per totum forma substantialis specifica, & perfecta intelligitur, quæ ab Arist. 2. Phis. 31 totum appellatur, quoniam rei totum esse impartitur, atque rei totam essentiam complet, & absoluit, vt ipsemet testatur eodem 2. Phisico. 11. & penes hoc vno modo ab alteratione seiungitur. nam alteratio est mutatio secundum qualitates, & quoniam qualitates, & accidentia non dant esse simpliciter, sed secundũ quid, ideo alteratio nõ dicitur mutatio secundum totum. sed secundum quid: mutatio verò substantialis quoniam est mutatio secundum formam substantialem à qua totum eße rei proficiscitur, ideo dicitur mutatio secundum totum. verum quia mutatio substantialis non solum penes terminum ab alteratione

ratione seiungitur, sed etiam penes subiectum, ideo deficitur etiam per subiectum, cum inquit, [non manente sensibili, vt subiecto eodem] quæ particula quomodo intelligenda sit, non conuenit apud omnes. Auer. in comm. 14. ita putauit intelligendã esse, quòd in mutatione substantiali non manet aliquod sensibile sub ratione subiecti, licet aliquid remanere possit vt contingens subiecto, vel vt dispositio subiecti. & penes hoc ab alteratione distinguitur, quoniam in alteratione manet aliquod sensibile vt subiectum: in mutatione verò substantiali non manet aliquod sensibile vt subiectum, sed vt dispositio subiecti, quoniam si in mutatione substantiali maneret aliquod sensibile vt subiectum, generatio esset alteratio, vnde secundum Auerro. alteratio & generatio in hoc conueniunt, quòd in vtraque manet aliquod sensibile: differunt autem, quòd in alteratione manet aliquod sensibile vt subiectum, in mutatione verò substantiali non manet aliquod sensibile vt subiectum, sed vt dispositio subiecti. cui expositioni fauere videntur verba illa Aristotelis in context. dicentis, non manente sensibili vt subiecto eodem. quam sententiam plurimi quoque secuti sunt, sed hæc expositio falsa est, & in hoc Auerroes sibi & Aristoteli contradicit: sibi quidem, quoniam ipse vult quòd elementa in generatione mixtorum maneant in ratione subiecti, vt patet primo Phisico. 82. & tertio Cæli 67. vbi inquit, quòd materia prima & elementa conueniunt in hoc, quod sunt subiectum ex quo per se aliquid fit. differunt autem, quia materia prima est pura potentia, elementa verò sunt actu, aut medio modo inter potentiam & actum. sed quis fortasse pro Auer. dicere posset, quòd quando Auerroes inquit, quòd in generatione & corruptione non manet aliquod sensibile vt subiectum, intelligit in generatione elementorum, quia vult definitionem istam solum conuenire generationi & corruptioni elementorum. cum verò inquit in generatione manere aliquod sensibile vt subiectum, intelligit de generatione mixtorum, & ita nulla est contradictio, sed hic defensio nulla est. quoniam ipse secundo De generatio. primo, & primo Metheo. comm. primo, vult definitionem istam generationis, & corruptionis conuenire generationi & corruptioni elementorum & mixtorum: verba sunt hæc, dictum est in primo libro de generatione & corruptione communi simplicibus, & mixtis. & cum in hac neget remanere aliquod sensibile vt subiectum, igitur negat in qualibet generatione, & corruptione. & per consequens in generatione mixtorum, in qua tamen alias dixit remanere aliquod sensibile vt elementa sub ratione subiecti. in ea expositione postea Aristoteli contradicit, quia Aristo. secundo Phisico. 31. declarans quæ concurrunt vt materia & subiectum, inquit, vt elementa syllabarum & materia vasorum. &

ignis & aqua respectu corporum: vult igitur Philosophus quòd elementa sint materia mixtorum sicut literæ syllabarum, & lapides domus: iam vero hæc concurrunt vt subiectum, non autem vt dispositio subiecti, igitur & quatuor elementa concurrunt vt subiectum per se, quinimmo ipse Auer. locum illum exponens hæc habet ad verbum, Et omnia ista conueniunt in hoc, quòd sunt materia. differunt autem, quoniam quædam sunt materiam secundum compositionem tantum, vt literæ syllabarum, & lapides domus, & quædam secundum alterationem, vt panis respectu sanguinis, & quædam secundum compositionem & alterationem, vt quatuor elementa respectu corporum mixtorum. & hæc duo sunt fundamenta materiæ, compositio scilicet & alteratio, quod etiam ibi monuerunt Them. & Simp. cum itaque secundum Arist. elementa concurrant vt materia, & subiectum per se mixtorum, igitur secundum ipsum in mutatione substantiali remanere potest aliquod sensibile vt subiectum per se, quod tamen negauit Auerro. in expositione definitionis. Sed aliquis dicere posset pro Auer. quòd licet secundum Arist. in generatione mixtorum maneant elementa, vt subiectum, non tamen manet aliquod sensibile vt subiectum, quia elementa in mixto cum sint refracta, & castigata, non sunt sensibilia, & hoc est quod negant Aristo. & Auerro. videlicet permanentiam alicuius subiecti sensibilis, non autem permanentiam alicuius subiecti simpliciter: sed hæc responsio nulla est, quoniam substantia est sensibilis per accidens ratione qualitatum, vt legitur secundo de Anima context. 63. qualitas autem etiam si remissa sit, sensibilis est, igitur & substantia illi subiecta sensibilis erit, quare elementa in mixto quamuis remissas habeant qualitates, sensibilia erunt. præterea Philosophus secundo de Anima 52. quærit propter quid elementis existentibus in nobis, & sensibilia sint, non sentiuntur ab ipso sensu. in qua quæstione vnum quærit, & aliud præsupponit. elementa quidem præsupponit in nobis esse, & illa sensibilia esse. quærit autem propter quid non sentiantur ab ipso sensu, itaque elementa in mixto sensibilia sunt, & cum remaneant concurrantque, vt subiectum per se mixtorum, igitur in mutatione substantiali manet aliquod sensibile, vt subiectum per se. Hinc patet etiam falsam esse sententiam Beati Thomæ, dicentis, quòd in mutatione substantiali non manet aliquod sensibile, nec vt subiectum, nec vt dispositio subiecti, & in hoc dissentit ab Auerro. quoniam Auerro. vult quòd in mutatione substantiali non manet aliquod sensibile, vt subiectum. manet autem vt dispositio. Beatus Thomas autem vult, quòd non manet aliquod sensibile nec vt subiectum, nec vt dispositio, sed omnia corrumpantur, & formæ, & accidentia omnia, ita vt non remaneat nisi materia nuda,

quæ

quæ sententia deterior est quàm ista Auerrois, quia vt nuper ostensum fuit ex Aristo. quatuor elementa in generatione mixtorum manent vt subiectum, sicut literæ respectu syllabarum, & lapides respectu domus. manet etiam aliquod sensibile, vt dispositio subiecti, vt in 24. context. illius primi Aristo. declarauit, & clarius habetur in secundo libro context. 27. vt à nobili suo loco demonstrabitur. ea propter Achillinus secundo libro de elementis artic. 3. aliter exponit dicens, quòd hæc particula, [non manente sensibili subiecto] ita intelligenda est. quòd in mutatione substantiali subiectum sibi non determinet aliquod sensibile, & aliquam qualitatem, vt talis sit sensus, non manente sensibili subiecto, hoc est, subiecto sibi non determinante aliquod sensibile, & aliquam qualitatem, quia si determinaret sibi aliquod sensibile, tunc in omni mutatione oporteret manere aliquod sensibile: quòd falsum est, quia licet in mutatione elementorum quæ symbola sunt remaneat aliquod sensibile, vt symbola qualitas, non tamen in generatione elementorum, quæ non sunt symbola vt ignis & aqua. potest itaque in mutatione substantiali remanere aliquod sensibile, illud tamen subiectum non debet sibi determinare aliquod sensibile, & aliquod accidens, & talem vult esse sensum illius particulæ, sed inanis est expositio ista: primo enim non consentit verbis Aristotelis, quia Philosophus negat remanentiam eiusdem subiecti sensibilis, & non negat determinationem alicuius sensibilis qualitatis à subiecto, præterea Philosophi institutum circa hanc particulam est assignare differentiam inter alterationem, & mutationem substantialem penes subiectum, quia in alteratione manet idem sensibile subiectum, in mutatione verò substantiali non manet idem sensibile subiectum: iam verò alteratio, & mutatio substantialis non distinguntur penes subiectum, hoc modo, quia subiectum alterationis sibi determinet aliquod sensibile, subiectum vero mutationis substantialis sibi non determinet aliquod sensibile, nec vnquam Philosophus hanc differentiam assignauit, sed distinguntur penes subiectum in actu, & subiectum non in actu, quia subiectum alterationis est in actu, subiectum verò mutationis substantialis non est in actu. & vbicumque Philosophus assignauit differentiam inter alterationem aut motum propriè dictum, & mutationem substantialem penes subiectum semper assignauit hoc modo, vt patet 6. Phisic. 8. & alibi, itaque hæc particula non est eo modo intelligenda, vt inquit Achil. alioquin Philosophus non declarasset naturam, & conditionem subiecti alterationis, & mutationis substantialis, & ita non assignasset veram differentiam inter alterationem, & mutationem substantialem penes subiectum, quod tamen suum erat propositum, & institutum, quid ergo dicendum?

Parti-

Particulæ dilucidatio.

EA semper mea fuit sententia, quam etiam semper mihi detinendam puto, quòd cum Philosophus inquit, non manente sensibili subiecto eodem, hæc particula ita intelligi debet, quod in mutatione substantiali non manet idem subiectum sensibile in actu specifico, & completo: non enim negat Philosophus quòd nō maneat aliquod sensibile sub ratione subiecti, sed negat quòd non debet manere sensibile subiectum sub gradu specifico, quia hoc tollit generationis rationē. & quòd hic verus sit sensus, ita ostendo. ponit ibi Philosophus differentiam inter alterationem et mutationem substātialem, & penes terminum peneset subiectum: penes terminum, quia altera ratio est penes qualitates, mutatio verò substantialis penes totum, & formam substantialem. penes subiectum autem differentia est, quoniam alteratio fit, inquit, manente eodem sensibili subiecto. mutatio verò substantialis non manente eodem sensibili subiecto: iam verò sicut remanentia eiusdem subiecti sensibilis affirmatur de alteratione, ita negatur de mutatione substantiali. sed de alteratione itá affirmatur, quod in hac manet idem subiectū sēsibile in actu specifico sub vtroque termino alterationis, vt ipsemet Aris. affirmat in contex. dicens, vt cum corpus sanum est, & rursus laborat manens idem, et æs quandoque angulare, quandoque rotundum manens idem, certum est autem quod cum corpus de sanitate in languorem mutatur manet idem corpus in actu specifico, & similiter cum æs mutatur de rotundo in angulare manet æs sub eadem forma specifica: igitur in mutatione substātiali nō manet idem subiectum sensibile sub actu specifico, & quod sit determinatæ speciei, vt cum ex sanguine fit semen, in tali enim mutatione non manet subiectum sub eodem actu specifico, quia corrumpitur forma sanguinis, & subiectum recipit formam seminis. vnde diligenter perpende verba Philosophi: dicit enim non manente sensibili vt subiecto eodem, & non dicit absolutè non manente sensibili vt subiecto, vt ostendat se non negare in mutatione substantiali remanentiam alicuius sensibilis vt subiecti per se, quia alibi statuerat ipse, quod in mutatione substantiali mixtorum remanent quatuor elementa in rōne subiecti, sed quod non debet remanere subiectum sensibile idem, videlicet sub eodem actu specifico sub vtroque termino mutationis, sicut in alteratione manet, quia hoc tollit rationem generationis. quinimmo ipsemet Arist. in contex. 24. declarauit, licet satis obscure, cum inquit, In his autem si aliqua passio erit eadem contrarietatis in genito & corrupto, putà quando ex aere fit aqua si ambo diaphana, aut humida non oportet huiusmodi passionem alteram esse: si autem non erit, alteratio,

ratio, putà cum homo musicus corruptus est, homo autem immusicus factus est, homo autem manet idem. quæ verba à nobis perpendenda sunt, vt quod probare intendimus manifestum fiat, & simul contextus iste qui difficilis semper habitus est, dilucidetur. cum Philosophus in contex. 23. definiuisset mutationem substantialem, dicens, quod mutatio est secundum totum, non manente sensibili subiecto eodem, potuisset quispiam suspicari hãc particulam ità intelligendam esse, quod in mutatione substantiali non manet subiectum sensibile idem, hoc est, sub eadem sensibili qualitate, vt ly [idem] significet identitatem, & vnitatem sensibilis qualitatis, quam suspicionem remouens in context. 24. inquit, quòd hæc particula non ita intelligenda est, quoniam si fuerit aliqua qualitas communis genito & corrupto eadem manet in vtroque, nec oportet sensibilem qualitatẽ quæ est in genito, diuersam esse ab ea, qua fuit in corrupto, vt cum ex aere fit aqua symbola qualitas, vt humiditas quæ fuit in aere non corrumpitur, sed eadem manet in aqua, & quod dicitur de elementis, idipsum intelligi debet de mixtis, quia Aristotelis sententia non perstringitur ad elementa solum, licet afferat exemplum de elementis, quia qua ratione verificatur in elementis, quòd qualitas symbola & communis genito & corrupto eadem manet in vtroque, eadem ratione uerificatur in mixtis, & proinde in mutatione substantiali manere potest subiectum sensibile idem, hoc est affectum eadem sensibili qualitate, sed intelligitur, quòd nõ manet subiectum sensibile idem secundum eandem formam specificam, vt ly [idem] significat identitatem & vnitatem formæ specificæ, quia si non corrumperetur, sed maneret secundum eandem formam specificam, generatio esset alteratio, & hoc intelligit in illis verbis cum inquit, [si autem non erit alteratio] hoc est, manere potest subiectum sensibile secundum eandem qualitatem, sed non secundum eandem formam specificam, sed corrumpi debet, quia si non, videlicet corrumperetur generatio, esset alteratio, et hæc est vera expositio illorum verborum contex. 24. & illius particulæ positæ in definitione generationis. hinc patet, quòd illa dictio [vt] quæ ponitur in illis verbis, non manente sensibili vt subiecto eodem, quæ fortè fuit causa erroris Auerrois, et aliorum, non est specificatiua illius dictionis sensibilis, ità vt non maneat aliquod sensibile ut subiectum, sed est specificatiua illius dictionis [eodem] ita vt non maneat aliquod sensibile subiectum, vt idem & vnum, vtpotè sub eodem gradu specifico sub vtroque termino mutationis, quoniam hoc est subiectum alterationis, non autem generationis. Ex qua expositione optimè saluantur illa duo ex quibus Zimara sese explicare non potuit: primum quidem definitionem hanc conuenire generationi, & corruptioni mixtorum: saluatur etiam illud in generatione mixtorum manere quatuor elementa,
vt

vt materia, & subiectum, quia licet in generatione maneat sensibile vt subiectum per se vt totum illud resultans ex materia & formis elementorum, illud tamen non est in actu perfecto, nec alicuius determinatę speciei, sed in actu incompleto, & indeterminato, quod adhuc est in potentia ad ulteriorem formam specificam, et hoc non negat Arist. nec id tollit rationem generationis, quamobrem ad saluandam definitionem istam generationis & corruptionis opus non est facere resolutionem vsque ad materiam primam, nec ex parte formarum substantialium in mixtis, nec ex parte accidentium, vt in elementis,

Dubitatio, & eius solutio.

SED aduersus nostram hanc expositionem non leuis sese offert dubitatio, nam Philosophus in contex. 24 eiusdem libri contradistinguens generationem & corruptionem ab alijs speciebus motus ita scribit, Generatio & corruptio fit cum nihil manet cuius alterum sit passio, vel accidens. in quibus verbis uelle videtur, quod in mutatione substantiali non maneat aliquod accidens, vel aliqua passio in subiecto; et consequenter non maneat aliqua substantialis forma, quę necessario aliquam qualitatem exposuit, & proindè velle videtur quòd in mutatione substantiali nō maneat aliquod sensibile nec vt subiectum, nec vt dispositio subiecti. quam authoritatem tanti fecit Pomp. vt cum Diuo Thoma resolutè tenendum putarit in mutatione substantiali non manere aliquam formam substantialem, nec aliquod accidens. sed nudam materiæ substantiam locus iste prima fronte aliquam apparentiam habere videtur. attamen si accuratè consideretur nihil officit, quia cum dicit Philosophus generatio & corruptio fit cum nihil manet cuius alterum sit passio, vel accidens. illa dictio [Nihil] non se tenet ex parte formæ, ita vt nulla passio, vel accidens remaneat, sed se tenet ex parte subiecti, quod facilè ex verbis ipsis intelligitur, quia inquit, nihil manet, cuius alterum sit passio, vel accidens, hoc est, non manet subiectum idem cuius alterum sit passio: sed animaduerte, quòd licet se teneat ex parte subiecti, non propterea sensus est, quòd non maneat subiectum cui insit, aut inhæreat aliqua passio, vel aliquod accidens. sed sensus est, quòd in generatione & interitu non manet idem subiectum, cuius illud quòd per generationem acquiritur, aut per corruptionem deperditur, sit passio vel accidens, ita quod illa verba, [cuius alterum sit passio vel accidens] dicunt terminum ad quem generationis, & interitus. & quod hic sit verus & germanus horum verborum sensus, ex eo ostenditur, quia Philosophus ibi contradistinguit generationem & interitum ab alijs speciebus motus, quæ

quidem

quidem in hoc conueniunt, quòd in alteratione, motu locali, incremento, manet idem subiectum, cuius illud quod aduenit, & per motum acquiritur accidens est. in alteratione enim manet idem subiectum, cui per motum aduenit qualitas, in augumentatione quantitas, in motu locali locus. generatio aũt et corruptio nõ ita, inquit, fiunt, quia in his non manet idem subiectum, cui per generationem adueniat accidens, aut per corruptionem similiter accidens remoueatur, sed illud quod aduenit, aut à subiecto remouetur, est totum, & forma substantialis. cum itaque per ea verba generatio & corruptio contra distinguantur ab alijs speciebus motus, in illis autem ea verba dicant terminum ad quem affirmatiuè, igitur in generatione & corruptione dicunt terminum ad quem negatiuè, & est illud idem quod dixit in contex. 23. nam idem est dicere generatio & corruptio fit cum non manet subiectum idem, cuius illud ad quod est transmutatio sit accidens, sed totum, ac diceret, generatio et corruptio est mutatio non manente subiecto eodem, facta secundum totum, & formam substantialem. quem locum si ità obseruasset ille Pomp. in eum errorem non incidisset, & hæc satis.

Simile non agit in simile, neque à sibi simili patitur.

S*Cribitur propositio hæc primo de ortu, & interitu context. 48. vbi improbata Democriti opinione, qui actionem, & passionem inter similia fieri existimauit, statuit simile in sibi simile non agere, neque à simili pati posse, quæ licet eo loci ab Arist. expositoribus satis animaduersa, explicataque fuerit, eamque Zimara theorematibus suis expendere quoque voluerit, quia in ea explicanda, neque rei veritatem, neque Aristotelis sententiam sunt assecuti, ea propter & ipse eandem propositionem tractare decreui: vt quandoque si fieri poßit, eius veritas illustretur. In qua sanè tractanda considerabo primum, in quo dubitatio ipsa consistat: secundo, quæ sit huius theorematis, Aristotelisque sententia, explicabo. Quò ad primum, sciendum est, similia duum generum esse, alia enim genere, & materia similia sunt: alia verò forma, & specie: iam uerò circa propositionem istam dubitatio non est de simili genere, & materia. quoniam certum est, simile genere, & materia in sibi simile agere, & ab eodem pati posse: ignis. n. agit in aquam, & calidum agit in frigidum, quæ genere, & materia simile sunt: sed propositio dubitationem habet de simili secundum formam, & speciem, an scilicet calidum in calidum, & frigidum in frigidum agere poßit, quæ specie, & forma similia sunt: similia verò secundum formam adhuc in triplici differentia sunt, alia enim sunt similia secundum formam tantum: alia verò secundum formam,*

& gradum, ut quę pares gradus, numerosque caloris habent, ut calidum ut sex, & calidum ut sex, alia verò similia sunt, & secundum potentiam agendi, ut duo calida, quæ pares gradus caloris, paremque potentiam, & virtutem habent agendi: iam verò dubitatio non solum est de simili secundum formam tantum, sed etiam de simili secundum formam, & gradum: & quoniam actio, & passio duplex est, una naturalis, quæ fit inter passibiles qualitates, altera verò spiritualis, ut actio sensibilis in sensum, tametsi Aristotelis propositio de actione, & passione naturali, quæ fit inter passibiles qualitates, intelligatur: dubitatio tamen adhuc est de actione, & passione, spirituali, an inter similia actio, et passio reperiri possit. Quamobrem pro huius theorematis intellectu, tria à nobis expendenda sunt, primū, an inter similia forma, & gradu formæ actio, & passio naturalis esse possit: secundum, an inter similia forma, sed non gradu actio reperiatur. tertium, an actione spirituali simile in sibi simile agere, & ab eodem pati possit.

Quorundam opinio expenditur.

MArsilius, quem Zimara theorematibus suis, & Franciscus Toleto in quæstionibus suis de ortu et interitu, sunt insecuti, in huius theorematis explicatione, concordes hæc duo theoremata posuerunt: primum est, inter similia secundum formam, gradumùe, atque potentiam agendi actionem, & passionem reperiri minimè posse. nam cum inter agens, & patiens dissimilitudo aliqua esse debeat, quæ sanè inter ista non reperitur; idcirco inter se agentia, & patientia esse non possint: non enim aliqua ratio adesse potest cur unum sit agens, alterum verò patiens. & in hoc sensu Aristotelis propositionem intelligendam esse aiunt, cum inquit, simile non agere in simile, nec ab eodem pati. Alterum theorema est, inter similia secundum formam, & gradum formæ, dissimilia verò secundum potentiam, actionem & passionem reperiri posse, & multò magis inter similia secundum formam tantum, dissimilia verò gradu, & potentia, quod sanè probare conantur, & primo Aristoteles authoritate primo de generat. contex. 48. ubi inquit, [omnino autem, et undequaque simile non agit, neque patitur à sibi simili] igitur quæ non sunt omnino similia agere & pati possunt. non enim philosophus absolutè enunciat simile non pati à simili, sed propositionem coarctat, atque perstringit ad eá, quæ omni ex parte similia sunt. iam verò similia forma, & formæ gradu; difformia verò secundum potentiam non sunt omninò similia; igitur inter se agere, & pati possunt. Secundo ita confirmant, si sint duo calida paria secundum gradum, utpotè duo calida ut quatuor, quorum unum sit in materia densa, alterum verò in

materia

materia rara, illud, quod in densiore materia reperitur; potentius est, atque calidius eo, quod in materia rara adinuenitur: siquidē virtus, quæ in materia densa est, magis vnita est, ac proindè fortior: illa verò, quæ in materia rara consistit, dispersa est, & per consequens magis debilis, & imbecilla. iam verò id, quod potentius est, in illud agere potest, quod impotentius est: ergo calidum ut quatuor in materia densa, in calidum vt quatuor in materia rara existens, quod impotentius est, agere potest. pluresque gradus caloris inducere. non enim aiunt, animo consequi potest, quòd vnum maioris potentiæ sit, quàm alterum, & in illud non agat. quòd verò simile secundum formam tantum, non autem secundum gradum in sibi simile agat, ex eo persuadent, quoniam magis calidūm agit in minus calidum, & è contra. Sed licet primum ipsorum pronunciatum verissimum sit, secundum tamen vtpotè similia forma & gradu formæ inter se agere, & pati posse falsum est & ab Aristote. penitus alienū, siquidem Aristote, eo primo de generat. contextu 50. agentis, & patientis conditiones declarans, inquit: quod non quodlibet agit in quodlibet; sed quę contraria sunt, aut contrarietatem habent, iam vero similia secundum formam, & gradum, vt calidum, & calidum vt quatuor minimè contraria sunt; igitur inter hæc actio et passio reperiri minimè potest. Cæterum ab hac ratione ità se se explicare arbitrati sunt, quod similia secundum formam & gradum quoquo modo contraria sunt. quoniam licet similia sint forma, & gradu, secundum potentiā tamen, et virtutem difformia & dissimilia sunt. quæ sanè dissimilitudo veluti quędam contrarietas est, ratione cuius vnum in alterum agere, & alterum ab altero pati potest. Non possum certe horum negligentiam in Aristotele exponendo non maximè admirari. siquidem philosophus eodem contextu 50. ex eo quod agēs, et patiens contraria sunt, similia genere esse, dissimilia vero & differentia specie deducit, & ità ratiocinatur. Contraria genere similia sunt, diuersa verò forma, & specie; iam verò agens, & patiens contraria sunt: igitur sunt similia genere, dissimilia verò, atque diuersa forma, & specie; quare agens, & patiens ità debent esse contraria, vt solum sint similia genere, dissimilia vero forma, & specie: licet ergo duo calida vt quatuor secundum potentiam dissimilia fuerint, huiusmodi tamen dissimilitudo ratio agendi, & patiendi esse non potest: quoniam stat cum identitate formæ, & speciei, quæ non conuenit rationi agentis, et patientis, ex Arist. discursu. accedit ad hoc, quod ex horum sententia agens, & patiens non solum similia genere sunt, sed etiam similia forma, & specie, quod tamen Aristoteli apertissimè aduersatur, qui statuit agens & patiens solum esse similia genere, diuersa vero, & dissimilia forma, & specie. Præterea supponatur totam latitudinem primarum qualitatum per octo numeros, et gra-

dus adimpleri, et si p plures, nõ curo: certũ est.n.totã latitudinẽ quib. termi nis coerceri. et accipio duo calida æque intensa, q̃dã totã impleãt latitudinẽ caliditatis, quorũ vnũ maiorẽ vim, & potentiã agẽdi habeat, quã alterum: enim verò cum gradum æqualitate virtutis, & potentia agendi inæqualitas consistere põt, vt etiam & ipsi concedunt: tunc quæro, aut calidum per octo gradus, qđ potentius est, aget in alterũ calidum vt octo, quod impotentius est, aut non, si aget, illudque secundũ gradum magis intendet, igitur dabitur maius summo modo calido, quod totam caloris latitudinem excedet: quod dici minimè potest; si verò non aget, igitur inter similia forma, & gradu, dissimilia verò secundum potentiam actio, & passio non reperitur: neq; dissimilitudo secũdum potentiam ad actionem & passionem satis est, vt ipsi affirmant. ex quibus liquido constat, illud quoque falsum esse, quod asserunt inter similia secundũ formam, non aũt secundum gradum actionẽ & passionem fieri posse. In quẽ errorem turpiter etiam lapsi sunt quidã ex latinorũ classe, & recentiores nonnulli, qui libros de ortu, et interitu nuper interpretati sunt. non enim difformitas secundum gradum tantum ad actionem, & passionem sufficiens est. quoniam, vt anteà ex verbis Arist. ostensum fuit, agens, & patiens contraria esse debent, dißimiliaque, & diuersa forma, & specie. Quorum etiã sententiã falsam esse ex eodẽ Arist. ostendi potest, et primo de generat. contextu 49. vbi probans contra veteres quosdam philosophos omnino dissimilia, genereque diuersa non esse inter se agentia, & patientia, hoc vtitur discursu: quæcunq; neq; contraria sunt, neq; contrarietatem habent, non se interimunt, neque à propria natura abijciunt, sed quæ genere diuersa sunt, neq; contraria sunt, neque contrarietatẽ habent; igitur se se non interimunt, neque corrumpunt, quare neq; agentia, neque patientia sunt. ex hoc itaque ꝙ non se se interimunt, neque corrumpunt, cõcludit omnino dissimilia, genereq; diuersa nõ esse inter se agentia, & patientia. porrò agens cum in passum agit, ipsum corrumpit, vt ipsum sibi simile reddat. eadem ratione concluditur, similia secũdum formam tantum nõ esse agentia, & patientia inter se, hoc pacto, calidum vt sex non corrumpit calidum vt quatuor, neque è contrà. quoniam non adest contrarietas, & dissimilitudo secundum speciem, & formam, quæ est ratio agendi, & patiendi, et cuius causa vnum interimit alterum, ipsumque à propria abijcit natura.

Dilucidatio.

EA propter multo verius dicendum est, inter similia secundum formã, & qualitatem, siue secundum gradum, siue secundum potentiam agendi dissimilia sint, nullo pacto actionem, & passionem fieri posse, atque

in hoc sensu absque tot limitationibus, quæ ad rem nihil certè faciunt, propositio intelligenda est; cuius veritatis illud est præcipuum fundamentum. quoniã ad actionem, & passionem contrarietas, dissimilitudoq; secundum formam, & speciem necessaria est, vt antea ex Arist. ostensum fuit. qua sublata actio, & passio, ratioque agentis, et patientis statim auferetur: quod etiam ex Aristote. authoritate confirmatur libro de sensu, & sensili; vbi reddens rationem, quare ignis non agit qua ignis est, inquit. quoniã vt ignis non habet contrarium, sed agit vt calidus. quoniam hac ratione cõtrarium habet, quamobrem sublata contrarietate, & diuersitate secundum speciẽ, statim actio, & passio tollitur, & aufertur. licet similia secundum formã, gradumq; & potentiam agendi inter se nec agant, nec patiantur, id nõ prouenit ex similitudine secundum gradum, & potentiam formæ, sed ex similitudine formæ, & qualitatis, quæ tollit contrarietatem, quæ est præcipua cõditio, & veluti radix actionis, & passionis. nam sicut dissimilitudo secundũ gradũ, & potentiam agendi nihil prorsus facit ad actionem, & passionem, ita vt vnũ agat in alterum stante similitudine secundũ formã, & qualitatẽ, ita ablatio dissimilitudinis secundum gradum, & potentiam nihil facit ad ablationem actionis, & passionis, sed ablatio actionis, & passionis simpliciter similitudini secundum formam, & qualitatem, quæ contrarietatem excludit, accepta referri debet. Ea propter Aristo. eo loci hanc consequentiam deducit, si simile secundum formam in simile agere posset, tunc idem in se ipsum ageret, atque ita nihil incorruptibile foret; quæ consequentia ex eo necessitatem habet. quoniã si simile in simile agere posset, in quo neq; contrarietas est, neque diuersitas secundum speciem: igitur cum in eodem neque contrarietas, neque respectu sui ipsius vlla sit diuersitas secundum formam, ergo in seipsum agere posset: quod cum absurdum sit; igitur & absurdum est simile secundum formam in sibi simile agere posse. Nunc rationes eorum perpendo, & licet prima ratio, quæ ex verbis Aristote. desumitur, ipsorum sententiæ plurimum fauere videatur: tamen si rectè intelligatur, haud vllam molestiam præbet, quinimò sententiam nostram magis confirmat. siquidem philosophus eo loci non comparat similia secundum formam inter se, quorum alia similia sunt secũdum formam tantum, alia verò similia secundum gradum formæ, & secundum potentiam, sed comparat Aristote. & considerat ea, quæ tum genere, tum specie; & forma similia sunt. quod sanè præcedentia verba eiusdem context. apertissimè ostendunt. nam cum philosophus priscorum sapientum sententiam retulisset, quorum inter dissimilia, alij verò, vt Democritus, inter similia actionem, & passionem fieri asseruerunt, hosce inquit, in eo defecisse, quòd cum totum respicere debuissent, partem duntaxat respexerunt: siquidem agens, & patiens

similia,

similia, & dissimilia sunt; genere quidem sunt similia, specie verò, & forma dissimilia sunt: quibus verbis statim addit, omnino autem similia, hoc est genere, & specie similia impossibile est agere, & pati: atque non omnino similia sunt, sed partim similia, partim verò dissimilia sunt, genere quidem similia specie verò dissimilia inter se agunt, & patiuntur, ex quo Aristo. progressu vnusquisque facilè intelligere potest, per omnino similia Aristo. non intelligere, quæ secundum formam, gradumque, & potentiã similia sunt, & è contra indicare velle, quæ non sunt omnino similia, aut secundum gradum, & secundum potentiam agendi inter se agere, & pati posse, quoniam tunc agens, & patiens essent similia genere, & specie: quod tamen Arist. eo loci apertissimè inficiatur: sed per omnino similia intelligit, quæ tum genere, tum specie similia sunt, quæ inter se neque agere, neque pati possunt. hinc deducit, quòd quæ non omnino similia sunt, sed partim similia vt genere, partim verò dissimilia vt forma, & specie agere, & pati possunt. Ad secundam autem dicimus, quòd positis duobus calidis forma, & gradu formæ similibus, quorum vnum altero potentius sit, calidum quod potentius est, nullo pacto aget in calidum, quod debilius, & impotentius est, propter defectum contrarietatis inter vtrunque, nec maior illa, & minor potentia ad actionem, & passionem satis est, sed contrarietas, diuersitasque secundũ speciem necessariò requiritur. & licet doctissimus Franciscus Toleto admiretur, nec satis animo consequi possit, quonam pacto calidum, quod altero potentius est, illud non vincat, neque in illum agere possit: magis admiror ego, neque animo consequi possum, quomodo in casu proposito duobus acceptis calidis similibus forma, & gradu, quamuis vnum sit potentius altero, vnum in alterum agere queat, cum genere, & specie similia sint, à quibus Arist. actionem, & passionem reiecit: illa autem propositio, id, quod potentius est, agit in id, quod debilius, & impotentius est, in his veritatem habet, quæ contraria sunt, & dissimilia secundum formã, vt inter calidum, & frigidum, & humidum & siccum. in his enim quod potentius est in contrarium agit, illudque à propria abijcit natura: sed adhuc vir iste contra sese opponit, probareque contendit, calidum, quod potentius est, in calidum agere posse simile secundum formam, & gradum, quod tamen impotentius est. Accipiatur inquit, ferrum ignitum, cui cohæreat stuppa, porrò à ferro ignito stuppa comburetur, & in ignem conuertetur. cum autem in ferro ignito non sit forma ignis, in illo non erit calor in gradu summo, quem supponatur, totam latitudinem adimplere per octo gradus, igitur in ferro ignito erit calor per sex gradus, sed cum à ferro ignito ex stuppa accensa ignis producatur, quippe qui calorem in summo, qui est per octo gradus, requirit, & habet, igitur à calore ferri igniti producetur calor vt

octo.

octo. Sed quoniam calorem vt octo producere nequit, nisi prius producat calorem vt sex, igitur calor vt sex existens in ferro ignito agit in calidum, vt sex, ipsumque pro generatione ignis ad octo vsque gradus intendit, & auget. itaque simile in sibi simile forma, & gradu agere potest. tametsi ratio ista subtilis, & ingeniosa sit: non tamen vim demostrantem habet, vt arbitratur. nam cum inquit, ab accẽso ferro, in quo calor vt sex adinuenitur, ex stuppa generatur ignis, id totum, conceditur. cum autem postea addit, sed ignis genitus habet calorem in summo, id certè ut falsum inficiamur. nam licet ignis in sui puritate calorem habeat in summo, impurus autem, & in aliena existens materia, sicut est ignis in proposito summum calorẽ non habet, sed habebit calorem vt sex, sicuti neque terra summam siccitatem, neque aqua summam frigiditatem, vt in pura, & apud nos reperiuntur; minimè habent; & licet ignis in sui puritate summum habeat calorẽ, non tamen putandum est calorem habere in gradu summo; ita vt citra summum illi gradum consistere non possit; tum quia id experientiæ aduersatur. quoniam summo, octauoque illo gradu ex aliqua alteratione sublato, non propterea aufertur ignis, tum quia nulla forma substantialis siue simplicium siue mixtorum temperiem, primarumue qualitatum dispositionem in indiuisibili, & in puncto, sed in quadam latitudine sibi præscribit, vt fusius suo loco explicabitur. quamobrem cum ferrum ignitum in generatione ignis sex caloris gradus introduxerit, non amplius aget, cum latitudo illa caloris pro generatione ignis sufficiens sit. sed aduersus solutionem istã fortasse quispiam hæsitabit. nam si in igne, qui ab ignito ferro genitus est sex gradus caloris reperiuntur, in ferro ignito, aut tot idem caloris gradus reperiuntur, aut pauciores, utpote ut quinque non primam. quoniam tunc in ferro accenso esset forma ignis, cum latitudo caloris, ut sex, sit sufficiens dispositio pro forma ignis: si verò secundum dicatur, cum sex gradus caloris pro ignis generatione producere minimè possit, nisi prius quinque producat, quot etiam in ipso reperiuntur; igitur ferrum ignitum calidum vt quinque agit in calidum, vt quinque pro generatione ignis, ipsumque intendit vsque ad sextum gradum. cum autem sint similia, & forma, & gradu; igitur simile in simile, & forma, & gradu agere potest. Nodus iste dissoluitur in ferro ignito pauciores gradus caloris adinueniri quàm in igne, qui ab eo genitus est, tametsi præ materiæ densitate quò ad uires, agendique potestate intensior, vehementiorque sit; cum autem quinque caloris gradus produxerit, vlteriusque agit, illosque ad sextum vsque gradum intendit, nõ agit quidem in calidum vt quinque, sed agit in portionem frigidi, quod in stuppa, adinuenitur, illud eò vsque remittens, quousque eam caloris mensuram introducat, quæ pro forma substantiali ipsius ignis satis

sit.

sit. Nec vltima ratio vllum negocium facit, qua probant simile secundum formam tantum, non autem secundum gradum in simile agere posse. dicimus enim calidum vt sex non agere in calidum vt quatuor, vt falsò arbitrantur, sed agere in frigidum, quod cum calido vt quatuor, cõiunctum est, vnde sublata, remotaque frigiditate à calido vt quatuor, nunquam certè magis in minus calidum aget, suamque actionem poterit exercere. quoniam non sunt contraria, similiaque genere, & specie sunt, quod ratione agentis, & patientis minimè conuenit.

Dubia contra resolutionem, & eorum solutiones.

C*Aeterum vt ab omni ambiguitate habita resolutio vindicetur, nonnullę dubitationes diluendæ sunt, quę ipsam perturbare videntur. prima est, qua probatur, vndequaque similia inter se agere, & pati posse. nam accipiantur duo calida, quæ paria, similiaque sint secundum gradum, & secundum potentiam, vt calidum, & calidum vt sex, & sibi ipsis finitima, & proxima sint: aut enim inter se agent, aut non. si primum dicatur: igitur inter omnino similia actio, & passio reperitur; cuius oppositum antea decretum fuit: si verò secundum affirmetur: igitur agens naturale propinquum passo, & non impeditum non aget, quòd cum à vero alterum sit, primum dicendum erit. Nec illud certè dici potest, inter se agere minimè posse propter potentiæ æqualitatem, à qua actio prouenire non potest, cum actio fiat à proportione maioris. siquidem æqualitas virtutis, & potentiæ actionem non aufert. quoniam cum ex Aristo. sententia 4. de Anim. ortu cap. 3. actio fiat à minori, multò magis ab æquali prouenire potest. Quod verò inter similia secundum formam, & non secundum gradum actio quoque fiat, ità ostenditur; maior flamma minorem flammam extinguit, vt de duabus candelis accensis conspicuum est; igitur caliditas maioris flammæ minoris flammæ caliditatem extinguit. cum autem hæc secundum formam similia sint; igitur inter similia secundum formam actio, & passio reperiri potest. Quod sanè ità comprobari potest, in putredine, & naturali mixtorũ interitu calor à calore corrumpitur. siquidem putredo, vt ab Arist. scribitur 4. Meteorum libro, est corruptio proprij, naturalisque caloris in humido ab aliena caliditate, quæ ambientis est. Sed quoniam proprius mixti calor ab ambientis calore non corrumpitur, nisi quia hic exuberans, atque dominans est, vt eodem loco docuit Aristo. vbi inquit, ideo per hyemem corpora minus putrescere. quoniam per illud tempus calor in circunstante aere repressior, & imbecillior est, quàm vt proprium calorem mixti vincere, & corrumpere queat. itaque in mixtorum putredine actio, & passio inter*

similia

similia secundum formam, & speciem, dissimilia verò secundum gradum actio, & passio fieri potest. Soluimus isthæc & ad primam obiectionem, cum quæritur an duo calida similia secundum gradum, & potentiam inter se agant, aut non; dicimus inter se non agere, non quidem propter potentiæ æqualitatem, vt putant, sed propter aliud impedimentum, vtpotè propter similitudinem secundum formam, & ablationem contrarietatis; ex quibus actio, & passio aufertur. cum itaque dicebatur inter huiusmodi duo calida non adesse impedimentum, id negatur. adest enim inter illa impedimentũ, quo minus inter se agent. quod nuper dictum est. Ad secundam autem dicimus maiorem flammam candelæ accensæ extinguere minorem flammam, & caliditatem maioris extinguere caliditatem minoris, non quidem per actionem in caliditatem flammæ minoris, sed per actionem in humidum vnctuosum, quòd est pabulum, & alimentum flammæ minoris, quod sanè maior flamma depascitur, & absumit, ad cuius absumptionem, cum non ita citò nouum alimentum præparari, instaurariq; possit, interit minor flamma, & caliditas eius. Sicut etiam in viuentibus, cum calor innatus in humidum radicale agit, illudque absumit, ad eius absumptionem, & ipse quoque calor, qui in humido fouetur, interit & corrumpitur, ita vt seipsum corrumpere videatur, ex euentu, & accidenti, prout proprium alimentũ cõsumit, ad cuius consumptionem, & ipsum quoque interire necesse est. Sed statim oboritur dubitatio: nam si actio fit ratione contrarietatis, cum calor maioris flammæ non aduersetur humido vnctuoso, quod flammæ alimentum est; igitur sicuti in minoris flammæ caliditatem non agit propter defectum contrarietatis, ita neque in humidum vnctuosum, quod ipsius alimentum est, agere potest. respondetur: flammæ caliditatem per se non agere in humidum, cum ad illud oppositionem, & contrarietatem non habeat, sed per se agit in frigidum, quod cum humido iunctum est, vel in oleo, vel in sæuo, ex accidenti autem agit in humidum, sicut & calor solis cum in terram humidam agit, humiditatemque consumit, per se non agit in humidum, sed per se agit in frigidum, quod humiditati coniunctum est; ex accidenti autem in humidum, vnde si humidum non esset frigido coniunctum, calor in illud non ageret, quemadmodum aeris calor in humidum sibi coniunctum non agit. Nec certè difficilem explicationẽ habet, quod postremò deputredine abijciebatur. nam in putredine, & naturali mixtorum interitu circunstantis aeris calor per se non agit, neque per se proprium mixti calorem corrumpit; sed primò & per se in frigidum, extimamque mixti corporis partem, vtpotè cadaueris agit, ipsamque calefacit, & quoniam proprium calidi est rarefacere, ideo partem illam rarefacit, meatusque corporis reserat. quibus ita reclusis, et reseratis, calor, qui in internis mixti partibus reperitur,

euaporat, foraſque egreditur, vna cum humido. & eo loci his verbis docuit Ariſtote. [exeunte enim calore naturali, ſecum egreditur humidum] quo autem magis calor mixti foras euocatur, eo magis atque magis deficit, & imminuitur, quo fit, vt cum humidum cum ſicco amplius continere non poſſit, humidum à ſicco diſſoluitur, ad quorum diſſolutionem ſequitur interitus mixti, ſicut ad ipſorum vnionem ſequebàtur ortus, & conſeruatio mixti, vt cap. de putredine dictum eſt. quamobrem calor mixti ab ambientis aeris calore neque per ſe patitur, neque per ſe corrumpitur, ſed ex accidenti, prout ad actionem externi caloris in frigidum ſequitur relaxatio partiū mixti, ad hanc verò ſequitur egreſſus caloris interni, & ad egreſſum ſequitur defectus, & imminutio caloris; iam verò ſimile ex accidenti à ſibi ſimili pati, & corrumpi poſſe incongruum, & abſurdum non eſt, ſed ſimile ſecundum formam à ſibi ſimili per ſe pati, id omnino falſum eſt, nec vnquàm ab Ariſto. conceſſum. & hæc de actione, & paſſione naturali quæ fit inter paſſibiles qualitates dicta ſint. An verò in actione, & paßione ſpiritali, ſimile à ſimili pati poſsit, ſequenti cap. explicabitur.

An in actione, & paſſione ſpiritali ſimile agat in ſimile, & à ſimili patiatur.

QVoniam nō ſatis compertum eſt, an in actione, & paſsione ſpiritali ſimile agat in ſimile, & ab eodem patiatur: eapropter vt huius problematis veritas aperiatur, ipſum dilucidare operæpretium eſſe exiſtimaui, porrò actio, & paſsio ſpiritalis eſt ſicut actio obiecti ſenſibilis in ſenſum, aut in mediū, in quibus ſpeciem ſenſibilem producit, receptioq; ſpeciei ſenſibilis in eiſdē paſsio ſpiritalis eſt. Nā cum in his nō forma, aut qualitas naturalis fiat, aut recipiatur, ſed qualitas ſpiritalis, vt rei ſpecies, & imago, proinde actio, paſsioq; ſpiritalis nuncupatur. Ambigitur autem an organū ſenſus, vel medium aliquā qualitatem habens aliam ſimilē ſecundum ſpeciē recipere poſsit, vt oculus aliquem colorem habēs ſimilem ſecundum ſpeciē recipere queat. Recentiores quidā noſtræ ætatis philoſophi arbitrati ſunt in actione, & paſsione ſpiritali ſimile à ſimili pati nō poſſe, quod ſanè ex Ariſtotelis authoritate primum perſuadent ſecundo libro de anima contextu 54. vbi dubitationē illā perſoluens, quæ mota fuit in contex. 51. An ſenſus à ſimili, an à diſsimili patiatur, inquit ſenſum à diſsimili pati. cū aūt paſſus fuerit ab obiecto, iam ſimilē factum eſſe. quare in actione, & paſsione ſpiritali ſimile nō patitur à ſimili, ſed à diſsimili. præterea recipiens denudatum eſſe debet à natura recepti: igitur recipiens colorē ab ipſo colore denudatū eſſe dēt, vt ēt docuit Ariſtoteles 2. de anima contex. 71. & per conſequens

organum,

organum, vel mediũ aliquã qualitatẽ vel aliquem colorem habens similem colorem recipere non pōt, neq; à simili pati. Cæterum sententia hæc, & rei euidentiam, & Aristotelem contra se habet, euidentiã quidem, quoniã oculus croceo colore suffusus similẽ croceum colorẽ videt, enimuerò si duo accipiãtur ictterico, & regio, vt aiunt, laborãtes morbo, vnus colorẽ croceũ alterius videt, pariter lingua amaro sapore inspersa, vt in febre affectis contingit similẽ saporẽ amarũ sibi extrinsecus oblatũ recipit, & sentit, igitur organũ sensus aliquã formã, & qualitatem habens similem secundum speciẽ spiritaliter recipit, et per cōsequēs in actione, et passione spiritali simile à simili pati pōt. præterea si vitrũ, aut cristallũ accipiatur, in duasq; diuidatur partes, quarũ vna per alterã videatur, illa quæ vt medium se hẽt, per quod altera conspicitur, formã, & qualitatẽ similem secundũ speciem, vtpotè cōspicuitatem alteri parti, quæ spectari dẽt, inexistentẽ spiritaliter recipit, per eamque, vt per mediũ oculo obijcitur, & offertur: tandẽ si albedo à visu cōspici dẽt, operæpretium est, vt eius species in medio videlicet aere producatur, & per ipsum ad oculum deferatur: si verò albedinis species in aliqua medij parte existat, & ad eandem partem alia afferatur albedo, porrò hæc in eadem parte medij, speciem sensibilem producet: itaq; eadem pars medij albedinẽ spiritaliter habens, eandem secundum speciem spiritaliter recipit, & proinde à sibi simili patitur. Ad hæc omnia, q̃ alioquin sensibus aperta, & conspicua sunt, Aristotelis quoq; authoritas accedit, tertio libro de anima cōtex. 4. vbi intellectũ ab omnibus intelligibilibus immixtũ, vacuumq́; esse ostendens, præter Anaxagoræ testimonium eam attulit rationẽ: quoniã si aliquid ex his, quæ intelligere dẽt, intra se teneret, cætera intelligere minimè posset; quoniam inquit: intus existens prohiberet aliena: hoc est natura illa in intellectu existens prohiberet quo minus alia intelligere valeret: ex qua ratione vnusquisque facilè intelligere potest, Aristotelem non enunciare naturam rerum intelligibilium existentem in intellectu receptionem simpliciter omnium prohibere siue similia sint, siue diuersa, sed inquit naturam illam impedimento esse, ne aliena, & diuersa respicere possit. Non igitur philosophus naturam illã inexistentem ad omnia simpliciter comparat siue similia, siue diuersa sint: sed ad diuersa tãtum, quo fit; quòd tametsi intellectus aliquam rerum intelligibilium naturam secum teneret, similem naturam recipere, & à simili intelligibili pati posset, pariter secundo de anima, contex. 71. organum sensus visus ab omni colore vacuum, & denudatum esse affirmauit, quoniam si quis color in eo reperiretur, ille impedimẽto esset, quo minus cæteros colores recipere posset, tametsi colorem similem secundum speciem recipere, & ab eodem pati valeret, vt ex ipsa rei euidentia antea ostensum est.

Dilucidatio.

MVLTO itaque verius, & ad Aristotelem magis dicendũ est in actione, & passione spiritali simile in simile agere, & à sibi simili pati posse. organum enim sensus aliquam qualitatem habens à simili secundum speciem pati, eandemque secundum speciem recipere potest, quod etiam de medio prout sensui inseruit, et de intellectu respectũ intelligibilis intelligi debet. Quò fit, vt inter actionẽ, & passionem naturalem, & spiritalem maxima differentia sit, in actione enim, & passione naturali simile non agit in simile, neque subiectum qua similem formam habet agenti ab eo patitur, aut alteratur, pariterque si subiectum fuerit; quod neque similem, neque contrariam qualitatem habebit agenti, sed ab vtrisque denudatum fuerit, ab agente nec pati, nec alterari poterit: porro si lignum à calore, & frigore quandoque denudatum reperiri posset, ab igne nunquam excalefieret, & alteraretur. in actione autem, & passione spiritali simile agit in simile, & subiectum similem qualitatẽ habens agenti ab ipso patitur, & alteratur, vt de organo visus, & gustus antè ostensum fuit, in hoc ipso prætereà actionis, & passionis genere subiectum etiamsi neque similem, neque contrariam habet qualitatem agẽti ab eodem nihilominus patitur, & alteratur. Enimuerò organum sensus visus etiam si neque similem, neque contrarium habeat colorem, ab obiecto tamen sensibile, & à colore patitur. Cuius sanè discriminis, & diuersitatis causa ea est, quoniã actio, & passio naturalis fit ratione contrarietatis, etenim actio, & passio naturalis fit ratione contrarietatis, etenim actio, et passio naturalis propriè accepta alteratio est, alteratio autem fit de contrario positiuo in contrarium positiuum, vt 5. phys. contex. 7. docuit Aristoteles. quamobrem actio, & passio naturalis formæ similitudinem à subiecto excludit, in eãdem formam contrariãue qualitatem necessario præsupponit. Actio verò, & passio spiritalis, quoniã ratione contrarietatis minimè fit, cùm neq; verus motus, neque vera alteratio sit proindè formæ, & qualitatis similitudinem à subiecto non excludit, neque in eadem formam contrariam necessariò præsupponit. quibus ita constitutis, nunc rationes in oppositum perpendamus, & ad primam quidem, quæ Aristotelis authoritate 2. de anima suffulta est, dicimus Aristotelem eo loci nil aliud intelligere nisi sensum dissimilem, diuersamque naturam habere ab obiecto sensibili; cum enim statuisset sentire in quadam passione consistere, ac proindè sensum in genere virtutum patientium esse, potuisset facilè dubitari an sensus sit eiusdem naturæ cum obiecto sensibili, à quo patitur: cui sanè occurrens statuit, sensum non habere similem, eandemque

naturam

naturam cum obiecto sensibili: sicuti veterum sapientum nonnulli arbitrati fuerunt, quorum meminit primo de ani. contex. 33. quippè qui asseruerũt animam ad hoc vt aquam, vel ignem cognoscat, aqua, vel igne constare debere, ac proindè similem cum obiecto naturam habere. sed licet sensus à dissimili patiatur obiecto, prout ab eo dissimilem, diuersamque naturam habet: non tamen Aristoteles negat, quin sensus naturam, & qualitatem à simili secundum speciem pati possit. quoniam natura illa inexistens, neque receptioni, neque iudicio sui similis impedimento est. ad secundam autem dicimus, quod radix illius propositionis non est, quòd recipiens ab omnibus ijs, quæ recepturum est, vacuum, denudatumque esse debeat. ita vt aliquam naturam, & formam habens sibi similem recipere non possit: in quo sensu quandoque ab Auerroe accepta fuit: sed radix illius propositionis est: quòd ideo recipiens ab omnibus, quæ recepturum est, denudatum esse debet, propter receptionem aliorum. quoniam natura illa inexistens in subiecto aliorũ receptionem prohibet, vt ad modum clarè declarauit Aristoteles tertio illo de anima contex. 4. dicens, ideo recipiens ab his, quæ recipit, denudatum esse debet, quoniam intus existens prohibet aliena, quid clarius?

An inter similia secundum gradum, & potentiam, dissimilia vero secundum formam actio reperiatur.

HActenus de similibus secundum formam, iam satis orationem habuimus. *quoniam verò nonnulla sunt, quæ secundum gradum, & potentiam, non autem secundum formam similia sunt, vt calidum, & frigidum prout pares gradus, paremque agendi potentiam habent, de quibus dubitatio est, an inter se agere, & pati possint; ea propter huius dubitationis replicationem etiam huic loco accommodatam silentio præterire nolui, porrò inter qualitates primas, prout gradu, agendique potentia pares, similesque sunt, actionem, & passionem reperiri non posse peruulgata illa propositio, quæ apud Arist. legitur, persuadere videtur; quæ est, à proportione maioris inæqualitatis actionem proficisci: igitur ab æquali, similique secundum potentiam, & gradum actio fieri minimè potest, quod etiam eiusdem authoritas primo de ortu, & interitu contex 88. confirmare videtur, vbi declarans, quam in mixtione proportionem habeant elementa, inquit: vnum elementum alteri non simpliciter dominari. quoniam tunc esset generatio dominantis, & corruptio dominati, ac proinde non mixtio, sed generatio esset, sed quoquomodo, inquit, secundum potentiam paria, & æqualia sunt, ex quibus ita sese habentibus mixtio probè fieri potest. adiecit autem Aristoteles dictionem illam diminuentem, [quoquomodo] nec absolutè*

solutè dixit elementa in mixtione æqualia secundum potentiam esse, indicare volens, si æqualem, similemque potestatem haberent, nec agere, nec simul permisceri posse: sed si inter se agere debent, quoquomodo potentijs adæquari, vnumque supra alterum excessum, dominiumque habere; qui sanè excessus cum modicum ab æqualitate distet, quoquomodo secundum potentiam æqualia esse dicuntur, cuius etiam sententiæ visus est esse Auerroes 4. meteo. com. 10. vbi ostendens elementa habere ambas qualitates in summo, huiusmodi ratione vsus est, si elementa vtranque qualitatem haberent in summo, neque agere, neque simul permisceri possent: quæ consecutio secundum ipsum ex eo necessitatem habet, quoniam quæ secundum gradum æqualia sunt, secundum potentiam quoque æqualia esse dicuntur: & quæ huiusmodi sunt, inuicem agere, & pati non possunt. quamobrem tum ex Aristotelis, tum ex Auerrois sententia ab æqualibus actionem prodire minimè posse videtur: quibus authoritatibus plurimi ex Latinorum classe persuasi asseruerunt ab æqualibus secundum potentiam, actionem minimè proficisci, sed semper à maiori potentia prouenire, & si vnum in alterum agere debet, semper supra illud excessum virtutisque dominium habere operæpretium esse. quam propositionem vt axioma, et pronunciatum quoddam Arist. statuisse affirmãt. Sed horum opinio ab Arist. omnino dissentit: siquidem Aristoteles 4. de ortu ani. cap. 3. vbi de similitudine natorum ad parentes orationem habet, sic inquit: causa vt agentis actio soluatur, ea est: quoniam agens in agendo repatitur, vt calefaciens à calescente refrigeratur: interdumue contingit, vt id, quod agit, plus patiatur, quam agat, hæc Aristoteles. quibus verbis apertissimè ostendit, actionẽ à minori virtute supra id, proficisci, quod potentius est, quoniam si agens interdum plus patitur, quàm agat: igitur debilius, atque impotẽtius est. nam si validius esset: profectò magis ageret, quàm pateretur, quod si à minori actio prouenire potest: ergo multò magis ab æquali, quod etiam ita confirmari potest, nam si calidum, & frigidum accipiantur, vt parẽ agendi potestatẽ habẽt, & iuxta se ponantur, profectò animo concipi nequit, quin aliquo pacto inter se pugnent, & calidum aliquem frigoris gradum, non reprimat, & contra frigidum aliquo pacto caloris feruorem non refrenet, quod sanè ex agentibus voluntarijs facilè ostendi potest. nam si duo extiterint homines, qui æquali virium robore præditi sint, vnusque alterum inuadat, certè æquali certaminis interuallo inter se dimicabunt, & vnus in alterum aget, non tamen vnius victoria supra alterum consequetur, quòd si in his, cunctisque alijs animantibus ab æquali secundum potentiam actio prouenire potest, in inanimis, naturalibusque agentib. idipsum reperiri posse, minimè negari debet.

Dilucidatio.

PRopositam itaque difficultatem persoluentes dicimus, actionem non solum à maiori virtute, sed etiam à minori, & ab æquali prouenire posse, quæ res vt dilucida, & conspicua fiat, animaduertendum est, actionem bipartito diuidi. alia enim est, qua agens omnino passum immutat, sibique simile reddit. quæ cum victoria agentis actio nuncupatur. altera verò est, qua agens non ex toto passum corrumpit; sed cum ipso pugnat, ipsumque aliquo pacto retundit, & labefactatur, & propterea absque agentis victoria actio vocatur, ex qua sanè distinctione, has duas enunciationes ponimus in quibus totius difficultatis dilucidatio consistit. prima est. Actio, quę fit cum victoria agentis semper à proportione maioris virtutis emanat, agensque patienti simpliciter dominari debet, vt primo de gener. contex. 88. significauit Aristoteles inquiens: quod si in mixtione vnum elemētum alteri simpliciter dominetur generatio est dominantis idest, alterius similis dominanti, & corruptio dominati: igitur in actione, qua agens supra passum victoriam habet, ipsumque corrumpit, actio semper fit à proportione maioris, vt aiunt, inæqualitatis. Quod etiam declarauit Auer. 2. de gener. com. 48. secunda enunciatio ea est, actio absque victoria agentis, & à minori prouenit, & ab æquali, hæc enim cum in passum agunt, non omnino illud immutant, sed aliquo pacto alterant, & remittunt. Quamuis id quod minus est, cum agit in passum, vt Aristoteles ait, plus patiatur, quàm agat. & sit à patiente longiore virtutis distet interuallo ab eo tandem vincatur, & corrūpatur. si. n. gutta aquę in carbonē accensum inspergatur, in carbonem quidem agit, sed tandem ab eo corrumpitur. Quibus ita constitutis, ardnum modo non est Aristotelis authoritates, quæ oppositum sentire videntur, interpretari. Nam cum inquit, actionem prouenire à proportione maioris, de actione intelligit, quæ cum agentis victoria fit, in qua agens supra patiens virtutis dominium semper habere debet. cum verò primo de gener. asseruit elementa in mixtione secundum potentiam non adæquari, alioquin mixtio ipsa nō fieret, intelligere oportet, Aristotelem minimè inficias ire, si elementa æqualem agendi potentiam haberēt, inter ipsa actionem, & passionem non reperiri: sed negat, si æqualem potentiā haberent, ex ipsis perfectam mixtionem fieri posse, & mixti formam consurgere, & ratio ea est, quoniam ex ipsius sententia, elementa, ipsorumùe qualitates in mixto in æquali gradu, & mensura. quam ponderis æqualitatem appellant, reperiri non possunt, vt primo illo de gener. contex. 88. declarauit dicens, cum autē quoquomodo secūdum adæquantur, tunc mutatur vtrunque in dominans,

nans, nec alterum ipsorum generatur, sed medium, & commune, quod etiã ad memoriam reuocauit in 2. lib. cõt. 48. & primo cęl. cont. 7. iam verò si elementa æqualem potẽtiam haberent, secundum pares gradus sese remitterent, cum vnum supra alterum maiorem vim, potentiamque non habeat. vt illud magis remittere possit, ac proinde in mixto in æquali gradu reperirentur, quod mixti naturæ conuenire non posse affirmat. vt igitur elementa sese ad eam mediocritatem, temperiemq; redigere possint, in qua vnum alteri quoquomodo secundum gradum dominetur, vt mixti natura exposcit secundum potentiam æqualia eße non debent, quamobrem non propter actionem, sed propter mixtionem elementa pares vires, cum ad mixtionem accedunt, habere poße denegauit, in quo etiam sensu Auerroem locutum esse opinor, vt eius verba 2. de gener. com. 48. præ se ferre videntur, quæ huiusmodi sunt. mixtio enim fit: quoniam vnum alteri nõ simpliciter dominatur, neque æqualem potentiam habent, quoniam tunc alia forma non fieret, vt alibi declaratum est, videlicet. 4. meteo. com. 10. nam cum de ipsius etiam sententia elementorum qualitates in mixto in æquali gradu eße non poßint, sed vna semper alteri quoquo pacto dominari debeat, neq; id certè fieri poßit, si elementa parem virtutem haberent, proinde inquit, si elemẽta parem virtutem haberent, inter se agere non poßent, ità vt mixtionem efficerent, & hæc satis.

Mixtio est miscibilium alteratorum vnio.

P*Onitur hæc mixtionis definitio ab Aristotele primo de ortu, & interitu contex. vltimo, ex qua cum illius etiam problematis de remanentia elementorum in mixto, resolutio pendeat, diligenter expendenda est, in qua sanè explicanda, quatuor hæc à nobis excutienda sunt. primum quidẽ, ex quibus hæc mixtionis definitio deducatur: secundum, quis sit verus huius definitionis intellectus: tertium, an mixtio à generatione mixtorum distinguatur, & quomodo: postremum, qualisnam sit remanentia elementorum in mixto ex eadem definitione explicabitur. Quo ad primum spectat, Aristoteles loco citato mixtionis naturam explicaturus miscibilium conditiones explorare aggreßus fuit, ex quibus mixtionis natura declaratur, eiusque definitio deducitur: quarum prima, quam in contex. posuit 87. & est: quod miscibilia inuicem agentia, & patientia esse debent: ex qua conditione illud Aristoteles colligere voluit miscibilia in mixtione alterari debere, quod absque actione, & paßione fieri nequit. secunda conditio ea est, miscibilia facilè diuisibilia esse, quæ ponitur in contextu 88. qua indicare voluit, miscibilia per actionem, & paßionem in mixtione ad exiguas partes*

redigi,

redigi, quò magis, atque magis vniatur; & quoniam agentia, & patientia aliquam proportionem inter se habere debent; ex propter in contextu 89. tertiam conditionem ponit. ea autem est: quod miscibilia eam inter se proportionem habent, quod neque vnum alteri simpliciter dominari, neque parem vim, agendique potestatem habere debeat. Sed quoquomodo paribus viribus esse debent, ita vt vnum quoquomodo alteri dominetur, ex qua sane conditione illud habere inuenit, miscibilia in mixtione nequaquam corrumpi, sed alterari solum. Nam quæ ita sese habent, quod vnum alteri simpliciter non dominatur, sed quoquomodo parem agendi potentiam habent, neque vnum, neque ambo corrumpuntur, sed alterantur solum: quoniam corrumpens alterum simpliciter dominari debet, ex quibus miscibilium conditionibus mixtionis definitio deducitur, vt ipsemet Aristoteles indicauit in contex. illo 90. vbi miscibilium conditionibus iam explicatis, sic inquit, ex his, quæ superius declarata fuerunt, mixtionem esse, & quid mixtio sit, satis conspicuum est, &c. deducitur autem in hunc modum miscibilia inuicem agentia & patientia sunt, eam inter se proportionem habentia, vt vnum simpliciter alteri non dominetur; sed viribus quoquo modo inter æqualia. iam verò agentia, & patientia, quæ ita proportionata sunt, nec vnum nec ambo corrumpuntur, sed alterantur tantum. igitur mixtio est vnio miscibilium non corruptorum, sed alteratorum tantum: quo fit, vt verus, & Germanus huius definitionis intellectus sit. Mixtio vnio est miscibilium. & quoniam verè miscibilia inuicem agentia, & patientia sunt; hæc autem elementa sunt, quæ cum primis qualitatibus prædita sint, inuicem agunt, & patiuntur; idcirco mixtio est elementorum vnio, & quoniam in mixtione viribus quoquomodo æqualia sunt, vt Aristoteles inquit, hæc autem alterantur solum, non autem corrumpuntur, nec vnum, nec ambo: igitur mixtio est vnio miscibilium, & elementorum alteratorum, & nō corruptorum. quod etiam Aristoteles ipse 2. de genera. contextu 48. vt interim cætera loca prætermittam, clarè admodum declarauit. vbi dubitationem illam persoluens, an elementa in mixto maneant, nihil prorsus alterata, & immutata, aut secundum totum corrumpantur, inquit, non superesse quidem primo modo nihil prorsus alterata. neque secundum totum corrupta, ita vt solùm materia prima remaneat, quæ mixti formam recipiat, sed manere ait corrupta solùm in excellētijs, & summitatibus eorum. sed quæ secundum excellentias, & excessus corrumpuntur. alterantur solum, igitur cum elementa in mixtione reprimantur solum secundum excessus, igitur alterantur solum, & ex consequenti mixtio est vnio elementorum alteratorum solum, & non corruptorum. Hinc patet ab Aristotele Diui Thomæ expositionem quàm longissimè recedere, dicentis, mixtionem vnionem esse

elementorum alteratorum, ideſt corruptorum. inanemque prorſus eſſe expoſitionem doctoris ſubtilis dicentis mixtionem vnionem eſſe elementorum alteratorum, ideſt prius alteratorum, & poſteà corruptorum. quæ etiam hac ratione refellitur. Nam denominatio non fit à termino à quo, ſed à termino ad quem. iam verò ſi elementa in mixtione prius alterantur, & poſtea corrumpuntur, igitur alteratio ſe habet, vt terminus à quo: corruptio verò, vt terminus ad quem, igitur mixtio per corruptionem, quę ipſius alterationis eſt terminus ad quem, non autem per ipſam alterationem definienda erat; accedit, quòd alteratio corruptionem non infert, ſed corruptio alterationem. igitur multò congruentiùs dicendum erat, mixtionem vnionem eſſe miſcibilium corruptorum, quàm alteratorum. quoniam primum infert ſecundum. ſed non econtra, vnde ſecundum hanc Scoti expoſitionem hæc mixtionis definitio ſatis inconcinnè, incongrueque tradita eſſet, vtpotè per terminos, qui mixtionis naturam non explicarent enimuerò mixtio per vnionem miſcibilium alteratorum deſcribitur: cum tamen mixtio (vt ait Scotus) vnio ſit miſcibilium corruptorum. Quamobrem uerba, quæ in hac definitione ponuntur, nō eo mō dilaceranda ſunt, vt dicunt latini, ſed profectò intelligenda ſunt, ſicut iacent: quò fit vt mixtionis ratio non in vnione tantum conſiſtat. Sed in vnione ſecūdum miſcibilium alterationem per mutuam actionem, & paſſionem primarum qualitatum, vndè philoſophus in hac mixtionis definitione genus & differentiam, & tacitè quodāmodo effectricem cauſam proximam mixtionis complexus eſt. Genus enim vnio eſt [nam omnis mixtio vnio eſt, non tamen omnis vnio mixtio eſt, differentia verò eſt, miſcibilium alteratio] quæ vnioni addita mixtionis rationem conſtituit. qua poſita, ponitur, quaue ſublata mixtio aufertur, ſub miſcibilium autem alteratione mixtionis proximam perfectricem cauſam complexus eſt. Nam cum mixtio vnio miſcibilium alteratorum ſit, alteratio autem per actionem, & paſſionem fiat, actio autem cum primis qualitatibus proficiſcatur; igitur mixtio, quæ in vnione miſcibilium ſecundum alterationem cōſiſtit, à primis qualitatibus, vt ab effectrice cauſa immediatè promanat: tametſi præter qualitates primas alia cauſa efficiens remota & præcipua magis in mixtione concurrat. hæc autem eſt efficiens cauſa, quæ ipſorum mixtorum procreatrix eſt. Nam cum in mixtione miſcibilia ad certam quandam menſuram, & gradum, prout mixtorum diuerſitas expoſcit, alterari debeant, quæ ſanè menſura à qualitatibus primis prouenire non poſſit. cum hanc, aut illam determinatam formam non reſpiciant, idcircò præter qualitates primas in mixtione aliud agens præcipuum cōcurrere operępretium eſt, quod medijs qualitatibus primis, miſcibilia in ipſa mixtione ad eam menſuram alteręt: atque diſponat, ſecūndum naturam mixti, quod generare

nerari debet, in mixtis autem inanimis, ipsum generans est, quicquid illud fuerit. in animantibus verò uis illa procreatrix est, quæ in semine reperitur, quæ sicuti præcipuè animantia procreat, atque producit, ità medijs qualitatibus elementa permiscet, ad eamque mensuram, & gradum alterat, atque disponit, prout hoc, & illud viuens expostulat, quod generari debet, idem enim est agens producens formam, atque disponens materiam, vt aduersus Platonem docuit Aristoteles 7. met. cont. 28. causa verò finalis mixtionis est forma mixti, quæ est id cuius gratia elementa miscentur, & alterantur, & tandem in mixto conseruantur, & retinentur, quod sanè indicauit Aristoteles 2. de anima contextu 38. vbi inquit, in viuente corpore ne elementa dissoluantur, & quæ leuia sunt, sursum volent; graui verò deorsum ferantur, aliquid adesse oportet, quod ipsa contineat. id autem Anima est, quæ vnita, copulatāue retinet elementa. est autem Anima huius vnionis elementorum causa, in genere causæ finalis ex hac autem definitione duo eliciuntur. primum, quòd simile simili non permiscetur. nam cum mixtio miscibilium alteratorum unio: alteratio autem per actionem, & passionem fiat. actio autem fiat ratione contrarij, vt primo de generat. cap. de actione, & paßione, Aristoteles declarauit. igitur mixtio similium non est, inter quæ actio, & paßio non reperitur. sed eorum, quæ inter se contrarietatem habent, viciſsimque agunt, & patiuntur. & licet cum aqua aquæ apponitur ei permisceri videatur, non tamen ei uerè permiscetur. cum nulla, inter vtranque contrarietas, actioque ex passo reperiatur, quæ ad veram mixtionem requiruntur, sed potius vna alteri uniri, & continuari dicitur. Alterum, quod ex eadem definitione colligitur, est, elementa respectu mixtorum compositionis, & alterationis materiam esse. Nam cū ex Aristotele 2. physico. contextu. 31. quatuor elementa mixtorum materia sint, non sunt maeria compositionis tantum, vt literæ respectu syllabarum, & lapides respectu domus. sed materia compositionis, & alterationis simul, quod in ipsa mixtionis definitione Aristoteles indicauit. cum enim inquit [mixtio est vnio] compositionis materiam esse significauit. cum autem dixit, vnionem esse miscibilium alteratorum, materiam etiam alterationis eße ostendit. quòd si abolеantur, atque intereant, vt falsò comminiscuntur latini, materia solum alterationis essent. Nunc tertium aggredior.

An mixtio à generatione mixtorum distinguatur, & quomodo.

QVod dubitandi occasionem facere videtur, illud est: quoniam cum putredo, quæ est naturalis mixtorum interitus in dissolutione elementorum consistat: quod, ita ut Arist. quarto meteororum cap. de putredine testatum reliquit, quæ putrescunt in pulverem, & terram, cæteraque elementa dissoluuntur; elementorum verò dissolutio eorundem unioni adversatur: elementorum autem unio mixtio sit, ut antea dictum fuit, igitur putredo mixtioni opponitur. cum autem ex Aristotelis sententia eodem quarto meteororum contextu 3 putredo generationi mixtorum adversetur, igitur mixtio nil aliud quam mixtorum generatio esse videtur: cui putredo sese opponit, quæ in disceptione, elementorumque dissolutione consistit. Cæterum si res diligentius expenditur, secus quidem sese habet. Nam siue mixtorum generatio pro termino, & pro introductione formæ mixti accipiatur, siue pro via iuncta termino, vtpotè pro alteratione mixti generationi immediatè annexa, ab ipsa mixtione distinguitur. enimuerò mixtorum generatio pro introductione formæ transitus est de non esse ad esse, ad substantiamque terminatur. mixtio verò est miscibilium alteratorum vnio ac propriè eius ratio in vnione corporum secundum alterationem consistens. pariter pro via iuncta termino à mixtione disiungitur. nam mixtorum generatio ità accepta, vt ab Aristotele definitur quarto meteororum contextu 2. est transmutatio passiuarum qualitatum, vt humidi & sicci ab agentibus qualitatibus, vt à calore, et frigore dominantibus supra passiuas: mixtio verò est miscibilium alteratorũ vnio cum autem vtriusque diuersæ sint definitiones, idem profectò esse non possunt, quæ enim sunt eadem, eandem quoque definitionem habent. præterea mixtio est omnium elementorum vnio, quæ in mixtione alterantur. cæterum quia alterari minimè possunt nisi per mutuam actionem, et passionem primarum qualitatum inter se secundum primas operationes agentium, vt per calefacere, frigefacere, humectare & exiccare, quæ primarum qualitatum primæ operationes sunt, non enim elementa alterantur, nisi quia calidum frigidum excalefacit, & reprimit, & hoc calidum frigefacit, neque reprimitur humidum, nisi quia siccum exiccat. neque id humectat, nisi quia humor humefacit. secundum quam actionem, & passionem sicut elementa omnia alterantur, ità primæ qualitates omnes attemperantur, et ad symmetriam quandã rediguntur, igitur in mixtione qualitates primæ omnes sunt agentes omnesque patientes, eædemque secundum primas earum operationes concurrunt. atque in mixtione in omnibus qualitatibus primis complexio, & attemperatio fit. in generatione

verò

verò mixtorum non omnes qualitates primæ agentes, & patientes sunt, sed duæ tantum agentes, vt calor, & frigus: duæ verò patientes, vt siccitas, & humor, conueniunt in hac quo ad secundas earum operationes, vt quo ad terminare, & terminari. agentes enim terminant passiuas, eisque debitam consistentiam tribuunt. atque in generatione mixtorum attemperatio, & complexio in patientibus qualitatibus tantum efficitur. itaque cum mixtio elementorum omnium unionem significet, complexionemue primarum omnium qualitatum secundum primas earum operationes inuicem agentium, & patientium: mixtorum autem generatio unionem, & complexionem in passiuis qualitatibus tantum significet, quo ad secundas earum operationes: igitur mixtio à generatione mixtorum siue pro termino siue pro via in esse termino sumantur, non exiguo discriminis interuallo diuersa est. quod etiam satis aperte primo de gen. contextu 83. Aristoteles declarauit, vbi persoluere volens problema illud, quod antea proposuerat, an scilicet mixtio sit, antea sibi excutiendum proposuit, an mixtio à generatione, & corruptione distinguatur, statuitque mixtionem à generatione distingui. quod sane mixtionem ipsam describens satis euidenter confirmauit, cum inquit mixtionem, congressum, unionemque cum alteratione elementorum esse. illud quidem verum est, quòd mixtio gradus est, præuiaque dispositio ad generationem mixtorum: cum hæc absque unione elementorum, ac proinde absque mixtionē fieri non possit. quòd si in hoc sensu Gregorius Ariminensis intellexit 2. sententiarum libro, dist. 15. cum dixit mixtionem generationem esse; rectè quidem locutus est; si verò mixtionem esse generationem formaliter intellexit, eius sententia falsa est, & ab Aristotele penitus aliena. Sed hac in re illud studiosos animaduertere vellem, in quo video ferè cōmuniter Aristotelis interpretes turpiter labi, quòd mixtio non est proxima, immediataq; dispositio ad generationē substātiæ mixti: siquidē ex unione elementorum alteratorum, atque ex attemperatione omnium primarum qualitatum non statim oritur substantia mixti. sed post omnium elementorum congressum, primarumue omnium qualitatum attemperationem, in passiuis qualitatibus transmutationem fieri, vtpotè à calore, & frigore terminari, consistentiamque acquirere operæpretium est. Quibus ita dispositis, & terminatis, substantialis mixti generatio statim consequitur. quod ex Aristotelis progressu facilè intelligi potest. nam cum ad extremum primi libri de generatione mixtionem definiisset, inquiens, mixtionem miscibilium alteratorum unionem esse, quarto posteà meteorum libro cont. 2. mixtorum generationē pro via, inchoata termino definiens, inquit, generationem passiuarum qualitatum transmutationem vtpotè consistentiam et terminationem esse factam à calore, & frigore supra his dominantibus. quod etiam paulo inferius

inferius his verbis explicauit [& terminatum fuit humidum sicco dominantibus actiuis] ita vt in generatione mixtorum hic sit ordo, & naturæ progressus: primo est elementorum vnio, atq; congressus. Secundo, per mutuam actionem, & passionem est eorundem alteratio, nec non primarum omnium qualitatum temperies atque complexio. tertio, passiuarum qualitatum consistentia, et terminatio ab agentibus qualitatibus facta. postremo, ipsius mixtæ substantiæ generatio, quem sanè ordinem intelligūt ij, qui nō multa perlegere, & festinanti cursu Aristo. interpretari cupiunt. Sed qui Arist. sensa scrutari, naturæq; progressus obseruare student. Quibus sic explicatis dubitatio, quæ ab initio allata fuit, facilè dissoluitur. Nam sicuti in generatione mixtorum tria reperiuntur, primo quidem omnium elementorum vnio, & oīum primarū qualitatū attēperatio: secundo, complexio, & terminatio passiuis qualitatibus tantum: tertio, substantiæ mixtæ generatio, ita in naturali mixtorum interitu, qui putredo est hæc tria reperiuntur. dissolutio quidem omnium elementorū, & hæc opponitur mixtioni. reperitur quinetiā dissolutio passiuarū, vt humidi à sicco, & hæc dicitur putredo. accipiendo similiter corruptionem pro via iuncta termino, quæ à dissolutione omnium elementorum distinguitur. & huiusmodi passiuarum dissolutio generationi mixtorum aduersatur. quoniam sicuti mixtorum generatio est vnio humidi cum sicco, ita putredo, quæ ei opponitur, est dissolutio humidi à sicco propter caloris naturalis inopiam, atque defectum: postremo, substantiæ mixti corruptio est quæ opponitur productioni substantiæ mixti. quamobrem ad rationem cum dicebatur, putredo, & naturalis mixtorum interitus est omnium elementorum dissolutio, id vt falsum reijcitur. quoniam putredo formaliter non est elementorum omnium dissolutio passiuarum, & hic generationi, non autem mixtioni sese opponit. Nunc quartum in ordine propositum aggredior.

Ex definitione mixtionis quomodo elementa mixto remaneant, explicatur.

QVoniam illud definitionis munus, est, vt quarto physi. contex. 31. docuit Aristoteles, vt non solum rei naturam, & essentiā declaret, sed etiā dubitationes veras contingentes circa è medio tollat; ea propter, cum iam satis mixtionis definitio superius animaduersa fuerit; nunc quonam pacto ex ipsa mixtionis definitione dubitatio de remanentia elementorum in mixto, de qua non leuis est apud philosophos disputatio dissoluatur, considerandum est. porrò cum mixtio, complexus, & vnio sit miscibilium, & elementorum alteratorum tantum, & antea ex principijs, ex quibus definitio

mixtionis deprompta est, ostensum fuit. Statim illius problematis consequitur resolutio videlicet elementa in mixto actu, & secundũ substantiã asseruari. Nam cũ tres fuerint, aut de remanentia elementorum in mixto excogitari modi potuerint, vnus quidem, elementa in mixto integra, & secundũ substantiam, & secundum qualitates omnino immutata manere; quẽ sanè modum Empedocli Aristoteles ascribere visus est. Alter verò elementa in mixto secundũ substantiam corrumpi, ita vt materia prima remaneat, quæ immediatè mixti, formã recipiat. tertius verò modus inter vtrunq; medius elementa non omnino integra, & immutata manere, neque secundum substantiam corrumpi, sed secundum substantiam manere, alterata tamen; & aliquo pacto mutata, Aristoteles sicuti plerisque alijs in rebus duos extremos reijciens modos, tertium modum amplexus est, quod sanè in ipsa mixtionis definitione indicauit; inquiens [mixtio est miscibilium alteratorum vnio] nam si mixtio alteratorum vnio est, igitur elementa in mixto, neque secundum substantiam corrupta sunt, neque in mixto, prorsus immutata, & alterata manent. Quod etiam 2. de genera. contex. 48. explicatius declarauit, inquiens, elementa in mixto non corrumpuntur, ita vt solum materia supersit. neque seruata prorsus, & immutata, vt Empedoclis, quoniam tũc mixtio iuxta positio tantum esset, sed secundum excellentias eorum quę exuberantia tantum corrumpuntur. & ad commoderationem quandam reducuntur. & licet ex hac mixtionis definitione, si quis eam rectè perpendat, & ex Aristotelis principijs, miscibiliumque conditionibus eam deducat, huius problematis resolutio satis firma, & Aristoteli maximè consentanea haberi possit: tamen vt veritas magis conspicua fiat, aliorumque error magis aperiatur id quibusdam adhuc rationibus non satis ab alijs animaduersis, apertissimè demonstrabo, & primo sic, si elementa in mixto secundum substantiam non manent, sed corrumpuntur, profectò corrumpens adesse oportet à quo corrumpantur. Non enim aut ad corruptionem termini corrumpuntur, cum hoc relatiuorum proprium sit. pater enim ad corruptionem filij, vt ad corruptionem termini corrumpitur, in quorum ordine cũ ignis, aqua & cætera elementa non sint, vtpotè quæ substantiæ sunt ad termini corruptionem corrumpi nõ possunt. neq; ad corruptionẽ subiecti, tum quia substantiæ sunt, tum quia licet formæ ipsorũ substantiales in materia sint, ad subiecti corruptionem corrumpi nequeunt, cum materia, in qua sunt semper cõsistat: quamobrẽ ab aliquo corrumpuntur, aut igitur interse corrumpuntur, aut ab alio: non primo. quoniam cum elementa in mixtione pares quodammodo habeant vires vt primo de gener. contex. 89. Aristoteles declarauit. igitur vnum corrumpere alterum minimè potest. Corrumpens enim semper alteri dominari debet. accedit, quòd si vnum alterũ

corrum-

corrumperet, atque ita alteri simpliciter dominaretur. Nunc esset corruptio dominati, & generatio alterius similis dominati, quamobrem non omnia corrumperentur, sed saltem in mixto dominans superesset, neq; ab alio corrumpi possunt, vel enim à cęlo, vel à generante, vel à forma mixti generanda corrumperentur, à cęlo quidem corrumpi non possunt; tum quia corrumpens contraria qualitate ei in quod agit, alterum corrumpit: ignis enim frigore, & humore, vt contrarijs qualitatibus corrumpitur: iam verò si cęlum ignem frigore, & humore corrumperet, ijs non corrumperet aquã, cum his qualitatibus aqua potius construcitur, & si è contra calore, & siccitate aliquod elementorum corrumperet, ijs in ignem non ageret, neque ipsum corrumperet, cũ huiusmodi qualitatibus ignis conseruetur, & foueatur, quamobrem cęlum corrumpens esse non potest. neque ob eandem rationem corrumpens ipsum generans esse potest. minus à forma mixti generenda corrumpi possunt: primò quia forma mixti est id cuius gratia, & finis ipsorum elementorum, non enim ob aliam causam elementa miscentur, nisi ob formam mixti: iam verò finis, neque contrarius, neque incompossibilis est ijs quæ sunt ordinata in finem, igitur à forma mixti corrumpi non possunt. Secundo, quia cum forma mixti finis sit, cuius gratia elementa miscentur, finis verò non agit nisi metaphoricè, prout agens ipsum mouet. vt primo de generat. tontex. 55. docuit Aristoteles, sed agẽs supponit, quod materiam alterat, quodue à subiecto, quæ fini formæ consequendę, contraria sunt, abijcit, & depellit. cum igitur corrumpens excogitari non possit, à quo elementa corrumpantur, profectò elementa in mixto secundum substantiam corrumpi dici non potest. Vnde non possum hac in re latinos interpretes, & qui ipsorum sententiam insequuntur, non maximè admirari, qui concordes affirmant elementa secundum substantiam in mixto corrumpi, à quo autem, & quomodo corrumpantur, minimè declarat. prętereà mixtum cum corrumpitur in quatuor elementa dissoluitur, & euidenter quidem in pulueres, & terram. Cùm autem mixtum, vt mixtum est, duplici tantum modo corrumpi possit, combustione scilicet, & putredine, vt 4. meteorum Aristoteles testatum reliquit. tametsi vt animatum pluribus modis corrumpi queat. animal enim, & febre, & fune, & gladio corrumpi potest, qui sanè in intereundi modi mixto, vt mixtum, minimè conueniunt. non enim aliquis tam mentis impos est, vt dixerit metallum, aut cadauer, febre, aut suspendio interire posse; sed combustione, et putredine tantum. combustione quidem ab igne, putredine verò ab externa ambientis aeris caliditate: vt loco citato cap. de putredine docuit Aristoteles. Iam verò cum mixtum ab igne combustione corrumpitur, & in terram dissoluitur, terra hæc, aut illa est, quæ actu præexistebat, in mixto, aut est de nouo, & recenter genita,

secun-

secundum quidem dici non potest, quoniam si recenter genita esset, profectò ab alio genita esse non posset, quàm igne à quo per combustionem corrumpitur mixtum siquidem illud agens, quod est corrumpens, illud idē generans est, enimuerò agens in passum, & illud corrumpens ex ipso alterū generat, ignis.n.agēs in lignum, ipsum corrumpens ex ipso ignem producit. iam verò terra hæc, in quam dissoluitur mixtum, ab igne corrumpente produci non potest. Quoniam ignis mixtum comburens, & materiam disponere nequit pro generatione terræ, cum ignis mixtum corrumpens calíditatem introducat, quæ dispositio non est, quinimmo contraria pro generatione terræ, cum terra frigiditatem expostulet. Nec latinorum quispiam eò confugere potest, vt dicat: terram illam aut à cęlo, aut ab aere, vel à terra generari. non quidem à cęlo, tum quia cęlum non est corrumpēs mixtum, quod combustione corrumpitur, tum quia cęlum frigiditatem producere non potest, quæ ad terræ generationem requiritur, cum medio lumine, & motu ex Aristotelis sententia solummodò agat. tum quia cęlum est causa vniuersalis, & indeterminata, quæ effectus particularis immediata causa esse non potest, vt secundo physico. conte. 38. docuit Aristoteles, neque ab aere produci potest, tum quia aer corrumpens non est, tum quia aer materiam disponere nequit pro generatione terræ, cum aer corrumpens calorem, & humiditatem in materia producat. quæ generationi terræ dispositiones contrariæ sunt, neque à terra sibi simili produci potest. Quoniam terra non est corrumpens mixtum quod combustione corrumpitur, similiter cum mixtum putredine corrumpitur à calore ambientis aeris terra hęc, in quam mixtum dissoluitur. neque à calore aeris, neque ab vllo alio eorum, quæ dinumerata sunt, generari potest, propter causam assignatam. igitur terra, cęteraque elementa in mixti interitu de nouo minimè generatur. Quamobrem illa erit, quę actu secundum substantiam pręexistebat in mixto, vnà cum cæteris elementis, in quæ mixtum dissoluitur. vnde non satis est dicere elementa in mixto secundum substantiam corrumpi, & in mixti interitu elementa de nouo generari, sed necessario explicandum est à quo generentur, & quomodo, qui rei naturam inquirere, & probè philosophari voluerit. Quamobrem tum ex ipsa mixtionis definitione rectè intellecta, tum ex rationibus allatis quæ ni fallor, vim demonstrantem habent, dicendum est, elementa in mixto secundum substantiam asseruari, atque in ea, cum mixtum corrumpitur dissolui. Quibus sanè rationibus omnia consentiūt Aristotelis loca. primo enim de gen. conte. 54. sic inquit, videntur enim quę miscentur prius ex separatis cōuenientia, & possibilia rursus separari. Animaduertant studiosi modum loquendi Aristotelis. inquit enim, [et possibilia sunt rursus separari] ac si dixerit, ex separatis

vniuntur, & simul coeunt, & rursus ex coeuntibus separata fieri possunt. igitur in mixto actu secundum substantiam manent, atque in ea mixta cum intereunt dissoluuntur, cui etiam consentit Aristotelis authoritas 3. cæ. cõtex. 31. vbi contra Anaxagoram probans; non partes consimiles esse primordia, & elementa rerum, sed ignem, aerem, aquam, & terram, hoc vtitur principio, quoniam mixta cum intereunt, in quatuor elementa dissoluantur, ex quo concludit, quatuor elementa subiecti, principijque rationem habere, ex quo mixta constituuntur. sicut etiam docuit 2. physi. contex. 31. ijsdem rationibus eiusdem authoritas consentit, eodem primo de gener. contex. 88. vbi causam reddens, cur gutta vini mille amphoris aquæ infusa non permiscetur, quoniam, inquit, species, & forma vini corrumpitur. vult igitur ad rationem mixtionis formam substantialem rei, quæ miscetur, actu consistere, & asseruari. accedit ad hæc id, quod in contex. 89. asseruit miscibilia, & elementa in mixtione parem quodammodo potentiam habere, ac proinde secundum substantiam obliterari, & corrumpi non posse, postea ijs rationibus fortè Aristoteles persuasus. 2. de gener. contex. 48. statuit elementa in mixto non omnino integra, & immutata seruari, neque secundum substantiam corrupta, ita vt solum materia prima supersit, quæ mixti formam immediatè recipiat, sed manere quidem in mixto repressa, & castigata solum in excellentijs suis, qui locus vsque adeo perspicuus est, vt qui oppositum sentiunt, aut oscitanter Aristotelem perlegisse, aut ipsum non intelligere videantur, possem & alia innumera Aristotelis loca in medium afferre. sed quoniam hæc Aristotelis sententiam clarè admodum demonstrare videntur, cætera lubenter silentio præterire decreui. Sed hac in re multò grauius Buccaferreus aberrauit, qui primo de ortu, & interitu cap. de mixtione asseruit, in mixto substantiales elementorum formas corrumpi, ipsorum autem qualitates seruari, ita vt in mixtione solum materia prima cum primis elementorum qualitatibus supersit, quæ mixti formam recipiat, quo certè nihil absurdius dici, aut excogitari potest, quoniam vt cap. de ordine in rerum naturalium interitu dictum fuit, forma substantialis corrumpi non potest, nisi per ablationem primarum qualitatum, quæ medium sunt, & copula, quibus forma substantialis in materia suscipitur, & in materia conseruatur. atque agens in corruptione prius attingit, abijcitque qualitates, quam formam substantialem, sicut & in generatione generans, prius qualitates, quibus materiam disponit, quam formam substantialem producit, quo fit impossibile esse formam substantialem elementorum corrumpi, & ipsorum qualitates seruari. nam si qualitates seruantur, & formam substantialem seruari operæpretium est, aut si forma substantialis corrumpitur, & ipsorum qualitates corrumpi dicendum est.

Sed huius erroris causa fuit Aristotelis authoritas non rectè ab ipso intellecta 2.de partibus anim.cap.2.vbi philosophus, inquit, quod cum triplex cõpositio sit,prima quidem est ex quatuor vocatis elementis,vt igne,aere, aqua, & terra, sed rectius inquit est ex virtutibus elementorum, virtutes autem sunt caliditas,frigiditas,siccitas,& humilitas,quas etiam in mixto seruari statuit primo de gener. contex. 84. ex quibus Aristotelis verbis elementa non secundum substantiam, sed secundum qualitates ipsorum tantum in mixto permanere Buccaferreus ita deducit, si elementa in mixto secundum substantiam permanerent, prima quidem consimilium partium compositio nõ minus esset ex elementis,quàm ex virtutibus elementorum, ac proinde opus nõ erat,vt Aristoteles quasi se corrigens adiecisset rectius esse ex virtutibus elementorum, quam ex elementis, compositionem esse, sed vir iste hunc Aristotelis locum assecutus non est.primò quidem, quoniã locus iste satis ambiguus est, an de elementorum, aut de consimilium partium,& membrorum compositione intelligat. nam licet verba satis apertè de consimiliũ partium compositione intelligere videatur, quoniã inquiunt, primam compositionem esse ex quatuor vocatis elementis, vt igne, aere, aqua,& terra,ita vt hæc non sint,quæ componuntur,sed ea,ex quibus cætera constituuntur:secunda tamen compositio,quę paulo inferius ab Arist. explicatur, oppositum indicare videtur: quoniam inquit, secunda autẽ ex illis primis compositio est similiũ partium, vt carnis, & oßis:tertia verò, & vltima partium dissimilium est,vt faciei, & manus, & reliquorum huiusmodi membrorum. iam verò si prima compositio similium partium esset ex elementis, secunda profectò dissimilium ex similaribus esset: tertia vero,& vltima totius animalis ex dissimilaribus, & instrumentarijs partibus esset, cuius oppositum Aristotelis verba testantur, quo fit vt locus iste maximè ambiguus sit,ac ni fallor,mẽdosus,nec satis consulto ex eo loco fundamentum à Buccaferreo desumptum sit, præterea vltrò etiam cõcesso de compositione, similarium partium ex elementis Aristotelem intelligere,tamen si Aristotelis verba accuratius expendantur,non inficiatur ipse similarium partium compositionẽ ex elementis esse, quinimò ex illis esse affirmat.Nam inquit,prima compositio ex elementis est, sed fortè melius ex virtutibus elementorum esse dicendum est. non itaque compositionem ex elementis excludit,sed inquit, rectius compositionem elementorum qualitatibus referendam esse,neque certè Aristoteles compositionẽ ex elementis potuit inficias ire, si contextum.48.secundi de gener.antea animaduersum huic loco conferre velimus. causa verò cur, cum elementa secundum substantiam seruentur in mixto, & ex ipsis mixtum componatur, mixtum magis ex elementorum qualitatibus, quàm ex elementis componi dicatur,

meo iudicio ea est: quoniam cum mixta ex elementis nequaquam componi possint, nisi alterentur, elementa verò alterari non possint, nisi ratione qualitatum, idcircò mixtorum cōpositio quãuis ex elementis sit, magis tamen elementorũ qualitatibus, quàm elementis refertur. cũ verò primo de gen. conte. 84. elementorũ virtutes in mixto remanere asseruit, nō intellexit elementorũ virtutes, & qualitates absq; formis substantialibus in mixto manere. quoniã, id impossibile est, sed ait in mixto elementorum manere virtutes. quoniã licet vna cũ qualitatibus formæ substantiales quoque supersint, quia tamen formæ elementorum in mixto suis non funguntur muneribus, neque mixtum ipsum in esse constituunt, neq; denominant, qualitates verò suas in mixto operationes exercent, ipsumq; denominant calidũ, frigidũ, humidum, & siccum, propterea non formas, sed elementorum virtutes, & qualitates in mixto Aristoteles manere asseruit. quamobrem tum ex ipsa rei natura, tum ex Aristotelis sententia statuendũ est, elementa in mixto, & secundũ substantiã, & secundũ qualitates manere: sed cũ domita, & repressa maneant in excellentijs suis, vt ab Aristotele scribitur 2. de gen. contex. 48. vtrum secundũ formas substantiales, & qualitates remissa sint, vt placuit Auerroi, vel secundũ qualitates tantũ, vt cẽsuit Auicennas, dubiũ est, cuius rei veritas, quoniã ex illius dubitationis explicatione pendet. An substãtia intendatur, & remittatur, de qua priore dilucidationũ libro cumulatè habita est oratio, vbi statutum fuit nullo pacto substãtiã; quæcunq; illa fuerit; intendi, aut remitti posse. eapropter resolutè dicendum est, elementa in mixto secundum qualitates tantum remissa esse. quod etiam Aristotelis authoritas 2. de gen. conte. illo 48. apertissimè confirmat, vbi cum statuisset elemẽta in excellentijs, eorumque summitatibus remissa esse, totã remissionem, eorũ qualitatibus ascribit, vt legentibus contextum illum facilè patet. & licet substantiales elementorũ formæ perfectæ supersint in mixto, non propterea generationis mixtorũ natura mixtorumq; vnitas aufertur, vt putauit Auerroes cõtra Auic. 3. cęl. com. 67. q̃ eo necessitatis Auerroem adegerunt, vt elementorum formas à perfectarum substantiarum dignitate, & vniuerso genere detorserit, vt non in qualitates, sed in medium quoddam, & inauditum genus transtulerit. Cuius opinionis leuitas cum alio loco à nobis reiecta fuerit, fusiorem hic disputationem non desiderat.

An primæ elementorum qualitates in mixto in summo remaneant, aut remissæ.

IN hoc problemate certè mihi immorandum non esset, nisi Fernelius nouam quandam opinionem excogitasset, studiosorumque animos quasi irretire,

irretire, & in falsa quædam dogmata trahere uoluisset. Tertio enim de tẽperamentis libro capit. secundo primas qualitates in mixto remissas non esse, sed in summo gradu remanere, quales in simplicibus elementis reperiuntur. sed licet summæ remaneant secundum gradus, secundum vires tamen, & potentiam remissæ, & castigatæ sunt. quam suam opinionem ita persuadere conatur, si qualitates primæ in mixtione non summa manent, sed remittuntur: igitur sese interimere, & prorsus corrumpere poterunt, cum non secus qualitates mediæ, & remissæ inter se pugnent, ac in summo gradu existentes. cum igitur non sese ex toto corrumpant, igitur neque se in mixtione remittunt, secundo idipsum ità persuadet. qualitates remißæ non minus inter se contrariæ sunt, quam summæ. ergo si remissæ in mixto vnà coire, simulque cõsistere possunt. ergo & quæ in summo sunt in mixto simul manere queunt, cuius sententiæ Aristotelem, & Galenum extitisse affirmat. Sed hæc Fernelij opinio admodum absurda est, & ab Aristotele, & Galeno penitus aliena, quod ex mixtionis natura primum ostendo, nam mixtio vt sub finem primi de gene. docuit Aristoteles, est miscibilium alteratorum vnio. Itaque si in mixtione elementa vniri, copulariùe debent, alterari necesse est: sed cum alterari minimè possint, nisi per remißionem suarum qualitatum: igitur in mixtione ipsorum qualitates retundi, atque remitti oportet: quod si qualitates in mixtione summæ remaneant, sicuti elementis, vt ait, insunt: igitur elementa non alterantur, & ex consequenti non miscentur. Præterea elementa in mixtione aut inter se agunt, aut non: si non agunt: igitur non miscentur. siquidem capit. de mixtione miscibilium, conditiones declarans, inquit, miscibilia necessariò agentia, & patientia esse, & quæ inuicem non agunt, & patiuntur, propriè non misceri. quod sanè ipsa mixtionis definitio ostendit, quæ vnio est miscibilium alteratorum: alteratio verò absque actione, & passione fieri nequit: si vero in mixtione agunt, & patiuntur: igitur calidum agit in frigidum, & hoc in calidum: sed cum actio frigidi sit frigefacere, & calidi calefacere, igitur frigidum frigefacit calidum, & hoc frigidum excalefacit, & ex consequenti vnum secundum gradus alterum remittit, quod satis apertè secundo de gener. contextu 48. his verbis Aristoteles declarauit, [mixtio fit calido refrigerato, & frigido excalefacto]. quod etiam eodem loco declarauit, inquiens, elementa in mixtione ex toto corrumpi, nec omnino integra aßeruari; sed medio quodammodo, prout secundum excellentias, eorumque summitates corrumpuntur. quod si in excellentijs corrumpuntur: igitur primæ elementorum qualitates necessariò remittuntur. Vidit locum hunc Fernelius, cui hoc pacto respondit, Aristotelem eo loci non de qualitatibus, sed

de viribus

de viribus qualitatum intelligere.nam licet in mixtione, inquit,qualitates secundum gradus non remittantur,secundum vires tamen remittuntur,& hanc virium exuberantiam reprimi Aristoteles intellexit, sed nimis oscitanter Fernelius locum illum perlegit.siquidem philosophus eo loci de remissione qualitatum sermonem habet:hæc enim scribit ad verbum. Quoniam aūt est magis, & minus calidum,& frigidum, non oīno, sed vt calidū frigidum, & frigidum calidum erit : quoniam quæ miscentur, secundum excellentias se corrumpunt,& tunc neque illorum contrarium alterutrum simpliciter erit, sed medium.Quibus verbis ostendit in mixtione non omnino,& in summo calidum,& frigidum adinueniri,sed calidum frigidum,hoc est calidum refrigeratum,& frigidum calidum,idest,frigidum excalefactū, iā verò calidū refrigeratū secundum gradū remissum est, pariter & frigidū excalefactum; igitur de remissione qualitatum secundum gradus Aristoteles intelligit,ex quorum remißione,virium quoque remissio consequitur, tādem sua hęc opinio contra Galenum se habet primo de elementis cap.3.qui ita scribit. Quotiescunque ex pluribus quippiam componitur,si illa quæ in compositionem veniunt,qualia sunt,talia ad extremum vsque durauerint, nunquam profectò nouam adipiscetur formam,quod si multifariam varientur, alterenturque, poterit tunc aliquid suboriri. Hæc Galenus, quæ ab Aristotele accepit 2. de gener. conte.48. ita, vt hac in re Galenus, & Aristoteles concordes extiterint, ex summis elementorum qualitatibus neque mixtionem fieri, neque ex eis quippiam consurgere posse: nisi remittantur, & ad quandam mediocritatem redigantur. Neque mihi illud silentio prætereundum est, quod inquit, primas qualitates in summo asseruari: remißas tamen habere vires agendi: quæ duo certè inter se pugnant. nam si remissas vires habent, remißas quinetiam secundum gradus necesse est. siquidem remissio virium ex remissione graduum per se dependet, vt ab Aristotele proditum est 4. de ortu animal. cap. 3. vbi sic inquit, causa vt soluatur, debiliteturque actio, & virtus agentis, est, quoniam agens in agendo repatitur, vt calefaciens à calescente refrigeratur, & secundum gradus caloris reprimitur. itaque remissio virium ex remissione graduum dependet: ac proindè, si in mixto repræßæ fuerint qualitates secundum vires agendi,secundum gradum etiam remissas esse velit nolit Fernelius cogitur confiteri.

Sed quoniam satis contra ipsum digreßus videor, ad problematis dilucidationem me confero.

Dilucidatio.

Dilucidatio.

TAmetsi elementa in mixto integras substãtiales formas retineant: primas tamen qualitates in summo retinere minimè possunt:sed omnes remissæ,castigatæque sunt. Cuius sanè repugnantiæ causa triplex assignari potest,prima quidem,quoniam qualitates summæ inter se contrariæ sunt, cum maximè inter se distent:contrária verò,cum simul consistere non possint,eapropter,si qualibet pars mixti ex quatuor elementis mixta esse debet,summæ qualitates in mixto reperiri non possunt,quo sanè fundamento rationem illam Aristotelis contra Empedoclem conte.48.suffultam esse opinor, cum dixit:si elementa omnino integra, & nullo modo alterata in mixtione reperirentur; mixtio esset iuxta positio,nec qualibet pars mixti mixta esset, quoniã summæ qualitates oppositionem inter se habent,ratione cuius in eadem parte simul coire,consistereque non possunt. Secunda causa ea est,quoniam cum mixta ex quatuor elementis non sicuti parietes ex lateribus componantur,sed per actionem,& passionem primarum qualitatum.ex actione autem,& passione earum exuberantiæ necessariò remittantur,eapropter in gradu summo in mixto reperiri non valent,tertia causa est,ex diuersitate mixtorum,quæ idem temperamentum habere non possunt,etenim si omnibus mixtis primarum qualitatum gradus summus inesset,omnia mixta,secundum pares gradus qualitates haberent, ac proindè omnia temperamento conuenirent,quod à veritate abhorret, quibus sanè de causis puto ego Aristotelem,& Galenum concordi voce dixisse qualitates primas in mixto summum gradum non retinere,sed ex mutua actione omnes remissas esse,ex qua sanè remissione virium quoque remissio, & imminutio consequitur.Non enim calor ignis in mixto vrentem illam, summamque retinet potestatem agendi,sed refrigeratus,et veluti ad quendam teporem redactus,mitem domitamque vim habet agendi: quod si intendatur,vt in ardentibus febribus vsu venit torridam,& vrentem illam agendi vim ex intensione graduum adipiscitur,quibus sic explicatis Fernelij obiecta modo facilè diluuntur,& ad primum negatur consequentia.Ad probationem autem dicimus,falsum esse,quod ab eo assumitur, qualitates remissas,non secus inter se opponi,ac inter se opponantur qualitates in summo:siquidem qualitates non pro quolibet gradu inter se contrariæ sunt, sed secundum excessum,& altera latitudinis medium, & propterea quæ summæ sunt inter se agunt,mediæ verò,& repressæ cum contrariæ non sint vicissim non alterantur, & ex consequenti nec sese interimere,aut ex toto corrumpere possunt.eodem modo,& secundum diluitur: non enim qualita

tes

tes remissæ, & temperatæ contrariæ sunt, sicuti summæ: siquidem contrarietas non qualibet distantia est, sed quæ maxima existit, eapropter temperatæ simul manere possunt. summæ vero nequaquam: non enim qualitates secundum propriam naturam contrariæ sunt, vt falsò putauit Gregorius Ariminensis, cui assentiri videtur Fernelius; sed earum contrarietas ex distantia graduum desumitur non quauis, sed quæ maxima est, vt Auerroes, & Græci asseruerunt. Quod ex Aristotele satis apertè colligi videtur. 2. de gener. conte. 48. vbi inquit, quòd si qualitates primæ summæ fuerint, & in excellentijs suis mixtio non fit, neque qualibet mixti pars mixta esse potest. Si verò in excellentijs suis remittantur, mixtio absoluitur, & qualibet pars mixta est. quibus verbis indicat summas qualitates simul in eadē parte consistere non posse, ac proindè contrarias esse: remissas verò in eadem mixti parto manere, ac propterea contrarias non esse, & ex consequenti primarum qualitatum contrarietatem in excessu, summaque distantia consistere. Sed aduersus solutionem allatam eam sese offert dubitatio, nam si qualitates attemperatæ simul consistere possunt. Quomodo igitur uerum est, quod ab Aristotele 2. de anima cont. 39. proditum est, elementa in viuente ab Anima contineri ne diuellantur, & seinuicem separentur. Nam si inter se non pugnant, concordi quadam pace simul consistere valent, nec opus est, vt ab anima retineantur, & si ab anima simul vnita tenentur: igitur inter se pugnant, nec se seipsis simul cōsistere possunt. respōdetur, Aristotelem non intellexisse animam elementa in corpore continere, ita vt ex se attemperata simul manere non possint, animaque veluti vinculo, & freno effectiuè iuncta, ligataque retineat elementa, ne diuellantur. Sed intellexit, aīam elementa in corpore continere in genere causæ finalis. quoniā cum elemēta in mixtione ad animā, ut ad finē ordinentur, et ipsius gratia permisceātur, vnitaque simul maneant, ut anima aliquo tempore in corpore persistat, suisque muneribus fungatur; idcircò anima elementis necessitatem, legemque imponere dicitur, vt vnita simul maneant, sicut, & anima, & quęuis alia forma, agenti, materięque, vt finis, necessitatem imponit, vt illud agat, materiamque hoc, vel illo modo disponat, prout ipsa forma exposcit.

An qualitates primę æquali mensura, & gradu, in mixto reperiantur.

SVperior tractatio illius problematis explicationem necessariò expostulare videtur, cum qualitates primæ in mixto remissæ, attemperatæque sint, an ad eam temperiem redactæ sint, vt æquis portionibus, paribusque gradibus in mixto reperiantur, quod hoc capite mihi explicandum proponitur.

nitur. Qua in re non leui contentione tùm medici, tum philosophi inter se certant, Fernelius tertio de temperamentis cap. quarto in ea opinione persistens primas elementorum qualitates in mixtis summas inesse, consequenter asseruit, qualitates primas paribus numeris, & gradibus in mixtis adinueniri: quod etiam ita persuadet. Nam cum ex calido, humidoque temperamento in frigidum, & siccum quippiã abit necesse est, per hanc æqualitatem deduci. nam si aliquod viuens fuerit, in quo calidum, & humidum secundum quinque gradus reperiantur, frigidum autem, & siccum secundum tres gradus tantum, cum temporis cursu calidum, & humidum dissoluantur; igitur cum calidi, & humidi gradus perierint, atque ad tres vsque gradus peruenerint, cum frigido, & sicco paria, & æqualia erunt, quæ secundum tres gradus inesse acceptum fuit, itaque in mixto paribus gradibus reperiri possunt: cui sanè fundamento plerique alij innituntur, qui eandem sententiam profitentur. adijcio autem ego rationem istam, qualitates primæ in mixto dispari inæqualiùe gradu reperiri, simulque consistere possunt; ergo multo magis in mixto paribus æquisùe gradibus reperiri poterunt. siquidem quò magis impares sunt, magis inter se oppositionem habere videntur, quò verò magis temperatæ sunt, magis ab oppositione recedũt. Auerroes cui nunquàm hæc arrisit opinio, com. 10. met. com. 23. ità oppugnat, si qualitates primæ in mixto æquali gradu reperirẽtur, mixta ab intrinseco corrumpi minimè poßent: consecutio ex eo deducitur. quoniam naturalis mixtorum interitus ex actione primarum qualitatum exoritur, quæ in mixto reperiuntur. iam verò si huiusmodi qualitates secundum gradum essent æquales, vna quidem alteram vincere, neque corrumpere posset, cum vnum contrarium, si alterum corrumpere debet, illi simpliciter dominari operæpretium sit: sed licet Auer. aduersus hanc sententiam se demonstrasse arbitretur, quam etiam Galeni extitisse affirmat, tamen ratio hæc, ne vllam quidem efficaciam habet, quinimmo naturalem mixtorum interitum Auerroem non satis intellexisse videtur: Enimuerò mixta duorum generum sunt, alia quidem animata, alia verò inanimata sunt. Quæ duo mixtorum genera proprium, peculiaremque naturalis interitus modum habent; animata enim cum naturali interitu corrumpuntur. Per actionem primarum qualitatum in ipsis existentium minimè corrumpuntur, vt falso Auerroes, & plerique alij arbitrantur, sed ex impotentia refrigerandi, euentandique calorem innatum, vt libro de morte, & vita ab Aristot. declaratum fuit, & nos priore libro vberiore oratione explicauimus, vnde licet in uiuente corpore qualitates primæ æquis portionibus reperirentur; adhuc viuens naturali interitu, & ab intrinseco corrumperetur: mixta uerò inanimata, ut cadauera, &

metalla, tametsi per actionem aliquo pacto internæ frigiditatis innaturale mixti calorem corrumpantur: tamen, etiam si qualitates primę ęquali gradu reperirentur adhuc naturali interitu, & ab intrinseco corrumperentur. quoniam id genus mixta naturali interitu per putredinem corrumpuntur, vt 4. meteorum. contex. 3. Aristo. declarauit. Iam verò putredo, corruptio est, & imminutio caloris naturalis mixti ab externa caliditate, à qua mixti calore imminuto per exitum, & egressum, vt loco citato docuit Aristo. Interna frigiditas supra residuum caloris, quasi adaucta, & validior facta, ipsum corrumpit, ad cuius interitum mixtum dissoluitur, quòd fit, vt positis qualitatibus primis in æquali mensura, & gradu, etiam in his, adhuc naturali interitu & ab intrinseco corrumperentur. ea propter ratione magis efficaci Fernelij sententiam, aliorumque eiusdem opinionis interpretum falsam esse ostendo. Nā Aristoteles primo de ortu, & interitu cont. 88. declarans, quam in mixtione proportionem habeant elementa, inquit, vnum elementum alteri simpliciter non dominari. quoniā tunc mixtio non esset, sed generatio vnius, & corruptio alterius, nec æqualem agendi potentiam habere debent: sed quoquo modo secundum potentiam adæquari, ità vt vnum aliquo pacto alteri dominetur: perpendo ego vtrunque Aristotelis dictum, & primò, cur Aristoteles neget in mixtione elementa secundum potentiam adæquari posse. aut enim id negat. quoniam si æqualem potentiam haberent, inter se agere non possent, aut quoniam secundum pares gradus sese remitterent, quod sanè mixti naturæ minimè conueniat. primū quidem dici non potest. tametsi Buccaf. 2. de genera. id affirmare ausus sit. quoniam cum ex eodem Aristotel. 4. de ortu animal. cap. 3. actio fiat à minori, ab æquali quoque secundum potentiam prouenire poterit, vt proprio theoremate ostensum fuit; igitur propter naturam mixtionis, ipsiusque mixti secundum potentiam adæquari posse negauit. quoniam si secundū potentiam æqualia essent, secundum gradus æqualiter sese remitterent, cum vnum altero potentius non esset; igitur in mixto æqualibus numeris, & gradibus reperirentur, quod naturæ mixti minimè competit, ità vt Aristotelis ratio in hoc constituta sit, si elementa secundum potentiam in mixtione ęqualia essent, tunc secūdum gradus ęqualiter sese remitterent: igitur in mixto secūdum æquales primarum qualitatum gradus reperiretur, sed id naturæ mixti minimè conuenit: igitur concludit, elementa in mixtione secundum uires & potentiam adæquari non debent. Nunc secundum eius dictum perpendo, in quo decernit, elemēta in mixtione secundum potentiam quoquomodo æqualia esse, ità vt vnum aliquo pacto secundum potentiam alteri dominetur. iam verò id quod potentius est, magis aget, magisque reprimet illud, quod impotentius est, hoc verò minus aget, minusque repri-

met

met illud, quod potentius est, igitur in mixto plures gradus qualitatis reperirentur elementi, quod potentius est: remissiores verò gradus qualitatis elementi, quod imbecillius est. & ex consequenti ex Aristotelis sententia elementa secundum pares primarum qualitatum gradus in mixto reperiri non possunt.

Dilucidatio.

VT *propositæ dubitationis veritas illustretur, ipsam duobus Theorematibus patefacimus. primum est, primæ elementorum qualitates in mixto in æquali gradu secundum esse permanens, & firmum reperiri nō possunt, & ex consequenti æquale, vt aiunt, ad pondus, complexione, quæ pari graduum interuallo distet ab extremis, secundum esse permanens, quæue cōsistat, reperiri nequit: sed semper altera qualitas excellere dominarique debet, & quidem mēsura, quam vniuscuiusque mixti natura exposcit, quod quidem secundum iustitiam temperatum appellant: quæ sanè repugnantia non ex primarum qualitatum natura proficiscitur. quoniam si dispari gradu se compatiuntur, & manent, sub æquali quinetiam gradu, & maximè temperato simul manere poterunt. sed ex ipsa mixti natura huiusmodi repugnantia manat, vt loco nuper citato Aristoteles indicauit, inquiens, vt elementa misceantur, indeque mixtum consurgat, vnum elementum alteri quoquomodo dominari debet. Alterum theorema est; qualitates primæ in transitu, & fluxu, ac veluti temporis momento paribus gradibus in mixto reperiri possunt: quo etiam modo æquale ad pondus adinuenitur. Enimuerò si mixtum fuerit, in quo calidum, & humidum secundū sex gradus, frigidū aūt & siccum secundum quatuor gradus reperiantur, tractuue temporis calidum, & humidum secundum duos gradus imminuantur, et secundum quatuor gradus remaneant, profectò ad graduum æqualitatem cū frigido, & sicco redacta erunt, sed huiusmodi æqualitas non consistit nisi per instans. quoniam calidum & humidum in transitu sunt, cum continuè imminuantur; à qua quidem sententia nec Galenus dissentire videtur, vt primo de tuenda valetudine apud ipsum legitur, vbi inquit, quòd id quod exacta qualitatū primarum æqualitate, pondereque temperatum est, aut solum mente concipitur, aut si in re consistit non nisi temporis momento perdurat, & ideò medicæ contemplationi minimè subijcitur, & licet Galenus complexionem mediam quæ æquali primarum qualitatum mensura distet ab extremis in re existentem ponere videatur, eam tamen solum, quò ad sensum ponit, non autem quia verè existat. Quod sanè considerans Auer, 2. colliget, cap. primo Galenum excusat, paruumque eius errorem extitisse affirmat. Sed aduersus hāc problematis explicationē Tho. de Garbo vir alioqn doctißimus, sūma de cōplexionib. sup Aui. tr. 2. q. 5. duplicē attulit instantiam*

ſtantiam, quarum prima oſtendit, ſi æquale ad pondus in tranſitu, & per inſtans reperiri poteſt: in eſſe quoque permanenti reperiri poſſe. ratio autem ità ſe habet, in quolibet inſtanti motus terminari poteſt. ergo tranſitus, & motus ille in eo inſtanti, in quo huiuſmodi qualitates ad æqualitatem redactæ ſunt, terminari poterit, igitur huiuſmodi æqualitas aliquod eſſe permanens habebit, & ex conſequenti qualitates primæ ſub eſſe permanenti inæquali gradu in mixto reperirẽtur, contra primã cõcluſionẽ. Secunda eius inſtantia, qua probat, ſi huiuſmodi exacta æqualitas in eſſe permanenti reperiri non poteſt, neque in tranſitu reperiri poſſe, huiuſmodi eſt. Quod alicui repugnat, impoſſibileque eſt, id ſecũdum omnem temporis differentiam repugnat, & impoſſibile eſſe dicitur: ſi itaque huiuſmodi æqualitatem repugnat eſſe, impoſſibileque eſt exiſtere in eſſe permanenti: igitur repugnat eſſe in tranſitu, & pro qualibet temporis differentiã Zimara Theoremate 71. vbi difficultatem iſtam perpendit, vtranque inſtantiã perſoluere conatur, & ad primam inquit. quod licet in quolibet inſtanti motus terminari poſſit, non tamen in quolibet inſtanti forma introduci poteſt. vnde licet tranſitus ille in eo inſtanti terminaretur, in quo primæ qualitates ad æqualitatem redactæ ſunt: in illo tamen inſtanti neque aliqua forma cõſurgeret, neque mixtum determinatæ ſpeciei generaretur. Sed hæc reſponſio non eſt ad propoſitum. quoniam ratio allata non eſt in uia generationis, ſed de mixto iam genito, & actu exiſtente. quoniam inquit, ſi in mixto, quod actu eſt, in tranſitu primæ qualitates ex exceſſu ad æqualitatem redigantur, & tranſitus ille in eo inſtanti terminetur, primæ qualitates æquali erunt menſura, & gradu, & tamen mixtum actu erit, formaque in materia conſeruabitur: Eapropter ratio mihi ſecus perſoluenda videtur, quod tranſitus ille in eo inſtanti, quo qualitates ad æqualem menſuram redactæ ſunt, terminari non põt. non quidẽ rõne motus, quoniã motus, vt motus eſt, in quolibet inſtãti terminari põt. ſed rõne mixti, quod huiuſmodi æqualitatẽ non patitur, nec non ratione agentis tum interni, tum externi: interni quidem, vt ratione caloris naturalis, qui continuè circa humidum verſatur, atque depaſcitur, ad cuius abſumptionem & ipſe calor imminuitur, et langueſcit: externi verò, vt ratione circumſtantis aeris, à quo mixta continuè alterantur, vt excaleſiunt, frigeſcunt, humeſiunt, & areſcunt: Vndè dicere tranſitum illum in ea ęqualitate terminari, nil aliud certè eſt, niſi caloris naturalis interni & ambientis externi actionem ſuſpendere, ne ille circa humidum verſetur, hic uerò in mixta corpora agat. quod quàm abſurdum ſit, nemo eſt qui ignoret, neque ſecunda inſtantia vllum negocium facit. ſiquidem propoſitio illa, quę aſſumitur de eſſentiali repugnantia veritatem habet, quæ ex ipſa rei eſſentia promanat, non autem de repugnantia accidentali,

vt

vt homini repugnat irrationalē esse hmōi repugnātia, quoniam essentialis est, et ex propria ipsius natura proficiscitur, ideò sibi repugnat semper, & pro qualibet temporis differentia irrationalem esse. iam uerò repugnantia æqualitatis primarum qualitatum essentialis non est, & ex ipsorum natura, sed accidentalis est, tum ex natura mixtī, tum ratione agentis interni, & externi, vt nuper dictum fuit, & propterea licet qualitatibus primis secundum æquales gradus sub esse permanenti repugnat in mixto adinueniri: non tamen eis repugnat in quolibet instanti, & quauis temporis differentia, sicut homini infantia, postremaque senectute generare repugnat, non tamen pro qualibet temporis differentia homini generare impossibile est. quoniam huiusmodi repugnantia essentialis non est, & ex ipsa hominis natura. sed accidentalis ex parte scilicet dispositionum, & organorum, quibus ità constitutis, vt ab omni difficultate huius problematis veritas vindicetur, rationes in oppositum persoluamus. & ad primam dicimus falsum esse, quod à Fernelio assumitur qualitates primas in gradu summo in mixto asseruari, vt superiore cap. ostensum fuit. Nec officit secunda. quoniam solum concludit in fluxu, & in transitu huiusmodi æqualitatem in mixto adinueniri posse. postremæ tandem solùm probat qualitates primas æquali gradu adinueniri, temperatumque ad pondus dari posse, ex ipsarum primarum qualitatum natura, nec repugnare, nec impossibile esse: sed ex ipsius mixti natura, quod finis est, & id cuius gratia vniuntur, & attemperantur, huiusmodi repugnantia proficitur, & hæc satis.

Cur singulis elementis duę à natura accommodatæ sunt qualitates.

D*VAS vnicuique elemento inesse qualitates adeo conspicuum esse videtur, vt probatione non egeat, illud autem consideratione dignissimum est propter quid vnicuique à natura duæ accommodatæ sunt. Albertus Mag. secundo De gener. tract. primo, ca. 9. huius rei rationem assignās, ob id factum esse inquit, quia omne actiuum requirit proprium passiuum, quod est ei sicut propria materia. & quoniam in singulis elementis actiuæ qualitates reperiuntur, ut in igne, & aere calor, in aqua & terra frigus, quæ actiuæ sunt qualitates. idcircò cum illis passiua tanquam propria materia reperiri debent: & quoniam materia propria summi, & intensi caloris humidum esse non potest, quoniam intensus calor humidum euaporare facit, hinc est, quòd ignis calor comitem passiuam habet siccitatem: quia vero calor cum temperamento fundatur in humido, idcirco calor aeris cum temperatus sit, & non ita intensus, ea propter in aere calor cum humidi-*

tate

tate iungitur, similiter frigus cum temperamento in humido fundatur, quod cum in aqua reperiatur, ea propter frigus in aqua humido associatum est. quoniam verò intensum frigus humidum expellit, idcirco terræ frigus quod summum est, cum siccitate iungitur, & hęc est ratio assignata ab Alberto quare geminas elementa habeant qualitates, & actiuæ diuersis iunctæ sint qualitatibus passiuis. sed ratio hæc assignata ab Alberto nulla est, quoniam tunc sequeretur, quod contrariorum in esse summo esset idem subiectum & materia propria, quod falsum est. quia alterius actus alia est materia propria, vt inquit Philosophus secundo Phisi. 26. deducitur consequentia, quoniam siccum est materia propria intensi frigoris in terra, & intensi caloris in igne: ergo contrariorũ in esse summo erit idẽ passiuũ, eademque materia propria. præterea in ratione aßignata supponit Albertus calorem ignis, & frigus terræ hnmiditatem consumere, & ita supponit in materia ignis, & terræ humiditatem reperiri, quod quidem falsum est, quoniam in materia prima non reperitur humiditas consumenda: illud præterea absurdum est, caliditatem & frigiditatem in elementis humiditatem absumere, quoniam caliditas & frigiditas id non efficiunt nisi in mixtis, vt habet Aristo. 4. libro Mètheo. variè tamen, caliditas enim exiccat & humorem absumit per resolutionem & euaporationem tenuium partium à crassioribus atque terrestribus. frigiditas verò comprimendo, quod quidem in elementis esse non potest. nec tandem vitare potest Albertus, quin fateri cogatur in elementis in sui puritate consideratis tres qualitates adinueniri aduersus Aristotelem in secundo libro de Gener. vbi elementis duas tantum qualitates accommodauit. quod quidem incommodum nouit doctissimus ille Alexand. primo Metheo. cap. quarto, vbi inquit, quòd si in elementis tres reperirentur qualitates, nullum elementum simplex esset. deducitur consequentia, quoniam si summus ignis calor totam humiditatem absumpsit, & proindè siccus absque humiditate remansit, aeris verò calor quoniam temperatior est non potuit totam humiditatem absumere, & proinde humidus remansit, igitur aeris calor aliquam portionẽ &c. humiditatis absumpsit, & aliquẽ gradum siccitatis induxit. igitur in aere tres eßent qualitates calor absumẽs, humiditas, et portio siccitatis genita.

Dilucidatio.

M*Elius itaque dicendum est, quòd ideo singula elementa duas à natura sortita sunt qualitates, quoniam elementa duo habent, vnum quidem quòd inuicem transmutãtur, reliquum verò quòd cum partes sint vniuersi, determinatamque sedem habeant, vnum alterius locus existit. iam verò*

rò

rò quatenus habent vt inuicem transmutentur contrarijs qualitatibus prę dita esse necesse fuit, siquidem omnis transmutatio fit ratione contrarij. quatenus verò vnum alterius locus est in aliqua qualitate communicare oportuit, quia cum locus sit conseruatiuus locati, conseruatio autem fiat à simili, non à contrario, idcirco prout vnum est locus alterius, symbolam et affinem habere qualitatem necessarium fuit, ea propter quæ finitima, & sibi vicina sunt elementa, hoc ordine distributa sunt, vt vnam similem, alterã verò contrariam habeant qualitatem, vt ratione similis qualitatis vnum alterius locus esse possit, pro vniuersi integritate: ratione verò contrariæ, inuicem transmutentur. quòd si communem tantum haberent qualitatem, vnum quidem alterius locus existeret, sed inuicem non transmutarentur, quoniam contrarietas deesset, quæ ad transmutationem requiritur: si verò contrariam tantum haberent, transmutarentur vtique, sed vnum alterius locus esse non posset. vt itaque isthæc duo haberent elementa, quæ ad vniuersi conseruationem et integritatem neceßaria sunt, singula duabus à natura insigniri qualitatibus operæpretium fuit. vnde aer igni finitimus, propter locationem, consimilem habet qualitatem propter actionem, & transmutationem: contrariam habet humiditatem, cum aeris humiditate conuenit aqua, dissidet autem frigiditate: aquæ verò secundum frigiditatem tellus amica est. secundum siccitatem verò digladiatur: & hæc est vera ratio quare singulis elementis duæ à natura accommodatę sunt qualitates, & hoc ordine distributę, quam etiam nouit Io. Gra. secundo de Gener. super contex. 23. ex qua determinatione illud consequitur, quòd aer sui natura calidus & humidus est, non autem frigidus, & humidus, vt Stoici, & Empedocles vniuersi ordinem non perpendentes temerè sunt arbitrati. quia cum sedes, & naturalis locus aeris ignis sit, naturalis autem locus sit cõseruatiuus locati, conseruatio autem fiat à simili, non a contrario: igitur & ignis & aer similem & communem aliquam debent habere qualitatem. cum autem hæc humiditas non sit, quoniam ignis humidus non est, neque siccitas, quoniam aer siccus non est: igitur communis vtrique qualitas caliditas erit. accedit, quòd si aer sui natura frigidus esset, inter aerem & aquam generatio minimè fieri posset. deducitur consequẽtia, quia cum trãsmutatio fiet ratione contrarij, si aer ex aqua frigiditate & humiditate conuenirent, inter ea non reperiretur contrarium: igitur inter ea neque generatio, neq; transmutatio reperiretur. cæterũ Empedocles dabit manus huic argumẽto, dicetq; neq; falsum, neq; absurdum esse id ad quod deducit argumentũ, quia elementa non sunt secundũ substantiã transmutabilia. sed hæc Empedoclis sententia falsa est, quia, ut contra ipsum 2. de Gener. scribit Aristoteles, si elementa essent secundum substantiam intransmutabilia,

tunc essent inalterabilia, & secundum qualitates intransmutabilia, quod affirmari nequit. deducitur consequentia, quia cum antecedenti non stat oppositum consequentis, quoniam si essent secundum qualitates transmutabilia, aut ad transmutationem qualitatum elementa secundum substantiam transmutarentur, aut non. secundum dici non potest, quia tunc elementorum substantia in rerum natura sinè qualitatibus superstes reperiri valeret, quod a veritate alienum est. primum igitur dicendum est: igitur stare non potest, quòd sint intransmutabilia secundum substantiam, ex alterabilia, & transmutabilia secundum qualitates, itaque si erunt intransmutabilia secundum substantiam, ergò erunt etiam inalterabilia, vt rectè concludit Aristoteles. insuper aerem natura calidum esse ex leuitate conuincitur, quæ ad caliditatem refertur, nec non id persuadet ratio illa qua vtitur Arist. 2. de Gen. 16. quia aer est sicut euaporatio quædam, cum extenuata, solutaque à calore aqua, aer efficiatur, neque huic veritati officit ratio qua Stoici vtebantur ad probandum aerem sua natura frigidum esse, quæ huiusmodi est. oleum etiam de Aristotelis sententia à prædominio aereum est, cùm supernatet terræ, & aquæ. sed oleum frigidum est, ergo & aer. probatur minor, quia oleum etiam à paruo frigore celerius congelatur, quàm aqua, ergo frigidum est. siquidem, vt etiam respondere visus est Galenus 2. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 20. oleum non congelatur, sed potius consistit, & incrassatur, & licet celerus vincatur à frigore quàm aqua, id non est qua frigidum, sed qua crassum, & viscosum est, quòd facilius consistentiam acquirit quàm id, quod non ita se habet, vnde ex celeri congelatione, aut consistentia, non licet absolute inferre aliquid frigidum esse, quod tamen Stoici contendunt: est enim praua temperamentum inueniendi ratio, sed quòd aut frigidum, aut crassum, & viscosum est. quod quidem in oleo reperitur, & proindè ocius quàm aqua consistit, & condensatur, & hæc satis.

Quomodo singulis elementis ambæ qualitates accommodatæ sint.

Vnumquodq; elementum vnius est qualitatis, ignis magis calidi est, quàm sicci, aer magis humidi, quàm calidi, &c.



VM secundò de ortu, & interitu Aristoteles singulis elementis geminas qualitates inesse ostendisset, in context. 23. vbi hæc scribitur sententia, quonam pacto singulis ambę qualitates accommodatæ sint, declarauit, statuitque ambas qualitates non ex æquo singulis conuenire, sed vnumquodque elementum

mentum vnius magis, quàm alterius qualitatis esse, vt ignem magis calidum quam siccum esse, & ita de reliquis. quibus verbis indicare visus est, elementa non habere ambas qualitates in summo: sed vnam in summo, alteram verò repressam, qua sanè authoritate persuasi Alexander, Ioan. Gram. & Auerroes; quos plerisque sunt insecuti: concordes dixerũt, elementa ambas qualitates summas, quęue totam latitudinem impleant, non habere, sed vnam tantum summam, alteram verò remissam, & castigatam, vt in igne summam caliditatem adinueniri, in aere humiditatem, frigiditatem in aqua, in terra summam siccitatem tantum inesse; quam sententiam 4. meteo. com. 10. hac ratione confirmauit Auerroes, si elementa ambas qualitates haberent in summo, inuicẽ non agerent, & paterentur, atque ad mixtorum sobolem procreãdam inuicem permisceri non possent: consequentia ex eo deducitur, quoniam si ambas qualitates haberent in summo, parique gradu, parem quinetiam agendi potentiam haberent: sed cum ab æquali, actio prodire non possit, igitur inuicem non agerent, & paterentur, ac proinde non miscerentur: cum mixtio absque actione, & passione, absolui minimè possit, præterea aer est humidior aqua, igitur aqua humiditatem non habet in summo, quod assumitur ex humidi definitione: probatur: nam humidum, vt 2. de gen. conte. 8. & 4. meteo. cont. 1. ab Arist. definitur, est quod proprio termino difficilè terminatur; iam verò huiusmodi definitio magis competit humido aeris, quam aquæ: siquidem aqua respectu aeris consistentiam quandam habere videtur, & quoquomodo proprio termino cohiberi: igitur aer est magis humidus, quam aqua, nam cui magis competit definitio, eidem magis competit, & definitum. Eandem sententiam persuadent nonnulli ex Arist. authoritate 4. meteo cont. 10. vbi inquit aquam magis frigidum esse, quam aerem calidum, igitur in aere non reperitur caliditas in summo. tandem istorum sententia hac ratione comprobari potest, terra est magis frigida, quàm aqua, igitur aqua non habet frigiditatem in summo. assumptum ita probatur, quod magis distat à fonte caloris, magis frigidum est; iam verò terra magis distat à fonte caloris, vtpotè à motu cęli, à quo calor proficiscitur, quàm aqua. igitur terra est magis frigida quàm aqua; qua sanè ratione ad id ostendendum, quandoque B. Thomas, Albertus, & Egidius vsi sunt, & hæc sunt quibus suam sententiam persuadent, quæue proposito theoremati, maximè consentire videtur.

Alexand. Auerrois, & aliorum eiusdem opinionis, sentẽtia reijcitur.

PORRO sententia hæc, tametsi à plerisque probatur, à veritate tamen, & ab Aristotele quàm longissimè recedit: quod ex ipsa rei natura primum, mox ex Aristotele demonstrabo. ex rei natura quidem, quoniam si in vnoquoque elemento altera qualitas remissa est: aut illa remissa est ex natura elemẽti, quia scilicet summo naturę elementi non conueniat, nec cum altera qualitate in eodem gradu summo consistere non possit, aut remissa est propter actionem, & passionem, mixtionemque inter elementa, vt scilicet elementa inuicem agere, et pati, simulque permisceri possint: aut remissa est propter admixtionem cõtrariæ qualitatis. primum quidem dici non potest. quoniam si ignis ex aere generetur, profectò totam humiditatem corrumpi oportet. cum autem in aere, vt etiam vltro ipsi concedũt, humiditas in summo reperiatur, summa igitur humiditas corrumpi debet. & quoniam ad corruptionem vnius contrarij alterum inducitur, & quantum vnius contrarij corrumpitur, tantundem alterius introducitur, cum itaque summa humiditas aeris corrumpatur, igitur summa siccitas in materia pro generatione ignis introducetur. itaque in igne ex aere genito cum summo calore summa quoque siccitas reperietur: ac proinde summa siccitas naturæ ignis, summoque calori minimè aduersatur. præterea cum ignis ex terra generatur, corrumpitur quidem terræ frigiditas, remanet autem siccitas. iam verò siccitas in terra reperitur in summo, vt etiam ipsi concedunt, igitur in igne ex terra genito siccitas reperitur in gradu summo, quẽ admodum, & calor: siccitatem verò in generatione ignis ex terra eandem numero permanere, tum ex naturę intentione, tum ex Aristotele facilè cõmostrari potest. enimuerò natura generans, materiamque pro formæ generatione disponens ea tantum corrumpit, & abijcit, quæ ipsius actioni impedimento sunt, quæue formæ generandæ aduersantur, quæ verò actioni potius opem ferunt, materiamque ad formam introducendam disponunt, non corrumpuntur, neque re vera corrumpi debent: iam verò siccitas in generatione ignis ex terra, neque actioni ignis impedimento est, neque formæ ignis ex materia educendæ aduersatur, quinimo ignis opus adiuuat, materiamque disponit, igitur siccitas in generatione ignis ex terra non corrumpitur, sed eadem numero manet, porrò dicere siccitatem in terra existentẽ corrumpi, & postea similem generari, quæ materiam disponat pro generatione ignis, est facere naturam ludẽtem, & temerè operantem, quod etiam ex Aristotele confirmatur 2. de gene. cont. 15. qui paulò infrà accuratius expendetur, vbi statuit symbolam qualitatem non corrumpi, quamobrem

cum

cum terræ ſiccitas maneat in igne ex ipſa genito, & illa ſit in ſummo, igitur ſiccitas in igne reperitur in ſummo: quò fit, vt altera qualitas remiſſa non ſit, quia in ſummo gradu naturæ elementi non conueniat, neque cum altera in ſummo gradu conſiſtere non poſſit. Neque ſecundum dici poteſt. alteram qualitatem in elementis remiſſam eſſe, vt actio & paſſio inter elementa ſeruetur. quoniam ſi ſummus qualitatum gradus actionem, paſſionemque auferret: igitur ſummus calor in igne, & ſummum frigus in aqua inuicem agere, et pati minimè poſſent, quod falſum eſt: aut igitur nulla qualitas in elementis in ſummo ponenda eſt, aut ſi cum ſummo gradu vnius qualitatis aduerſus aliam in ſummo alterius elementi actio, & paſſio ſeruari poteſt: igitur vtriſque poſitis qualitatibus in ſummo in vno elemento, vt calore, & ſiccitate in igne in ſummo, adhuc agere poterunt in ſummam frigiditatem, & humiditatem aquæ. quod etiam ex eo facilè comprobari poteſt, quoniam etiam ſi in elemẽtis qualitates omnes reperiantur in ſummo, parique gradu, imparem tamen, et inęquali agendi potentiam habent. ſiquidem qualitates, vt apud omnes in confeſſo eſt, hoc ordine à natura diſtributæ ſunt, quod calor præ cæteris vim maximam habet agendi, ſecundo frigus, tertio humiditas, minimam omnium agendi vim ſiccitas habet: igitur etiam ſi elementa ambas habeant qualitates in ſummo, adhuc inter ſe agere, & pati, ſimulque permiſceri poterunt, quoniam cum gradu ſummo, inæqualitas ſecundum vires, agendiq́ue potẽtiam ſeruatur. vbi autem hęc reperitur, ibi actio, et paſſio reperiri poteſt. quamobrem neque propter ſeruandam actionem, & paſſionem inter elementa, altera qualitas remiſſa in elementis poni debet, neque tertium enunciari poteſt, alteram qualitatem remiſſam eſſe propter admixtionem contrariæ qualitatis, vt ſiccitatem ignis remiſſam eſſe propter admixtionem humiditatis: omitto, quod tunc in elementis in ſui puritate conſideratis tres eſſent qualitates, vt in igne calor, ſiccitas remiſſa, et humiditas remittens, ac proinde omnia elementa ſymbola eſſent, quod Ariſtoteli aduerſatur, qui 2. de gen. ſingulis elementis duas tantum qualitates accommodauit, bipartitoque elementa diuiſit in ea, quæ ſymbola ſunt, & in ea quæ ambas dimicantes contrariaſue habent qualitates, vt ignis, & aqua, aer, & terra, ſed ratione magis efficaci id oſtendo: nam ſi ignis ex aqua generari debet, frigiditatem, humiditatemque aquæ ab igne generante corrumpi oportet, & quoniam generans illi ſimpliciter dominari debet, quod ab ipſo corrumpi debet, igitur caliditas, & ſiccitas ignis generantis frigiditati, & humiditati, aquæ ſimpliciter dominabuntur; igitur omnes gradus frigiditatis, & humiditatis aquæ corrumpentur: caliditas verò, & ſiccitas pro generatione ignis introducentur. quòd ſi ſiccitas quæ igne genito ex aqua reperitur, remiſſa eſt: pro

fectò per admixtionem humiditatis remissa esse non potest, cum omnes gradus humiditatis aquæ ex qua genitus est ignis corrupti sint, sicuti etiam omnes gradus frigiditatis eiusdem aquæ corrupti sunt, ad quorum corruptionem summus calor in igne genitus est: & quod dicitur de siccitate ignis, consimili ratiocinio ostendi potest, de caliditate aeris, de humiditate aquæ, & de frigiditate terræ, quæ ab ipsis repressæ in elementis ponuntur. Quo fit, vt non rectè dixerit Alexander 1. meteo. cap. 4. alterā qualitatem remissam esse ex ipsius elementi natura, neque rectè dixit Auer. 4. meteo. com. 10. alteram qualitatem remissam esse. Propter seruandam actionem, & mixtionem inter elementa, temerè tandem asseruit Marsilius 2. de gener. alteram qualitatem in elementis remissam propter contrariā qualitatis permixtionem. Horum quinetiam sententiam falsam esse ex Aristotelis sententia facilè ostendi potest. Siquidem 2. de gener. conte. 25. modum declarans quo symbola elementa inter se generentur, inquit, symbolum elementum ex altero generari corrupta qualitate contraria, symbola remanente, vt ignis generatur ex terra corrupta frigiditate terræ, siccitate remanente, quæ terræ, & igni communis est. Sed terræ siccitas est in summo ex ipsorum etiam sententia, igitur in igne ex terra genito, ex Aristotelis sententia, siccitas, non secus ac calor, reperitur in summo. Neque dici potest. terræ siccitatem numero eandem non permanere, sed corrumpi, & aliam similem pro generatione ignis recenter generari, Aristotelem autem intelligere terræ siccitatem symbolamùe qualitatem eandem secundum speciem remanere: siquidem philosophus in contex. 26. modum declarans, quo tertium elementum ex duobus generetur, inquit, ex igne, & aqua oritur aer corrupta frigiditate aquæ, remanente huius humiditate, corrupta quinetiam ignis siccitate, huius remanente caliditate. perpendo hæc Aristotelis verba. nam inquit, corrupta aquæ frigiditate [Huius] remanente humiditate, & corruptà ignis siccitate, [Huius] remanente caliditate. iam verò si humiditas aquæ corrumperetur, & alia consimilis generaretur, & similiter caliditas ignis, tum non maneret huius caliditas, vt inquit Aristoteles, sed quæ ignis est corrumperetur, & altera generaretur, quæ quidem non ignis, sed aeris esset recenter producta. præterea hoc ipso cont. rationem reddens, cur generatio elementorum, quæ non symbola sunt difficilior sit, quam generatio elementorum, quæ symbola sunt, ratio inquit ea est, quoniam in generatione elementorum quæ symbola non sunt plurium qualitatum corruptio, & generatio est: in generatione autem elementorum, quæ symbola sunt, pauciores qualitates corrumpuntur, & generantur. quod exemplo declarans, inquit, cnm generatur ignis ex aere corrūpitur humiditas, remanet siccitas. sed cum ignis generatur ex aqua,

& fri-

& frigiditas, & humiditas corrumpuntur, & calor, & siccitas generantur, ac proinde generatio ignis ex aqua difficilior est, quàm generatio ignis ex aere. quæ Aristotelis sententia meo iudicio, eo innititur fundamento, quod anteà relatum fuit, quoniam generans nō corrumpit, nisi ea, quæ aut suæ actioni, aut formæ generandæ contraria sunt. & propterea primo de gener. contex. 24. idem confirmans, sic inquit, in mutatione substantiali si aliqua qualitas erit communis rei genitæ, & corruptæ, non oportet corrumpi, & alteram esse, [non oportet] inquit. quò fit, ut qui in generatione elementorum, quæ symbola sunt eam corrumpunt, absque vlla necessitate, eam certè corrumpunt, quid multis opus? Alexander, Auerroes & Ioan. Gram. id sponte fatentur, tametsi Io. Gram. in primo de gener. contex 24. oppositum affirmauerit, veritate tamen coactus in 2. de gener. sententiam mutauit, Auerroes 2. de gener. com. 29. huius rationis summam vim animo voluens, nixus est respondere inquiens, quòd licet terræ siccitas numero eadem remaneat in igne ex terra genito, non tamen remanet in eodem gradu summo, quo reperitur in terra, sed remittitur, fitque cōueniens igni, sed ieiuna hæc Auerrois responsio nulla est, quoniam cum ignis ex terra generatur, siccitas terræ vel remittitur à calore, aut à siccitate ignis generantis: sed nec ab vno, nec altero remitti potest. tùm quia calor, & siccitas ignis in terræ siccitatem non agunt, nec ad ipsam oppositionem habent, siccitatis autem remissio per oppositionem, vel actionem alterius qualitatis fieri debet, nec aliquis pro Auerroe dicere potest, terræ siccitatem à forma ignis generanda remitti, quæ remissam siccitatem exposcit, tùm quia forma generanda quæque illa fuerit materiam præsupponit ab agente probè dispositam, & elaboratam, tum quia forma generanda finis est, & cuius gratia, & materiæ, & dispositionum, quæ in materia recipiuntur, vt 2. physico. contextu 91. ab Aristot. proditum est, iam verò finis non agit actione reali, nō enim alterat, aut realiter manet, sed methaphoricè prout agens ipsum ad agendum impellit, vt 1. de gener. contex. 55. Aristotelis declarauit. itaque siccitas terræ à forma ignis generanda remitti non potest. vnde non satis fuit Auerroi dixisse terræ siccitatem remitti, sed opus fuit declarare à quonam remittatur, sed cum id non inueniret, mirum non est, si illud reticuit, & itá ieiunè respondit. Quamobrem tum ex ipsa rei natura, tùm ex Aristotelis sententia iam satis ostensum arbitror, in elementis vnam qualitatem in summo, alteram verò repressam minimè reperiri.

Diluci-

Dilucidatio.

PRopositæ itaque difficultatis veritatem statuentes dicimus, singulis elementis in sui puritate consideratis ambas qualitates in summo, quę ñe totam latitudinem implent, adinueniri, opposite quidem dico in sui puritate consideratis; quoniam si elementa impura fuerint, ambas habent qualitates remissas ex admixtione contrarij, neque sub hac ratione aliquod elementum secundum qualitates simplex est, sed mixtum, quæ sanè conclusio his innititur rationibus, quæ superius in Alexandrum, & Auerroem allatæ fuerunt: enimuerò vtrisque positis qualitatibus in summo in elementis ipsorum simplicitas optime seruatur, multoque melius inter elementa symbola mutua generatio seruatur, quàm si altera repressa, retusa ue qualitas insit: neque ex hoc in his elementorum qualitatibus distribuendis illa sequitur confusio, quam 2. de gene. faciunt Albertus, & D. Thomas: quippè qui in igne, tantum ambas qualitates ponunt in summo: in terra verò vnam in summo, vt frigiditatem, siccitatem verò remissam: in intermedijs verò vtranque remissam: quod certe neque naturæ, neque Aristoteli consentaneum est. Cæterum aduersus id quod à nobis decretum est, duo sese opponunt. primum est, quoniam vt rei euidentia ostendit, ignis vehementius calefacit, quàm aer: igitur ignis est calidior aere, ac proinde aer non est calidus in summo, quoniam tunc ità intensè calefaceret, sicuti ignis. præterea aqua multò magis corpora humectat, sensumque ferit, quàm faciat aer, cuius humiditas vix persentitur: igitur aqua est humidior aere. soluimus hæc, & ad primum dicimus, quod licet ignis magis calefaciat quàm aer, id non est, quia plures habeat gradus caloris. siquidem inter se pari graduum caloris distant interuallo, sed id ex accidēti contingit, ratione siccitatis, quæ secum iunctam habet. siccitas enim, vt aiunt, est lima caloris, quæ exacerbat, vimque caloris exacuit, ac proinde in causa est, vt calor ignis valentius agat, maximèque sensum feriat, aeris autem calor: quoniam humiditati coniunctus est, quæ potius hebetat, vimque caloris obtundit, circò non ità vehementer agit, aut persentitur, facilè quinetiā alterum obiectū diluitur: nā licet in aere, & in aqua summa humiditas reperiatur: aqua tamen magis humectat, quàm aer, quod duplici de causa cōtingit. primo quidem ratione densitatis materiæ: nam cum humiditas aquæ in densiore substantia reperiatur, est magis vnita, ac proinde potentior ad humectandum. siquidem virtus vnita potentior est seipsa dispersa: aeris verò humiditas; quamuis ei æqualis sit, & si adhuc intensior esset, non ità valdè corpora humectat, aut persentitur: quoniam in ratione sub-

stantia

stantia consistit, ac proinde dispersa est imbecilliorque ad operandum. secundo id contingit, quoniam actio aliquam moram requirit, et quoniam humiditas aquæ, utpotè quæ in crassiore substantia consistit, dum in vias, meatusque corporis inseritur, consistit, diutiusque commoratur, eapropter agit in corpora, eaque reddit madidiora: aer verò quoniam præ sui tenuitate non consistit, sed celerrimè effluit, atque dilabitur, idcircò corpora non ita humectat sicuti aqua, non enim maior agendi potentia graduum multitudinem semper insequitur: sed quandoque ex materiæ dispositione proficiscitur, ratione cuius forma aliquãdo potentior interdumùe imbecillior redditur ad agendum: sicuti clarum est argumentum de flamma, & de ferro ignito. cæterũ ne in huius problematis explicatione ullus supersit dubitandi locus, illud est animaduertendum, quòd licet elementum ambas habeat qualitates in summo, non tamen ambas ex æquo sibi præscribit, sed unam prius, ut sibi propriam magis, alteram verò posterius. nam ut ab Arist. 7. physi. cont. 29. proditum est, susceptiuum plurium non est contingens, sed unius primum, hoc est subiectum quod plures habet proprietates, non recipit illas indifferenter, sed ordine quodam: unam enim sibi præcipuè magis præscribit, alteram vero secundario. porro ignis præcipuè magis sibi calorem determinat, secundariò verò siccitatem, aer verò primo humiditatem, aqua primo frigiditatem, terra verò primò siccitatem secundariò frigiditatem, qua in re illud obseruent studiosi, quo mirabili ordine huiusmodi qualitates à natura distributæ sint. Nam qualitas, quę in superiore elemento præcipua est, in elemento contiguo, proximèque inferiore minus præcipua est calor enim, qui in igne præcipuus est, idem est in aere secũdus. humor in aere primus, in aqua vero secundus est, frigus quod est in aqua primum, est in terra secũdum, siccitas, quæ in terra est magis præcipua, in igne sibi symbolo secunda est, & minus præcipua, insuper, qualitas, quæ est in elemento superiore secunda, eius contraria in elemento proximè inferiore magis præcipua est, ut siccitas in igne secunda, humiditas illi contraria est in aere prima, calor in aere secundus, frigus sibi contrarium est in aqua primum, humiditas, quæ est in aqua secunda, siccitas illi contraria in terra est magis præcipua, quibus omnibus sic constitutis, & huius problematis veritas ab omni ambiguitate vindicetur, rationes in oppositum dissoluere opus est.

Rationum solutiones.

ET ad primam quidem, quæ proposito theorematí, quod explicandum accepimus, veluti fundamento innititur, dicimus. cum philosophus inquit, ignem esse magis calidi, quàm sicci, aerem magis humidi, quàm calidi, &c.

& c.illam dictionem(magis) non significat excessum,exuberantiamque caloris,& qualitatis,ità vt ignis plures habeat gradus caloris,quàm siccitatis.quoniam hoc pacto inter elementa symbola non satis rectè mutua generatio seruari posset,vt ostensum fuit:sed illa dictio(magis)ordinem significat,ita vt vnumquodque elementum,non ex æquo,sed ordine quodam ambas qualitates respiciat vnam sanè magis præcipuè,alteram vero secundariò.quam solutionem ex eodem Aristotele confirmo libro de sensu,& sensili.cap.de sapore,vbi sic inquit: proprium quidem ignis calor est.siccitas autem terræ,vt diximus in lib.de elementis,vtpotè in 2.de gen.quem librum de elemētis appellat. quo etiam nomine eundem librum nuncupauit 2.de an.contex.113.cum itaque Aristoteles seipsum citet,igitur eo pactò intellexit 2.de gen.ignem esse magis calidi,quam sicci,sicuti seipsum exposuit libro de sensu,& sensili:sed ibi declarauit calorem magis peculiarem esse igni,quàm siccitatem,& hanc magis peculiarem esse terræ,quàm igni:igitur eodem modo intellexit in 2 de gen.contex.23.Nec Auerrois ratio.4. meteo.allata com.10.vllam efficaciam habet,quoniam etiam si ambæ qualitates reperiantur in summo parique gradu:non propterea parem agendi potentiam habent.Nam & ex ipsius sententia,in igne summus calor reperitur,& in aqua summum frigus,& tamen imparem habent agendi potentiam,inuicemque agunt,& patiuntur;eodem quoque modo siccitas, & humiditas se se habent.siquidem vt anteà dictum fuit,cum graduum æqualitate,virium inæqualitas consistit.Ad tertiam autem dicimus,quòd cui magis competit definitio per se,magis competit definitum.iamuerò humidi definitio non competit magis humido Aeris per se,sed ex accidenti,quoniam cum calore cōiunctum est,cuius proprium cum sit fundere,& rarefacere, in causa est, vt humidum aeris magis fluxibile sit, atque interminatum, humidum autem Aquæ,quoniam cum frigore coniunctum est, cuius proprium est cogere,& terminare,idcircò humidum aquæ respectu humidi aeris magis terminatum est. atque consistens. Ad quartam autem, quæ ex 4.meteo.desumitur,dicimus. quòd si litera, Aristotelisque contextus ità legeretur.eaque esset Aristotelis sententia,ratio aliquam haberet probabilitatem, sed res aliter sese habet.nam contextus Aristotelis ità legitur, [Aeris caliditas minor est,quàm frigiditas corporum, quæ concreta, & congelata sunt.] Aristotelisque sententia eo loci non est comparationem facere inter caliditatem aeris,& frigiditatem aquæ,sed inter caliditatem aeris,& frigiditatem corporum mixtorum,quæ congelata sunt. Nam cum statuisset putredinē ab ambiētis caliditate,id verū essepluribus signis comprobare decreuit, & primo quidem ex anni tempore locisque frigidioribus demonstrauit,siquidem corpora multò difficilius hyeme,frigidisque lo-

cis putrescunt, quàm æstate, calidioribusque locis, id secundo probauit ex corporibus, in quibus plurimum calor exuberat, sicut zinziber, Cinamomum, & id genus consimilia, siquidem ista difficilè putrescunt, quoniam, inquit, minor est in ambiente aere calor, quàm vt horum corporum caliditatem uincere possit. tertio id comprobauit ex corporibus congelatis, sicuti sunt metalla, quæ etiam cum difficultate putrescunt, cuius ratio inquit, ea est. quoniam aeris caliditas minor est, quam huiusmodi corporum frigiditas, & cum minor sit, vix, & non nisi longo temporis interuallo huiusmodi corporum frigiditatem euincere potest, illaque putrefacere. quoniam corrumpens rei corrumpendæ dominari debet, & hæc est germana lectio illius contextus, Aristotelisque sententia. Lectio autem illa quæ ab aliquibus afferetur, præter id, quòd non ità sese habet, Aristotelis proposito nihil inseruit ad probandam putredinem fieri ab ambientis caliditate: textus vtique Auerrois ità se habet. [Caliditas aeris minor est, quàm frigiditas aquæ] qui in causa fuit, vt temerè Auerroes de qualitatibus elementorum digrederetur. atque in errorem illum detruderetur. Nec vltima latinorum ratio vllum momentum habet. quoniam licet terra maximè omnium à motu cęli. qui est causa caloris, non propterea propter huiusmodi distantiam in terra frigiditatem producit. siquidem neque motus Cæli, neque vllum calefaciens propter distantiam effectum contrarium producit. nam sicut motus Cęli, quod sibi proximum est, maximè calefacit, & quod paulò remotius est, minus. & quod adhuc magis distat, minus adhuc calefacit; ità quod longissimè distat, nihil calefacit; cum itaque terra maximè distet, motus cæli eam non calefacit, neque propterea ex hoc sequitur; motus cæli aut ignis, hoc non calefacit; vndè ex hac maxima distantia terræ à motu cęli solum in terra priuatio caloris reperitur, quæ nō est frigiditas positiua, sed frigiditas quædā priuatiua, pura. s. negatio caloris, et si Egid. 2. de genera. super cont. 23. cum bipartito frigiditatem in cælestem, & elementarem diuisit, asseruitque terram cælesti frigiditate Aqua frigidiorem esse, per cælestem frigiditatem caloris priuationem, frigiditatemque priuatiuam intellexit, & eius sententia recipitur, probandaque est, si verò frigiditatem positiuam à veritate abhorret, propter causam assignatam, & hæc satis, qua in re si paulo vberiore oratione vsi sumus. æqui, bonique consulat lector. quoniam exacta huius problematis explicatio ità tulit.

Ex duobus elementis tertium generatur, vt ex igne & aqua efficitur aer.

ARistotelis extat sentẽtia secundo de gener. cont. 27. vbi cum declarasset quõo vnum elementũ ex altero generetur, siuè symbola sint, siuè ambabus qualitatibus contraria, declarauit quomodo ex duobus elementis tertium generatur: verum quia tertium elementum ex duobus generari posse bif. intelligi poterat, aut ex duobus elemẽtis symbolam qualitatem habentibus, vt ex igne & aere, aut ex duobus elementis ambas dimicantes, & contrarias habentibus qualitates, vt ex igne, & aqua, vel ex aere, & terra, statuit ex duobus elementis solum symbolum non habẽtibus tertium generari posse, ex duobus autem symbolum habentibus nequaquam, quòd ea ratione probauit, quasi ex duobus elemẽtis symbolum habentibus vt ex igne, & aere tertium generari posset, aut hoc esset corruptis ambabus contrarijs, vt humiditate aeris, & siccitate ignis, & relictis symbolis, vt calore ignis, et aeris: aut econtra corruptis symbolis, et relictis cõtrarijs, primumquidem dici non potest, quoniam ex simplici calore nõ consurgit elementũ, sed cõiugatione quadam singula elementa efformantur: neque secundum admitti potest, quoniam ex duabos contrarijs qualitatibus elementum constitui nequit, quòd si quis dixerit remanere vnam symbolam, & alteram contrariam utpotè caliditatem ignis, et humiditatem aeris, ex his non generabitur tertium, & diuersum elementum ab illis, sed generabitur aer: relinquitur ergo quòd ex duobus elemẽtis penitus oppositis tertium elementum duntaxat generari potest. huius autem generationis modum declarans Arist. inquit, quod ex duobus elementis, vt ex igne, & aqua generatur aer in hunc modum: corrupta enim frigiditate aquæ, remanẽte humiditate, & corrupta siccitate ignis, remanente caliditate consurgit aer: similiter ex aere, & terra efficitur ignis: corrupta enim frigiditate terræ, remanente siccitate, & corrupta humiditate aeris remanẽte calidicate efficitur ignis. sed quomodo id fiat, & à quo, non satis conspicuum est, nec ab Aristotele explicatum habetur, quod communis erroris in causa fuit. communiter Philosophi huius extitere sententiæ, quod tertium elementum ex duobus generetur per actionem mutuã illorum duorum, ex quibus tertium generari debet, vtpotè si ex igne, & aqua aer generari debet, per mutuam actionem ignis, & aquæ generatur aer, igne enim dominante per calorem frigiditati aquæ, corrumpit frigiditatem aquæ, & econtra aqua per humidum dominante siccitati ignis, corrumpit siccitatem ignis, porrò vnum elementum per

vnam qualitatem vni qualitati alterius elementi dominari potest, & alteram vinci ab altera alterius elementi, gr. ex. ignis per caliditatem dominari potest frigiditati aquæ, per siccitatem autem vinci ab humiditate aquæ, undè corrupta frigiditate aquæ, remanente humiditate, & corrupta siccitate ignis remanente caliditate, oritur aer, qui ex coniugatione caliditatis, & humiditatis consurgit. Sed communis hæc sententia falsa est, & à veritate aliena, quia impossibile est, vnum elementum per vnam qualitatem alteri dominari, & per alteram vinci, & superari, quia si id fieri posset, tunc nunquam fieri posset perfecta generatio, & transmutatio unius in alterum inter elementa penitus contraria vt inter ignem, & aquam, & aerem & terram, deducitur consequentia, quoniã si ignis per caliditatem aquæ frigiditati dominari potest, & ab aquæ humiditate vinci, & superari, tunc cum ignis ex aqua generari debet, non poterit perfectè corrumpere, & transmutare aquam in sui naturam, quoniam corrũpet quidem frigiditatem cum ei per caliditatem dominetur, humiditatem autem non corrumpet. quoniam dicam semper, quòd cum dominio & victoria caliditatis supra frigiditatem aquæ, stat dominium, & victoria humiditatis supra siccitatem ignis, sicut contingit in generatione aeris ex igne & aqua, secundum communem sentẽtiam. quod si quis dixerit, quòd in alia proportione accipitur ignis, cum ex eo, et aqua tertiũ generatur, & in alia proportione accipitur, cum ignis ipse ex aqua generari debet: cum enim ex igne, & aqua tertium generari debet, ignis in ea proportione accipitur, vt per caliditatem simpliciter dominetur frigiditati aquæ, & per siccitatem vincatur ab humiditate aquæ: & similiter aqua in ea proportione accipitur, vt per frigiditatem vincatur à caliditate ignis, & per humiditatem simpliciter dominetur siccitati illius, sed cum ignis ex aqua generari debet in ea proportione accipitur ignis, vt per caliditatẽ, & siccitatem simpliciter dominetur frigiditati, & humiditati aquæ, & tunc corrumpet vtranque, & ex aqua ignem generabit, sed ista euasio nulla est, quoniam si cum ignis ex aqua generari debet in ea proportione accipitur ignis vt per caliditatem simpliciter dominetur frigiditati aquę, & tunc per siccitatem etiam simpliciter dominatur humiditati eiusdem aquæ igitur cum dominio simpliciter, & victoria caliditatis supra frigiditatem, stat etiam victoria, & dominium simpliciter siccitatis supra humiditatem, quarè & in generatione aeris ex igne, & aqua, si ignis per caliditatem simpliciter dominatur frigiditati aquæ, igitur & per siccitatem simpliciter dominabitur humiditati eiusdem, alioquin si in generatione tertij ipse ignis per calorem simpliciter dominari potest frigiditati aquæ, & non siccitatem, sed potius econtra, ab humiditate aquæ vinci, &

DD 2 *superari*

superari, non video quare in generatione ignis ex aqua non possit per caliditatem simpliciter dominari frigiditati, & non dominari, sed potius vinci, & superari ab humiditate aquæ, quare meræ nugæ sunt, et purum figmentum, quod communis imaginatur sententia, vnum elementum per vnam qualitatem simpliciter dominari, & per alteram vinci, & superari, et per consequens figmentum est tertium elemẽtum ex duobus per actionem illorum inter se generari posse, prẹtereà si generatio aeris ex igne et aqua per actionem illorum inter se efficeretur, ità vt ignis sua caliditate corrumperet frigiditatem aquæ, & ex altera parte aqua sua humiditate corrumperet siccitatem ignis, tunc cum omne agens communicans in materia cũ passo in agendo repatiatur per eadẽ qualitatem, vt est aperta Aristotelis sentẽtia 4. de Animal. gener. Cap. 3. vbi inquit, quòd omne agens communicans in materia in agẽdo repatitur, vt calefaciens à calescente refrigeratur: igitur caliditas ignis agẽs in frigiditatem aquæ, à frigiditate remittetur, & humiditas aquæ agens in siccitatem ignis similiter remittetur, igitur vtraque qualitas remanens, vt caliditas in igne, & humiditas in aqua, remissa erit, ergo ex illis non poterit generari aer, quoniam aer, et cætera elementa vel requirunt ambas qualitates in summo, vel vnam in summo, & alteram remissam prout secundum se considerantur, quòd autem ambas habeant remissas, nullaque illarum summum impleat latitudinis gradum à nemine concessum est. nec dici potest vt quibusdam fatuis visum est, quòd vel vtraque, vel vna tantum intendatur à forma substantiali generanda, quæ summam aliquam qualitatem exposcit, quoniam forma substantialis non inducit dispositiones nisi in genere causæ finalis, quatenus est id cuius gratia materia disponitur, sed supponit materiam ab agente dispositam secundum illum gradum, quem forma illa expostulat, nec dici potest vt quibusdam etiam latinorum placuit, quòd intendantur à Cẹlo, quia Celum est agens vniuersale quod non determinatur ad effectum particularem, & determinatum dispositionis gradum, nisi per causam particularem, præterea Cælum frigiditatem, & humiditatem intendere nequit, vt cum generatur aqua ex aere, et terra, quia cum Cælum agat mediante lumine, & motu, vt habet Philosophus 2. Cæ. 42. ex his frigiditatem & humiditatem producere non potest, sed caliditatem tantum, itaque vtraque qualitas remissa manebit, neque pro generatione tertij conueniens erit, quamobrem tertium elementum ex duobus extremis per actionem illorum inter se nullo modo generari potest, quid ergo dicendum?

Dilu-

Dilucidatio.

EXplicabimus nos (fauente Deo) huius problematis veritatem, dicimusque quòd tertium elementum ex duobus extremis generatur, non quidem tanquam ex efficientibus, sed tanquam ex materia alterationis, vt cum dicimus ex parte fit Chilus, & ex Chilo sanguis, generans autem & efficiens est consimile illi secundum speciem quod generari denerari debet, vt si ex igne, & aqua aer generari debet, generans est aer: hic enim cum duo illa elementa coniuncta fuerint suo calore aquæ frigiditatem corrumpit. quoniam autem secundum humiditatem similis est, aquæ humiditatem non corrumpit, sed illam in materia derelinquit. sua autem humiditate ignis siccitatem corrumpit, caliditatem autem, quoniam secundum illam persimilis est, non corrumpit, remanente autē ignis caliditate, & aquæ humiditate, quæ dispositiones sunt pro forma aeris tunc aer generans de potentia materiæ sibi similem secundum speciem aeris formam educit, & similiter si ex aere, & terra ignis generari debet, generans est ignis: hic enim suo calore terræ frigiditatem corrumpit, siccitatem autem tanquam suo operi inseruientem derelinquit, sua autē siccitate aeris humiditatem corrumpit, caliditatem autem derelinquit, quibus duabus qualitatibus remanentibus ignis de potentia materiæ formam substantialem ignis sibi similem secundum speciem educit, ad quā veritatem non ea sequuntur incommoda, quæ sequebantur ad cōem opinionem, ꝙ vnum elementum per vnā qualitatem simpliciter dominetur, & per alteram simpliciter superetur, sed sicuti vnum elementū simpliciter dominatur per vnam, ità simpliciter dominatur per alteram: ignis .n. generans ignē ex aere, & terra, sicut per caliditatem simpliciter dominatur frigiditati terræ, ità per siccitatē simpliciter dominatur humiditati aeris. neq; illud sequitur incōmodum, ꝙ vtraq; qualitas quę remanet pro generatione tertij remißa, & castigata sit, sed vtraq; manet sub eodem gradu quo erat in vtrisque: cum .n. ignis ex aere, & terra ignē generat, terræ frigiditatē corrumpit, & siccitatē sub eodem gradu derelinquit: similiter cum aeris humiditatē destruit, caliditatē nulla remissione facta sub eodē gradu derelinquit. bene verum est, ꝙ remissio fit in qualitatibus agentis, vt cum ignis agit in frigiditatē terræ, ab ea repatitur, & secundum calorem reprimitur, & cum agit in humiditatem aeris secundū siccitatem remittitur, neque tandem ea dubitatio perturbat, quæ cōmunem opinionem perturbare solet, quòd cum ex igne & aqua fit terra, ignis & aqua magis condensent, quàm eorum naturæ cōueniat, & cū ex aere, &

terra

terra fit ignis, terra maximè rarefaciat pro generatione ignis, quia non ponimus tertium ex illis duobus tanquam ex efficientibus generari, sed generans, & efficiens est simile ei, quod ex illis duobus generari debet, quod rarefacit, et condensat, disponitque materiam secundum exigentiam formæ generandæ, ex. gr. si ex igne, & aqua, terra fieri debet, terra est generans, & vtranque materiæ portionem condensans secundũ, quòd postulat forma terræ: & similiter si ex aere, & terra ignis fieri debet, ignis generans est, quivè vtranque portionem materiæ disponit, & rarefacit vsque ad eum gradum, quem postulat forma ignis. sed quoniam communis opinio veritatem istam non nouit, mirum non est, si tot ambagibus implicata fuit, sed quoniam dictum est, tertium elementum ex duobus generari, vt ignem ex aere, & terra corrupta frigiditate, remanente siccitate, & corrupta aeris humiditate, remanẽte caliditate: illud autem hac in re considerandum est, an corrupta vna qualitate altera ei opposita generetur, vt corrupta frigiditate terræ, generetur caliditas, & corrupta aeris humiditate generetur siccitas.

An, cum tertium elementum ex duobus generatur, corrupta vna differentia, & qualitate, altera generetur.

AD partem negatiuam, quam sustinere visi sunt Auerro. 2. de Gener. com. 29. & Alex. Aphrod. referente Io. Gr. eodem loco, videtur quod cum ignis ex aere, & terra generatur, corrupta frigiditate terræ non generetur caliditas, & corrupta aeris humiditate non generetur siccitas: & ratio est, quoniam tunc generatio tertij ex duobus non esset facilior, quam generatio vnius elementi ex alio symbolum non habente, vt dicere videtur Arist. deducitur consequentia: quoniam sicut in generatione vnius elementi ex alio symbolum non habente, vt ignis ex aqua duæ corrumpuntur, & duæ generantur, ita in generatione tertij ex duobus duæ corrumperentur, & duæ generarentur, et proinde esset difficilis sicut illa, prætereà si corrupta frigiditate terrę, de nouo generaretur caliditas, cum de Aristotelis sententia remaneat etiam caliditas in aere, igitur ex caliditate remanente, & caliditate de nouo genita fieret caliditas nimis intensa, quæ caliditatis latitudinem egrederentur, ex qua tertium minimè generari debet, dicendum est corrupta vna qualitate alteram minimè generari, & fortè propter hoc Alex. vt saluaret faciliorem generationem, atque ex duobus tertium, vnum secundum numerum generari, cum Auer. tenuit, corrupta vna differentia, alteram non generari. Cæterum opinio ista nullo pacto probanda est, quia si corrupta frigiditate

giditate terræ, non generatur caliditas, tunc cum in ea parte materiæ per Aristotelē remaneat siccitas, igitur ea portio materiæ habebit siccitatem sine caliditate, & si corrupta humiditate aeris non generatur siccitas, cum in ea parte materiæ remaneat caliditas, igitur illa portio materiæ habebit caliditatem sine siccitate, & cum in vtraque materiæ portione recipitaur forma ignis qui ex aere, & terra generatur, igitur forma ignis in illa portione materiæ terræ erit cum siccitate sine caliditate, & in altera portione materiæ aeris erit cum caliditate sine siccitate, & ità forma ignis non erit in tota illa materia, quæ resultat ex illis duabus materię portionibus aeris & terræ secundum caliditatem, & siccitatem, sed in vna parte secundum siccum tantum, & in altera secundum calidum tantum, quod cum impossibile sit, impossibile igitur erit corrupta frigiditate non generari caliditatem, & corrupta humiditate aeris non generari siccitatem. præterea fieri nequit frigiditatem curruptam iri, & caliditatem non generari, siquidem corruptio frigiditatis fieri non potest sine inductione caliditatis, nisi enim calidum inducatur nunquam frigidum corrumpetur, igitur non potest corrumpi vnum, quin alterum generetur. sed fortè dicent ad hoc, quòd phisicè, et naturaliter verum est, quod corruptio frigiditatis sine generatione caliditatis fieri nequit secundum rationem autem fieri potest, quia concipi potest frigiditatem corruptā iri non genita caliditate, & hoc pacto Aristotelem intellexiße, cum dixit corrupta frigiditate terræ, remanente siccitate, & corrupta aeris humiditate remanente caliditate ignem generari ex sola animi intellectione. sed responsio ista ab Arist. dissentit, quia tunc Philosophus non docuisset modum generationis realis elementorum, sed secundum rationem tantum, quod absurdissimum est, quia cum aduersus Emped. statuisset elmenta re aliter generari, atque ex se inuicem, cum omnia aliquam habeant contrarietatem. declarare cępit modum generationis eorum: & cum declarasset quomodo elementa symbola, et quæ non sunt symbola ex se inuicem realiter generentur, declarauit quomodo tertium elementum ex duobus generetur, quod etiam confirmant illa Aristotelis verba in contex. 28. vbi inquit, confessa autem ad sensum ignis generatio, maximè enim ignis flamma, hæc autem fumus ardens, fumus autem ex aere, et terra, certum est autem, quod hæc est generatio realis, non autem secundum rationem, & intellectum.

Dilucidatio.

E*A propter (meo iudicio) dicendum est, quòd cum tertium elementum ex duobus generatur, sicut duæ differentiæ, & qualitates corrumpuntur*

rumpuntur. ità etiam duæ generantur, vt gr. ex. cũ ex aere & terra ignis generatur, corrupta frigiditate terræ à calore ignis generantis, generatur caliditas in ea portione materiæ, & corrupta humiditate aeris in ea portione materiæ siccitas, generatur. vndè postea forma ignis ab igne generante introducitur in vtranque partem materiæ vniformiter dispositam per caliditatẽ, & siccitatem. in eam quidẽ partem materiæ terræ, dispositam per siccitatem remanentem, et caliditatem de nouo genitam per corruptionem frigiditatis, in eam verò partem materię aeris dispositam per caliditatem remanentẽ, et siccitatem de nouo genitã per corruptionem humiditatis, & cum hoc stat, quòd tertium elementum, quod ex duobus generatur, est vnum secundum numerum, non autem secundum speciem, vt putauit Io. Gram. quia ex duabus illis materię portionibus fit vna materia, cuius vna pars est disposita per siccitatem remanentem, & caliditatem de nouo genitam, vt quæ subiecta erat formæ terræ, altera verò disposita est per caliditatem remanẽtem, et siccitatem de nouo genitam, vt quæ subiecta erat formæ aeris, ex qua tota materia ità vniformiter disposita educitur forma ignis, ex qua vnus ignis secundum numerum constituitur: ad rationes autẽ, quę in contrarium adductę fuerunt, facilè respondetur, et ad primam negatur consequentia, ad probationem autem dicimus, quòd licet in generatione tertij elementi ex duobus duæ qualitates intereant, & duæ oriantur, sicut in generatione vnius elementi ex alio symbolum non habente, non tamen est eodem modo, quia in generatione vnius elementi ex alio symbolo, ut ignis ex aqua duæ corrumpuntur, vt frigiditas, & humiditas aquæ, et duæ oriũtur, vt caliditas et siccitas in tota materia, ex qua ignis generari debet, sed in generatione tertij ex duob. duæ quidẽ corrũpuntur, & duæ generãtur, sed non in tota materia generationis, sed vna qualitas in vna parte materiæ, & alia in alia parte, ex gr. cũ ignis generatur ex aere, & terra, in parte materiæ terræ corrũpitur frigiditas, et introducitur caliditas, in parte verò materię aeris corrũpitur humiditas, & introducitur siccitas, vndè nõ in oĩ parte materiæ duæ generantur, & duę corrũpuntur, sicut in generatione vnius ex alio symbolum non habente, & proinde generatio tertij ex duobus facilior est, quam illa, etenim generatio tertij ex duobus media est inter generationem vnius elementi ex alio symbolum habente, vt ignis ex aere, & generationẽ vnius ex alio symbolũ nõ habẽte: illa. n. quæ fit inter duo elementa symbolum habentia, facillima est, quæ fit inter duo elementa symbolum non habentia difficillima est, generatio verò tertij ex duobus inter vtranque media est. respectu enim primæ difficilis est, respectu verò secundæ facilis est. Illud autem animaduerte, quòd facilitas, & difficultas

velocitas,

velocitas, & tarditas, quæ in his modis generationis reperiuntur, penes tempus intelligi minimè debent, vt falsò multi imaginati sunt, sed penes plurium, & pauciorum transmutationẽ, et generationem, vt inquit Arist. in contex. 26. illius secundi, cuius verba sunt hæc, Ex igne autem aquam, & ex aere terram generari: difficilius autem, quoniam plurium generatio: illa enim generatio, in qua pauciora generãtur, vt est generatio elementorum quæ symbola sunt, facilis dicitur, & velox. illa vero in qua plura generantur, sicut est generatio elementorum, quæ non sunt, symbola, difficilis dicitur & tarda: Nec officit ratio, quæ secundo loco adducebatur, quia caliditas quæ de nouo generatur in corruptione frigiditatis terræ, non recipitur in ea parte materiæ quæ subiecta erat formæ aeris, quia cum in ea remaneat caliditas illa, quæ erat in aere corrupto, iam satis disposita est pro receptione formæ ignis, & proinde non eget noua generatione caliditatis, sed recipitur in alia parte materiæ, quæ subiecta erat formæ terræ: hæc enim licet partem habeat dispositionis vtpote siccitatem, quæ remansit in corruptione terræ, non tamen caliditatem habet, & propterea in corruptione frigiditatis terræ caliditas de nouo generatur, per quam idonea, & habilis fiat ad receptionem formæ ignis: cum itaque caliditas quæ de nouo generatur non recipiatur in ea parte materiæ, in qua remanet caliditas quæ fuit in aere, sed in diuersa materiæ portione, vt in pedali quantitate terræ, ea propter non sequitur, quòd caliditas quæ remanet fiat nimium intensa, & caliditatis latitudinem egrediatur, sed illa suos retinet caliditatis numeros, & gradus, & alia pari graduũ interuallo in alia portione materiæ generatur, vt ambæ partes materię fiat vniformiter dispositæ pro receptione formæ ignis, & hæc satis.

Qua methodo compertum sit, Ignem, Aerem Aquam, & Terram. composita esse ex materia & forma, nec non simplicia corpora, & elementa esse.

QVATVOR illa rerum primordia, quæ vocata sunt elementa, ex materia & forma concreta esse, corporaq́ue simplicia, & elementa satis peruulgatum est, ab ipsoque Aristotele decretum. Sed qua methodo, & via id compertum fuerit, non ità conspicuũ est, neque ità ab alijs explicatum, ea propter tria hæc declarare optimũ fore diiudicaui: & primũ qua methodo ex materia, & forma cõposita esse cõpertum sit, porrò sicut alias declaraui, corpora naturalia, q̃ mortalia sũt, ex materia, et forma cõcreta esse via generationis inuentum fuit, eadem methodo quattuor elementa ex his duabus constare naturis cõpertũ est.

EE enimuerò

enimuerò cum omnis generatio inter contraria, vt inter formam, & priuationem versetur, profectò in omni, quòd generatur priuatio, & forma reperiuntur. quoniam verò vnum contrarium alterum recipere, & sustinere non potest. idcircò in omni, quod generatur, præter priuationem, & formam, tertium principium, vtpotè materiam, quæ ijs subijcitur, reperiri oportet, cæterum quia formę aduentu priuatio desinit, vt etiam primo physi. cont. 59 Aristoteles declarauit, igitur in omni, quod generatur materia, & forma solum supersunt. quamobrem quattuor elementa, sicut & cætera naturalia corpora corruptibilia ex materia, & forma concreta sunt. Qua etiam methodo innotescit, elementorum, generabiliumque omnium materiam esse in potentia ad formam. Cum enim generatio sit inter priuationem, & formam, et prærer hæc duo materia necessaria sit, igitur generabilium materia priuationi coniuncta est. Sed quoniam priuatio necessariò potentiam includit, quæ veluti differentia est, per quam priuatio à negatione distinguitur. igitur materia generabilium, & corruptibilium est in potentia ad formam, potest quinetiam alia uia probari quattuor elementa ex materia, & forma cõcreta esse: nam cum omne sensibile sit sensibile per materiam, vt scribit Auer. primo cę. com. 95. vel omne sensibile materiam habeat, vt scribit Aris. eodem libro contex 92. & omne intelligibile sit intelligibile per formam, siquidem actus intelligendi ratio est, vt idem Arist. docet 9. metaf. cont. 20 igitur cũ elementa sensibilia, intelligibiliaque sint sensibilia sunt per materiam, & intelligibilia per formam, ac proindè cõposita sunt ex materia, & forma. Quòd autem corpora simplicia sint, hoc est, ex alijs corporibus non composita, siquidem corpora simplicia non dicuntur, per negationem omnis compositionis, quoniam vt nuper ostensum fuit, ex materia, & forma concreta sunt, sed simplicia dicuntur corpora per negationem compositionis ex alijs corporibus, vt ex Aristo. colligitur primo cę. cont. 7. vbi corporum diuissionem ponens, inquit, corporum alia simplicia sunt, alia verò ex his composita, quibus verbis ostendit corpora simplicia illa esse, quæ non ex alijs corporibus coalescunt: illa verò composita, quæ ex simplicibus corporibus concreta sunt. quòd itaque corpora simplicia sint, ex motu locali simplici viaque resolutionis compertum est, motu quidem locali simplici, quoniam motus localis, quo recto itinere sursum, aut deorsum mouentur: simplex est, cum per simplicem lineam fiat, motus autem simplex corporis simplicis est, sicuti motus mixtus corporis mixti proprius, & peculiaris est, vt primo cę. cont. 7. ab Arist. proditum fuit, cum itaque motus rectus simplex secundum naturam cõueniat elementis. igitur elementa corpora simplicia sunt, via quoque resolutio-

nis

nis id ipsum ostendi potest. Nam vnumquodq; ex illis cōponitur, in quæ resoluitur. Iamuerò elementa in ipsorum interitu in alia corpora non resoluuntur, sed solùm in materiam, & formam, igitur ex alijs corporibus composita non sunt, sed solum ex materia, & forma, Cœleste autē corpus simplex esse, ex motu circulari simplici solum probari potest, vt primo cę.cont.7 ab Arist. ostensum est, via autem resolutionis probari non potest, cum cœleste corpus à corruptione. & ab interitu immune sit, vt eodem lib.cont. 20 decretum fuit. Nunc qua via, ignē, aerem, aquā, & terram, elementa esse, compertum sit explicare aggredior, sed illud anteà declarare oportet, quæ sit rō elementi, ex quo conspicuū fiet, quid sibi velit; cùm dicitur, quattuor simplicia corpora elementa esse. Enimuero elementum vt ab Arist. 5. met. describitur cap. de elemento, idest, ex quo fit aliquid cum insit, indiuisibile in alia specie, quò fit, vt elementum esse, nil aliud sit nisi subiectum esse, ex quo aliquid oritur, quatuor ergo illa corpora simplicia elementa esse, nil aliud est, nisi subiectum esse, ex quo mixta corpora generantur, hinc sequitur, esse elementum, non esse de ratione ignis aliorumque simplium corporum, sed accidens illis superadditum, vt decimo metaf. cont. 2. Aristoteles declarauit, inquiens, accidit igni elementum eße: quod postea docuit etiam Auer. 3. cę. com. 31. & rationem reddens, inquit, quoniam ignis, cæteraque simplicia corpora substantiæ sunt, & quid absolutum; elementum verò quid respectiuum: quoniam relationem habet ad id, cuius est elementum: respectiuum vero non est de ratione substantiæ, reique absolutæ, quo ità explicato; nuuc declaro, qua via ab Arist. ostensum sit quatuor illa simplicia corpora elementa esse, idest subiecti rationem habere, ex quo cætera corpora oriantur, porrò Aristoteles 3. cę. cont. 31. vbi Anáxagorę opinionem redarguit, quippè qui asserebat partes consimiles, et homogeneas primordia esse, rerumque naturalium elementa. ità ratiocinatur, illa sunt rerum naturalium elementa, in quæ res naturales dissoluuntur. quoniam elementum subiectumque illud est, ex quo aliquid fit, in quod dissoluitur. vt primo phy. cōt. 65. Aristo. declarauit: iamuerò quatuor simplicia corpora in eorum interitu in partes consimiles, & homogeneas non dißoluuntur, sed potius ecōtra consimiles partes, vt caro & ossa, & id genus alia. in ignem, Aerem, aquam, & terram dissoluuntur, vt patet. igitur non partes similares; sed potius quatuor simplicia corpora sunt rerum naturalium elementa, & hunc in modum via resolutionis ab Arist. ostensum est, quatuor simplicia corpora elementa eße, subiectiq; rationem habere, & hæc satis.

Substantia non suscipit Magis,& Minus.

FUIT hæc Aristotelis sententiæ in libro Cathegoriarum cap. proprio, quam sanè perpendens Auerroes 3.Cę.com. 67. inquit, quòd propositio ista non vniuersaliter intelligitur, sed duntaxat de substantijs perfectis, siquidem substantiæ imperfectę, sicut sunt elementorum formę suscipiunt magis, & minus, & intenduntur & remituntur proportionabiliter ad intēsionem suarum qualitatum, rationes verò quæ Auerroem coegerunt, vt in hanc deueniret sententiam, fuerunt istæ, & prima fuit vt saluaret generationem substantialem mixtorum, nam cum de Aristotelis sententia elementa formaliter maneant in mixto, si elementorum formæ non remitterentur, sed integræ manerent atque perfectæ, tunc mixtorum generatio esset alteratio, & forma superueniens esset accidens: deducitur consequentia, quia omnis mutatio adueniens rei iam existenti in actu alteratio est, et omnis forma eidem superueniens accidens est: si ergo elementorum formæ non remitterentur, sed integræ manerent, tunc mixtorum generatio adueniret materiæ iam existenti in actu per formas elementorum integras, & perfectas: igitur esset alteratio, & noon generatio, & mixtorum forma esset accidens & non substantia: vt ergo seruetur vera mixtornm generatio, necesse est formas elementorum intendi & remitti. Alia ratio fuit, vt seruaretur vnum esse mixti, nam si eędem formæ integræ manerent, cū unaqueq; forma substātialis det esse simpliciter, & faciat hoc aliquid vt habet Arist. 2. de Anima. 1. igitur quælibet forma substantialis quatuor elementorum quæ actu sunt in mixto daret esse simpliciter, itaque mixtum nōn habebit vnum esse, sed plura esse simpliciter: vt igitur seruetur vnum esse mixti, elementorum formas intendi atque remitti necesse est, vnde si formæ elementorum non intenderentur, & remitterentur alterum duorum necessariò consequeretur, aut quod formæ elementorum actu nō manerent in mixto, quod non est Arist. cōsentaneum: aut si actu manerent in mixto nec vera generatio, nec vera mixtorum vnitas seruari posset: vt igitur vnum et alterū seruaretur conclusit Auer. formas elementorum intensionem, & remissionem admittere. Tertia ratio qua aduersus Auic. eodem Com. usus est huiusmodi est, si formę elementorum ad intensionem remissionemque suarum qualitatum non intenduntur, & remittuntur, igitur formæ elementorum in materia sine proprijs dispositionibus conseruari valerent, quod impossibile est, deducitur consequentia, quia cum gr. ex. caliditas in igne remittitur, aut ad remissionem caliditatis remittitur forma ignis, aut non, si primum

mum habetur propositum: si secundum dicatur, cum omnes gradus caliditatis sint eiusdem rationis, & in his quæ sunt eiusdem rationis idem sit iudicium totius, & partis: igitur qua ratione duo vel tres caliditatis gradus remitti possunt superstite manente forma in materia, poterunt & omnes remitti et separari eadem incolumi manente forma: igitur forma ignis in materia sine caliditate seruabitur; quod cum falsum sit falsum est, igitur dicere elementorum formas non intendi, atque remitti, hæc Auer. quibus adijcimus duo alia fundamenta Scoti quorum primum desumitur ex Aristotelis authoritate 8. Met. 10. vbi inquit, quòd quæ substantia est secundum speciem non suscipit magis & minus, sed siquidem cum materia in quibus verbis philosophus videtur velle, quòd licet substantia secundum speciem non suscipiat magis & minus, suscipit tamen vt in materia est. quæ sane authoritas non solum probat de forma elementorum, sed de qualibet materiali forma: alterum verò fundamentum desumitur ex 6. Phis. 32. vbi inquit, quòd omne quod mutatur partim est in termino a quo, & partim in termino ad quē, tunc quæritur aut illa dictio partim, & partim accipitur secundum formam secundum quam fit mutatio, aut secundum subiecti partibilitatem: non secundo, quia ex 8. Phis. 23. & libro de Sensu, & sensili contingit totum simul mutari, tum quia Aristoteles peteret principium, vult enim ibi probare, quòd omne mobile est diuisibile, quòd si acciperet quòd omne mobile habet partem, cum idem sit habere partem, & esse diuisibile, ergo acciperet quod probandum erat, igitur accipitur primo modo, igitur forma substantialis successiue acquiritur, & cōsequenter intenditur & remittitur, quæ ratio cō similiter probat de omni substantia materiali, sed hæc Auerrois sententia non est Aristoteli consentanea, quia cum philosophus inquit substantiam non suscipere magis et minus assignat proprietatem istam, et alias, de substantia quæ est prædicamentum, & genus generalissimum quod quidem secundum Auer. in cap. de specie supra Porph. est corpus generabile & corruptibile, quod ambitu suo complectitur, & substantias perfectas, & imperfectas, vt mixta & elementa, igitur non suscipere magis & minus, competit substantijs perfectis, & imperfectis, qua quicquid competit generi, competit omnibus contentis sub illo genere, quare nulla substantia siue perfecta, siue imperfecta, suscipit magis et minus, quod sanè confirmatur ex eodem loco, quia Philosophus non contradistinguit substantiam à substantia imperfecta, cum inquit eam non suscipere magis et minus, sed eam contradistinguit ab accidente: inquit enim, sed vnaqueque substantia hoc ipsum quod est non suscipit magis, & minus, sicut est alterum altero magis, & minus album, & magis & minus bonum. igitur

substantia

ſubſtantia ſecundum ſui vniuerſitatem, vt eſt prædicamentum contradiſtinctum ab accidente non ſuſcipit magis & minus: ſed fortaſſe, ad hoc dicet aliquis, quòd vtique Ariſtoteles accipit ſubſtantiam vniuerſaliter, ſed cum inquit quòd non ſuſcipit magis, & minus, intelligit quò ad modum proprium ipſius ſubſtantiæ: modus autem proprius eius eſt eſſe per ſe, accipiendo per ſe negatiue, ideſt non in alio tanquam in ſubiecto, & ſecundum hunc modum in ſubſtantia non eſt aliquis exceſſus, aut magis, & minus: ſed iſta reſponſio nulla eſt, quia vt verba ipſius apertè oſtendunt, Ariſt. non aſſignat hanc proprietatem de ſubſtantia, quò ad modum illum quatenus non eſt in ſubiecto, ſed quo ad formã: inquit enim, ſubſtantia nõ ſuſcipit magis, & minus, vt hõ nõ eſt magis & minus hõ, neq; ipſe ſeipſo, neq; alter altero; loquitur itaq; de ſubſtãtia quò ad formã, ita vt in ea nõ ſit dare latitudinem ſecundũ gradus. adde quòd Ariſt. cõtradiſtinguit penes hoc ſubſtantiam ab accidẽte, iam verò ſi proprietas iſta intelligitur quò ad illum modum, non contradiſtingueretur ſubſtantia ab accidente, quia ſicut ſubſtantia non ſuſcipit magis & minus, quò ad nõ eſſe in ſubiecto, ita accidens non ſuſcipit magis & minus, quò ad eſſe in ſubiecto, ſed fortè alius ſecus reſpondebit Ariſtotelem intelligere ſubſtantiam non ſuſcipere magis & minus ſecundum eſſe ſpecificum & quiditatiuum, ſed nec iſta reſponſio eſt ad mentem Ariſtotelis in eo loco, quia licet nulla forma ſubſtantialis ſuſcipit magis & minus ſecundum eſſe ſpecificum et quiditatiuum, non tamen de hoc intelligit Ariſtoteles ea in parte, quia vt dictum eſt Ariſtoteles contradiſtinguit ſubſtantiam à natura accidentali, quia natura ſubſtantialis non ſuſcipit magis, & minus ſicut natura accidentalis, iam vero ſi Ariſt. intelligeret quò ad eſſe ſpecificum, & quiditatiuum nõ contradiſtingueretur natura ſubſtantialis à natura accidentali penes ſuſcipere magis & minus, quia ſicut natura ſubſtantialis non ſuſcipit magis & minus quò ad eſſe ſpecificum, ſed in indiuiſibili conſiſtit,ità etiam natura accidentalis: ratio enim & diffinitio albedinis non magis conuenit vni quàm alteri, quia vna non eſt magis color quàm altera, Nec valet tandem ſiquis eo ſeſe recipiat, Ariſtotelem loqui ſecundum famoſitatem, & aliorum ſententiam, quia ipſe hanc proprietatem aſſignans vtitur hoc verbo [Dico] conſuetudo autem Ariſtotelis eſt, vbi comſimilem habet loquendi modum, quòd loquitur ex mente propria, ſicut etiam animaduertunt Græci interpretes in libro Priorum, vbi Ariſt. inquit, Terminum autem voco &c. præterea Ariſtoteles tandem confirmat ſententiam 8. Met. 10. vbi comparans formam ſubſtantialem numeris, inquit, quòd ſicut numerus non ſuſcipit magis & minus, ita neque forma ſubſtantialis, iam vero numerus ſecundum nullã rationem ſuſcipit magis

& minus

& minus, quia ternarius non est magis, & minus, neque seipso, neque respectu alterius ternarij: igitur neque forma substantialis quo vis modo consideretur suscipit magis & minus, habetque latitudinem graduum, præterea quod Auerrois sententia falsa sit hac ratione ostenditur, Forma quælibet substantialis siue perfecta, siue imperfecta sit, perfectior est, atque supra gradum accidentis existit, iam vero non omnia accidentia intenduntur & remittuntur, sicut sunt accidentia propria: non enim risibile est magis & minus risibile, igitur neque forma substantialis etiam si imperfectissima sit: cum sit supra gradum horũ accidẽtium suscipit magis & minus: postremo id probari potest ratione qua ostendit Porph. cap. de differentia, specificas differentias non suscipere magis & minus quælibet forma substantialis etiam imperfectissima, sicut est forma elementi tribuit, & complet esse rei, esse autem vnicuique vnum, & idem est, neque intensionem, neque remissionem suscipiens: non enim dicimus vnum hominem altero habere magis esse, aut aquam, aqua, sicut dicimus magis & minus aquilinum esse, simum, aut coloratum esse. igitur neque forma substantialis quæ absoluit esse suscipit magis, & minus. Beatus Thomas super primo de Gener. cont. 84. arguit contrà Auer. & vtitur hac ratione, si formæ elementorum intenderentur, & remitterentur, igitur successiuè acquirerentur, ergo per motum, igitur ad substantiam esset motus contra Philosophum 5. Phis. 10. vbi negauit ad substantiam esse motum, sed ratio ista Beati Thomæ nihil concludit contrà Auer. nã cum inquit, si formæ elementorum intenderentur, & remitterentur, ergo successiuè acquirerentur, verum est, cum autem infert, ergo per motum, negatur consequentia, quia non valet, Forma successiuè acquiritur, ergo per motum: peccat enim argumentum per fallaciam consequentis, si quidem ad constituendam propriam rationem motus non sufficit succesio, sed requiritur subiectum in actu, & requiruntur termini positiui, nam vt habetur 5. Phis. tex. 8. subiectũ motus propriè dicti actu est, fitq; motus de subiecto in subiectum, idest de termino positiuo in terminũ positiuum. iam vero dicet Auer. licet formæ elemẽtorum succesiuè acquirantur, non tamen acquiruntur per motum, quoniã desunt duæ illæ cõditiones requisitæ ad motũ, videlicet subiectũ in actu, et termini positiui, quoniã succesiua illa elemẽtorum generatio habet subiectum in potẽtia, & fit de non subiecto in subiectum, idest de priuatione ad formam tanquam secundum terminos primos, quamobrem ratio diui Thomæ contra Auer. nullum habet momẽtum, sed quæ à nobis allatæ sunt eius sententiã euertere, et demoliri videntur, ex quibus etiam Scoti sententia euertitur, qui non solum elementorum formas, sed etiam formas substantiales

perfectas

perfectas excepta anima rationali suscipere magis et minus, 8. Met. q. 3. dicere ausus fuit, cuius quidem sententia sicut latior est, ita etiam magis irrationalibilis est, quàm opinio Auerrois, si quidem Aristoteles primo de Anim. 65. probans, quod intellectus est substantia in non corrumpi, inquit, quod si corrumperetur, maximè corrumperetur ab ea debilitate, quę est in senio: hoc autem, inquit, non contingit, sed sibi accidit, sicut virtuti sentienti, & potentiæ visiuæ, quæ quidem in senio secundum substantiam non imminuitur, neque remittitur, sed si quippiam patitur, ita vt deterius operetur, id sibi contingit ratione organi mali dispositi: vnde inquit, si senex acciperet oculum, & organum iuuenis, videret ut iuuenis, qua in parte satis aptè ostendit philosophus, quod sicut anima rõnalis in indiuisibili consistit, & secũdum substantiã non intenditur, neq; remittitur, ita ẽt anima sensitiua, quod si anima sensitiua intenderetur & remitteretur, vt dicit Scotus, tunc anima sensitiua non ita se haberet sicut anima intellectiua quò ad intendi, & remitti, quia anima intellectiua in indiuisibili consisteret, & non intenderetur, et remitteretur, adde quòd falsum esset, quod inquit philosophus, quòd si senex acciperet oculum, & organum iuuenis, videret, vt iuuenis, quia si continue remittitur, igitur etiam si in senio acciperet organum iuuenis, non eam operationem exerceret, nec ita videret, sicut potentia visiua iuuenis, quæ intensior est, itaque non solum anima rationalis in indiuisibili consistit, nec intensionem & remissionem subit, sed vnaquęque forma substantialis.

Dilucidatio.

PRO *resolutione itaque dicendum, quòd nulla forma substantialis siue perfecta, siue imperfecta, siue secundum se, & secundum esse specificum, siue vt indiuidua, & in materia consideretur, intenditur & remittitur, seu quælibet in indiuisibili consistit, et in hoc distinguitur à natura accidentali, quę habet latitudinem graduum secundum quos à subiecto secundum esse intensius, & remissius participatur, quam veritatem B. D. Auicẽnas, & Porph. cognouerunt, & licet formæ substantialis operatio intendatur & remittatur, id non prouenit quia forma substantialis intendatur & remittatur, quoniam hęc sibi similis secundum substantiam semper existit, sed id prouenit rõne materiæ in qua operatur, & ratione instrumẽti sibi inseruientis, ex qua resolutione id corrolariè colligitur, quod generatio substantialis non fit succesiue, sed in instanti, sed licet forma substantialis in indiuisibili consistat & gradus indiuiduales non habeat, attamen vna forma substantialis est maioris perfectionis, quam alia, lo-*

quendo

quãdo de formis diuersarum specierum: nam cum species entium sint sicuti numeri, sicut species numerorum non æqualiter distant ab vnitate, ità duæ species non æqualiter distant à primo principio quod est summa vnitas, & per consequens non sunt æqualis perfectionis, & hoc pacto in substantia inuenitur magis, & minus, idest essentia perfectior, & ignobilior: quibus sic explicatis discutiamus modo rationes Auerrois, & alias in contrarium adductas, & ad primam Auerrois concedimus illud assumptum, quòd elemento formaliter, & actu supersunt in mixto, cum autem dicitur si formæ elementorum non remitterentur, sed integræ manerent in mixto, generatio mixtorum eßet alteratio, & forma superueniẽs esset accidens: negatur consequentia, ad probationem respõdetur quòd illa propositio ità intelligenda est, quòd omnis transmutatio adueniens enti in actu determinatæ speciei et non ordinabili ad vlteriorem formam alteratio est, etenim non quilibet actus existens in materia, nec quodlibet subiectum in actu tollit rationem generationis, & rationem substantiæ in forma adueniente, sed actus qui constituit subiectum in actu determinatę speciei, nec ordinabilis est ad vlteriorem formã, iam vero licet elementorum formæ integræ supersint in mixto, faciantque materiam in actu, quia tamen non faciunt subiectum in actu quod sit determinatæ speciei, quia materia informata formis elementorum non est alicuius præfinitæ speciei, sed relinquunt potentiam in materia ad vlteriorem formam, proinde non sequitur quòd generatio mixti sit alteratio, & forma superueniens sit accidens. quam responsionem lubet comprobare ex ipsomet Auer. vt eius inconstantia conspicua fiat Auerroes in epitom. Met. tract. primo in dictione materia distinguit materiam primam à materia habẽte formam: hanc autem in duo genera distribuit, alia namque, dicit, est materia quæ habet formas elementorũ refractas, alia verò quæ integrã formã hẽt sicut est materia vegetali aĩa insignita, sentiẽtẽ animã receptura, uult itaq; Auer. ꝙ anima vegetalis quæ actualior est quã formæ elemẽtorũ integra maneat in materia cũ recipit animã sẽtiẽtem, et tamẽ saluatur generatio, et rõ substãtię in aĩa sẽsitiua superueniẽte, ergo etiã si formæ elemẽtorũ, quę imperfectiores sũt anima vegetali in mixto maneãt integrę, & nõ remissæ multo magis saluabitur generatio mixti quarè alterũ duorũ secundũ ipsum dicere oportet, aut quòd anima vegetalis quæ de ipsius sentẽtia in materia manet, cũ recipit animã sentiẽtẽ, necessariò remittatur, vt saluetur vera generatio formę aduenientis, ꝙ tamẽ ipse nõ cõcedit, cũ sit forma perfecta, aut quòd non qlibet actus integer manens in materia generationẽ tollit, atq; ita ad saluãdã mixti generationẽ nõ necesse est formas substantiales elementorom intendi & remitti, vt temerè censuit

Auer. et qui eũ sunt insequuti, sed aduersus ea quæ dicta sunt occurrit dubitatio, nam ex Arist. 5. Phys. 8 & primo de Gener. 11. subiectum generationis potentia est, igitur subiectum generationis omnem actum abijcere debet: Secundo & fortius, Aristoteles primo de Gener. circa initia arguens contrà antiquos ponentes vnum elementorum generationis subiectum, format consequentiam istam, Si vnum elementorum generationis subiectum foret, tum generatio esset alteratio, iam verò si responsio allata vera est, nulla erit Aristotelis consequentia, quia dicent antiqui, quòd licet vnum elementorum sit generationis subiectum, non tamen generatio est alteratio, quia per nos materia informata formis quatuor elementorum est subiectum generationis mixtorum, & tamen generatio non est alteratio: si ergo Aristotelis consequentia aduersus antiquos consistere debet, dicendum est, quòd quilibet actus existens in materia generationem tollit. Soluimus, & ad primam rationem nos dicimus, quòd propositio ista, subiectum generationis potentia est, non est ità ad viuum resecanda vt intelligatur, quòd subiectum cuiuslibet generationis substantialis pura potentia sit, quia hoc nec Aristoteli, nec rationi consentaneum est, quia cum entium formæ non sint æqualis perfectionis, non æqualiter distare debent à materia prima, sicut neq; æqualiter distant ab actu illo purissimo, qui est fons omnis perfectionis, sed quæ imperfectiores sunt, materiæ proximiores sunt: quæ verò perfectiores, longius distant, vndè quia elementorum formæ imperfectissimæ sunt, materiæ primæ propinquissimæ sunt, atque puræ potentiæ cohærent. Anima verò vegetalis, quia perfectior est, longius distat à materia, in eaque supponit formas elementorum, sensitiua quę adhuc perfectior est, adhuc remotior est à materia, & proindè formas elementorum, et animam vegetalem in ea præsupponit Anima intellectiua quæ omnium perfectissima est, omnium remotissima est, atque in materia formas elementorum uegetalem, sentiẽtemque animam præsupponit, vndè quanto forma perfectior, nobiliorque est eò magis requirit materiam actuatam, quia non est rationi, nec naturæ ordini consentaneum, vt formæ quæ inæqualis sunt præstantiæ, & perfectionis æqualiter distẽt à fonte imperfectionis; videlicet à materia prima, ac proindè omnes ex æquo recipiantur in materia in pura potẽtia, vndè illa propositio quam B. Doctor enunciat, Omnes formas habere idem subiectum proximum, vniuersaliter falsa est, sed tantum veritatem de formis imperfectissimis, vt sunt formæ elementorũ quæ sunt eiusdem ordinis, & æquali loco constitutæ. in alijs verò perfectioribus formis nõ verè dicitur. quamobrem propositio illa non intelligitur quòd subiectum generationis pura potentia si respectu cuiuslibet generationis substãtialis, licet id verum

sit respectu generationis elementorum, sed intelligitur quod non sit ens in actu secundum gradum determinatum, & præfinitæ speciei, iam verò licet materia informata formis quatuor elemẽtorum actu sit, quia tamen nõ est alicuius determinatę speciei, nec gradum specificum habet, sed ordinabilis est ad vlteriorem formam, proindè dicitur in potentia, subiectumque generationi existit. Ad secundam quæ maioris ponderis est, respondetur, quòd Aristotelis consequentia valet contra antiquos, quia ponebant subiectum generationis vnum elementorum quod erat ens in actu secundum gradum determinatum, & determinatæ speciei, vt aqua, vel aer, et proindè sequebatur generationẽ alterationem esse: nobis verò non obest, quia vniuersitas illa formarum elementorum, quæ ponitur in materia non constituit materiam actu secundum gradum specificum, & determinatum, quia non est aut ignis, aut aqua, aut planta, vel brutum, sed est quid indeterminatum, & in potentia ad vlteriorem formam, & propterea non sequitur, quòd generatio mixti sit alteratio:: Sed adhuc occurrit ardua dubitatio, quia dicet aliquis quòd licet non remissis elementorũ formis generatio saluari queat, vera tamen mixto saluari non potest, deducitur siquidem philosophus 2. de Gener. 48. arguens contra Empedoclem, qui posuit elementa integra manere in mixto, format consequentiam istam, Si elementa integra manerent in mixto, non esset mixtio, sed iuxta positio, igitur cum integritate formarum elementorum uera mixtio saluari non potest, alioquin nulla contrà Empedoclem esset Aristotelis ratio. maximam porrò efficaciam pro Auer. ratio ista habere videtur, sed mea sententia ità dissoluitur, quòd ratio Aristotelis concludit contrà Empe. quia Empedocles vt ei imponit Aristoteles, voluit elementa esse secundum substantiam intransmutabilia, ad quam positionem sequitur etiam esse inalterabilia, & secundum qualitates intransmutabilia, quoniã si essent mutabilia secundum qualitates, essent etiam mutabilia secundũ substantiam, nisi velimus concedere mutationem factam in elementis secundum qualitates superstite manente substantia, vndè cum secundum Emped. elementa in mixto manerent integra, et perfecta manebant etiã secundum qualitates: cum autem summæ, & integræ qualitates, vt summus calor, summumque frigus in eadem parte simul se compati, & manere non possint, igitur elementa in eadem parte manere non poterant, sed vnum erat in vna parte, & alterum in altera parte: hoc autem non est mixtio, sed potius iuxta positio. nõ tamen ratio Aristotelis nostræ officit sententię, quia nos cum Arist. ipso tenemus, quòd elementa secundum substantiam transmutabilia sint. & consequentęr secundum qualitates alterabilia, licet ergo elementorum formæ substantiales in mixto integræ

maneant & perfectæ, non tamen integræ, & summæ manent earũ qualitates, sed remittuntur, & ad eam mediocritatem rediguntur quòd elementa in eadem parte simul manere queunt, ità vt qualibet pars mixti mixta sit, ac proindè sit mixtio, & non iuxta positio; quam ob rem cum integritate formarum elementorum non solum vera generatio, sed etiam vera mixtio seruatur: sed nũc pergamus ad alterum Auerrois fundamẽtum, & primo reflectitur argumentum, quia cum de ipsius sententia vegetalis anima quæ actualior est quàm forma elementi integra remaneat in materia sensitiua adueniente, igitur animal non habebit vnum esse simpliciter, quod tamen ipse inficiatur, sed quoniam ducere ad incommodum non est soluere, & eo magis quod fundamentum fauet etiã opinioni Beati D. abijcientis omnino formas elementorum à mixto, respondetur negãdo consequentiam, et ad probationem cum dicebatur quælibet forma substantialis dat esse simpliciter, id cautè accipiendum est, nam in forma non ordinabili ad vlteriorem formam verè dicitur, sicut est de forma propria ignis, & de anima vegetali in plantis: hæ enim quia vlteriorem formam non expectant dant esse simpliciter, in forma verò ordinabili ad vlteriorem formam nõ verè dicitur. iam verò formæ elementorum, & vegetalis anima in mixto. quia ordinabiles sunt ad vlteriorem formam, vt ad animam sentientem tãquam ad terminum, non dant esse simpliciter, sed hoc ab vltima forma proficiscitur: nam sicut, vt 7. Met. inquit philosophus, in definitione licet plures differentiæ sint vnitas definitionis ab vltima proficiscitur differentia, & in numero quaternario licet sint dualitas, & & tertia vnitas, hæ tamen non dant esse, sed postrema vnitas accedens dat esse, & vnicam tantum numeri speciem constituit ità res sese habet in mixtis, quia licet elementorum formæ integræ maneant in mixto non dant esse simpliciter, sed hoc proficiscitur ab vltima forma adueniente tanquam ab vltima vnitate, quia priores formæ sunt quasi materia posterioris, & potentiam habent adhuc acquirendi perfectiorem formam, quæ sanè dicitur esse terminus, & actus formarum præcedentium, quamobrem non sequitur quod tantum pertimuit Auer. quòd si ponantur elementorum formæ in mixto non remissæ, vt mixtum non habeat vnum esse simpliciter. Ad tertiam, quam putauit concludere aduersus Auicennam, primo reflectitur argumentum, quia per rationem ipsius, formæ etiam mixtorum intenderentur, & remitterentur, deducitur, quia certum est quòd dispositio, & complexio qua mixti forma in materia conseruatur, intenditur, & remittitur, tunc quritur aut ad remissionẽ dispositionũ remittitur forma substãtialis mixti, aut nõ: si primum habetur propositũ si secundũ, ergo qua rõne remissis

& ablatis

& ablatis duobus vel tribus gradibus vtpotè caloris, & complexionis potest mixti forma in materia conseruari, poterit ex omnibus ablatis in materia superstes remanere, quod cum falsum sit, igitur dicendum est remissionem dispositionum mixti formam substantialem remitti. Sed soluamus rationem ipsius, et cum quærebatur aut ad remissionem qualitatum remittitur forma elementi, aut non dicimus quòd non, & cum inferebatur, ergo qua ratione poßunt remitti & separari duo vel tres gradus incolumi manente forma, poterunt & omnes remitti eadem superstite manente, cum omnes gradus vnius qualitatis sint eiusdem rationis, respondetur quòd gradus vnius qualitatis bif. cōsiderari possunt, vno modo inter se, alio modo respectu formæ substantialis: si primo modo considerentur cum omnes sint eiusdem rationis, si duo vel tres contingenter insint, et remitti possunt, pariter et omnes. si vero secūdo mō nō omnes separari et remitti posſūt, superstite manēte forma in materia, et ratio est, quia cum forma substantialis elementi, & quælibet alio materialis forma pro sui conseruatione postulet in materia proprias dispositiones in quadam latitudine, & debita quadam mensura, tanquam finis, & id cuius gratia sunt dispositiones ipsæ, imponit necessitatem ijs qualitatis gradibus qui pro cōseruatione formæ in materia neceßarij sunt, vndè licet facta cōparatione inter gradus vnius qualitatis inter se valeat ista cōsequentia, remittuntur duo vel tres, ergo omnes, facta tamē comparatione ad formā non valet, quoniam ea mensura qualitatis q̄ requiritur pro cōseruatione formæ in materia sumit necessitatem à forma tanquam à fine quò minus separari, atque remitti queat, in columi manente forma solutis rationibus Auerrois discutiamus modo duas illas vltimas Scoti, quibus non solum probabatur formas elementorum, sed quamlibet materialem formā intendi, & remitti, & ad illā quæ de sumebatur ex 8. Met. 10. respondetur, quòd cum philosophus inquit [ꝙ substātia non suscipit magis, & minus, sed siquidē cum materia] nō loquitur assertiuè, ità ꝙ illa particula [si quidē] habeat uim vnius termini, & forma vt in materia suscipiat magis & minus, quia cū ab Arist. ea in parte fiat cōparatio inter formas, & numeros quò ad intendi, & remitti, sicut numerus neq; secundū speciē, neq; ut in materia suscipit magis, & minus, ità neque forma substantialis, neque secundum speciem, neque vt indiuidua, & in materia suscipit magis, & minus, sed loquitur conditionaliter, vt sensus sit forma substantialis, quæ substantia est secundū speciem nullo modo suscipit magis, et minus, sed si susciperet, id esset vt in materia, ità quòd minus repugnaret sibi suscipere magis, et minus vt in materia, quā secūdū se: ex hac aūt cōdōnali nō sequitur philosophū affirmare ipsā suscipere magis

re magis, & minus, quamobrem Scotus minus cautè super hoc Aristotelis dictum posuit fundamentum suæ opinionis. Ad ultimam bis. responderi potest, primo quidem quòd illa Arist. propositio non intelligitur de quacunque transmutatione, sed tantum de tribus speciebus notis, prætereà dato quòd propositio etiam intelligatur de mutatione suastantiali, dicendum, quòd non intelligitur de mutatione substantiali ratione principalis, & ultimi termini, sed ratione præuiæ dispositionis, & iuxtà hunc modum intelligere debemus omnes Aristotelis authoritates, quæ indicare uidentur mutationem substantialem diuisibilem esse, & tempore metiri, non quidem pro introductione formæ substantialis, quia ratione huius non distinguitur mutari à mutato esse, sed pro aggregato ex alteratione præcedente: formaliter ergo ad argumentum Scoti negatur diuisio, quoniam non est partim, & partim ratione formæ substantialis, nec ratione subiecti, sed ratione præuiæ positionis, & hæc dicta sint satis.

Primę qualitates elementorum principia sunt.

DVOBVS *in locis Aristoteles sententiam istam pronunciauit secundo de Gener. contex. 6. & quarto Metheo. primo, quæ cum conspicuè significare videretur primas qualitates esse formas substantiales elementorum, inter eius interpretes orta controuersia fuit, an primæ qualitates sint formæ elementorum. Aphrod. Alexander, de quo scribit Auerroes octauo Met. Com. 5. in libro de sensu, et sensibili ca. de sapore, & 4. quæstio natura cap. 4. uoluit primas qualitates esse formas substantiales elementorum. cuius etiam sententiæ fuit Ammonius in libro cathegoriarum cap. de substantia, vbi dubitans quomodo substantiæ nihil sit cõtrarium cum tamen ignis, & aqua per caliditatem & frigiditatem, quæ substantiæ sunt sibi inuicem opponantur, concedit ignis caliditatem, & aquæ frigiditatem substantias esse, ac proinde ignem, & aquam secundum formam substantialem sibi inuicem opponi, non tamen totum ignẽ toti aquæ contrarium esse, cum materia & corpore conueniant, quòd si Ammonius voluisset primas qualitates non esse formas substantiales, negandum erat illud quod acceptum fuit, ignis calorem videlicet, & aquæ frigus substantias esse, quod tamen ab ipso conceditur, præceptoris Ammonij sententiam secutus fuit Io. Gram. 2. de Gener. super contex. 49. vbi exponens dictum illud Aristotelis, quod erat, ignem cõtrariari aquæ, vt contingit substantiam substantiæ contrariam esse, eandem dubitationem mouet, & eodem modo persoluit, a quorum opinione non recessit Galenus medicus tractatu primo de elemẽtis, cuius sententiã*

docti ssi-

doctissimus Mathæus Curtius superiori ætate constanter eandem esse cũ Aristotelis opinione asseruit. cęterum quia de Alexandri opinione dubitarunt iuniores nõnulli, dixeruntque nunquam Alexandrum voluisse primas qualitates esse formas substantiales elementorum. falsoque sententiam istam ab Auer. Alexandro fuisse adscriptam, quòd si Alexander illas quandoque formas appellauit. hoc intelligendum est quò ad nos, quia vtimur his vice ex loco formarum. quæ nobis ignotæ sunt. ostendimus nos hanc fuiße veram, & germanam Alexandri sententiam ab Auer. rectè intellectam, siquidem Alexander loco superius citato cap. de sapore, considerans dictum illud Aristotelis quod ignis non agit in quantum ignis, nec aqua in quantum aqua dubitauit, quia cum ignis in calore & siccitate consistat & aqua in frigiditate, & humiditate, quæ substantiæ sunt, & per illas agant, igitur ignis agit in quantum ignis, & aqua in quantum aqua, quoniam agunt per ea quæ eorum substantiæ sunt. huic dubitationi respondens Alexander non negat quod assumit, uidelicet ignem consistere in calore & siccitate, & aquam in frigiditate & humiditate, easque substantias esse, quod tamen sibi negandum erat, si voluisset has non esse substantias, sed accidentia & qualitates, sed negat consistere in caliditate, & siccitate tantum, cum præter has aliquid aliud intra se teneant, quæ quidem verba fuerunt erroris modernorum, quia videntes Alexandrum dicere ignem non solum constitui per calorem, & siccitatem, sed aliquid aliud præter has continere, dixerunt Alexandrũ voluisse ignem præter qualitates has, habere propriam formam substantialem: cum tamen Alexander declarans quid sit illud quod ignis præter calorem & siccitatem continet, non inquit hoc esse formam, sed materiam: hinc infert quòd licèt ignis agat per calorem & siccitatem quæ substantiæ sunt, non tamen agit vt totus ignis, quoniam totus ignis propter materiam quam continet, non habet contrarium, ratione cuius actio efficitur, & hoc modo vult intelligendum esse illud Aristotelis dictum, quòd ignis non agit inquantũ ignis, ex qua solutione satis cõspicuũest Alexandrum voluisse primas qualitates esse formas substantiales elementorum, & præter has in elementis nil aliud præter materiam adinueniri, à quo non recesserunt Ammonius, & Io. Gram. vt dictum est, quorum sententia ità probatur, & primo ex Alexandro hoc pacto probauit Auerro. loco superius citato, idest forma substantialis alicuius ad cuius ablationem tollitur substantia rei, vt habetur secundo de Anima contex. 9. sed ad ablationem caliditatis, & aliarum qualitatum tollitur ignis, & cætera elementa: ergo primæ qualitates sunt formæ substantiales elementorum. secundo probatur ex Aristotelis authoritate secundo de Genera. cõtex.
6. vbi

6.vbi inquit, quòd materia,& primæ qualitates constituunt,et sunt principia elementorum:cum autem principia,& principata in eadem coordinatione reperiãtur,igitur cum elementa substantiæ sint,pariter & primæ qualitates,quæ elementorum sunt principia , substantiæ esse debent: secus ex non substantia constitueretur substantia,quod tamen inficias iuit Aristo. primo Phisicorum contex. 52. sed fortè ad hoc dicet aliquis, quòd primæ qualitates dicuntur,ab Aristo.principia elementorum circumscriptiuè,quia circunscribunt formas substantiales elementorum nobis ignotas,quæ sunt principia elementorum:quotiescunque enim formæ substantiales et vltimæ differentiæ rerum latitant,licet eas circumscribere per ipsarum proprietates , & accidentia : sed responsio ista nulla est, quoniam tunc malè Philosophus negasset in tex. octauo grauitatem & leuitatem esse principia elementorum,probatur consequentia , quoniam sicut primæ qualitates circumscribere valent formas substantiales elementorum;ità etiam grauitas,& leuitas,quoniam sicut primæ qualitates sunt principia alterationis,ità grauitas,& leuitas,sunt principia motus localis :igitur sicuti primæ qualitates principia elementorũ dici possunt, ita etiam grauitas , & leuitas:non ergo ratio principij magis primis qualitatibus , quàm grauitati , & leuitati attribuenda erat , si ergo Aristotelis sententia consistere debet,quòd primæ qualitates sint principia,grauitas autem,& leuitas nequaquam.dicere oportet Aristotelem voluisse primas qualitates esse vera principia elementorum:idem tertio probare conatus est Mathæus Curtius in hunc modum,Forma non innotescit nisi ex operationibus,sed in elementis nulla alia conspicitur operatio præter operationes primarum qualitatum:ergo in elementis nulla alia reperitur forma substantialis præter primas qualitates : consimili ratiocinio & arguendi modo vsus fuit Aristoteles ad probandũ in plantis nullam aliam virtutem animalem præter vegetalem animam adinueniri,sic arguens,In plantis nulla alia conspicitur operatio præter operationem animæ vegetalis:ergo in eis nulla alia reperitur virtus præter animam vegetalem,postremo,idem est principium distinguendi & essendi rei,primæ qualitates sunt principia distinguendi vnum elementum ab alio : ignis enim distinguitur ab aqua , quia ignis calidus , & siccus est, aqua verò frigida & humida,igitur primæ qualitates sunt principia essendi,atque ita formæ substantiales elementorum, sed quamuis doctissimorum virorum hæc extiterit opinio , attamen falsa est , & ab Aristotele aliena , & prima probatur ratione qua in Alexandrum vsus est Auerroes octauo Meth.Commen.5.quæ huiusmodi est.in his quæ vniuocè dicuntur , quòd vni est accidens, alteri non potest esse substantia.quoniam

quoniam oppositum prædicati non stat cum subiecto : si enim esset accidens in vno, & substantia in alio ; igitur diuersam haberet rationem, atque naturam : igitur non eßent vniuoca, sed primæ qualitates vniuocè dicuntur in simplicibus, & mixtis, & in mixtis accidentia sunt, ergo in elementis substantiæ esse non poßunt. minor probatur quo ad vtranque partem, & primo, quod in mixtis accidentia sint, probatur ex Aristotelis authoritate tertio Meth. contex. 17. vbi sic inqait, Substantiam quæ maximè significare videntur sunt ignis, aqua, ut aer, & terra, ex quibus corpora composita constant. horum autem calores, et frigiditates, & similes passiones non sunt substantiæ : quod autem vniuocè dicantur in mixtis & elementis probatur ex sensu tactus, qui rectissimus iudex tangibilium qualitatum, quippè qui eodem modo immutatur ab illis, id etiam patet ex definitionibus earum, etenim easdem definitiones habent in mixtis, & elementis, sed clarius probatur ex Aristotelis authoritate secundo de Anima 41. vbi redarguens opinionem illorum, qui voluerunt, quòd calor ignis sit causa præcipua nutritionis, & augumenti, inquit, quòd calor ignis non èst præcipua causa nutritionis, sed est concausa, & instrumentum : vult ergo quòd idem re sit calor ignis, & calor mixti, licet ratione inter se differant, vt penes moderatum, & immoderatum, quod quidem est differentia quædam accidentalis, & quidam modus caloris. secundo & principaliter, substantia non est terminus alterationis per se, ex Aristot. quinto Phisico. 10. vbi negat ad formam substantialem esse motum, & consequenter alterationem, quia à quocunque remouetur genus, remouetur & species. Sed primæ qualitates sunt termini alterationis per se, vt est sententia eiusdem septimo Phisico 11. vbi inquit, quòd alteratio per se est ad caliditatem, & frigiditatem, igitur primæ qualitates non sunt substantiæ. Insuper nulla substantia est per se sensibilis, & tangibilis qualitas, vt habetur ex Aristotele secundo de Anima 64. vbi contradistinguit substantiam à sensibili communi, & proprio, quoniam hæc sunt sensibilia per se, substantia verò est sensibilis per accidens. sed primæ qualitates sunt per se sensibiles, & tangibiles qualitates, siquidem Philosophus secundo De generatio. 8. primas qualitates connumerat in eodem genere, in quo connumerat durum, & molle, asperum, & lene, quæ quidem accidentia sunt : itaque primæ qualitates accidentia erunt, & non substantiæ, ex altera parte Auerroes quarto cęli commen. 20. & secundo de Anima 108. voluit grauitatē & leuitatem eße formas substātiales elementorum. cuius sententiam secutus est Acchillinus tertio libro de elementis, dubio secūdo, sed neque opinio ista est Aristoteli cōsentanea,

primo quidem, quoniam Arist. secundo De gener. 8. grauitatem, & leuitatem connumerat inter tangibiles qualitates & in eodem genere in quo cõnumerat calidum & frigidum, & durum & molle, iam verò hæc sunt qualitates, & non substantiæ, igitur grauitas & leuitas. Sed ad hoc dicunt nõnulli grauitatem, & leuitatem bif. capi posse, vno modo pro actu primo, alio modo pro actu secundo, & vtar verbis ipsorũ, pro grauitatione, & leuitatione: licet enim hisce vocabulis vti pro euidentia rei, tunc dicũt quòd cum Aristoteles grauitatem & leuitatem connumerat inter qualitates, non accipit grauitatem & leuitatem primo modo, quoniã substantiæ sunt; sed secundo modo: sed isti in errore versantur, quoniã ibi Philosophus inquirens quænam tangibiles qualitates sint principia elementorũ, inquit, quòd neque grauitas, neque leuitas, neque durũ & molle elemẽtorum sunt principia. quia non sunt actiua & passiua: loquitur ergo Philosophus de ea grauitate & leuitate quæ non est actiua & passiua, iam verò hoc non solum verum est de grauitate & leuitate secundo modo, sed etiam primo modo pro actu primo; quoniam grauitas, & leuitas non sunt principia alterationis, & actionis & passionis; quemadmodum nec durum, & molle; quamobrem Philosophus accipit grauitatem & leuitatem simpliciter, & vniuersaliter, præterea Philosophus 7. Phisi. 11. inquit quòd ad grauitatem & leuitatem alteratio est. certum est autem, quòd hoc non intelligitur de grauitate & leuitate secundo modo, quoniam ad motum non est per se motus, sed primo modo: sed illud quod est per se terminus alterationis est qualitas, & non substantia, igitur grauitas & leuitas pro actu primo erit qualitas & non substantia, idque tandem ex ipsomet Auer. comprobatur, nam grauitas & leuitas ex primis qualitatibus fluunt, vt inquit ipse quarto Cęli com. 39. vbi hæc habet ad verbum, & signum quòd aer est, magis grauis, quàm leuis, est, quia causa leuitatis est calor, & causa grauitatis est humiditas, & omnes conueniunt quòd aer est magis humidus, quàm calidus. ergo erit magis grauis, quã leuis. igitur grauitas & leuitas substantiæ esse non possunt, cùm substantia nõ fluat ex qualitatibus. cæterum Zimara hac in parte & plerique Auerro. istæ insurgũt dicentes Auerroem nunquam voluisse grauitatẽ et leuitatem esse formas substantiales elementorum, et si quandoque vt locis citatis dixit substãtiàs esse, non intellexit formaliter, sed circumscriptiuè prout substantiã ipsam circumscribunt, sed isti hac in re nimis oscitanter Auerroem lectitasse præseferunt, quoniam Auer. 4. Cę. com. 20. inquit, quòd sicut impossibile est raritatem & densitatem reponi in prædicamento substantiæ, ità impossibile est grauitatem & leuitatem reponi in prædicamẽto accidentis habet ergo Auer. pro impossibili grauitatem & leuitatem reponi in prædicamẽ

to accidentis. similiter Auer. secundo de Anima contex. illo centesimo octauo vult quòd grauitas & leuitas sint formaliter substantiæ, quod ex eo patet, quia cum accepisset propositionem illam quòd obiecta sensus tactus sub diuersis generibus contineantur, eam probauit ex hoc, quia caliditas & frigiditas continentur in prædicamento qualitatis, grauitas autem & leuitas in prædicamento substantiæ: itaque grauitas & leuitas secundum ipsum sunt formaliter substantiæ: alioquin si essent formaliter qualitates, tunc caliditas, & frigiditas, grauitas & leuitas non essent in diuersis generibus, vt inquit, sed in genere qualitatis, ac proinde non probaret obiecta sensus tactus in diuersis generibus contineri, quod tamen eius propositum erat. vnde Achillinus longè melius quàm Zimara Auerroem intelligens ne ab eius doctrina quam sequebatur aut latum vnguem recederet, tenuit grauitatem & leuitatem esse formas substantiales elementorum. qua in re & ipse claudicauit, cum non substantiæ, sed qualitates, & accidentia sint, vt ostensum est, quid ergo dicendum?

Dilucidatio.

PRO resolutione animaduertendum est, quòd elementa bif. considerari possunt, vno modo vt substantiæ sunt, alio modo vt elementa, differunt enim hæc inter se, quoniam ignis, aqua, aer, & terra vt substantiæ sunt, dicunt esse absolutum, vt verò elementa dicunt respectum ad alterum, quia cum elementum sit subiectum ex quo aliquid fit dicit respectũ ad id quod fit, vnde ignis vt ignis, & vt elementũ differunt sicut absolutũ & respectiuum, & esse elementum supra ignem, & aquam & alia relationem addit, quam sanè differentiam declarauit Arist. 10. Met. 2. vbi inquit accidit igni elementum esse, à quo accepit Auer. 3. Cœli com. 31. vbi ita scribit ad verbum, via ad cognitionem, quòd corpora sint elementa, & hoc est procedere à definitione rei ad suum accidens. corpus autem esse elementum est ei accidens, cum elementum dicatur in comparatione eius cuius est elementum. Insuper elementa primo modo adhuc bif. considerari possunt, vno modo vt completa sunt, & apicem substantialis perfectionis adepta, alio modo quo ad introductionem formæ substantialis, his habitis, ponimus conclusiones istas, prima quidem est. si considerentur elementa primo modo, vt substantiæ sunt iam perfectæ & absolutæ, habent propriam formam substantialem: primæ uerò qualitates, & grauitas & leuitas sicut & in alijs, accidentia sunt & qualitates. sunt que effectus elementorum quatenus ab illis quo ad earum existentiã subiectiuè dependent, & si quandoque aut formæ, aut differentiæ nun-

cupantur, id intelligitur quo ad nos, & quatenus veras formas non nobis ita conspicuas circumscribunt. secunda enunciatio, si elementa considerentur quo ad eductionem formæ substantialis, qualitates primæ principia dicuntur elementorum tanquam materia. nam cum primæ qualitates sint materiæ dispositiones, quibus mediantibus forma substantialis elementorum in materia introducitur, quoniam actus actiuorum fiunt in patiente benè disposito, ea verò quæ se tenent ex parte materiæ ad materiã reducuntur, sicut ea quæ se tenent ex parte agentis reducuntur ad agens, ea propter primæ qualitates secundũ hanc rationem elementorum principia dici poßunt. tertia enunciatio, si corpora simplicia vt miscibilia, et vt elementa sunt, considerentur, primæ qualitates sunt principia elementorum in genere causæ formalis, quod ex eo probatur, nam de ratione elementi est, vt sit id ex quo aliquid fit, atqui ex elementis non potest aliquid fieri, nisi misceantur, non miscentur nisi alterẽtur, quia mixtio est miscibilium alteratorum vnio, nõ alterantur nisi per primas qualitates, ergo de primo ad vltimũ elemẽta nõ sunt elementa nisi per primas qualitates, quibus positis ponitur in corporibus simplicibus ratio elemẽti, et illis ablatis elementi ratio aufertur, et hoc pacto intellexit Arist. in hac propositione cum dixit, primas qualitates esse principia elementorum. non quidem secundum gradum substantiæ, sed secundum rationem elementi, et quo ad rationem subiecti, quod per rationem Aristotelis qua ea in parte vtitur, demonstrari potest. ratio ea est, principia elementorum debent esse actiua et passiua, primæ qualitates sunt actiuę et passiuæ non autem grauitas et leuitas, igitur primæ qualitates sunt principia, non autem grauitas et leuitas. certum est autem quòd maior illa propositio huius discursus non intelligitur de principio substantiali, quoniam de ratione principij et formæ substantialis non est vt sit actiua, et passiua, si quidem actiua et passiua, vt habetur primo De gener. contex. 51. contraria sunt, sed in forma substantiali nõ reperitur contrarium, vt 5. Phis. cõtex. 10. Idem Arist. testatũ reliquit, vbi ex eo probauit ad formam substantialẽ non esse motum, quoniam in forma substantiali non reperitur contrarium, ex quo etiã fundamento in libro de sensu, et sensili probauit, quod ignis non agit vt ignis, quoniam vt sic non habet contrarium, itaque ad hoc vt aliquid sit forma substantialis, et principium secundum gradum substantiæ, non oportet esse actiuum, et passiuum: ergo cum Philosophus inquit, quòd principia elemẽtorum debent esse actiua, et passiua, secundum rationem elementi intelligi debet, et quoniam primæ qualitates sunt actiuæ et passiuæ, grauitas et leuitas nequaquam. ea propter statuit primas qualitates esse principia elementorum, non autem grauitatem, et leuitatẽ, quod etiam nouit Auer.

in

In commen.8.illius libri,cum inquit, & non numerauit grauitatem & leuitatem inter principia elementorum, vt elementa sunt, sed primas qualitates, nota illam reduplicatiuam secundum quòd elementa, ad elementi autem rationem constituendam duo solum concurrunt materia, & primæ qualitates:materia quidem,quoniam cum de ratione elementi sint subiectum esse ex quo aliquid fit, subiectum autem esse non potest nisi ratione materiæ,cui ratio subiecti competit, & per ipsam omnibus alijs,ideo materia necessaria est.verum quia ignis, aqua , aer, et terra non sunt subiectum mixtorum per solam compositionem, perinde ac literæ syllabarum, & lapides domus subiectum sunt , sed alterata atque ad temperamentum redacta,alterari uerò & ad temperamentum reduci minimè possint , nisi per primas qualitates, ea propter primæ qualitates præter materiam ad elementi rationem constituendam tanquam causæ formales concurrunt , quibus quidem ablatis,remanente etiam materia cum actu substantiali , neque alterarentur, neque miscerentur , ac proinde mixta ex corporibus simplicibus non secus ac syllabæ ex literis , & domus ex lapidibus per solam compositionem iuxta se positis absque vlla alteratione generarentur, quapropter diuine,me hercle,Aristoteles cont. illo 6.dixit quòd materia, & qualitates primæ cõstituunt,& sunt principia elementorũ secundũ rõnem videlicet principij,et elementi,forma verò substãtialis elementorum secundum hanc rationem concurrit ex accidenti, & vt causa sine qua nõ, vnde illud animaduertant studiosi , quòd sicut ad constitutionem corporũ simplicium secundum gradum substantiæ per se concurrunt materia , et forma substantialis primæ uerò qualitates , ut dispositiones concurrunt, ita per oppositum ad constitutionem eorundem secundum rationem elementi materia , et primæ qualitates per se concurrunt , forma verò substantialis vt causa sine qua non , et ex accidenti quatenus et materiæ , et primis qualitatibus cõiuncta est.et proinde mirum non est si summus ille Aristo.in cont.illo 6. inter principia elementorum recensuit solum materiam et primas qualitates non autem formam substantialem cum hæc ad rationem elementi solum concurrat ex accidenti, et vt causa sine qua nõ. quibus ità constitutis nunc rationibus in oppositum adductis satisfaciendum est : et primæ quidem rationi satisfacit Auerro. octauo Met. com.5.vbi illius maioris propositionis verum affert intellectum dicens, quòd illa maior propositio veritatem habet quotiescunque ad ablationem alicuius primo , et per se tollitur substantia, qua sic intellecta , minor propositio falsa est . siquidem ad ablationem caloris non primo , et per se tollitur ignis , sed primo tollitur ad ablationem formæ substantialis , qua ablata tollitur compositum . Sed dices adhuc , licet compositum

positum

positum primo, & per se tollatur ad ablationem formæ substantialis, & non ad ablationem calo ris, attamen forma substantialis ignis primo tollitur ad ablationem caloris, quia in interitu hic est ordo, primo tolluntur qualitates, secundo forma substantialis, quæ mediantibus qualitatibus in materia conseruatur, tertio compositum, itaque calor substantia erit: respondetur, quòd licet ad ablationem caloris immediatè tollatur forma substantialis ignis, non propterea calor substantia est: quoniam non tollitur forma substantialis ad ablationem caloris per se, & per viam causæ, sed per accidens, quia qualibet forma substantialis postulat in materia proprias dispositiones, quibus ablatis, materia redditur indisposita, nec amplius forma in materia sustineri aut conseruari potest: iam verò, propositio illa per se intelligenda est. Ad secundam verò, quæ desumebatur ex propositione Aristotelis, secundo De generatio. contex. 6. fatemur responsionem illam non esse, ad Aristotelem eo in loco propter rationem assignatam, sed dicimus Aristotelem intelligere iuxta tertiam conclusionem, quòd primæ qualitates sunt principia elementorum secundum rationem elementi, sub qua ratione elementa non sunt in coordinatione substantiæ, sed in coordinatione accidentis. cum ratio elementi in quadam habitudine, & relatione consistat ad id, cuius est elementum, & proinde per accidentia & qualitates in esse constitui possunt: elementa verò sicut & cætera corpora ex materia constare & forma substantiali ex libro de Physico auditu, vt explicatum reliquit. Ad tertiam verò negatur assumptum, quia in igne præter operationes caliditatis, & siccitatis alia reperitur operatio, quæ est formam substantialem inducere, & ignem parere, quæ formæ substantialis operatio est, & licet ignis isthæc opera per calorem exercere videatur, id tamen est secundariò & instrumentaliter, quoniam forma substantialis ignis caliditate vtitur vt instrumento ad generandum ignem, sicut & in animalibus anima calore vtitur ad procreandum animal. Ad vltimam dicimus maiorem ità fore intelligendam, quòd id quod est principium distinguendi primò & essentialiter vnum ab altero, est principium essendi rei, iam verò primæ qualitates non sunt principia distinguendi primò & essentialiter vnum elementum ab alio, sed per accidens, & quò ad nos, perindè ac risibile & hinnibile dicuntur distinguere hominem ab equo, & propterea non sequitur primas qualitates esse principia essendi, & formas substantiales elementorum, & hæc satis.

Primarum qualitatum duæ sunt actiuæ, ut caliditas & frigiditas, duæ uero passiuæ ut siccitas. & humiditas.

LEgitur propositio ista apud Aristotelem duobus in locis 2. de gener. 8. & quarto Metheo. primo, in cuius expositione uaria fuit apud interpretes opinio, Marsilius, & alij quamplurimi dixerunt, quòd ista propositio non est absolutè intelligenda, ita vt duæ sint agentes tantum, duæ verò patientes tantum, siquidem omnes agentes, & patientes sunt, siue in elementis, siue in mixtis considerentur: sicut enim in mutua generatione ignis, & aqua calidum agit si frigidum, & è contra, & humidum agit in siccum, & è contra, similiter in procreandis mixtis omnes in eccellentijs suis corrumpi debent, vt inquit Philosophus secundo de Gener. 48. & ad quandam mediocritatem reduci, hoc autem fieri minimè potest, nisi per mutuam actionem, & passionem: sicut enim in mixtione à frigore calor, et à calore frigus, ità humor a siccitate, & siccitas ab humore reprimitur. sed ità, inquiunt, intelligenda est, quòd duæ sunt magis actiuæ ut calor & frigus, duæ verò magis passiuæ, & minus actiuæ vt siccitas, & humiditas, hoc sanè ordine. dicunt, hæ primæ qualitates à natura distributæ sunt, ut duæ maiore vi agendi præditæ sint vt caliditas, & frigiditas, duæ verò minore vt siccitas & humiditas licet; quò ad resistentiam opposito modo sese habeant, si quidem siccitas & humiditas, quæ minorem vim habent agendi, maiorem resistentiam habent quàm caliditas, & frigiditas: quoniam ergo caliditas & frigiditas maiorem vim habent agendi, minorem uerò siccitas & humiditas, proinde illæ actiuæ, hæ verò passiuæ qualitates ab Aristotele dictæ sunt. Sed opinio ista falsa est, siquidem Philosophus quarto Metheo. contex. primo inductione probans duas actiuas esse, duas verò passiuas, inquit, Caliditas, & frigiditas actiuæ sunt, quia terminant, & vniunt: siccitas uerò & humiditas paßiuæ; quia terminantur, & copulantur. vult ergo Philosophus quòd caliditas, & frigiditas sint actiuæ quia terminant, & uniunt passiuas, siccitas verò & humiditas passiuæ, quia terminantur ab illis: iam verò caliditas, & frigiditas terminant, et nō terminantur à passiuis: siccitas verò et humiditas terminātur; et non termināt neq; copulant actiuas ut caliditatē, & frigiditatē: igitur caliditas, & frigiditas sunt absolutè actiue, siccitas verò et humiditas absolutè passiuæ, præterea Philosophus inibi, & secundo de Gen. 8. et earū definitionibus idipsum confirmans, iuquit, caliditas & frigiditas dicuntur actiuæ, quoniam definiuntur per congregare, qaòd est agere, caliditas enim est quæ congregat homogenea, secernit verò & separat ætherogenea, frigiditas

giditas verò congregat vtrunque siccitas vero & humiditas paßiuæ dicuntur, quoniam definiuntur per terminari, quod est pati: humidum enim est quod alieno termino terminatur. Siccum uerò termino proprio cohibetur; iam verò calidiras & frigiditas definiuntur per congregare, & non per congregari: ergo definiuntur per agere, et non per pati. igitur sunt absolutè actiuæ, & non paßiuæ siccitas verò et humiditas definiũtur per terminari, et nõ p terminare, ergo definiũtur p pati, et nõ p agere. igitur sũt absolutè paßiuæ, et nõ actiuæ. non itaque secundum Aristotelem caliditas & frigiditas dicuntur actiue, quia sint magis actiuæ, siccitas verò & humiditas quia sint minus actiiuæ, & magis pasfiuæ. Aristoteli præterea in hoc aduesantur, quoniam Aristoteles non comparat vnam qualitatem vt caliditatem alteri vt caliditatem frigiditati & humiditatem siccitati, vel è contra, sed comparat vnam oppositionem alteri, vt caliditatem & frigiditatẽ vt agentem causam, humiditati & siccitati tanquam materię, vnde generationem definiens quarto illo Metheo. contex. 2. inquit, generatio est transmutatio ab his virtutibus vtpote à caliditate, & frigiditate cum rationem habuerint ex subiecta materia vnicuique naturæ, materia autem sunt dictæ uirtutes pasfiuæ, siccitas & humiditas. Insuper Arist. non considerat has qualitates. in ordine ad primas operationes vt caliditatem, & frigiditatẽ in ordine ad calefacere, et frigefacere, & siccitatem & humiditatem in ordine ad humectare, & exiccare, quæ sunt primæ harum qualitatum operationes, sed considerat has qualitates in ordine ad posteriores, & secundarias operationes, quòd ex eo patet, quia Philosophus probans quòd caliditas, & frigiditas sint actiuæ, inquit, quia terminant, & congregant, & definiuntur per congregare, siccitas verò & humiditas paßiuæ, quia terminantur, & definiuntur per terminari: iam uerò terminare & congregare, terminari & congregari sunt operationes posteriores, & secundariæ istarum qualitatum: Isti uerò comparant vnam qualitatem alteri vt caliditatem frigiditati, & siccitatem humiditati, & è contra. Insuper considerant istas qualitates in ordine ad primas operarationes quod est contra sententiam Philosophi, ea propter Ioan. Grammatic. secundo de Gener. super contex. 88. & Auer. in paraf. & commen. primo quarti Metheo. concordes dixere, quòd huiusmodi qualitates bif. considerari possunt: primò, quo ad mutuam permutationem & actionem earum, & prout vna alteri comparatur: Secundo, quo ad generationem mixtorum, tunc dicunt, quòd si primo modo considerentur omnes sunt actiuæ, & omnes pasfiuæ: sicut enim calidum agit in frigidum, & è contra; ita humidum agit ia siccum, & è contra: si verò secundo modo considerentur, duæ sunt actiuæ ut caliditas, & frigiditas:

duæ

duæ verò passiuæ, vt siccitas, & humiditas, & hunc in modum inquiunt, intelligenda est Aristotelis propositio, quòd duæ qualitates sunt actiuæ, duæ verò passiuæ videlicet in ordine ad generationem mixtorum, cuius etiam sententiæ visus est esse Galenus primo de facultatibus naturali. cap. 3. nisi quòd ipsam non intelligit in ordine ad generationem mixtorum vniuersaliter, vt Io. Gra. & Auer. sed ipsam perstringit ad animalia, & plantas, dicens, quòd in his duæ sunt actiuæ, & duæ passiuæ, atque hoc si quis pronunciet ere existratem cõsentientem habiturum. sed si vniuersaliter ita sese hab Hippocimauerit, non solum Hippocratem, sed etiam Aristotelem negaturum. Cæterum hæc Ioannis Gram. & Auer. sententia videtur habere difficultatem, quia non solum in generatione mixtorum duæ actiuæ, & duæ passiuæ esse dicuntur. sed vniuersaliter atque in omnibus, quoniam Philosophus 4. Meteo. contex. 1. ita scribit, siccitas & humiditas passiuę sunt nõ solum ut ex his concreta corpora sunt, sed etiam secundum se: igitur non solum in generatione mixtorum, duæ actiuæ & duæ passiuæ sunt, sed vniuersaliter, etsi secundum seipsas, considerentur. altera difficultas huiusmodi est, quia in generatione mixtorum non solum duæ actiuæ, & duæ passiuæ eße dicuntur, sed omnes actiuæ & similiter omnes passiuæ, quandoquidem in procreandis mixtis ad quãdam symetriam, & mediocritatem omnes reduci debent: hoc autẽ fieri minimè potest nisi inuicẽ agant, et patiantur; unde Auer. 2. de Genera. com. 49. inquit, quòd si calidum non eßet in mixto, frigidũ esset in fine, & in gradu summo, similiter si nõ reperiretur in eodẽ humidum, siccum esset in summo, quia talia non reducuntur ad tẽperiem nisi à suo contrario. Bucaf. super 4. Meteo. huic argumento pro istorum salute ità respondet, quòd uerũ est ut argumẽtũ demonstrat, quòd in generatione mixtorũ omnes sũt actiuæ & omnes paßiuæ, cùm verò cũ Arist. Jo. Gram. & Auerro. dicunt quòd duę actiuę sunt, & duę paßiuę, nõ intelligunt quòd duæ sint absolutè actiuæ, duę vero absolutè paßiuæ, ut siccitas & humiditas, quoniam hę agunt et ipsę, sed volunt quòd duæ dicantur actiuæ, quia principaliter agũt, duę uero pasßiuæ, quia minus principaliter agũt: siccitas enim & humiditas, inquit, nõ agunt nisi beneficio caliditatis, & frigiditatis, quia nõ agũt, nisi misceãtur, nõ miscentur nisi beneficio caliditatis, et frigiditatis, igitur nõ agũt nisi beneficio istarũ: quoniã ergo caliditas et frigiditas principaliter agũt. siccitas uero et humiditas min⁹ principaliter ꝓinde caliditas et frigiditas actiuę, siccitas uero & humiditas passiue qualitates ab istis dicuntur. et hãc Aristotelis Joã. Gram. & Auerrois extitisse sententiã arbitratur. Sed parcat mihi uir iste, nec Aristotelẽ, nec Joan. Gram. nec Auerro. intelligit Aristotelem quidẽ non intelligit, quoniam ut aduersus primã

opinionem ostensum fuit. Aristoteles uoluit quòd duæ sint absolutè actiuę, ut caliditas & frigiditas, quia terminant, & nō terminātur, definiunturq; per agere, & non per pati, siccitas verò & humiditas absolutè passiuæ, quoniam terminantur, & non terminant, definiunturque per pati, & non per agere. præterea vir iste comparat vnam qualitatem alteri: Aristo. aut comparat unam oppositionem alteri, ut caliditatem & frigiditatem, siccitati, & humiditati: inquit. n. in contex. 1. caliditas & frigiditas sunt actiuæ; quia terminant passiuas, & siccitas & humiditas passiuæ, quia terminantur ab actiuis. ecce quod comparat caliditatem & frigiditatem siccitati, & humiditati tanquam materiæ, nec Io. Gra. nec Auerroem intellexit, quoniam hi, ut accuratus Lector apud ipsos perlegere potest, uoluerunt quòd duæ sint absolutè actiuæ, & duæ absolutè passiuæ: nam Io. Gram. de Gener. 8 sic inquit mixta indigent calido, & frigido coniungente, & formante subiectū quidem & materiæ rōnem tenente humido & sic co. etenim in fictilium opificium humidum & siccum congressa, materia sunt, frigidum verò compingit, calidum vero mutat & facit fictile. hæc Io. Gram. in quibus verbis nemo est qui non intelligit Io. Gram. uelle duas esse absolutè actiuas, caliditatem scilicet, & frigiditatē: duas uero absolutè passiuas, nā inquit ꝙ caliditas & frigiditas copulāt, & trāsmutāt passiuas humidum & siccum, hæc aūt vt subiectū & materia transmutātur ab illis; certū est autē quòd materia nō format neq; trāsmutat, sed formatur, & trāsmutātur ab agente. igitur secundum Io. Gra. caliditas & frigiditas sunt absolutè actiuæ siccitas verò & humiditas sūt absolutè passiuę: aberrauit insuper, quoniam censuit Ioannem Gra. comparare unā qualitatem alteri, & considerare istas qualitates in ordine ad primas operationes, cū tamen cōparet unā oppositionem alteri, consideretque qualitates istas in ordine ad secūdas operationes: sic enim inquit Io. Gram. meminisse autem oportet vniuersaliter dicta in mixtorum generatione passiua quidem existens altera oppositio reliqua vero actiua. humidum enim & siccum materia sunt. calidum in vnum coniungit, & format, frigidum vero humidum & siccum compingit, quid clarius? cuius præcise sententiæ fuit Auerroes locis citatis, quippe qui in hoc Ioannem Gram. secutus fuit; nec profectò eiusdem hominis inconstantiam subiicere possum: nam paulo superius illorum sententiam redarguens, qui asserebant quod duæ qualitates sunt actiuæ, idest magis actiuæ: duæ vero passiuæ, idest minus actiuæ, & magis passiuæ, probauit quod propositio non erat ita intelligenda, sed quòd duæ absolutè actiuæ, duæ vero absolutè passiuæ dicendę sunt, postea vero quasi suimet oblitus aut potius vi argumenti coactus, dixit, quòd non dicuntur duæ absolutè actiuę, & duę absolutè

passiuæ, sed duæ dicuntur actiuæ, idest principaliter actiuæ: duæ vero passiuæ, i. minus principaliter actiuæ, sed quæstio 10. Gra. & Auer. sñia intelligēda sit, quæstione rationes cōtra ipsos allatæ sint persoluendæ, post determinationem nostram explicabitur. Interim quorundam nostri temporis Philosophorū sñiam considero, quippe qui propositionem istam exponentes per quædam dilucidare voluerunt, primum obiectum est hoc, ꝙ quando dicimus duas qualitates actiuas, & duas passiuas non cōparatur vna qualitas alteri, sed duæ qualitates alijs duabus qualitatibus comparantur. Alterum dictum est, quòd in mixti constitutione duæ sunt actiuæ, vt caliditas & frigiditas, duæ uerò passiuæ ut siccitas, & humiditas, declarans autem quomodo caliditas & frigiditas sint actiuæ, inquiunt, ꝙ caliditas dicitur qualitas actiua quia concoquit, & terminat: frigiditas uerò dicitur actiua, quia calorem contemperat, & eius feruorem reprimit, nam cum calor sit nimis potens non potest concoquere, aut mixtum generare, nisi sit temperatus: non fit autem temperatus nisi à frigiditate, quare frigiditas est qualitas actiua prout calorem contemperat: postremum eorum dictum est, quòd hæ qualitates ad duplicem operationem comparari possunt, ad operationem vniuocam, & æquiuocam vt vtar verbis eorum. vniuocas appellant vt calefacere, frigefacere, humectare, & exiccare: æquiuocas verò vt terminare, congregare, terminari, & congregari. tunc dicunt, quòd si considerentur quò ad operationes æquiuocas duæ sunt actiuæ, vt caliditas & frigiditas, duæ uerò passiuæ ut siccitas & humiditas. & hoc modo intelligitur Aristotelis propositio dicens, ꝙ primarum qualitatum duæ sunt actiuæ & duæ pasiuæ. tametsi distinctio de duplici operatione vniuoca, et æquiuoca uera sit, pariter & conclusio quæ ponitur in ultimo dicto, neque in hoc ab ipsis dissentiam, in dictis tamen ipsorum cōtradictio est, summaque inconstantia, & in quibusdam falsitas. quòd autem cōtradictio sit, ita ostendo. & primo, inter primum & secundum dictum, dicunt in primo dicto ꝙ cum dicimus duas qualitates esse actiuas, et duas pasiuas, non debemus comparare vnam qualitatem alteri, & tamen in secundo dicto comparant vnam qualitatem alteri vt frigidum calido, nam declarantes quomodo caliditas & frigiditas dicuntur actiuæ, inquiunt, ꝙ caliditas dicitur actiua quia concoquit, & terminat. frigiditas verò dicitur actiua, quia calorem contemperat, igitur frigiditas comparatur caliditati. quare secundum ipsas duæ dicuntur actiuæ, & vna comparatur alteri qualitati, quod tamen negant in primo dicto: est quoque contradictio inter secundum & ultimum dictum: dicunt enim in ultimo dicto ꝙ cum dicitur quòd duæ qualitates sunt actiuæ, hoc intelligitur quo ad operationes æquiuocas non vniuocas, ut calefacere, & frigefacere: tamen in secundo dicto dicunt oppo-

situm, nam declarantes quomodo duæ dicuntur actiuæ, dicunt quòd caliditas dicitur actiua, quia terminat & concoquit, frigiditas verò dicitur actiua quia calorem contemperat, & remittit: iam verò contemperare, & remittere non est actio æquiuoca, quia non est terminare, vel congregare. sed est frigefacere, vt eccessum caloris corrumpere. hoc autem est actio vniuoca. igitur frigiditas dicitur qualitas actiua quo ad actionem vniuocam. cum itaque in vltimo dicto asserant ipsi, quòd duæ sunt actiuæ qualitates respectu actionis vniformis, vt respectu actionis æquiuocæ, in secundo autem dicto quòd duæ sunt actiuæ respectu actionis difformis, vna vt caliditas respectu actionis æquiuocè, frigiditas verò respectu actionis vniuocæ, igitur inter secundum & vltimum dictum apertissima etiam est repugnantia, & præter id quòd in his dictis repugnantia est, illud secundum dictum in quo asserunt, quòd in mixti constitutione frigiditas actiuè concurrit, quatenus calorem contemperat, falsum est, & ab Aristot. alienum, vt paulo inferius demonstrabitur à nobis in explicatione generationis mixtorum ad quem locum Lectorem reijcimus & delegamus.

Propositionis dilucidatio.

CVM superius in aliorum explicandis opinionibus satis versati simus, nunc nostra est afferenda sententia, atque ipsa propositio dilucidanda. sed illud antea animaduertendum est, quòd qualitates istæ pluribus modis considerari possunt. primo quidem in ordine ad formam substantialem, prout sunt sunt materiæ dispositiones pro introductione ipsius formæ. secundo possunt considerari in ordine ad suas operationes: & quoniam istæ in duplici ordine sunt, aliæ quidem primæ, & propriæ magis: aliæ verò posteriores, & minus propriæ: primæ sunt vt calidi calefacere, frigidi frigefacere, humidi humectare, & sicci exiccare: posteriores verò vt terminare, & congregare, & id genus alia, quæ Aristot. enumerauit 4. Meteo. contex. 1: similiter terminari, & congregari, ideò in ordine ad has duas operationes considerari possunt, & in ordine ad primas operationes, & in ordine ad posteriores. quibus modo sic constitutis, ponimus has conclusiones ex quibus præsens dilucidabitur propositio, et Arst. sentētia q̄ ante hac nec rectè, nec plenè explicata fuit. Prima conclusio huiusmodi est, si considerentur primę qualitates in ordine ad formā substantialē introducēdā omnes sunt passiue, & se habēt vt materia, et in elemētis, & in mixtis: q̄ cōclusio ita probatur, Quę se tenēt ex parte materię cōcorrunt vt materia, sicut quæ se tenent ex parte agētis, cōcurrunt vt agēs: sed qualitates istæ respectu formę substātialis introducē-

da

dę se tenent ex parte materia, quia sunt materię dispositiones pro forma introducenda: igitur respectu formę introducendę tam in elementis, quàm in mixtis omnes sunt passiuę, & se habent vt materia: pręterea vt Themistius & Auer. dicunt tertio de Anima super contex. 36. hic Naturę ordo est vt imperfectioribus, & ordinatis in finē utatur loco materiæ, per fectioribus verò & fine loco formæ. cum autem qualitates istæ imperfectiores sint, & ordinatæ ad formam substantialem introducendam tamquam ad finem, igitur respectu formæ introducendę se habent vt materia, vnde Auer. 2. collig. cap. 11. loquens de vegetali sic inquit. Anima vegetalis, quia ordinata est ad Animam sentientem, stat loco materię, sentiens autem loco formę. & hunc in modum intelligitur illa Aristotelis au thoritas secundo de part. anim. cap. primo, vbi inquit, quòd caliditas, frigiditas, siccitas, & humiditas passiuę sunt, et se habent vt materia, videlicet respectu formæ introducendę. Secunda conclusio, si considerentur eædem qualitates in ordine ad primas earum operationes, omnes sūt actiuę, et omnes passiuę et in elementis et in mixtis; etenim paulo superius dictum fuit quod primę earum operationes sunt calefacere, frigefacere, humectare; et exiccare: iam uerò sicut calidum calefacit, et frigidum frigefacit, ita humidum humectat, et siccum exiccat, et hoc tum in elementis, tum in mixtis. in elementis quidem quia in mutua generatione ignis, et aquę sicut calidum calefacit et generat calidum corrumpendo frigidum, et e contra frigidum frigefacit, et generat frigidum corrumpendo calidum, ita siccum exiccat, et generat siccitatem corrūpendo humiditatē, et è contra humidum humectat et generat humidū corrūpendo siccitatē. in mixtis verò, quoniam cum in mixtis in gradu summo reperiri non possint, omnes remitti, & in eccellentijs suis corrumpi debent, sed non remittuntur nisi per mutuam actionem et passionem earum. Secundum quam mutuam actionem, et passionem omnes ad quandam mediocritatem, et æqualitatē quā secūdū iustitiā vocant reducūtur. itaque quo ad primas earū operationes, et in elemētis, et in mixtis oēs actiuæ sunt, et oēs passiuæ. Tertia enūciatio est, si cōsiderētur qualitates istæ in ordine ad posteriores earū operationes duæ tntū sunt actiuæ, & caliditas & frigiditas, duæ verò tantū passiuæ, & siccitas, & humiditas, tā secundū se, & vt in elemētis sunt, quā in mixti cōstitutione probatur conclusio hæc quò ad oēs partes, & primò quo ad primā partē, nā eo modo duæ dicūtur actiuæ, & duæ passiuæ sicut inductione, et earum definitionibus ab Arist. 2 de Gene. 8. et 4. Meteo. 1. probatum fuit, atqui ab Arist. probatum fuit duas esse actiuas, duas verò passiuas, quia duæ in oībus terminãt, et duæ terminãtur, et duę definiuntur per terminare, et congregare, et duæ definiuntur per terminari,

nari, sed hæ sunt operationes posteriores, & secũdariæ, igitur duæ sunt actiuæ & duæ passiuæ quo ad operationes posteriores, & secundarias. quod autem hoc modo duæ sint actiuæ, & duæ passiuæ secundum se, & vt in elementis reperiuntur, est aperta Arist. sententia 4. illo Meteo. contex. 1. vbi sic inquit, siccitas & humiditas passiuæ sunt siue secundum se, siue ut ex his concreta corpora sunt: præterea id probatur considerando fundamentum dicti Arist. nam duæ, inquit, dicuntur actiuæ, quia duæ definiuntur per cõgregare, quod est agere: duæ verò passiuæ, quia duæ definiuntur per terminari, quod est pati. iam verò definitiones istæ verificantur de qualitatibus secundum se, & vt elementis insunt, quia caliditas etiam secundum se, & vt elementis inest, dicitur congregare homogenea, & separare etherogenea: frigiditas etiam secundum se dicitur congregare homogenea, & etherogenea, similiter humidum & secundum se, & vt in elementis dicitur esse quod terminatur termino alieno, sic cum verò termino proprio similiter in mixti constitutione duæ actiuæ sunt, & duæ passiuæ, tum quia: definitiones illarum qualitatum verificantur de illis in mixti constitutione, & alijs passionibus mixti: tum quia generatio mixti ab Arist. definita 4. Met. 2. id apertissimè ostendit. ea. n. talis est, generatio est transmutatio passiuarum, vt humidi & sicci à calore, et frigore dominantibus supra passiuas, verum enimuerò circa hoc, vnum est admittendum, quod maximi momenti est, quòd in mixtorum generatione duo consideranda sunt. alterũ est mixtio, reliquum verò est ipsa generatio, quæ inter se discrepant, vt patet ex definitionibus earum. nam mixtio est miscibilium alteratorum vnio, vt patet sub finem primi libri de Gener. Generatio verò mixtorum est illa quæ nuper tradita est. iam verò cum dicitur quòd in mixtorum generatione duæ sunt actiuæ, & duæ passiuæ, non accipitur generatio pro mixtione præcedente, sed pro generatione per se, & absolutè vt excludit mixtionem ipsam, quoniã in his diuersimodè sese habent qualitates: in mixtione. n. omnes agunt & patiuntur, quoniã in mixtione omnes reprimuntur, & remittuntur, quod non fit nisi per mutuã earum actionem, et passionem, & quoniam non reprimuntur nisi per primas earum operationes, ideò in mixtione concurrunt quo ad primas earum operationes, & quoniam cum inuicẽ agunt vna alteri comparatur, ideo in mixtione vna qualitas alteri comparatur, sed in ipsa mixti generatione duæ sunt actiuæ tantum, vt calor & frigus: duæ verò passiuæ tantum, vt siccitas, & humiditas, in generatione quinetiam concurrunt quod ad posteriores operationes quò ad terminare, & terminari, vt patet quarto illo Meteo. contex. 5. vbi Philosophus sic inquit, ex his enim facta erant, & terminatum fuit humidum sicco, operantibus actiuis. cum igitur in præsenti Theoremate dicitur, quòd primarum

marum qualitatum duæ sunt actiuæ, duæ verò passiuæ, id intelligitur quò ad operationes posteriores, & hoc tam vt in elementis sunt, quàm in mixtis, vt à nobis declaratum est. cuius quoque opinionis fuere Io. Gram. & Auer. vt patet ex dictis eorum à nobis superius consideratis, in quam sententiam si ire voluit Galenus consentientem habet Aristotelem, sed solum in hoc redarguendus erit, quod propositionem ipsam perstringit ad animalia, & plantas, cum non solum in generatione animalium, & plantarum duæ sint actiuæ, & duæ passiuæ, sed etiam in generatione mixtorũ inanimatorum, vt potè metallorum, cum & talium generatio sit terminatio humidi & sicci, facta à calore, & frigore, quibus modò sic constitutis, diluuntur modo argumenta contra Ioan. Grammaticum & Auerro. supperius adducta, & primò cum dicebatur quod non solum in generatione mixtorũ duæ actiuę sunt, & duę passiuę, sed etiam vt in elementis sunt: dicendum, quòd cum summi isti interpretes dixerunt quòd duæ sunt actiuę & duæ passiuę in generatione mixtorum non intellexerunt hoc pręcisè, vt solum in generatione mixtorum duę sint actiuę, & duę passiuę: non autem vt in elementis sunt, quoniam voluerunt duas esse actiuas, & duas passiuas, vt etiam in elementis sunt, quòd ex eo patet, quia ipsi considerantes definitiones illarum qualitatum traditas secundo de Gener. 8. & 4. Meteo. primo, dubitarunt circa definitionem sicci, quę erat, siccum est quod terminatur termino proprio, quoniam ignis siccus est, & tamen non terminatur termino proprio, sed alieno, & difficultatem persoluentes Io. Gra. quidem secundo de Gen. 8. Auer. autem in paraf. quarti Meteo. dixerunt, quòd definitio sicci conuenit etiam igni, & per consequens definitiones illarum qualitatum conuenire illis, vt in elementis sunt, & quòd si uolunt definitiones primarum qualitatum, ut duæ sunt actiuæ, & duæ passiuæ verificari de illis, vt in elementis sunt, igitur volunt quod duæ sint actiuæ, & duæ passiuæ vt etiam in elementis sunt, & non solum in generatione mixtorum, sed eatenus dixerunt duas esse actiuas, et duas passiuas in generatione mixtorum, quia respexerunt finem, & præcipuam Aristotelis intentionem, nam finis, et præcipua Aristotelis intentio erat de his qualitatibus agere in ordine ad generationẽ mixtorum. quarto enim Meteo. cum dixit duas actiuas, et duas passiuas respexit generationem, et alias passiones mixtorum, de quibus agit ea in parte. et similiter secundo de Genera. 8. Aristoteles finem, et generationem mixtorum ad quam istę qualitates ordinatæ sunt, quod ex eo patet quia probans duas esse actiuas, et duas passiuas, probauit per eas operationes secundum quas principaliter concurrunt ad generationem mixtorum, et proindè isti respicientes, et præcipuam Aristotelis dixerunt duas actiuas, et duas passiuas in generatione

ratione mixtorum. Ad secundum autem cum dicebatur in generatione mixtorum omnes sunt actiuæ, & omnes passiuæ, quia omnes remittuntur: respondetur, quòd in generatione mixtorum, vt superius dictum est, duo sunt consideranda: vnum est mixtio, alterum verò est ipsa generatio. tunc dicimus, quòd ad mixtionem omnes sunt actiuæ, & omnes passiuæ. & in hac omnes remittuntur, & omnes ad temperiem reducuntur, in ipsa vero generatione duæ sunt actiua, & duæ passiuæ, & hoc modo intellexerunt Io. Gr. & Aue. acceperunt enim generationem nõ quò ad mixtionem præcedentem, sed ipsam generationem seclusa mixtione, vt patet legentibus verba ipsorum. propter cuius distinctionis ignorantiam Buccaf. nesciuit soluere hoc argumentum, & moderniores nostri in eam deuenere dictorum inconstantiam. Sed circa ea quæ superius à nobis determinata sunt, quædam occurrunt dubitationes. prima est, quia siccitas respectu passionum mixti non videtur esse tantum qualitas paßiua, sed etiã actiua si quidem ab Arist. 4. Meteo. 36. inter effectrices coagulationis causas connumeratur: inquit enim, coagulantur autem quæcumque coagulantur à calido, sicco, atque à frigido, neque dici posse videtur Aristotelem intelligere coagulationem fieri à sicco concurrente, vt materia coagulationis, à calore autem & frigore, vt à causa effectrice, quia cum non solum siccitas sit materia coagulationis, sed etiam humiditas, Aristoteles non solum enumerasset siccitatem, sed etiam humiditatem. cum igitur non enumeret humiditatem, sed siccitatem tantum, igitur vult siccitatem in coagulatione concurrere in genere causæ efficientis. altera difficultas est, quia calor & frigus non videntur agere poße in humidum & siccum, siquidem omnis actio fit ratione contrarietatis, vt habetur libro de sensu, & sensili: iam verò calor & frigus non sunt contraria humido & sicco, igitur in humidum & siccum agere minimè poßunt. quò ad primam difficultatem nullo modo probanda est. Alexandri sentẽtia, qui quarto Met. Com. 25. concedit quòd siccitas sit causa efficiens coagulationis, & consequenter ꝙ siccitas nõ solũ est qualitas pasſiua, sed ẽt actiua, siquidem, vt patet ex dictis siccitas & humiditas in passionibus mixtorum sunt tantũ passiuę, & vt materię concurrunt, sicut calor & frigus agentes sunt qualitates. sed dicendum est, quòd siccitas non est qualitas actiua, sed pasſiua tantum iuxta tertiam conclusionem. et cum dicebatur, siccitas ponitur ab Aristotele efficiens causa coagulationis. negatur, quia caliditas, & frigiditas tantum coagulationis effectrices causę sunt, vt patet in context. 30. vbi hęc scribit, agit agens duabus uirtutibus, & declarans quę sint istę virtutes, inquit, agit quidem calido, & frigido. cum autem inquit quod coagulatio fit à sicco, non intelligit, vt à causa efficienta, sed intelligit

tam-

quod coagulatio fit à ſicco, non intelligit, vt à cauſa efficiente, ſed intelligit tamquam coadiuuante, & conferente ad coagulationem, & ad actionem calidi coagulanti. nam & materia plurimum confert ad actionem agentis, & pro materiæ varietate agentis actio quandoque etiam variatur. confert autem ſiccum ad coagulationem, quatenus facit ad retentionem humidi, & prohibitionem fluxus, & ideò dixit Philoſophus à calido ſicco, & non dixit quòd fiat à calido humido, quia humidum potius confert ad oppoſitum, ſcilicet ad liquefactionem: ecce quomodo pro varietate materiæ variatur actio agentis, & hæc eſt cauſa quare Piloſophus mentionem fecit de ſiccitate, non autem humiditate, licet humiditas ſit materia coagulationis ſicut & ſiccitas, quia humiditas non confert ad coagulationem ſicut & ſiccitas, ſed potius ad oppoſitum, hæc de prima. Ad ſecundum autem dicitur, quòd id quod primo, & principaliter in alterum agit, in contrarium agit, & id quod primo ab altero patitur, à contrario patitur, & hoc pacto intelligitur illa maior propoſitio, ſi verò unum in alterum ſecundariò agat, inter illa contrarietas nõ requiritur: iam verò calor & frigus non agunt primo, & principaliter in humidum & ſiccum, ſed ſecundariò, & veluti per modum ſequelę: nam calidum primo agit in frigidum coniunctum humido et ſicco, conſequenter autem agit in humidum ipſum terminando, quatenus calefaciendo reſoluit partes humidiores, quibus reſolutis remanet humidum magis cõſiſtens, & magis craſſum, ſimiliter frigidum primo frigefacit, & agit in calidum coniunctum cum humido & ſicco, conſequenter, autem humidum terminat, quatenus frigefaciendo condenſat & exprimit partes humidiores, quibus eductis, atque expreſſis remanet humidum magis conſiſtens, & magis craſſum, vt videmus hiberno tempore lutũ à frigore terminari, & hæc pro dilucidatione huius Theorematis dicta ſint.

Calidùm eſt quod congregat homogenea, & diſgregat etherogenea.

SCRIBITVR *hęc calidi definitio ab Ariſtotele duobus in locis ſecundo de Gene. 8. & quarto Mete. primo, quæ vtrobique poſita eſt ad prodandum quòd calidam ſit qualitas. actiua, in cuius propoſitæ definitionis dilucidatione, perpendam primo, an definitio iſta ſit conuenienter tradita: dubitabo ſecundo an ſit vera, & quomodo intelligenda ſit, explicabo: quò ad primum non videtur definitio hæc conuenienter tradita, quoniam quotieſcunq; aliqua definitio datur à poſteriori, & per operationes, illa dari debet per operationes primas, et principales, nõ autẽ per ope*

rationes posteriores et secundarias, atqui definitio ista calidi datur p operationes posteriores: igitur non est congruè, & conuenienter tradita. probatur minor, quia calefacere est operatio prima, & principalis calidi: congregare autem est operatio posterior, & secundaria, quia calidum non congregat nisi quia primò calefacit. iam verò definitio hęc non datur per calefacere, sed per congregare, igitur datur per operationes a posteriores, & secundarias. Pro solutione animaduertendum est, quòd calidum bif. cõsiderari potest, vno modo vt calidum est, & secundum propriam eius naturam: alio modo, vt ordinatum ab agente principali ad generationẽ mixtorum tanquam ad finem. si primo modo consideretur, tunc prima & principalis eius operatio est calefacere, secundaria autem est congregare homogenea, & terminare: si verò secundo modo consideretur, res econtra se habet, nam prima et principalis eius operatio est congregare homogenea, & terminare humidum cum sicco, quod ex eo patet, quia si consideretur calidum in ordine ad generationem mixti, debet primò & principaliter agere operationes, in quibus consistit generatio mixti, atqui generatio mixti consistit in congregatione eorum, quę homogenea sunt, & terminatione humidi cum sicco, vt inquit Philosophus 4. Meteo. contex. 5. dicens, ex his enim facta erant, & terminatum fuit humidum sicco operantibus actiuis, itaque in ordine ad generationem mixti prima & principalis eius operatio est congregare homogenea, & terminare humidum cum sicco. sed quoniam nec homogenea congregari possunt, nec terminari humidum cum sicco nisi mediante calefacere, ideo quò ad mixti generationem calefacere est secundaria, & quasi per accidens operatio calidi, prout inseruit, & est conditio necessariò requisita ad congregandum, & terminandũ in quibus principaliter consistit generatio mixti: Secundò animaduertendum est, quòd hęc definitio data est de calido pręsertim in ordine ad finem, vt potè ad mixtum, quoniam quarto illo Meteo. calidum, & cæteræ qualitates primæ considerantur in ordine ad generationem, et alias mixti passiones, similiter cum Philosophus secundo de Gener. 8. definiuit calidum maximè respexit finem, & mixtum ipsum, quibus ità cõstitutis dico, quòd hæc definitio calidi data est per primam, et principalem operationem, quoniam data est in ordine ad mixti constitutionem, in qua prima, & principalis eius operatio non est calefacere, sed congregare homogenea, & terminare, quin immo si definitio hæc data fuisset per calefacere, data fuisset per operationem secundariam, quoniam secundum hanc operationem concurrit secundariò prout inseruit ad congredandum, & terminandum quæ est operatio primo intenta. ad argumentum ergo formaliter negatur minor, & ad probationem dicitur. quòd calefacere est prima & principalis

operatio considerando calidum vt calidum est, & secundum intentionem propriam: sed secundo modo in ordine ad mixtum res econtra se habet, vt declarauit. Quo ad secundum videtur definitio hæc de veritate suspecta, quia calidum non tantum homogenea, sed etiam etherogenea congregare videtur. nam in generatione mixti calidum vnit, et congregat humidum cum sicco, quoniam generatio mixti non fit ex humido solo, nec ex sicco solo, sed ex permixtione humidi cum sicco, hæc autem etherogenea sunt, & diuersæ speciei; similiter in concoctione, quæ a calido celebratur, calidũ simul vnit, et congregat humidum cum sicco, quia humidum solum digeri, & terminari non potest. atque diuersa simul congregat alimenta, ex quibus in ventriculo conficitur chilus, qui ex diuersis rebus permixtus est. calidum igitur non tantũ congregat homogenea, sed etiam etherogenea. Buc caf. super 4. Meteo. his rationibus coactus concedit, quòd calidum non solum congregat homogenea sed etiam etherogenea. ad definitionem autem traditã de calido ab Arist. inquit, quòd hæc calidi definitio vt in pluribus intelligenda est, non autem uniuersaliter, quoniam quandoque calidum cõgregat homogea & etherogenea simul, vt in generatione mixtorum, et in concoctione probatum est. sed responsio ista ab Arist. apertissimè dissentit, quoniam Philosophus quarto Met. contex 1. inductione probans quòd calidum & frigidum sint qualitates actiuæ, hæc habet, fides autem horum ex inductione, videmus enim in omnibus calidum, & frigidum terminantia; & copulantia, hæc homogenea, vt calidum; hæc uerò etherogenea vt frigidum, Aristoteles inquit, in omnibus calidum congregare homogenea, & disgregare etherogenea, igitur vult quòd definitio ista vniuersaliter intelligatur, & non vt frequenter, vndè asserere quòd definitio ista non est vera vniuersaliter, & in omnibus, est destruere verba Aristotelis tam apertè dicentis id in omnibus verum esse præterea definitio & definitum conuertuntur, igitur calidum, & definitio calidi conuerti debent, si conuertuntur, igitur definitio hæc debet esse vniuersaliter vera, alioquin si non esset vniuersaliter vera, definitio, & definitum non conuerterentur, quod dici nequit, ea propter Albertus Mag. quarto Mete. cap. 4. & Zimara in Theorematibus, quos & complures alij secuti sunt: alio modo respondent, dicentes, quòd calidum bif. considerari potest, vno modo vt calidum est, & secundum naturam propriam: alio modo vt naturale & alterius instrumentum, tunc inquiunt quòd si calidum primo modo consideretur, vt sic congregat homogenea, & secernit etherogenea, et hunc in modum hæc definitio calidi intelligenda est. si vero secundo modo calidum cõgregat homogenea, & etherogenea, vt contingit in generatione mixtorũ, & in concoctione in quibus calidum non agit vt calidum, & secundum na-

turam propriam, sed vt naturale, & regulatum ab alio agente principali. Cæterum nec horum sententia vera est, quoniam definitio ista competit calido vt regulatum est ab agente principali, quòd ita probatur definitio ista competit calido prout etiam est causa generationis mixtorum, & concoctionis, sed calidum quod est causa generationis mixtorum, & concoctionis est calidum vt naturale, & alterius instrumentum, non autem vt calidum est, quia vt calidum non agit vltra proprium gradum, nec generat substantiam, sed calidum tãtum, igitur definitio ista competit calido etiam vt alterius instrumentum est. & per consequens calidum, vt alterius instrumentum congregat homogenea, & disgregat etherogenea: probatur maior, nam cum Philosophus contex. 1. quarti Meteo. statuisset quod quatuor sunt qualitates primæ, & ex earum definitionibus probasset, quòd duæ agentes sunt, duæ vero patientes, in contex. 2. sic inquit, Determinatis autem his agendum est de operibus harum primarum qualitatum, declarans autem quæ sint, istarum opera, inquit, simplex generatio & opposita mutatio proponit igitur Aristoteles deßerere de generatione, & est effectus primarũ qualitatum, vt duę agentes sunt, & duæ patientes: igitur ibi in contex. 1. definit calidum quod est qualitas actiua pro ut est causa generationis mixtorum, & concoctionis, sed hoc est calidum vt naturale est, & alterius instrumentum: ergo definitio ista competit calido prout est alterius instrumentum, quod erat probandum, ac proinde calidum non solum ve calidum, sed etiam vt alterius instrumentum congregat homogenea, & secernit etherogenea.

Definitionis dilucidatio.

ALIORVM reiectis opinionibus, affero ego verum huius definitionis intellectum, & dico quòd quando Philosophus inquit, quòd calidum congregat homogenea, & secernit etherogenea, per homogenea non intelligit ea quæ sunt vnius & eiusdem speciei, nec per etherogenea quæ sunt diuersarum specierum, quoniã tam calor vt igneus, quàm ut alterius instrumentum cõgregat ea quæ diuersarum sunt specierum, ut patet in mixtura ex diuersis rebus apud ignem apposita, & in generatione mixtorum, & in concoctione, in quibus humidum, & siccum quæ alterius sunt speciei simul uniuntur, & congregantur: sed per homogenea intelligit ea quæ homogeneã & similem habent complexionem, & qualitatem, vt quæ sunt consimiliter liquabilia, uel grauia, & leuia, atq; intelligit ea quæ in vnam naturã homogeneã conuerti possunt. per etherogenea verò quæ dissimilis sunt complexionis, & qualitatis, & quæ in unam naturã conuerti non possunt, vt gr. exempli in generatione mixtorum humidum & siccũ

simul

simul unita prout apta sunt conuerti in unam naturam mixti, homogenea dicuntur, licet specie distinguantur: illæ uero partes humidi, & sicci quæ apte non sunt conuerti in unam mixti naturam etherogeneę, & dissimulis naturæ dicuntur; & proinde separantur & secernuntur, similiter in concoctione illa alimenta quę apta sunt conuerti in uentriculo in unam naturam Chili homogenea dicuntur, licet specie distinguantur, illa uerò quę in naturam Chili conuerti apta non sunt, ut sunt fęces, & excrementa etherogenea dicuntur, & proinde secernuntur, & similiter in generatione sanguinis & membrorum, quę in eorum naturam apta sunt conuerti homogenea, quæ uerò minimę, etherogenea dicuntur, cum ergo dicitur calidum est quòd congregat homogenea, & secernit etherogenea, sensus est. calidum congregat quæ sunt similis naturæ, & complexionis, & quæ in unam conuerti possunt: disgregat uerò etherogenea, hoc est, quę sunt dissimilis naturæ & complexionis, nec in unam naturam conuerti apta sũt. quæ sanè definitio uniuersaliter, et in omnibus ueritatem, habet, ut ipsemet inquit Arist. atque de calido siue secundum propriam naturam fuerit conderatum, siue ut alterius instrumentum, uerificatur: hinc fruunt rationes contra definitionem superius adductæ, quoniam ij termini non significant ea, quæ sunt eiusdem, uel alterius speciei, sed quæ similis sunt complexionis, et in unam naturam conuerti apta sunt, et in hoc distinguitur calidum à frigido, quoniam frigidum indifferenter congregat quę sunt similis et dißimiles complexionis, ut patet in miscella ex plumis, paleis, lapillis, et ferro, et quæ in unam naturam conuerti, uel non conuerti possunt, et ob id frigidum ab Aristotel. ita definitum fuit, frigidum congregat homogenea, et atherogenea.

Calor terminat, unit, & condensat.

SCRIBITVR *propositio ista ab Aristoteles 4. mete. contextu primo nec non cap. de con. et de coagulatione, sed quoniam non satis animo consequi potest. quoniam pacto calor cuius proprium est rarefacere, et attenuare, terminet, uniat, et condenset. eo quæ magis quod proprium frigidi est condensare. ut 2. de part. animal. capitulo primo colligitur. ubi philosophus inquit quod raritas, et densitas; calidum, et frigidum ut potè in mortalibus, consequuntur et quoniam oppositorum oppositæ sunt proprietates; ideò cum calidi sit rarefacere, frigidi proprium erit condensare, & per consequens terminare, idcircò huius propositionis ueritas illustranda est. explicandumue quonam pacto calor has inter se pugnantes operationes*

absol-

absoluat. Putauit Zimara Theoremate 17. hac distinctione ex hoc nodo sese explicasse, calorem per se imsum consideratum rarefacere, & attenuare, eundem verò vt cęlestis corporis, aut animæ instrumentum. terminare, & condensare; nec absurdum quidem esse idem, vt præcipuum agens, & ut alterius instrumentum diuersas, oppositasque habeat operationes. Sed vir iste nec Aristotelem, nec ipsam rei naturam animaduertit. Nam coagulatio fit à calore per se ipsum considerato: & tamen coagulatio condensatio est, humidique terminatio: ut Aristoteles eo libro cap. de coagul. declarauit; enim verò oua, quæ alioquin fluxilia, & interminata sunt. si igni suę naturæ derelicto apponuntur à calore ipsius ignis coagulãtur, & condensantur: igitur calor etiam per se ipsum consideratus terminat, & condensat. Quod etiam ex modo, quo calor terminat, et condensat, facilè ostendi potest. enimuerò calor per humidi euaporationem has operationes absoluit. vt etiam Aristoteles loco nuper citato declarauit. iam uerò calor non solùm, ut animæ instrumentum, sed etiam per se ipsum agens, excalefaciensque corpus mixtum attenuat, attenuandoque facit humidum subtile euaporare; igitur calor elementaris, & per se ipsum acceptus eodem modo terminat, & condensat, non secus àc, ut animæ, aut cęlestis corporis instrumentum.

Dilucidatio.

QVA propter multo verius dicendum est. quod calor per se rarefacit, & attenuat: non tamen primò. siquidem per se primò calefacit: hæc enim prima est, & præcipua caloris operatio, ad quam cęteræ consequuntur. ex accidenti autem terminat, condensat, & vnit neque in congruum quidem est. ab vno, & eodem oppositas operationes prodire, quarum vna sit per se, altera verò ex accidenti, vt 2. phy. cont. 3. proditum est enimuerò calor per se calefacit. ex accidẽti autem refrigerat, nec non frigus per se frigefacit, et accidenti autem excalefacit, et ob id hyeme, & vere ventres calidiores sunt, melioresque fiunt concoctiones quàm æstate. vt primo Aphoris. libro magnus ille Hippo enunciauit, & quoniam oppositorum oppositæ sunt proprietates per se, idcirdò sicuti calori per se competit, rarefacere, & attenuare, ità frigori per se competit condensare & terminare, hinc peruulgata illa propositio orta est, proprium calidi est rarefacere, frigidi autẽ condensare: huiusmodi autem operationes calor absoluit, siue per se ipsum accipiatur, siùe animę sit instrumentum, non enim ab anima cuius est minister has operationes sortitur. siquidem terminare, & condensare ad rarefacere, & atten

insequuntur,

insequuntur, hęc autem duo immediatè ipsum calefacere comitantur, quod sanè caloris naturam insequitur. sed ab anima, cui calor famulatur, in concoctione, animantiumque generatione terminãdi, condensandique prę finitam quandam mensuram acquirit. quam ex se calor non habet, vt 2. de anima cont. 41. his verbis Aristoteles declarauit omnium natura cõstantium, quæ. s. augentur, terminus est incrementi: id autem animę est, & formæ, non autem ignis, ob quam sanè causam in animantibus præter calorem uirtutem quandam superiorem necessariam esse probauit, quæ nutritionis, & incrementi princeps causa esset, quæue legem, & terminũ in his operibus exercendis calori imponeret, insuper ab anima vim, et facultatem quandam acquirit substantiam producendi, vt carnes, & ossa, totamque animantis substantiã ex semine, quę quidẽ proprijs viribus nequaquam efficere posset. siquidem nihil ultra proprium gradum agere potest. & ex non substantia nullo pacto substantia produci potest. ut primo phys. contextu 52. decretum est. sed calefacere, rare facere, attenuare, nec non terminare, & condensare, ab anima non habet, nec ab alio agẽte principali: sed proprijs uiribus eas absoluit, illas quidem per se, has uerò ex accidenti, & hoc pacto Aristotelis sententia in hoc theoremate intelligi debet. Duobus autem modis calor terminat, & condensat: primo quidẽ per humidi euaporationem, ut 4. mete. cap. de coagul. Aristoteles declarauit: calore enim calefaciente, & attenuante tenuiores humidi partes euaporant. quibus sanè euaporantibus terrestre relinquitur humidum, atque consistens, sicuti usu uenit, cum calor solis lutum terminat, atque condensat, tenuioribus humidi partibus euaporantibus. secundò, per humidi commixtionem cum sicco terrestri, easdem operationes exercet. nã cum calor calefacit, & rarefacit, partesque relaxat, in causa est, ut humidum per omnes partes sicci sese diffundat, ac proinde optimè permisceatur cum sicco terrestri, ex qua permixtione humidum terminatur, densiusq; efficitur etenim quo magis aqua uel humidum cum sicco terreo permiscetur, eo magis terminatur, densumq; redditur. mutuò enim ista duo sibi inseruiunt, nam terra aquę consistentiam tribuit, aqua uerò terræ continuitatem largitur, ut 2. de ortu contex. proditum est. quamobrẽ nisi rarefacere, & attenuare præcesserint, calor neque terminare, neque condensare, aut quippiam indurare potest, ex quo sequitur calorem non in simplicibus elementis, sed in mixtis tantum corporibus. has operationes obire. nam cum calor terminet, & condenset, uel per humidi euaporationem remanente sicco terrestri, uel per humidi commixtionem cũ sicco. in simplicibus autem elementis, cum nec unum, nec alterum repeiatur, idcirco calor in his nec unam, nec alteram operationem exercet,

quod

quod etiam 4. meteo. cap. de coctione his uerbis Aristoteles declarauit, aqua sola à calore non incraßatur, neq; terminatur, ac proinde non concoquitur, quinimo à calore magis, atque magis rarefit, interminataque redditur. quo theoremate sic explicato, vnicuique iam satis aperta potest esse solutio illius dubitationis, quæ in definitione concoctionis aduersus effectricem causam concoctionis allata fuit, quoniam pacto calor concoctionis, quę humidi terminatio est, effectrix causa esse possit, cum caloris proprium sit rarefacere, & attenuare, & hæc satis.

Generatio simplex, & naturalis, est mutatio ab his virtuti bus, cum habuerint rationem ex subiecta materia vnicuique naturæ.

SCribitur hæc generationis definitio ab Arist. quarto Meteo. contex. 2. in cuius dilucidatione quatuor consideranda sunt, primo quidem an hæc definitio sit generationis in communi simplicium, et mixtorum, an mixtorum tantum: secundo qua Methodo definitio ista inuenta fuerit: tertio, tota explicabitur definitio: postremo nonnulla soluentur dubia quæ huic definitioni officere videntur. ut autem ad id quod primo propositum fuit redeamus, dicendum, quòd definitio ista non est generationis in communi, videlicet elementorum & mixtorum, sed mixtorum perfectorum tantum, quòd ex eo patet, quoniam definitio quarto Meteo. definita est mutatio passiuarum ut humidi & sicci ab actiuis qualitatibus ut à calore, & frigore, igitur generatio ibi definita est quæ fit interuentu omnium qualitatum prout duæ agentes sunt, duę uerò patientes, iam uerò elementorum generatio non est huiusmodi, non enim generatio ignis est mutatio humidi & sicci cum prædominio calidi, & frigidi, & ità de alijs. igitur definitio ista non competit generationi elementorum, nec per eandem rationem competit generationi mixtorum imperfectorum, quia nec talium generatio fit interuentu omnium qualitatum prout duę sunt actiuæ, & duæ passiue, sed potius hæc est alteratio quædam elementorum, quia mixta imperfecta, ut pluuia, nix, & grando & id genus alia non uidentur esse nisi elementa alterata prout recedunt à propria ipsorum natura, solum itaque hęc generationis definitio competit generationi mixtorum perfectorum, generationem enim & corruptionem communem simplicibus & mixtis definiuit Arist. 1. de Gene. contex. 23. cuius definitio explicata fuit, sed aduertendum quòd licet definitio ista conueniat generationi mixtorum animatorum, non competit generationi mixtorum animatorum ut animata sunt, quia generatio animatorum, ut animata sunt,

est

est illa quę ab Arist. definita fuit in libro de mor. & uita, cum inquit, generatio est participatio Animę à calido naturali, & uita est eius permãsio, sed conuenit generationi mixtorum animatorum, vt mixtà sunt, & hoc modo intelligenda sunt illa Arist. uerba in context. 2. cum inquit, hęc enim ut generatio corruptio, & alia insunt animalibus & plantis et partibus ipsorum ut mixta sunt, itaque definitio hęc conuenit generationi substantiarum, quæ ex perfecta elementorum commixtione oriuntur ut mixta sunt: quę generationis definitio præire debebat definitionem generationis animatorum ut animata sunt, quia ratio mixti est prior, et cõmuniter quam sit ratio animati, prior quidem quia mixti constitutio est dispositio ad esse animati, neque .n. animatũ generari potest nisi post mixti constitutionem: communior verò quoniam mixtum infertur, sed nõ infert animatũ, unde Philosophus in pertractando de generatione eã lege seruauit & ordinem quem proposuit primo Phis. 4. & 57. uidelicet à communioribus ad minus communia: primo .n. in 5. Phis. definiuit generationem in communi ad substantiam; ibi .n. definiuit generationẽ prout est mutatio inter contradictoria contradistincta ab ea mutatione, quæ fit de subiecto in subiectum, & de termino positiuo, in terminum positiuum, atqui mutatio inter contradictoria prout est contradistincta ab ea mutatione quę fit inter terminos positiuos est generatio in communi ad substantiam, & accidens. igitur eo in loco huiusmodi generatio definita fuit, postea ad minus communia descendens egit solum de generatione substantiæ in communi ad simplicia & mixta, quam sanè definiuit primo de Gener. 23. postea absoluto sermone de simplicibus & mixtis imperfectis egit de generatione mixtorũ perfectorũ ut mixta sunt, quarto Metheo. et est hæc quam præ manibus habemus considerandã: postremo tradidit definitionem generationis animatorũ tantum in libro de mor. et uita. iam ergo habes quibus hęc generationis definitio conueniat, & qua ratione cõueniat. Nũc qua ratione, et methodo inuẽta sit, consideremus. hoc modo et uia, ni fallor, Hæc generationis definitio inuẽta fuit, nã mixta ut aurum, et argentũ, & animantia quęque neque ex solo humido, neque ex solo sicco generari possunt: non ex solo humido, quia humidũ fluxibile est atque interminatum, neque ex solo sicco, quoniã consistentiam nõ habet. igitur generantur ex humido et sicco, sed ex his generari minimè possunt nisi congruè permisceãtur, et terminentur, ut patet exemplo fictilium, & panis quæ generari non possunt nisi ea ex quibus fiunt debitam habeant consistentiam, & terminationem: humidum igitur & siccum congruè misceri, & terminari debent, sed humidum & siccum non terminantur, neque miscentur nisi à calido, & frigido, quæ mi-

KK *scere,*

scere, vnire, ac terminare dicuntur. Cæterum quia calidum, & frigidum neque miscere, neque perfectè terminare possunt humidum et siccū nisi humido & sicco dominentur, quoniam agens si patiens trāsmutare dēnt, patiēti dominari debet, igitur calidum & frigidum humido & sicco dominari debent, quare mixta non generantur nisi per mutationem & unionem humidi & sicci factam à calido & frigido dominantibus supra humidum, & siccum: itaque mixtorum generatio est mutatio ab actiuis, calido scilicet & frigido dominantibus supra passiuas, & hæc est uia qua hęc generationis definitio inueniri potest, & meo indicio ab Arist. inuenta fuit, quæ sequenti cap. explicabitur.

Definitio generationis explicatur.

Quibus conueniat propositæ generationis definitio, & qua ratione conueniat, quavè ratione & vi inuenta sit, superiori c. explicatū fuit, nunc definitionem ipsam perpendamus, in cuius explicatione illud in primis sciendum, quod per generationem simplicem non intelligit generationem rei simplicis, uel generationem in communi, ut censuit Alber. Mag. sed generationem ut rectè exposuerunt Alex. & Olimp. quæ dicitur generatio simplex ei comparata, quæ accidentium existit, quæ non est generatio simpliciter, sed secundum quid, nec ita communiter capitur sicut dicebamus prius, sicut in primo libro de Gener. sed solum pro generatione mixtorum perfectorum, quæ dicitur generatio simplex, utendo nomine generis pro nomine speciei, quia nomen speciei non habemus, quo mixti generationem nuncupare valeamus sicuti corruptionis naturalis mixtorum quę generationi contraria est, speciale nomen habemus, & appellatur putredo, per naturalem autem intelligit generationem perfectam, et absolutam, quòd ex eo patet, quia accipit generationem naturalem ut contradistinguitur ab ea quæ dicitur Molynsis, & generatio imperfecta, inquit enim generatio naturalis fit cum actiuæ perfectè dominantur passiuis: cum autem non perfectè dominantur passiuis fit Molynsis, hæc autem est generatio imperfecta, itaque per generationem naturalē intelligit generationem perfectam. Insuper animaduerte quòd generatio hoc in loco definita alio modo sumitur, ac sumatur in primo lib. de Gen. nam ibi sumitur generatio pro introductione formæ substantialis, quod ex eo patet, quoniā ibi accipitur generatio vt contradistinguitur ab alteratione: etenim in cōtex. illo 25. differentiā ponit inter generationem et alterationē, igitur accipit ibi generationē, exclusa alteratione, hic uerò capitur pro aggregato ex alteratione præcedente,

te, et introductione formæ, quibus sic declaratis, dicit Philosophus, quòd hæc generatio est mutatio à qualitatibus actiuis, sed quę mutatio sit ista à qualitatibus actiuis nō ita conspicuū est, rā ut alias monuimus, duplex est primarum qualitatum operatio, vna quidē prima, & propria magis, ut calefacere, et frigefacere, alia verò est secundaria, vt terminare, & terminari, iam verò dubium est, an mutatio hęc sit quoad primam operationem, an quo ad secundariam. ad quod dicimus resolutè, quòd mutatio hæc intelligitur quo ad operationem secundariam, ut terminare, & terminari, quod ex ipsomet ostendimus Aristot. sumpto fundamento ex contex 2. illius quarti, vbi inquit, quòd ea in parte agitur de generatione, & de operibus primarum qualitatum, vt duæ sunt actiuę, et duæ passiuæ, tunc sic arguitur, Generatio est mutatio primarum qualitatum, vt duæ sunt actiuę & duæ passiuæ, sed duę dicuntur actiuę ex contex. primo, quia terminant, & copulant, duæ uerò passiuæ quia terminantur, & copulantur. igitur generatio est mutatio primarum qualitatum vt duæ terminant. & duę terminātur. quod cōfirmatur ex tex. 6. vbi hęc habentur uerba, ex his enim facta erant, & terminatū fuit humidum sicco operantibus actiuis. ex quibus uerbis facilè intelligitur, quòd generatio est mutatio penes terminare, & terminari, & ita penes secundarias operationes, licet istæ respectu generationis sint primæ, & principales. itaque generatio est mutatio, hoc est vnio, & terminatio passiuarum qualitatum facta ab actiuis qualitatibus, hę autem sunt calidum & frigidū, (cum habuerint, inquit, rationem ex subiecta materia unicuique naturæ.) declarat in his uerbis quando hęc mutatio fiat ab actiuis qualitatibus, fit, inquit, cum actiuæ qualitates habuerint rationem ex subiecta materia unicuique naturæ, quam partem exponens Suessanus, inquit, quòd actiuæ qualitates rationem habere dicuntur ex subiecta materia, quatenus à passiuis qualitatibus agendi rationem acquirunt, ex illis autem agendi rationem acquirunt, quatenus ab illis repatiuntur, & ad tēperamentum reducuntur, quæ cum fuerint temperatæ generantis rationem acquirunt. sed ista expositio falsissima est, quoniā uult Philosophus quòd generatio sit actus calidi, & frigidi vt agentis, & motoris, passiuarum uerò ut humidi, & sicci tanquam materię. unde inquit, mutatio fit à qualitatibus actiuis cum habuerint rationem ex subiecta materia, hęc autem sunt dictę uirtutes passiuę, tunc ita ratiocinamur, materia secundum quòd materia passiuum est, & non habet rationem agentis, ut habetur primo de Gen. 55 & in secundo libro contex. 53. passiuæ qualitates in generatione concurrunt ut materia, igitur in generatione mixtorū non habent rationē agentis, & consequenter non reagunt in actiuas qua-

litates, consimili ratione usus est Alex.4. Met. 25. ad probandū, quòd humiditas non potest in coagulatione, & alijs passionibus mixti habere rationem agentis. præterea actio & reactio fit inter qualitates unius oppositionis, & comparando unam qualitatem alteri, ut calidum frigido, & humidum sicco, & fit secundum primas operationes vt habetur ex Arist.3. de animal.Gener. cap.4. vbi utrunque tangere videtur, dicēs, agens in agendo repatitur, ut calidum à calescente frigido refrigeratur refrigerare verò est operatio prima, sed in generatione mixtorum non comparatur una qualitas alteri, sed una oppositio alteri oppositioni, ut calidum, & frigidum humido & sicco, nec actio calidi & frigidi in humidum et siccum fit quò ad operationes primas, sed quo ad secundarias: igitur in generatione mixtorum inter actiuas & passiuas non reperitur actio, & reactio, nec cum actiuæ agunt in passiuas ab illis repatiuntur: ut inquit Suess. sed actio & reactio fit in mixtione, in qua remittuntur & in excellentijs suis corrumpuntur, ut inquit Philosophus 2 de Gen.48. et consequenter in mixtione generandi rationem acquirunt, non autem in generatione mixtorum; etenim in hac humidum & siccum nullam actionem habent, sed solum ab actiuis patiūtur quatenus ab actiuis miscētur, & terminantur ab illis. Dicamus ergo nos cum Aristotele qui seipsum interpretatur, nam cū dixisset quòd calidū & frigidū generāt cū habuerint rationē ex subiecta materia, quasi seipsum declarās, subdit (generāt aūt calidum & frigidum cum vincunt materiam,) in quibus uerbis ostēdit quòd calidum et frigidum eam rationē debent habere supra passiuas, ita ut uincant et dominētur passiuis: hæc enim est ratio, et proportio quā agens supra patientes habere debet, ut agens dominetur patienti, aliter si non dominetur non poterit patiens transmutare, et tunc sensus erit, generatio fit a qualitatibus actiuis cum habuerint rationē supra materiā, & supra passiuas hoc est cum uincunt, et dominantur passiuis, quā etiā expositionem tradidit Olimp. in eo loco. sed animaduerte, quòd licet actiuæ passiuis dominari debeant, hoc non intelligitur pro quolibet excessu, quia si quoquomodo dominentur, non poterunt perfectè transmutare passiuas ad formā mixti sicut in elixatione contingit, in quā si calor non perfectè dominetur humido, non fit perfecta elixatio, sed Molynsis, & diminuta concoctio. quod tangit Philosophus in contex. dicens, cum autē non dominantur, scilicet perfectè, sed quoquomodo fit Molynsis, & indigestio, quare actiuæ qualitates perfectè passiuis dominari debent. Nec propterea debet esse summus, et maximus excessus, quoniam potius destruerent, quàm generarent, sed esse debet excessus in tali mensura & gradu ut passiuæ qualitates ab actiuis sufficiēter transmutari queant pro generanda

neranda mixti forma. Amplius animaduerte quod etiam si actiuæ qualitates proportionē perfectè dominātis supra passiuas habere debeāt, hoc intelligi non debet secūdum proportionem Arithmeticam ita ut æquale sit dominium actiuarum supra passiuas respectu omnium mixtorum, quia non omnes mixtorum formæ eandem requirūt proportionem actiuarum supra passiuas, nec omnes eandem requirūt dispositionem in passiuis, vt pote humidum secundū eandē quantitatem, eādem subtilitatem, & eandem humidi commixtionem cum sicco: aliam enim proportionem, & dispositionem requirunt aurum, & argentum, aliam stirpes, & aliam animalia, sed dominari debent secundum exigentiam formæ generandæ, & talis est proportio geometrica, quæ ab ipsa forma desumitur. hæc enim est quæ imponit necessitatem agenti, & materia, quoniam hæc est finis, & id cuius gratia agens agit, et materia disponitur et transmutatur. quibus omnibus sic explicatis, propositæ definitionis hic erit sensus, Simplex generatio est vnio, et terminatio passiuarum qualitatum ab actiuis qualitatibus dominantibus supra passiuas, ex qua definitione tres apparent causæ forma, materia, agens, & agentis conditio forma est trāsmutatio, quoniam in definitione accidentium genus formę rationem habet, materia passiuæ, qualitates sunt, vt ipsemet inqt Arist. nec arbitreris, quod vera materia sint ex qua substātiæ generantur, quoniā vera materia substātia est, & substantię nascentis particula, sed materia dicuntur, quatenus in generatione mixtorum ab actiuis qualitatibus patiuntur, & terminantur, pro forma mixti generanda, agens actiuæ qualitates sunt agentis conditio dominium et victoria actiuarum supra passiuas, et hæc quo ad definitionis explicationem, quod erat tertium in ordine propositum.

Dubia aduersus definitionem generationis.

SED aduersus hanc generationis definitionem nonnullæ occurrunt difficultates, et prima quidem est aduersus illud quod dictum est, quod in generatione duæ qualitates concurrunt vt actiuæ, duæ vero vt passiuæ, si quidem omnes elementorum qualitates concurrunt vt materia mixtorū, vt est Aristotelis sententia 2. de animal. par. cap. primo: igitur omnes vt passiuæ, confirmātur, elementa omnia concurrunt, vt materia mixtorum, vt testatum reliquit Aristote. secūdo Phisico. 31. igitur et omnes elementorum qualitates vt materia, et passiuæ concurrunt: non ergo duæ vt actiuæ, et duæ vt passiuæ. Secunda dubitatio est aduersus illud quod actiuæ qualitates passiuis dominari debent, nā si id verum est, ergo omne mixtum erit à prædominio calidum et frigidum, et

ita

ita mixtum declinabit ab æqualitate ponderis per actiuas qualitates, quod falsũ est cum detur mixtum à prædominio humidum, et à prædominio siccum, deducitur consequentia quoniam cuiuslibet mixti complexio sequitur qualitatem in generatione prædominantem. Insuper est difficultas de frigido quod inter efficientes generationis causas ab Aristotel. cõnumeratur cum frigidum non ingrediatur opus Naturæ, sitque de ipsius sentẽtia corruptionis causa, siquidem inter effectrices putredinis causas cap. de putredine connumeratur. itaque effectrix generationis causa esse non potest, cum idem non possit esse causa contrariorum effectuum. Hæc sunt quæ definitionem istam perturbare videntur.

Dubiorum solutiones.

CAETERVM hæc è medio tolli possunt, & ad primam ille Vicomercatus ita respondet, quòd verum est quòd primæ qualitates cõcurrunt omnes vt materia, sed magis humidum & siccum, quàm calidum, & frigidum: cum autem dicit Aristo. quòd calidum & frigidum concurrunt actiuè, non intelligit quòd absolutè concurrant actiuè, & non passiuè & materialiter, sed intelligit quòd magis concurrant actiuè, quàm passiuè. sed responsio ista Arist. contradicit, quoniam eo modo calidum & frigidum dicuntur in generatione mixtorum qualitates actiuæ, & siccitas & humiditas passiuæ, vt contex. 1. ab Arist. declaratæ fuerunt, sed eo in loco calidum & frigidum dictæ sunt actiuæ, quia terminant & non terminantur, & quia definiuntur per terminare, & non terminari, siue secundum se, siue in mixtis, vt dicit textus. ergo in generatione mixtorum calidum & frigidum solum concurrunt actiuè, & non passiuè, vt inquit ipse: ea propter Bucaf. 4. Meteo. secus huic dubio satisfacit dicens. verum esse quòd omnes qualitates primæ in generatione mixtorum concurrunt passiuè, & tanquam materia. cum autem Aristoteles inquit quòd calor vt efficiens in generatione concurrit, respondet, quòd calor bif. sumitur, vno modo pro qualitate, alio modo pro substantia quadam calida vaporosa quæ ex tenuiori sanguinis parte ortum habet, aut sanguini proportionato: tunc, inquit, quòd cum Philosophus dicit, quòd calor actiuè in generatione concurrit, non accipit calorem pro calida qualitate, quoniam hæc passiuè concurrit, sed accipit calorem pro substantia illa vaporosa, & hæc est quæ in generatione actiuè concurrit. Non possum non satis mirari istorum negligentiam in considerando Aristotelis dicta, nam & ista ab Aristotel. dissentit, quod ex eo ostenditur. nam cum Philosophus in

contex.

contex. primo accepisset illa duo dicta, primũ, quòd quatuor sunt qualitates quæ sunt causæ elementorum: alterum, quòd primarum qualitatũ duę sunt actiuę, duę vero passiuę, sequitur in cõtex. 2. dicẽs. his determinatis, agamus de operibus primarũ qualitatũ. opera aũt sunt generatio, et corruptio, et alia. pponit ergo Philosophus agere de generatione, & alijs vt sũt effectus, et opera primarũ qualitatũ quæ sunt causę elemẽtorũ. igitur calor qui in generatione actiuè concurrit, est qualitas elementaris, non autem substantia calida vaporosa, quoniam hæc non est causa elementorum, sed potius orta ex elementis. Sed posteaquam clarissimi isti Philosophi ex hoc modo sese explicare non potuerunt, soluamus nos dicimusque quòd qualitates bif. considerari possunt, vno modo respectu formæ mixti, alio modo respectu generationis: si considerentur primo modo omnes concurrũt vt materia, quia quæcunq; se tenent ex parte materiæ, dispositionesq; ad aliquam formã, materiæ rationẽ habent, sicut quæ se tenent ex parte agentis, rationem habent agentis. igitur qualitates primæ vt materiæ dispositiones sunt, ordinanturque ad formam mixti, materiæ rationem habent, & hoc pacto intellexit Philosophus 2. de part. si verò considerentur respectu generationis duæ habent rationem agentis vt calor, & frigus, quia terminant: duæ verò habent rationem materiæ, vt siccitas, & humiditas, quia terminantur, & permiscentur; & hoc pacto intellexit Philosophus in definitione generationis. ad confirmationem autem dicimus quòd diuersa est ratio elementorum, & primarum qualitatum, quoniam elementa tam respectu generationis, quàm respectu formæ mixti vera materia sunt, 2. Phis. contex. 31. primæ uerò qualitates, neque respectu generationis, neque respectu formæ generandæ sunt vera materia, quoniam actui, & formæ repugnant ratio subiecti ex quo aliquid fit. sed ea ratione solum se habent ut materia respectu formæ mixti, quatenus sunt materiæ dispositiones, & ad mixti formã ordinantur tanquam ad finem. Cæterum vt nullus supersit dubitandi locus aduersus illud quod dictum est, quòd calor elementaris ut efficiens causa in generatione concurrit, duplex occurrit difficultas persoluenda: prima est, quia id uidetur Aristoteli apertissimè aduersari: secundo de animal. gener. ca. 3. vbi inquit, ꝙ calor qui in semine reperitur, quiuè generationis author est, non est ignis, nec igneus, quoniam talis corrumpit, & destruit, sed est facultas quædam, quæ proportione respondet elemento stellarum: secunda difficultas est quoniam si calor concurreret ut efficiens causa generationis, cum per generationem substantialis forma acquiratur, igitur calor cõcurreret ad productionẽ formę substantialis, quòd dici nequit, quia nihil agit vltra proprias vires, & vltra propriam speciem. soluimus

ista

ista, & ad primam dicimus, quòd calor qui in semine reperitur, & qui opifex est generationis mixtorum realiter non distinguitur a calore elementari, vt paulo superius ex contex. illo primo quarti Meteo. ostensum fuit. atque ex secundo de Anima contex. 41. ostendi potest, vbi Philosophus reijciens illorum sententiam qui affirmabat calorem igneum præcipuam causam esse nutritionis, & augumenti, sic inquit, Hic videlicet calor igneus non est causa pręcipua, vt dicebant seniores illi, sed est cōcausa nutritionis, & augumenti. igitur calor naturalis qui est causa generationis, & nutritionis non distinguitur essentialiter à calore elementari, sunt unum & idem essentialiter, sicut idem sunt calor ignis, & calor artis distinguntur aūt rōne prout sunt instrumēta diuersorum agentium, quicquid dixerit hac in re Fernelius ille, & quidam nostri temporis medicastri, qui multiplicant entiationis causa est, non est ignis, nec igneus, non intelligit quòd eßentialiter distinguatur à calore igneo, sed intelligit quòd non est ignis, nec igneus, hoc est, non regulatus à forma ignis, nec est in eo gradu qui competit igni, quoniam vt sic comburit, & destruit, sed est commensuratus, & regulatus ab alio agente principali, & vt sic generat, & proportione respondet calori cęlesti, & calori artis. Ad secundam autem dicimus, quòd calor bif. considerari potest, uno modo secundum se, & vt calor est. alio modo ut instrumentum substantiæ. si primo modo consideretur, calor calorem tantum producit, & non substantiam, cum nihil virtute propria agat ultra propriam speciem, si uerò secundo modo consideretur, vt sic substantiam producere potest, sicut calor ut Animę instrumentum carnem generat & sanguinem. & tunc ad difficultatem cum dicebatur, si calor est efficiens causa generationis ergo ageret ad productionem substantię, conceditur ut instrumentum substantiæ, nec id est inconueniens, sed animaduerte ꝙ calor non solum, ut instrumentum. agit ad productionem substantiæ, sed etiam ad dispositionem materiæ: duo enim facit calor in generatione producit formam substantialem, & disponit materiam pro generatione illius formæ vt terminat, permiscet humidum cum sicco, indurat, & emollit usque ad certum terminum, iam uerò calor non solum producit formam substātialem ut instrumentum substantiæ, sed etiam ut sic disponit materiam, ut terminat, & permiscet humidum cum sicco usque ad talem mensurā secundum quod conuenit formæ generandæ: id enim non facit ut calor, quia non magis disponit ad unam quàm ad aliam formam, vnde talis dispositio materiæ quæ fit à calore composita est ex actione caloris, & aliqua intentione, & uirtute superaddita calori: terminare enim humidā, cōgregare, indurare calori attribui debent. certus autem terminus, cer-

taque

taque mensura superiori virtuti attribui debet, sicut emollire ferrum ab igne ad faciendum aliquod instrumentum secundum quod est emollire attribuitur igni, secundum quòd autem illud emollire terminum habet in unoquoque instrumento attribuitur uirtuti artis. Nunc secundam principalem persoluimus, & cum dicebatur, si generatio fit à calido, & à frigido prædominantibus. ergo in quolibet mixto prædominabuntur calidum, & frigidum, respondemus quòd qualitatum dominium & exuberantia bif. considerari potest, uno modo quo ad gradum, alio modo quo ad uirtutem, tunc dicimus quod cum Philosopus inquit quòd actiuæ passiuis prædominari debent, non intelligit secundum intēsionem graduum, quoniam mixtum quandoque recedit ab æqualitate ponderis per humidum, & quandoque per siccum, sed intelligit quòd calidum & frigidum in generatione passiuis dominari debent secundum uirtutem, ita ut sufficienter passiuas transmutare queant pro forma mixti, quia si secūdum uirtutem non dominentur non fiet generatio naturalis & perfecta. quòd si quęras comparādo calidum frigido utrum calidum secundum gradum semper frigido dominetur: respondetur, quòd non, sed quandoque calidum, & quandoque frigidum, vt habetur ex Arist. secundo de Gener. 48. vbi inquit, quòd datur mixtum calidum frigidum, idest, à prædominio frigidum, & datur, inquit, mixtum frigidum calidum, idest à prædominio calidum, nam semper terminus additus à parte post prędominium dicit, additus autem à parte ante subdominium significat, quarè non semper calidum in generatione secūdum gradum frigido dominatur, semper autem frigo secundum uirtutem dominatur, quia etiam exuberante frigido, vt si frigidum fuerit, ut quinque, & calidum ut tria, calidum operatur ad formam, & cęteras uitæ functiones. superest ultima dubitatio de frigiditate, quam sequenti cap. perpendemus.

Quomodo frigiditas actiue in generatione concurrat, explicatur.

ERat ultima dubitatio de frigiditate quomodo, vt efficiēs causa generationis ab Arist. statuatur, cum frigiditas non ingrediatur naturę opus, sitque de ipsius sententia putredinis, & corruptionis, causa, cōmuniter ad hoc respondent interpretes dicētes, quòd frigiditas concurrit ut efficiens generationis causa, non quidē per se, sed per accidens quatenus caloris feruorē refrenat, atque contemperat, tametsi opinio ista communis sit, et ad hęc vsque tempora percrebuerit, attamen falsa est, & ab Arist. aliena, quoniam si frigiditas in generatione concurreret quatenus

nus calorem contemperat, tunc in generatione vna qualitas actiua comparaetur ad alteram actiuam, quod falsum esse superius ostensum fuit: non enim una qualitas actiua ad alteram actiuam comparatur, sed ambe actiuæ ad passiuas, vnde Philosophus in contex. primo illius quarti probans, quòd frigiditas sit qualitas actiua, non inquit, quod sit qualitas actiua, quia calidum contemperat, nec ad calidum comparat, sed quia passiuas terminat, & transmutat, præterea frigidum non reprimit, neq; calorem contemperat nisi per refrigerare, sed in generatione mixtorum non concurrit quò ad istam operationem, vt superius ostensum fuit. igitur frigiditas in generatione non habet tunc vsum vt calorem contemperet. quemadmodum neque calor in generatione actiuè concurrit vt frigiditatem reprimat, atque contemperet. postremo in mixtione quæ ab ipsa generatione distinguitur corrumpuntur in excellentijs suis, & consequenter contemperantur, vt scribit Arist. 2. de Gen. 48. non igitur id in generatione efficitur. sed causa communis huius erroris fuit, quia non considerarunt discrimen inter mixtionem & generationem: in mixtione enim vna ad alteram comparatur, inuicem agunt & patiuntur, & per mutuā actionem ad temperamentum, & mediocritatem reducuntur. quibus tēperatis non amplius vna cum alia certamen habet, sed caliditas & frigiditas veluti concordes & amicæ suam actionē exercent in passiuas qualitates, quæ & ipsę concordes, vt materia actiuarum actionem recipiunt pro generatione mixti. Nos itaque aliter respondemus, hac posita distinctione, quod generatio bif. capi potest, vno modo pro introductione formæ, alio modo pro alteratione præuia utpotè pro unione, & pro constantia partium: tunc dicimus, quòd si generatio primo modo accipiatur, frigidum nullam in generatione efficientiam habet, quoniam introductio formæ in omnibus mixtis siuè mineralia sint, siue uegetabilia, siue animalia sint, fit à calido, nō autem à frigido: si uerò secundo modo accipiatur, frigidum per se ut efficiens causa generationis concurrit, quia facit ad constantiam partium, terminat, & vnit humidum cum sicco, quod etiam facit calidum, sed præter id calidum operatur etiam, & agit ad introductionem formæ, quod non facit frigidum, & quoniam frigidum facit ad constantiam & unionem partium, proinde in generatione aliud præstat iuuamētum, quod intrinsecus calorem detinet, ne euanescat, & dissoluatur. Sed animaduerte, quod licet frigidum in generatione mixtorum non concurrat quò ad introductionem formæ, in generatione tamen elementorum utroque modo concurrit, & quò ad dispositionem materiæ, & quò ad introductionem formæ, ut patet in generatione aquæ, & terræ: cum autem dicebatur in contrarium, frigidum non ingreditur naturæ opus, dicimus

quòd

q illa ppositio dēt intelligi in mixtis, et hoc primario, et quo ad introductionē formæ, quia quo ad materiā ingreditur p se, ut declaratū est. soluitur et alia, cū enim dicebatur frigiditas est causa putredinis, ergo nō est causa generationis. qa idē nō est causa cōtrariorum: respōdetur, quod frigiditas q̄ est putredinis causa, alia est secundum rationē à frigiditate q̄ est causa generationis, frigiditas enim q̄ est causa putredinis est exuberās, et incōmensurata, frigiditas uerò q̄ est causa generationis est moderata, & secundum pportionē naturæ, & substantiæ mixti, iam verò non inconuenit, quòd idē diuersimode sese habēs sit causa contrariorum effectuum. ut habetur 2. de Gen. cōt cx. 56. ubi Arist. inquit, quòd idē similiter sese habens semper est natum facere idem, sed diuersimode se habent contrariorum causa esse potest. Sed licet quæ dicta sunt, verissima sint, non desunt tamen difficultates quæ probare videntur, quòd frigidum in generatione concurrat quò ad introductionem formæ, & prima huiusmodi est, si animal immergatur in aquam, & corrumpatur, generatur cadauer, quæritur à quo generatur, vel à calido, vel à frigido: non à calido, quia in aqua frigidissima non reperitur calor qui id efficere possit, igitur à frigido, ergo frigidum operatur etiam ad formam præterea in putredine generantur vermes, hi vel à calido, vel à frigido generantur: non a calido, quoniā calidum in putredine corrumpitur, putredo enim est corruptio caloris proprij, igitur à frigido, igitur frigidum concurrit etiam respectu formæ. soluimus hæc, et ne quauis in re circa aliorū dicta solliciti eße videamur, propriam sentētiam afferemus. dicimus ergo quòd cum Animal immersum in aquam corrumpitur nihil generatur de nouo, sed forma mixti quę erat ante aduentum animæ remanet post corruptionem ipsius, quia remanet in eo gradu calidum quo est sufficiens conseruare formam mixti: est enim forma mixti contenta inferiore gradu caloris. sed si dicitur generari forma mixti post corruptionem formę animalis, id est per accidens, & secundum dominationem, si quidem dum erat coniuncta animæ erat veluti potestate, & terminabatur ab anima, nec ipsum mixtum denominabat, sed intereunte anima amplius terminatur, sed fit terminus materiæ, & mixtum ipsum denominat: sed quoniā id acquirit post corruptionem animalis que fit à frigido, ideò per accidens dicitur à frigido generari. quare cum dicebatur, post corruptionem animalis in aqua forma cadaueris quæ est forma mixti, vel generatur à calido, vel à frigido: dicēdum, quòd per se nec à calido, nec à frigido, quia talis forma non generatur de nouo, sed per accidens dicitur à frigido generari, quatenus frigidum est causa corruptionis formæ animalis, ad cuius interitum formæ incipit esse terminus materiæ, & mixtum denominare. Soluitur et alia, & cum dice

b..tur, in putredine oriuntur vermes, hi aut à calido, aut à frigido generā tur, dicimus, quòd generantur à calido, ad instātiam, in putredine calidum corrumpitur. respondetur, quod in putredine calidum non corrumpitur simpliciter, sed corrumpitur pro ea mensura, & gradu quo erat sufficiēs terminare, & seruare vnionem humidi cum sicco: illud autem quod relinquitur est causa generationis illorum animalium, licet enim illud calidum quod relinquitur nō sit naturale mixto quod putrescit, nec amplius sufficiens sit vt terminet humidum cum sicco illius mixti. est tamen naturale, & sufficiens, vt terminet & vniat portionem humidi & sicci, quæ ex putrescente corpore dissoluitur pro generatione illorum animaliū. sententia hæc est Aristotelis cap. de putred. in fine, vbi hæc habet, & animalia fiunt ex his quæ putrescunt, propterea ꝙ segregata caliditas naturalis facit constare segregata, itaque de Aristotelis sententia animalia illa quæ à putredine oriuntur à putrescentis mixti calido generantur, non autem à caliditate ambientis, vt temerè quidam arbitrati sunt. quod ex eo patere potest. quia ex eo vltimo signo intendit Philosophus, ꝙ corruptio caloris naturalis fiat à calore ambientis cum superius pluribus alijs signis id ostendisset, & inquit, in his quæ putrescunt animalia generantur, propterea quòd segregata, & dispersa caliditas facit constare humidum, quod etiam in putredine segregatum est, ꝙ si segregata caliditas id efficit, cum caliditas non sit disgregata, neque dispersa nisi à caliditate ambiētis: igitur in putredine corruptio caloris naturalis fit a caliditate ambientis, quod si quis accipere velit Olimpiodori sententiam, ꝙ Philosophi intentio sit probare ꝙ putredo fiat caloris inopia, adhuc habetur intentum. & tunc sensus erit, in his quæ putrescunt animalia generantur, propterea ꝙ disgregata caliditas facit constare humidum, sed disgregata caliditas est diminuta, ergo putredo fit ex imbecilla, & diminuta caliditate, sed prima intentio mihi magis probatur, quia magis consentit cum alijs signis superius positis, ex quo illud etiam patet, ꝙ non omnia animalia quæ ex putri materia oriuntur, generantur a calore cęlesti diffuso in terra, & aqua, sed etiam a calore interno rei putrescentis, qui in putredine dissoluitur, ut inquit Aristoteles, quibus sic explicatis, iam finem facimus, quod decursa & planissimè exposita iam videantur omnia quę ad hanc generationis definitionem attinere videbantur.

Simplici generationi contrarium maximè commune putredo est.

P*Ropositio est Aristotelis eodem quarto Meteo. contex. 3. quæ ob eā cām in parte adducta fuit, ut ex ea naturalis interitus, & putredinis*

nis naturam adinueniret, atque ostenderet: cum enim superius de generatione egisset, reliquum erat agere de naturali corruptione sibi opposita, quæ putredo est, sed quia putredinis ratio & natura non alia aptiore Methodo inueniri poterat, quàm ex hoc ꝙ simplici generationi opponitur putredo, ideo Philosophus iecit propositionem istam veluti principiũ ad naturam putredinis explicandam, vnde cum probasset propositionem istam in ultima parte contex. putredinis rationẽ deduxit, dicens, & ex enim facta erãt, & terminatũ fuit humidum sicco operãtibus actiuis. fit autẽ corruptio cũ id quod terminatur, dominatur calori terminãti ꝑpter ambiens, quasi dixerit, cũ generatio fiat per terminationẽ humidi cum sicco calore supra humidũ dominãte, putredo ei opposita fit opposito modo nõ amplius dominãte calore, sed ecõtra humido supra calorẽ dominãte propter ambiens, & proinde quæ putrescunt primò fiunt humida, deinde sicca, & arida: hanc autem propositionem ea ratione probauit, quòd est vltimum per quod mixtum dissoluitur: illud simplici generationi maximè cõiter opponitur, quia illud per quod aliquid dissoluitur, opponitur ei per quod fit, & oritur, sed hoc est generatio, igitur vltimum per quod mixtum dissoluitur generationi cõiter opponitur, sed putredo est finis, et vltimum per quod mixtum dissoluitur, quam minorem ponit his verbis, Finis autem horum omnium putredo est. &c. igitur simplici generationi maximè communiter opponitur putredo, per simplicem eam intelligit q̃ superius definita fuit, ea verò est generatio mixtorum perfectorum vt mixta sunt. Sed circa hoc nonnullæ occurrunt difficultates. prima est, quia non solum putredo communiter opponitur generationi, sed etiam cõbustio, quia sicut mixta per putredinem corrumpuntur, ita etiã per cõbustionẽ: adde, quod illud quod est commune putredini & cõbustioni est communissimum generationis contrarium, quia omnẽ modum corruptionis mixtorũ continet, atque cõplectitur. Insuper putredo nõ opponitur generationi, sed mixtioni. nã putredo est dissolutio elemẽtorum. dissolutio autẽ elementorum opponitur vnioni eorũ, sed vnio elementorum alteratorum est mixtio, vt legitur 1. de Gener. in fine, igitur putredo nõ opponitur generationi, sed mixtioni. postremo motus opponitur motui non mutationi, putredo motus est, quia putredo est corruptio caloris ꝓprij, generatio antẽ est mutatio, igitur putredo nõ opponitur generationi. hæc sũt q̃ Arist. sententiã perturbare videntur. Cæterũ hę dubitationes dilui, atq; persolui possũt. et ad primã dicimus, ꝙ putredo maximè cõiter opponitur generationi mixtorũ, quoniã putredo cõpetit mixto secundũ naturã, et inquantũ mixtũ est, quia mixtũ habilitatẽ & inclinationẽ hẽt, ut per putredinẽ corrumpatur: nã cum mixtum genitum sit ꝑ vnionem, et mixtionẽ humi-

di

di cum ſicco ex prædominio calidi ſupra humidum & ſiccum, aptum natum eſt corrumpi oppoſito modo per diſſolutionem humidi & ſicci ex defectu calidi: combuſtio verò quia non competit mixto vt mixtum eſt, quia mixtum inclinationem non habet vt per combuſtionem corrumpatur, & per conuerſionem eius in naturam alterius agentis, quia unumquodq; ſecundum naturam diſſoluitur in ea ex quibus cõponitur, ea propter combuſtio non maximè communiter opponitur generationi mixtorum. quia ergo quæ per combuſtionem corrumpuntur ſunt apta nata per putredinem corrumpi, quæ uerò per putredinem intereunt, nõ ſunt apta nata corrumpi per combuſtionem, ea propter putredo dicitur eſſe cõtrarium maximè commune generationi mixtorum, & non combuſtio: illud. n. cõius dicitur à quo non conuertitur conſequentia, & hoc eſt quod inquit Philoſophus in contextu, ubi probans putredinem maxime communiter opponi generationi mixtorum, hæc habet: Finis. n. horum omnium putredo eſt, niſi aliquid violente corrumpatur: eſt. n. carnem, & oſſa cõburere, &c. quaſi dixerit, putredo maximè communiter opponitur generationi mixtorum, quia competit mixto ſecundum naturam, & inquãtum mixtum, combuſtio verò non opponitur maximè communiter, quia non competit mixto ſecundum naturam, ſed uiolenter, & præter naturam, nec profectò ab hoc diuino Philoſopho melius dici potuit. Ad ſecũdam autem dicimus, quòd id quod eſt commune putredini, & combuſtioni eſt contrarium communiſſimum quatenus continet id quod eſt commune contrarium generationi mixtorum, ſed Ariſtoteles non accepit contrarium communiſſimum, ut imprudenter cenſuit ille Argenterius, qui non intelligens Ariſt. in hoc ſicut in multis alijs eum redarguere auſus eſt, ſed accepit contrarium communiſſimum pro eo quod competit mixto genito ſecundum naturam, & in quantum mixtum eſt. quia verò hoc eſt putredo, non autem id quod eſt commune putredini, & combuſtioni, quia combuſtio (ut inquit) eſt accidentalis mixto, propterea contrariũ communiſſimũ generationi mixtorum ſtatuit putredinem eſſe, non autem id quod putredini, & combuſtioni commune eſt. Ad tertiam, quæ non eſt ab alijs, quos ipſe legerim, animaduerſa, negatur aſſumptum: ad probationem ſciendum, quòd ſicut in generatione mixtorum tria reperiuntur, primo quidem unio omnium elementorum alteratorum, ex craſſis, & complexio in omnibus primis qualitatibus ſecundum primas earum operationes, & hæc eſt mixtio. Secundo reperitur cõplexio in paſſiuis qualitatibus tantum, ut potè congrua terminatio humidi cum ſicco ex prædominio calidi terminantis: & hęc dicitur ab Ariſt. generatio, accipiendo generationem pro uia iuncta termino, quæ formaliter diſtinguitur

guitur

guitur à mixtione, quoniam mixtio significat unionem omnium elementorum, & complexionem omnium qualitatum secundum primas earum operationes: generatio verò significat vnionem, & complexionem in passiuis qualitatibus tantum, quò ad secundas earum operationes. Tertio est eductio formæ substantialis, quæ necessario supponit & complexionem omnium qualitatum: quò ad primas operationes, & complexionē passiuarum tantum quò ad secundas. ita in naturali mixtorum interitu qui putredo est, hæc tria reperiuntur, est enim dißolutio omnium elemētorum, & hęc opponitur mixtioni, reperitur etiam dissolutio passiuarū, vt dissolutio humidi a sicco, & hæc dicitur putredo, & naturalis corruptio, accipiendo similiter corruptionem pro uia iuncta termino, quæ formaliter distinguitur à dissolutione omnium elementorum: & talis dissolutio passiuarum opponitur formaliter generationi mixtorum, quia cum generatio sit unio humidi cum sicco, ità putredo quæ ei formaliter opponitur, est dissolutio passiuarum, tertio est corruptio formæ substantialis, quæ opponitur termino generationis, eductioni uidelicet formæ substantialis: quamobrem cum dicebat argumentum, putredo est dissolutio omnium elementorum, id est falsum, quia putredo non est formaliter dißolutio omnium elementorum, sed formaliter est dißolutio passiuarum, et hæc formaliter opponitur generationi, non mixtioni, ut declaratum est. Ad vltimam dicendum quòd putredo accipitur tribus modis, primo pro alteratione præcedente, quę nil aliud est nisi dissolutio paßiuarum propter defectum caloris. secundo pro termino, vt pro interitu formæ substantialis: tertio, pro aggregato ex utrisque totidemque modis accipitur generatio ei opposita, tunc dicendum est, quòd si accipiatur putredo primo modo opponitur generationi primo modo sumptæ, ut pro uia, & alteratione præcedente, & ita motus opponitur motui, quoniam utraque motus est et alteratio, si vero secundo modo mutatio opponitur mutationi, quoniam utraque mutatio est, si uerò tertio modo aggregatum ex motu & ex mutatione opponitur similiter aggregato ex motu & ex mutatione, & ita referendo singula singulis putredo semper opponitur generationi. Aristoteles autem accepit putredinem tertio modo, & hęc opponitur generationi eodem modo acceptæ, vt extremum extremo; hinc patet quòd generatio & putredo penes tria sibi inuicem opponuntur, primò quidem penes terminum, quia generatio est ad esse formę, putredo uerò ad non eße: secundo penes causas, quia generatio fit actiuis qualitatibus dominantibus supra passiuas, putredo uerò fit paßiuis dominātibus supra actiuas, & hoc declarat Philosophus in hoc contex. tertio opponuntur, quia generatio est terminatio, & uniº humidi cum sicco, pu

tredo

tredo uerò est interminatio, & dissolutio humidi à sicco, quamobrem nō solum penes causas generatio, & putredo opponuntur, ut temerè sentit Buccaf. sed etiam formaliter, sed quoniam Philosophus in contextu ponit propositionem hanc, omnis secundum naturam corruptio in putredinem via est, ut senectus, & ariditas, quæ non omnibus ita conspicua est, propterea sequenti capite breuiter dilucidabitur.

Omnis secundum naturam corruptio in putredinem via est, vt senectus, & arriditas.

PLurimi ex expositoribus propositionem istam exponentes dixerūt, quòd per corruptionem naturalem quam dicit viam esse in putredinem non intelligit Philosophus corruptionem quæ transitus est de eße ad non eße, quoniam hæc non prçcedit putredinem, sed potius eam insequitur, sed intelligit diminutionem quandam, & (vt eorum verbis vtar) deteriorationem, quæ putredinem antecedit, sicut est senectus in animalibus, & ariditas in plantis. atque ita volunt nullam formę substātialis corruptionem ipsam putredinem anteire, sed putredinem immediatè sequi ad diminutionem illam, & imbecillitatem, quæ communi uocabulo in animalibus senium appellatur, ad putredinem autem sequi corruptionem formæ substantialis mixtorum animatorum. sed istorum sententia ab Arist. & à ueritate recedit, si quidem putredo non immediatè sequitur ad diminutionem illam animatorum, nec est finis putredo, & terminus in quem secundum naturam desinunt animantia, quia putredo terminatur in cineres, & terram, ut inquit Philosophus, animata verò cum desinunt post diminutionem illam non resoluuntur in cineres, & terram, quoniam post corruptionem animatorum relinquitur mixtum, ut in corruptione substantiali animalium relinquitur cadauer, & corpus mixtum. itaque putredo non insequitur diminutionem illam, nec est finis & terminus animatorum: prætereà Philosophus declarans quid per corruptionem naturalem intelligat quæ uia est in putredinem, inquit, ut senectus in animalibus, & ariditas in plantis. sed ariditas in plantis est corruptio substantialis, ut patet ex ipsomet in libello de mor. & uita cap. 14 vbi cum diuisißet corruptionem animatorum in naturalem, & uiolentam, sic inquit, Violenta quidem est quando principium extrinsecum fuerit, secundum naturam uerò quando in ipso, sed non aduentitia aliqua paßio, in plantis igitur arditas, in animalibus autem hæc uocatur senectus: igitur per corruptionem naturalem intelligit corruptionem substantialem, quòd etiam confirmant uerba Aristotelis eodem libro cap. 3.

vbi

ubi diuisa morte in naturalem & violentam: naturalis moris, inquit, in animalibus senectus vocatur. Dicẽdum itaque est, quòd cum Philosophus inquit hoc in loco, quòd corruptio secundum naturam, ut senectus, & ariditas in putredinem via est, per corruptionem naturalem non intelligit diminutionem: & recessum a vigore, sed corruptionem substantialem: Sed aduertendũ, quòd corruptio naturalis in duplici ordine est. alia enim animatorum est, alia vero mixtorum corruptio naturalis animatorum in animalibus dicitur mors naturalis, senectus, et impotentia respirandi: in stirpibus verò ariditas. naturalis verò mixtorum corruptio putredo dicitur, de qua Aristoteles quarto Meteo. agit. cum ergo inquit quod naturalis corruptio in putredinem via est, intelligit de naturali corruptione animatorum, quæ putredinẽ, & naturalẽ mixtorũ antecedit, si quidẽ animato corpore corrupto mixtũ relinquitur, ꝙ postea putrescit, & in pulueres dissoluitur, neq; verũ est quod omnis corruptio secundũ naturã caloris ꝓprij in humido sit putredo, sed quæ fit à calore externo. & ad quã sequitur incineratio, et dissolutio humidi à sicco sed circa determinationẽ factã duæ occurrunt difficultates: prima est, quia si naturalis animatorũ corruptio putredinem antecedit, cum omnis mixtorũ corruptio fiat propter corruptionẽ caloris, vt habet Philosophus lib. de mort. & vita, igitur in naturali animatorum corruptione calor corrumpitur, igitur putredo non erit corruptio caloris naturalis, quia iam corruptus fuit in naturali animatorum interitu. alia dubitatio est, quoniam si naturalis animatorum corruptio putredinem antecedit, ergo prius ab Arstotel. de animatorum corruptione, quam de putredine agendum erat. sed hæc persolui possunt. & ad primã diceret B. D. ꝙ in naturali animatorũ interitu, generatur mixtum de nouo, & consequentter calor naturalis, qui postea corrumpitur in corruptione illius mixti, e ità putredo est corruptio caloris naturalis qui de nouo genitus est, post corruptionem animati. sed hæc responsio falsa est, quia certum est, quod ante generationem animati quod corrumpitur, genitum fuit mixtum, gr. ex. si Socrates generari debet, ante generationem Socratis prius genitum, fuit mixtum, quia animatum supponit generationem mixti: tunc quæro aut illud mixtum quod præcedit generationem animati, aut remanet idem numero post corruptionem Socratis, aut corrumpitur ante corruptionem Socratis: si primo, igitur post corruptionem animati non generatur mixtum, neque calor de nouo: si secundo, cum corruptio naturalis illius mixti sit putredo, igitur putredo non erit finis, & terminus corruptionis naturalis animatorum, vt senectutis in animalibus, & ariditatis in plantis, vt inquit Philosophus: proptereà melius dicamus nos, quòd in naturali ani-

matorum interitu corrumpitur quidem naturalis calor, sed non secūdum totum. ità vt nihil remaneat caloris, sed corrumpitur secundum illā mensuram, & gradum qui necessarius erat pro conseruatione animæ in corpore: postulat enim anima, & vnaquæque forma mixti determinatam caloris mensuram, qua ablata, & ipsa forma corrumpitur, remanet tamen calor in corruptione animatorum secundum illum gradum qui sufficiens est pro conseruatione mixti, si quidem forma mixti inferiore caloris gradu contenta est. & hic calor in putredine corrumpitur, in qua nec etiam calor secundum totum corrumpitur, sed vt naturalis, & proprius, et prout idoneus ad retinendum humidum cum sicco. remanet autem in ea mensura quæ sufficiens est pro generatione illorum animalium quæ in putredine oriuntur. vt est aperta Aristotelis sententia cap. de putre. in fine, vbi sic inquit, & animalia fiunt in his quæ putrescunt, propterea quòd segregata caliditas naturalis existēs facit constare. segregat, vtpotè humidum, & siccum quæ putredine distinguntur. Ad secundum autem dicimus, q licet naturalis inanimatorū interitus tēpore putredinem antecedat, quia tamen putredo est passio mixti quòd prius, & communius est animato: ideò prius agendum fuit de putredine, & mixtorum interitu in quarto Mete. in quo agitur de passionibus mixti vt mixtum est, quàm de naturali animatorum interitu, de quo agitur in lib. de mor. & vit. & hæc satis. sed quoniam, vt video, ad sui quoque explicationem me vocat illa propositio, quæ ponitur in eodem loco quæ huiusmodi est. Putredo corruptio naturalis est, combustio uerò violenta, ideo sequenti cap. dilucidabitur.

Putredo est corruptio secundum naturam, combustio verò uiolenta.

HABETVR propositio ista in eodem contex. vbi Philosophus sic inquit, Finis omnium est putredo si corrumpitur secundum naturam, & non violenter: est enim carnem, & ossa comburere, &c. quæ propositio maximè dubia est. quia cum vtraque vnum habeat finem, quia utraque terminatur ad cineres, & terram, & vtraque fiat à principio externo: combustio quidem à calore ignis, putredo verò à calore ambientis, non videtur quare combustio sit violenta, & putredo secundum naturam. & eo magis quòd Philosophus in lib. de mor. et vit. distinguens corruptionem in naturalem, et violentam, inquit, quòd naturalis est, quæ fit à principio interno, violenta verò ab externo: cū autem putredo ab externo fiat principio, igitur violenta erit sicut cōbustio. A plurimis propositio hæc exposita fuit; hactenus

tamen

tamen non rectè intellecta fuit. Albertus Mag. quarto Meteo. cap. 6. & Vgo ille Senensis in primam quarti canonis in tractatu de febribus putridis conuenerunt in hoc, quod putredo sit naturalis, quia fit ab agente, & à calore interno, combustio verò violenta, quia fit ab agente & à calore externo. sed discreparunt in hoc, quia voluit Albertus quòd putredo fiat à naturali calore mixti adaucto & intenso à calore ambientis. voluit autem Vgo quòd putredo fiat à calore ambientis impresso in humidum mixti, quod est subiectum caloris naturalis, sed vt studiosis iuuenibus vtriusque sententia conspicua fiat, sciendum: quòd putauit Albertus quòd in putredine à calore ambiētis qui est primum agēs augeatur, et intendatur calor naturalis mixti, qui adauctus, & intensior factus, dissoluat humidum, ipsumque euaporare faciat, ad cuius dissolutionem & ipse calor dißoluatur. et ita fiat putredo, vnde secundū ipsum licet putredo remotè fiat à principio externo vt à calore ambiētis, ꝓximè tantū à calore interno mixti adaucto humidū dißoluente: cōbustio verò, inquit, non ita se hēt, quoniā in cōbustione calor naturalis mixti nō vitiatur, neq; intēditur à calore cōburentis, sed in sui naturali dispositione persistit, & nihil agit, & cooperatur cōbustioni, imò resistit, & reluctatur in quantū pōt, vnde totum combustionis principium extrinsecum est, nihil coagente calore naturali mixti, et proinde combustio est violenta, ac pręter naturam. quam Alberti opinionem insecutus est conterraneus meus Sebastianus Paparella, quem honoris gratia nomino, in eo libello quem nuper edidit de calido naturali. cap. 14. tertij libri. ex altera parte putauit Vgo, quòd putredo fiat à calore ambiētis impresso in humidum, qui ita impressus in humidum agat, ipsumque dissoluat. ad cuius dissolutionem, dissoluatur & calor naturalis mixti, quamobrem de vtriusque sententia putredo fit a calore interno, & proinde est naturalis: Sed vtriusque sententia falsa est, & ab Aristo. aliena, & primo Alberti opinio, si quidem putredo non fit per auctionem, & intensionem caloris naturalis a calore ambientis, vt patet ex ipsomet Aristo. cap. de putredine, vbi cum statuisset, quòd putredo est corruptio caloris naturalis a calore ambientis, declarans modum quo calor naturalis corrumpatur a calore ambientis, sic inquit: Exeunte enim calore proprio secum euaporat humidum]. in quibus verbis nemo est qui non videat Aristotelem velle quòd calor naturalis corrumpatur a calore ambientis per exitum, & euaporationē, sed cū calor naturalis egreditur et euaporat, non augetur, sed diminuitur. igitur calor naturalis mixti a calore ambiētis non augetur, vt ait Albertus, sed diminuitur. ꝓterea ex eadē propositione, ꝙ maximi momēti est, patet etiam falsum esse in putredine humidū dissolui per

actionem caloris adaucti, quoniam inquit, humidum dissolui non per actionem caloris naturalis, sed per exitum & euaporationem ipsius caloris. præterea ridiculum est quod dicit Alb. quòd in combustione calor proprius mixti in sui naturali dispositione seruetur, & persistat: tunc enim sequeretur quod in combustione calor non corrumperetur, quia calor corrumpitur quandiu in sui naturali dispositione seruatur. Insuper non apparet ratio quare in putredine calor naturalis mixti augeatur a calore ambientis, & non augeatur a calore ignis, & propterea causa quam assignauit Albertus falsa est, & pariter omnem rationem adducta. falsa quinetiam est opinio Vgonis dicentis quòd putredo fiat a calore ambientis in humidum impresso, ipsumque dissoluente. siquidem calor ambientis non est proximum, & immediatum dissoluens, & corrumpens humidum, sed est immediatum dissoluens calorem naturalem mixti: putredo enim, inquit Aristoteles, est corruptio caloris naturalis a calore ambientis. præterea inquit, quod exeunte calore naturali dissoluitur humidum, itaque non dissoluitur humidum a calore ambientis impresso in ipsum humidum, neque per verba Aristotelis talis humidi dissolutio habet causam positiuam, sed solùm causam priuatiuam, quæ est euaporatio caloris naturalis, quamobrem putredo non dicitur naturalis ex hoc quod fiat a calore ambientis inpresso, atque intrinseco ipsi humido, præterea non potest vitare Vgo quin combustio sit naturalis, quia combustio fit a calore ignis comburentis. aut igitur fit a calore ignis impresso in humidum mixti, aut a calore naturali mixti adaucto a calore comburẽtis, & quodcunque detur fiat a calore interno, & per consequens erit naturalis sicut putredo. ea propter dixere alij, quòd putredo non dicitur naturalis ratione principij actiui, quoniam fit a principio externo, sed dicitur naturalis ratione materiæ, & ratione principij passiui, quoniam materia in putredine inclinationem habet ad aliam formam, sed & ista opinio falsa est, quoniam tunc etiam combustio esset naturalis, sicuti putredo; quia in combustione etiam, & in qualibet mutatione materia confert vim, & inclinationem habet ad aliam formam. Vicomercatus, & quidam alij recentiores dixerunt, quòd putredo est naturalis, & combustio violenta, quia putredo fit paulatim a calore ambientis: combustio verò fit celeriter, & quia Naturæ opus non est velox, ideo dixerunt quod putredo est naturalis, & combustio violenta. Sed opinio ista, quia antiqua fuit, ante nos ab Alberto c. 6. hac ratione reiecta fuit. modus rei consequitur rem, cuius est modus, ideò non potest esse cã rei. velox & tardum sunt modi qui consequuntur naturale, & violentum, igitur velox, & tardum non possunt esse causa mutationis. naturalis

ralis, & violentæ. probatur minor, nam motus localis naturalis elementorum quandoque uelox, quandoque tardus est. similiter & uiolentus. quòd si fieri uelociter, uel tarde esset causa naturalitatis uel uiolentiæ in motu, tunc motus naturalis cum fieret celeriter, esset uiolentus, et cum motus uiolentus fieret tarde, & paulatim esset naturalis, præterea si hæc opinio esset uera, sequeretur quòd combustio quandoque esset naturalis cum fieret tardè, & paulatim. Pomponatius & Bucaf. & ipsi suam afferentes opinionem dixerunt, quòd putredo ab Aristotele dicitur naturalis, non quia fiat à principio interno, sed dicitur naturalis propter hoc, quoniam mixta suæ naturę derelicta per putredinem corrumpūtur. sed isti clarissimi Philosophi dubio nō satisfaciunt. quoniam cum dicunt, quòd mixta suæ naturæ derelicta per putredinem corrumpuntur, aut intelligunt quòd putrescant sine agente externo, aut ab agente externo: si primo Aristoteli aduersantur, qui uult putredinem fieri à calore ambientis: si secundo, afferenda est causa quare putredo est naturalis, & cōbustio uiolenta, cum vtraque fiat ab agente externo.

Propositionis dilucidatio.

CVM itaque clarissimi tot Philosophi veritatem huius propositionis minimè sint aßecuti, sentētiam nostram in mediū afferamus, & in primis ad hoc dici poßet, quòd putredo ab Arist. dicitur naturalis, quia putredo nō fit absolutè à principio externo, sed partī à principio externo, & partim à principio interno: fit. n. putredo à caliditate externa, & a frigiditate interna, ita quod causa adæquata putredinis cōstet ex causa interna, & externa: & propterea quia fit aliquo pacto à principio interno fit naturalis, combustio uerò quia absolutè fit à principio externo vt pote à calore comburentis, fit uiolenta. Sed licet hunc in modum satis subtiliter dici poßet, hæc tamen non fuit uera, & germana Arist. sententia, quia statuens putredinem naturalem esse & combustionem uiolentam non respexit ad hoc, ut una fieret à principio interno, altera uerò à principio externo, sed uoluit quòd putredo sit naturalis, quia competit mixto ut mixtum est, & secundum eius naturalem dispositionem, quia cum mixtum genitum sit per unionem, & mixtionem humidi cum sicco dominante calore, aptum natum est corrumpi per dissolutionem humidi à sicco, deficiente calore: vnumquodque enim naturaliter dissoluitur in sua compositia: combustio uerò uiolenta est, & pręter naturam, quia non fit secundum habilitatem & inclinationem mixti, quia mixtum inclinationem non habet ut corrumpatur per conuersionem in

naturam

naturam alterius agentis, sed aduertendum, quòd licet putredo hac ratione naturalis sit, potest tamen dici violenta, & præter naturam, quatenus rei naturam destruit, & non fit secundum intentionem Naturæ, quæ rei corruptionem, & destructionem abhorret. nec inconueniens est vt vna mutatio varia ratione dicatur naturalis & violenta. quibus sic explicatis illud minimè silentio prætereundum est, Aristotelem cum statuit mixta aut putredine naturaliter, aut combustione violenter corrumpi, tetigisse omnes modos corruptionis mixtorum, contra illum Argenterium, qui cum aut Aristotelem non legerit, aut ipsum non intellexerit ipsum redarguere ausus est, quod non declarauerit quot modis mixta corrumpi possint: his enim duobus modis solum putredine scilicet, & combustione mixta corrumpi possunt, quos Aristoteles explicauit, dicens, Finis omnium mixtorum est putredo nisi aliquid violentia corrumpatur: est enim carnem & ossa comburere, & licet sint alij modi corruptionis præter naturam, quos Argenterius enumerat, vt gladio, suspẽdio, aut morbo in partibus similaribus & instrumẽtarijs, conformatione, magnitudine, & numero, hic ecquis est obsecro qui hoc non videat? non sunt modi corruptionis mixtorum vt mixta sunt: non enim cadauer corrumpitur gladio, uel suspendio, uel morbo. sed sunt modi corruptionis animalium, de quibus cum non loquatur Aristoteles Meteo. sed de mixtis vt mixta sunt, ideo modi illi corruptionis non fuerunt ab Aristotele enumerati. nunc verò rationes in oppositum persoluamus. & ad primam nos dicimus, quòd licet putredo, et combustio in pulueres & terram terminentur, & ambæ ab externo principio fiant, putredo est naturalis, quia competit mixto ut mixtum est, & fit secundum habilitatem ipsius: combustio uerò non, vt dictum est. Ad secundam autem dicimus quod Philosophus ibi loquitur de corruptione animatorum, asseritque quòd horum corruptio secundum naturam fit secundum naturalem calidi & humidi resolutionem absque aliqua violenta ocurrenti passione: sed, vt inquit, propter temporis longitudinem, & perfectionem, nã temporis longitudine arefactis in piscibus branchijs, in alijs verò pulmone fit impotentia respirandi, ex qua tandem deficit calor cum humido naturali, & hæc dicitur mors à senectute, & naturalis corruptio, quæ periodica est, et fatalis etiã 5. Phis. cõtex. 57. ab Aristotele nũcupatur. violenta verò dicitur, quia non fit secundum naturalem calidi & humidi dissolutionẽ, sed ex aliqua occurrente passione vt in animalibus morbo, gladio, aut cõbustione, in stirpibus verò extinctione, quæ quidẽ corruptio est accidentali animato, vnde non dicitur corruptio violẽta animati, quia absolutè fiat a principio externo, sed q.a nõ fit secundũ naturalẽ calidi, et humidi

midi resolutionem, nec secundum habilitatem corporis animati, sed ab ali qua passione vim inferente: iam verò putredo quæ mixtorum est, licet ab externo fiat principio, quia tamen fit secundum mixti habilitate & incli nationem, proinde dicitur naturalis: combustio verò quia non fit secundū mixti habilitatem, proinde non est naturalis, sed præter naturam, & accidentalis mixto, & hæc satis.

At qui putredo propriè dicitur in his quę secundum partem corrumpuntur, cum a natura recedunt, qua propter cætera omnia, vno excepto igne, putrescunt, nam terra, aqua, & aer, putrescunt, omnia enim hæc sunt materia igni.

CVM superius statuisset Philosophus, quòd simplici generationi putredo contrarium maximè commune est, atque finis naturalis interitus, putredinis uerò duo sint genera, & differentiæ, vna qui dem quæ est corruptio secundum partem, altera verò secūdum totum, in hac particula declarare intendit, quòd non omne putredinis genus simplici generationi aduersatur, & naturalis interitus finis est. sed ita tantum putredo quæ corruptio est secundum totum, illa verò quæ corruptio est secundum partem & recessus à sua natura, neque simplici generationi opponitur, neque naturalis interitus finis est. dicit ergo, putredo propriè dicitur in his &c. quasi dicere uoluerit superius dictum est, quòd simplici generationi opponitur putredo, at qui putredo propriè dicitur q̄ secundum partem corrumpuntur, & à propria natura recedunt, sed hæc non opponitur simplici generationi: putredo autem inquit in tex. 6. est corruptio caloris proprij & naturalis, hoc est, putredo autem quæ opponitur se simplici generationi, est corruptio caloris proprij & naturalis in vnoquoque humido, & hic est verus nexus, & Aristotelis institutū, ex quo loco nemo est qui non uideat quantum defecerit ille Argenterius, qui Aristotelem accusare ausus fuit, quòd putredinis differentias non assignauit, cum tamen ex contex. 5. & 6. satis euidenter appareat oculatissimum Aristotelem duo putredinis genera, uel differentias assignasse, unam quæ dicitur corruptio secundum partem, alteram uero secundum totum, quæ proprie mixtorum perfectorum est: in hac autem di lucidanda particula tria à nobis peragenda sunt, primo quidem quid sit hæc putredo quæ dicitur corruptio secundum partem, & recessus a propria natura, & quo modo proprie dicatur putredo: secundo, quòd hæc putredinis differentia, competit elementis excepto igne, & quomodo, tertio

tio, propter quid non competit igni. quo ad primum fuit opinio illius Argenterij, quòd putredo quę dicitur corruptio secundum partem & recessus à propria natura nil aliud sit nisi segregatio, & dissolutio humidi à sicco: etenim cum generatio, inquit, fiat per unionem humidi cum sicco putredo quæ ei opponitur fit per dissolutionem, & secretionem humidi a sicco: et quoniam humidum & siccum dicuntur esse materia compositorum, ea propter talis dissolutio humidi & sicci dicitur esse corruptio secundum partem, idest secundum materiam, diciturque recessus à propria natura, quia tunc natura, & materia separatur, ob quam separationem fit putredo, & corruptiò, sed hæc profectò summa dementia est. quia secundum Aristote. in hoc contex. hæc putredinis differentia competit elementis, iam verò putredo elementorum non fit per dissolutionem humidi à sicco, quoniam cum dissoluitur humidum à sicco fit puluis & terra, modo cum putrescunt aer & aqua non remanet puluis, & terra: itaque putredo hæc quæ dicitur corruptio secundum partem non fit per dissolutionem humidi à sicco, prætereà tantum adest ut per dissolutionem humidi à sicco elementa putrescant, & recedant à sua natura, ut potius ad suam naturam maximè reuertantur, quod de terra ipsa facilè probatur. nam cum in terra ipsa dissoluitur, et disiungitur humidum à sicco, remanet propria natura terræ, & cum miscetur terra cum aliena qualitate utpote cum calido & humido, tunc degenerat, & à sua natura secedit, quia sua natura consistit in frigido & sicco, praeterea decipitur uir iste, quia supponit hanc putredinis differentiam simplici generationi aduersari, quod tam falsum est, quam quod falsissimum, quia hæc putredo competit elementis, sed putredo quæ competit elementis non opponitur generationi simplici inibi definitæ, quia sub ea definitione non continetur generatio elementorum ut proprio cap. probatum fuit, ea propter quidam alij moderniores dixerunt quòd huiusmodi putredo nil aliud est nisi corruptio caloris naturalis in humido in parte rei: verba enim eorum sunt hæc, sed secundum partem dixit, quando pars quæpiam mixti aliqua ex causa corrumpitur, reliquis non statim corruptis partibus, & quod intantum corrumpatur ea pars vt a natura discedat, quæ nil aliud est, quàm calidum ipsum natiuum in vnoquoque humido, hæc isti. quæ sententia & Alexandri, & Olimpiodori extitisse videtur, nam ea verba exponens Olimpiod. quę dicunt, (atqui putrescunt cum a propria natura recedunt) inquit, idest cum caliditas domestica, & familiaris seclusa fuerit a composito. cæterum & ista opinio ab Aristotele dissentit, quoniam huiusmodi putredo competit elementis, atqui putredo quæ competit elementis non est corruptio proprij & naturalis caloris, quia non in omnibus

elementis

elementis reperitur proprius, & naturalis calor, vt in terra, & aqua: quarè huiusmodi putredo nō dicitur recessus a propria natura, quia recedat a proprio, & naturali calore. prætereaut dicebamus supra, elementa quæ hac putredinis differentia putrefiunt, tantum abest, vt per recessum a calore putrefiant, & intereant, vt potius ad propriam naturam; & temperamentum accedant, vt patet de terra, & aqua, a quibus cum caliditas secluditur, ad puritatem, & temperiem suam accedunt. quinimmo cum aliena caliditate & humiditate commiscentur, tunc recedūt à propria natura, & consequenter putrefiunt.

Dilucidatio primi capitis.

N*Ostra autem sententia ea est, quòd hæc putredinis differentia est corruptio secundum partem. declarans autem Philosophus quid per hoc intelligat, inquit, receßum à propria natura, ità vt idem sit corrumpi secundum partem, & recedere a propria natura, & hoc sit expositiuū illius. per receßum autem à propria natura non intelligitur dissolutio humidi à sicco, nec recessus proprij, & naturalis caloris, sed recessus a proprio temperamento quodcunque illud fuerit, siuè fuerit frigidū & siccum, vt terræ, siuè frigidum, & humidum, vt aquæ, siue calidum & humidum vt aeris: cum enim hęc a suo temperamento recedunt, secundum partem corrumpi dicuntur, nomine partis non intelligendo aut partem substantialem, aut quantitatiuam, sed (vt ita loquar) qualitatiuam, & tunc putrefieri dicuntur. talis autem putredo propriè ab Aristo. dicitur, non quia vera, & propria putredo sit, vt temerè dicunt nonnulli, malè dictionem illam (propriè) intelligentes, quia vera & propria putredo mixtorum perfectorum paßio est. & quæ contrarium est commune generationi mixtorum, quæ de hac putredinis differentia verificari non poßunt, sed accipitur (propriè) pro eo quod est peculiariter, vnde nonnulli textus legunt singulariter, vt sit sensus, atqui in his quæ corrumpuntur secundum partem, & recedunt a propria natura, & a proprio temperamento reperitur quidam proprius, & peculiaris modus putredinis diuersus a modo putredinis eorum, quæ corrumpuntur secundū totum. qui quidem modus subintelligito neque generationi opponitur, neque est paßio mixti, vt mixtum de quo sermo habetur, nunc ad secundum & tertium caput accedamus.*

Secundi, & tertij capitis dilucidatio.

C*Ompetit autem modus iste putredinis elementis, nam inquit, quapropter &c. omnia elementa putrescunt excepto igne, quod sanè hūc*

in modum ab Arist. infertur, quæ secundum partem corrumpuntur, & à propria natura recedunt, talia putrescunt, sed elementa vno excepto igne secundum partem corrumpuntur, & à sua natura recedunt, qua propter elementa omnia, igne excepto, putrescunt. similiter & animalium humores ex quibus febres ortum habent hoc modo dicuntur putrescere, cum à propria natura, & temperamento recedunt. & quò magis atque magis à sua conditione, & temperamento declinant, eo magis putrescunt. ità vt quandoque ad suam temperiem & naturam vix reduci queant: vnde in febribus pestilentibus ingens illa putredo nil aliud est nisi summus humorum recessus à proprio temperamento, qui interitus etiã dicitur secundum partem: huius autem putredinis ratio maximè diuersa est a ratione & modo illius putredinis, quæ mixtorum generationi opponitur, si quidem elementorum putredo fit per commixtionem alienæ caliditatis, & per commixtionem malorum vaporum: aer enim putrefit per commixtionem malorum vaporum. pariter & aqua per commixtionem alienæ caliditatis, & humiditatis, & secretio, & dissolutio ab his est reditus eorum ad propriam naturam, atque temperiem, & hoc est quod Aris. inquit, in tex. aer enim, aqua, & terra putrescunt, quia sunt materia ignis, hoc est, quia commixtionem igneæ portionis, et alienæ caliditatis recipiunt, & patiuntur: putredo uerò quæ corruptio est secundum totum, et generationi mixtorũ opponitur fit per dissolutionẽ humidi a sicco ꝓpter defectũ caloris naturalis, sicuti generatio ei opposita fit per vnionẽ, et mixtionẽ humidi cũ sicco ex ꝑdominio caloris. Ignis vero, nũc ad tertiũ deuenio, inter cætera elemẽta non putrescit, quia nec alienæ caliditatis, nec aliorũ vaporũ cõmixtionẽ admittit, et patitur, sed omnia dissipat, & cõsumit: nã sicut cętera elemẽta vt inquit Philosophus, ideò putrescũt, quia sunt igneę portionis materia, igitur ꝑ oppositum ignis nõ putrescit, quia nõ est materia aliorum, hoc est, quia aliorum cõmixtionem secum nõ admittit, et proindè à naturali constitutione, et tẽperamẽto non recedit, sed dicito, non solum ignis nõ putrescit inter elemẽta, sed etiã aer ex Aristotelis authoritate in lib. de lon. et bre. vitæ, vbi inquit, quòd ideò pinguia non putrescunt, quia aeris sunt, igitur non putrescit: respõdetur ꝙ illa Aristotelis authoritas nõ dicit impossibilitatẽ, ità vt aer nullo modo putrescat, similiter et quę pinguia sunt, sed dicit difficultatẽ, quia difficilius putrescit aer, quã cętera duo elementa, vt terra, et aqua: quia cum et ipse caloris particeps sit sicut et ignis, aliquo pacto resoluit alienos vapores, sed quoniã non ità potens est sicut ignis calor, non potest illos vndequaque dissoluere, atque cõsumere, et ꝓinde à putredine vt ignis omnino liberari, et vindicari nõ potest. iã ergo habes quid sit putredo quę dicitur
corruptio

corruptio secundum partem, & quomodo propriè dicatur putredo, quòd competit elementis, igne excepto: & quomodo, & quare ignis non putrescit, quid autem sit putredo quæ generationi mixtorum opponitur, & quæ corruptio est secundum totum, his explicat verbis.

Putredo autem est corruptio propriæ, & naturalis caliditatis in unoquoque humido ab aliena caliditate, hæc autem ambientis est.

CVM eam superius explicaßet putredinis differentiam, quæ corruptio est secundùm partem, modò in hac contextus particula de ea agit putredine quæ naturalis interitus finis est, & q̃ mixtorũ generationi opponitur, de qua libro quarto Meteo. præcipua est intentio, dicitque, putredo autem est corruptio caloris &c. quasi dixerit, visum est quòd putredo, quæ est corruptio secundum partem generationi minimè opponitur: putredo autem, quæ scilicet mixtorum generationi opponitur, est corruptio caloris proprij, & naturalis etc. cuius sanè putredinis definitio, & natura celebrata plurimum est, sed adeò perobscura, & concisis verbis ab Arist. explicata, vt Græci: & Com. eam potius subodorarint, quàm exactè explicarint: alij autem posteriores Philosophi, *& Medici ad hæc vsque tempora licet de ea copiosè tractare voluerint, adeò tamen confusè, & malè, vt errandi potius occasionem, et tenebras magis, quàm lucem aliquam attulisse videantur. ea propter decreuimus nos eandem causam agere, conabimurque (fauente Deo) vt eius natura aperiatur, et Aristotelis sententia conspicua reddatur, quæ in re dilucidanda, quatuor a nobis peragenda sunt: primo quidem, qua via huiusmodi definitio inuenta sit: secundo, definitio ipsa explicabitur, & dubitationes aduersus eam persoluentur: tertio, modus putredinis aperietur. Postremo, causæ a quibus dependet, considerabuntur. sed vt ad id redeamus quòd a principio propositum fuit, sciẽdum, quòd hæc putredinis definitio duas habet principes partes, prima est, putredo est corruptio caloris ꝓprij, & naturalis in vnoquoq; humido: secũda est, ab aliena caliditate q̃ ambiẽtis est. prima quidẽ pars inuenta est, atque deducta ex eo principio quod ab Aristotele acceptum fuit in cont. 3. illud autẽ est, simplici generationi opponitur putredo: iã verò cum generatio mixtorũ fiat ex ꝑdominio caloris supra humidum, igitur putredo q̃ ei opposita est, fit ꝓpter defectum caloris in humido, oppositę.n. mutationes oppositis modis fiũt: et sicut in generatione mixtorum et prædominio caloris fit terminatio, et humidi cũ sicco, ita ꝑ oppositũ in putredine ꝓpter defectũ caloris fit dissolutio humidi a sicco,*

& propterea quæ putrescunt primo fiunt humida, deinde sicca & arida, vnde cum Philosophus tex. 3 iecisset hoc principium, simplici generatio ni opponitur putredo, ex hoc inferebat naturam putredinis, dicens, fit autem corruptio, & putredo cùm id quod terminatur, quod humidum est, dominatur, & superat terminantem calorem propter ambiens, ex his .n. facta erant, & terminatum fuit humidum sicco operantibus, & dominantibus actiuis: itaque ex hoc principio, atque ità per viam à contrario inuenta, atque deducta fuit prima pars definitionis: secunda verò pars inuenta, & deducta fuit, quorum primum fuit ex temporibus anni, quia per hiemem, frigidioraque tempora mixta minus putrescunt, quàm per æstatem, quia exiguus est per hiemem calor in continente aere, & aqua, quare modicum, aut nihil pollet, æstate autem maior, & ex alijs sequenti bus signis, & ex his hæc putredinis definitio deducta est. ex quo sequitur quòd definitio ista non est formalis, sed causalis, nam cum ex hoc principio deducta sit (simplici generationi opponitur putredo) sicut victoria, et dominium caloris supra humidum est definitio causalis, hoc est, generatio mixti fit propter dominium caloris, ità ista putredo est corruptio, caloris est definitio causalis, hoc est, putredo fit propter corruptionem, & defectum caloris. cæterum animaduertant studiosi, quod non est causalis eo modo quo dicũt quidam huius Academiæ Philosophi, qui volunt quòd sit causalis immediatè respectu termini, vtpotè respectu interitus formæ substãtialis mixti, si quidem non solum est causalis respectu termini, sed etiã respectu viæ ad terminum: via autẽ hæc est dißolutio humidi a sicco, quæ corruptionem substantiæ antecedit, et ad corruptionem et defectum proprij caloris immediatè sequitur. nam sicut in generatione cui opposita est putredo tria hæc per ordinem sese consequuntur dominium caloris suprà humidũ, et est dispositio agentis: ad dominium autem caloris sequitur terminatio, et vnio humidi cum sicco, quæ est dispositio materiæ. ad hãc autẽ sequitur introductio formæ substãtialis. ita in putredine, & naturali mixtorũ interitu generationi opposito tria hæc reperiũtur, & seinuicem p ordinẽ consequũtur. primo quidẽ est corruptio & defectus caloris pprij, et est opposita dispositio caloris agẽtis in generatione ad defectũ proprij caloris sequitur dissolutio passiuarum vt humidi a sicco, q̃ est opposita dispositio materiæ, & passiuarũ qualitatũ in generatione: & pinde, notẽt studiosi, quia hæc supponit corruptionẽ & caloris defectũ. Aristoteles definiẽs putredinem non definiuit eam vel per dominium humidi, vel per dissolutionem humidi a sicco, sed per interitum caloris naturalis, ex quo sequitur dominium humidi aut dissolutio eius a sicco: ad hãc autẽ sequitur corruptio substãtiæ mixti, ita quòd sicut in generatione victoria, et dominiũ

caloris

caloris supra passiuas est definitio causalis non solum respectu termini, sed etiam respectu viæ ad terminum, quæ uia, est terminatio passiuarū. ita in putredine corruptio caloris proprij non solum est causalis respectu termini, sed etiam respectu viæ ad terminum, qui ad defectū caloris immediatè sequitur dissolutio passiuarum: & ex utraque definitione ut ex illa quæ est dispositio agentis, & defectus caloris, & ex illa quæ est dispositio passiuarum, & dissolutio humidi à sicco fit una totalis definitio causalis & propter quid respectu corruptionis substantiæ mixtę, quæ est diffinitio dicens quid, et proinde sicuti generationis definitio tradita fuit ab Arist. pro uia iuncta termino, pariter & putredinis definitio quę ei opposita est. quibus sic explicatis, nunc secundum aggrediamur.

Putredinis definitio explicatur.

EX quibus putredinis definitio deducatur, qualis vè sit, superiori capite declaratum fuit, nunc superest ut singulas definitionis particulas explicemus, quę sanè opus habent, cum non rectè hactenus fuerint explicatę. & primo occurrit illa particula explicanda, putredo est corruptio caloris, quid per corruptionem caloris intelligatur: aut enim per corruptionem caloris intelligitur corruptio simpliciter, aut mutatio caloris ab esse naturali ad esse præter naturale, cui dubio respondentes, dicimus, quòd per corruptionem caloris non intelligitur corruptio simpliciter, nec ea mouemur ratione qua mouetur Buccaf. quia corruptio quæ ab esse ad non esse fit subito, hæc autem caloris corruptio nō fit subito, sed in tempore, quia cum subiecto maioris stat oppositum prædicati: primæ enim qualitates elementorum in mutua eorum transmutatione simpliciter, & absolute corrumpuntur, & tamen illarum qualitatum corruptio non fit subito, sed in tempore, sed mouemur ipsius Aristotelis testimonio sub finem capitis de putredine, ubi ita scribit, In his quæ putrescunt animalia fiunt, propterea quòd segregata caliditas naturalis existens facit constare segregata. in quibus uerbis apertissimè indicat, quòd in putredine remaneat caliditas quæ congregat, & unit humidum quod dissoluitur cum sicco pro generatione illorum animalium, & licet sit præter naturalis respectu mixti quod putresit, quia non potest amplius illud humidum terminare, & quasi manu tenere pro conseruatione mixti, est tamen naturalis, & potens respectu illius humidi quod dissoluitur, quod illorum animaliū quæ oriuntur, materia est. itaque corruptio caloris nō est corruptio simpliciter: erit ergo mutatio caloris ab esse naturali, ad esse præternaturale, vnde nō male

le (meo iudicio) nonnulli textus ita legunt, Putredo est corruptio quædam caloris. hoc est non corruptio simpliciter caloris, sed mutatio ab esse naturali ad esse præter naturale. sed quoniam mutatio ista bif. fieri potest, uel quo ad intensionem, uel quo ad diminutionem, dubium est, an ista caloris mutatio sit quo ad intensionem, uel quo ad diminutionem. communis extat opinio quòd caloris corruptio sit mutatio ad maius, & quò ad intensionem, vt sit sensus, Putredo est corruptio caloris, hoc est intensio, & adauctio caloris proprij. cuius ea sanè ratio esse potuit. quia corruptio hæc caloris, ut inquit Philosophus, fit à calore ambientis, sed calor non diminuitur à calore, sed potius intenditur, & augetur: quoniam simile non diminuitur à simili, sed potius adaugetur, igitur corruptio caloris à calore ambientis non est diminutio, sed intensio: tametsi opinio ista communis sit, & quasi omnium, attamen falsa est, & ab Aristotele aliena, quod in primis ex eo probatur principio, ex quo pars ista deducta fuit. nam ut dictum fuit, pars hæc ex eo principio deducta fuit, simplici generationi opponitur putredo, iam uerò generatio est uictoria, & dominium caloris humidum terminantis, igitur putredo generationi opposita est in potentia, & defectus caloris qui iam pridem humidum terminabat, quinimmò hoc apertissimè declarauit Arist. in contex. 3. eodem innixus principio dicens. putredo fit humido dominante supra calorem propter ambiens. igitur corruptio caloris supponit dominium humidi, sed corruptio caloris quæ supponit dominium humidi non est intensio & adauctio caloris supra humidum, sed diminutio, etenim si corruptio caloris ab ambiente calore esset intẽsio caloris proprij supra humidum, tunc putredo non fieret humido dominante supra calorem, sed ecõtra, calore dominante, & supra humidum maximè adaucto, præterea id probatur ex uerbis Arist. qui ita scribit, exeunte.n. calore secũ attrahit humidum naturale, quibus uerbis ostendit quòd corruptio caloris fiat per exitum, et euaporationem, atqui exitus, & euaporatio caloris proprij à centro ad circumferentiã, non est intensio, sed diminutio: igitur corruptio caloris proprij non est intensio caloris, sed diminutio: postremo probans Arist. putredinẽ, & corruptionẽ caloris proprij fieri à frigiditate interna, hoc vtitur ratiocinio, putredo est corruptio caloris ꝑ prij, sed corruptio caloris est intẽsio frigidi, igitur putredo fit à frigido, uerba Arist. hæc sunt, in quibus stat discursus, quoniã indigẽtiã patitur calidi, indigẽs autẽ tali virtute frigidũ est. ambę vtique causæ erũt, & putredo cõmunis passio est externæ caliditatis, & internæ frigiditatis, hæc Arist. iam verò si corruptio caloris proprij est intensio caloris, tunc illa propositio Arist. quę dicit, corruptio caloris proprij est intensio frigidi, erit

falsa

falsa, quia ad intensionem caloris sequitur remissio & diminutio frigidi, non autem intensio: & ità Aristoteles potius probaret oppositum, quàm propositum, quia si corruptio caloris à calore ambientis est intensio caloris, cum intensio caloris sit remissio frigidi, igitur internus calor mixti corrumperet frigidum, non autem frigidum corrumperet calidum, quod tamen Aristoteles probare instituit. Concludimus itaque contra communem opinionem quod corruptio caloris sit defectus, et diminutio, non autem intensio: sed quoniam hæc caloris corruptio fit, vt inquit Philosophus, à caliditate externa, & à frigiditate interna, à calore autem externo non fiat nisi secundum quantitatem, quia cum fiat exeunte calore à centro ad circumferentiam per exitum, & egressum non corrumpatur secundum gradum: sed secundum quantitatem, ut si in mixto sit calor igneus quatuor vnciarum si exeat vna vncia, dicitur diminui secundum quantitatem. igitur huiusmodi corruptio & diminutio caloris à calore ambientis est secundum quantitatem: & quoniam fit etiam à frigiditate interna, calor autem à frigiditate secundum gradum corrumpatur, & diminuatur, igitur huiusmodi diminutio caloris est etiam secundum gradum: quare putredo est corruptio, hoc est diminutio, & defectus, & secundum quantitatem, & secundum gradum. secundum quantitatem à calore ambientis, secundum gradum à frigiditate interna, quæ concurrit in genere causæ efficientis, ut infra demonstrabimus. nec officit ratio in contrarium allata: nam cum dicebatur, calor à calore non diminuitur, sed augetur, respondetur, quòd calor per se augetur à calore, per accidens autem diminuitur per extractionem à centro ad circumferentiam, vt contingit per æstatem in animalibus, in quibus internus calor diminuitur à calore ambientis, quia extrahitur ab internis ad externas corporis partes, uel per cõsumptionẽ nutrimenti sicut cõtingit in exstinctione minoris flãmę; à maiore flãma: dũ enim maior candela accensa admouetur minori candelæ maior extinguit minorem, quia maior absumit ei pabulum, & nutrimentum quod præparatum est, ad cuius defectum deficit & calor; in putredine autẽ calor internus diminuitur ex accidenti à calore ambientis, quoniam ab eo extrahitur, & egreditur, quò sanè egrediente diminuitur, & intrinsecus imbecillior redditur. nomine autem caloris non intelligitur substantia calida vaporosa ex sanguinis tenuiore parte genita, ut temerè censuit ille Buccaf. quia putredo est corruptio illius caloris qui in generatione humido dominatur, sed calor qui in generatione dominatur, humidumque terminat, est calor, qui est qualitas elementaris, quia generatio est opus actiuarum qualitatum quæ sunt causæ elementorum, ut

inquit

inquit Philosophus in text illo primo quarti Meteo. igitur putredo est corruptio caloris, qui qualitas est, non autem substantia illa calida ex tenui sanguinis parte genita.

Quid per proprium, naturalemque calorem Philosophus intelligat.

IN horum uerborum expositione varij sunt dicendi modi, sed nominima quaque in re aliorum dicta perpendere uideamur, Conterranei mei Sebastiani Paparellæ expositionem solum in mediũ afferemus, qui tertio suo libro de calore præter naturali cap. 5. hæc uerba exponens, inquit, Aristotelem per calorem proprium intelligere propriam vniuscuiusque membri calidam complexionem in qualitatis prædicamento re positam: per naturalem uerò calorem formam substantialem mixti corporis uiuentis. sed cum supportatione expositio ista non est ad Aristotelem, quia ut nuper diximus aduersus Buccaf. in putredine calor ille naturalis corrumpitur, qui iam pridem in generatione humidum terminabat, sed ille qualitas est, igitur nomine caloris proprij, & naturalis qualitas intelligitur: prætereà estò quòd nomine caloris naturalis forma substantialis intelligeretur, non tamen accipi potest pro forma substantiali mixti uiuentis, ut inquit, quoniam putredo non est passio mixti uiuentis, sed mixti ut mixtum est. non enim uiuentia, sed quę iam vita orbata fuerunt per putredinem intereunt. Nos itaque sententiam nostram afferamus, quæ ut conspicua fiat, illud ad memoriam reuocare oportet, quòd generatio est transmutatio passiuarum qualitatum à calore dominante. generant enim calor, & frigus, dicebat Arist. cum dominantur, sed licet calor in generatione passiuis dominari debeat, nõ tamen sub æquali gradu in omnibus mixtis passiuis dominatur, sed sub alia, & alia proportione, & mensura: nam sub alia mensura dominatur in osse, & sub alia in carne, & ità de alijs, ut in auro, & argento; iam uerò quatenus calor dominatur passiuis qualitatibus, dicitur naturalis, ut est ipsiusmet Aristotelis sententia eo quarto Meteo. cap. de coctione in genere, ubi ità scribit: Humiditas enim est quæ terminatur à naturali calore, quamdiu autem in eo est ratio, & proportio supra humidum, naturalis est. ex quibus uerbis clarum est, quòd calor dicitur naturalis quatenus supra humidum dominium habet, quòd à calore terminari debet; cum autẽ amplius humidũ nec superat, nec terminare ualet, præter naturalis dicitur, quatenus uerò sub tali determinata mensura, & gradu dominatur passiuis in hoc, & illo mixto proprius

prius dicitur huic, & illi mixto: in putredine verò corrumpitur calor naturalis, & proprius: naturalis quidem, quia non amplius dominantur humido sicut in generatione, sed potius econtra humidum dominatur calori: proprius verò quia non manet amplius sub ea mensura, quę erit illi mixto proportionata. Sed dicitò, cur Aristotele in definitione putredinis præmittit proprium naturali, dicens, Putredo est corruptio caloris proprij, & naturalis, in definitione verò coctionis præmittit naturalem proprio, dicens, Concoctio est perfectio à calore naturali, & proprio: scito, id maxima cum ratione, & non fortuito ab Aristotele factum fuisse, quia in putredine prius corrumpitur calor, vt proprius: deinde vt naturalis, ideò præmisit proprium naturali. quòd autem in putredine prius corrumpatur ut proprius & commensuratus, ex eo patet, quia si sit mixtum aliquod, cuius calor proprius & proportionatur sit, ut quinque, si duo gradus, aut tres illius caloris corrumpautur, calor non est amplius illi proprius, & proportionatus, quia per casum erat, ut quinque, & cum corruptus fuerit secundum illos tres gradus nõ amplius dominatur passiuis, & tunc corruptus est, ut naturalis. & ità in putredine prius corrumpitur, ut proprius, deindè ut naturalis in generatione autem & coctione opposito modo sese habet, quia prius est naturalis, deindè proprius, quia prius calor passiuis dominari debet, et postea fieri debet commensuratus & proindè in definitione concoctionis proprio naturalis præmittitur: talis autem corruptio caloris proprij, et naturalis fit, inquit, in unoquoque humido siue sit aereum, siue aqueum: nam sicut in generatione calor dominatur, & potens est ad terminandum unumquodque humidum, et aereum, & aqueum, ità per oppositum in putredine fit diminutio, & impotentia caloris respectu uniuscuiusque humidi, ità ut amplius nec humidum aereum, nec aqueum terminare queat. Et quoniam declarandum erat à quo fiat hæc caloris naturalis corruptio, ideò subdit dicens, (ab aliena caliditate; hæc autem ambientis est,) qua in parte declarat primã putredinis efficientem causam, dico primam, quoniam ambientis caliditas non est totalis, & adæquata putredinis causa, quia ut inquit ipsemet, putredo est communis effectus externæ caliditatis, & internæ frigiditatis, sed est præcipua, & origine prior, quam sit interna frigiditas: per hanc autem particulam distinguitur putredo à naturali animatorũ interitu, quia putredo fit ab extrinseco, vt à calore ambientis. Adde, & per actionem internæ frigiditatis in calorem naturalem, naturalis autem animatorum interitus, vt mors naturalis animalium non fit ab extrinseco, neque fit per actionem cõtrarię qualitatis in calorem natura-

lem, quicquid dixerit Auer. 3. C. 31. sed solum fit per impotentiam refrigerandi calorem arefactis propter temporis longitudinem in piscibus branchijs & pulmone in alijs animalibus, in stirpibus verò & plantis fit ariditas propter humidi resolutionem, ad cuius defectum dissoluitur, marcescit calor, absque concursu agentis externi, aut actionis contrariæ qualitatis internæ, sicut contingit in putredine, sed quid per calorem ambientis intelligat considerandum est.

Quid per alienam caliditatem quæ ambientis est, Philosophus intelligat.

COmmuniter Philosophi, & Medici arbitrati sunt per calorem ambientis non solum intelligere calorem aeris aut aquę, sed calorem cuiuscunque rei ambientis corpus sicut sunt vapores, & fuligines, quæ a corporibus nostris eleuantur. quæ quidem cum non sint propriæ humoris quem ambiunt, sed tanquam res externæ, vim habent ambientis, atque externi calidi. sed hic est alius communis error, ad hæc vsque tempora per manum traditus. quia Philosophus partem istam pluribus signis probans, quid per calorem ambientis intelligat seipsum exponit: et primo id probans ex temporibus anni, sic inquit, Mixta minus per hiemem quam per æstatem putrescunt; quia per hiemem exiguus est calor in ambiente aere, & aqua: itaque per ambientis calorem solum intelligit calorem aeris, & aquæ, non autem fuligines, & calidos vapores in corpore clausos. quòd si per calorem non solum intelligeret calorem aeris, & aquæ, sed etiam fuligines, et calidos illos vapores, tunc Philosophus in aßignando causam quare mixta minus hieme, magis autem æstate putrescant, non assignasset causam communem et adæquatam, cum præter calorem aeris, et aquæ concurrant etiam fuligines, et calidi vapores. quod utique confirmat secundum signum a concretis corporibus desumptum: in quo sic inquit, (et neque quod congelatum, magis enim frigidum, quam aer calidus, non igitur obtinet, mouens autem obtinet,) addit et tertium, dicens (neque feruens; aut calidum) minor enim quæ in aere caliditas, quam quæ in re, et similiter in alijs signis, cum itaque Philosophus per calorem ambientis semper exponat calorem aeris, et aquæ, et ad isthæc duo putredinis causam referat, igitur per calorem ambientis solum intelligit calorem aeris, et aquæ, quæ ex accidenti calida est, non autem fuligines. et calidos illos vapores in corpore retentos, vt dicit communis opinio ad Aristotelis probationem

non

non respiciens.prætereà a fuliginibus,calidisque uaporibus non fit remissio,neque diminutio caloris naturalis neque secundum quantitatem,neque secundum gradum,sed potius intensio,& adauctio ut patet in febribus putridis,in quibus,vt inquit Galenus,igneus efficitur, & plus iusto augetur.sed corruptio caloris naturalis a calore ambientis, est diminutio,& mutatio ad minus:igitur hæc corruptio caloris naturalis a calore ambientis non fit a fuliginibus, calidisque vaporibus, & per consequens sub caliditate ambientis neque fuligines,neque calidi vaporis continentur.adde,quòd corruptio caloris naturalis a fuliginibus eleuatis fit per prohibitam transpirationem,quia cum fuligines quæ in nostro sunt corpore perspiratũ non hẽnt:alterant calorem naturalem,& ignem reddunt,vt inde febres exoriantur, sed putredo ab Aristotele definita fit per exitum,& euaporationem caloris naturalis,vt supra dictum fuit,et infra magis patebit.igitur non fit a calidis illis vaporibus, & per consequens,vt supra,sub aliena ambientis caliditate non continentur.illud bene verum est,quod putredo illa quæ dicitur corruptio secundum partẽ, et recessus a propria natura quę humoribus competit ex qua putridę febres oriuntur,a calidis vaporibus,& fuliginibus efficitur:sed hæc maximè diuersa est a putredine ab Aristo.definita,qa hęc est corruptio secundum totũ,& opposita generationi mixtorum:illa verò nequaquã.sed isti omnia cõfundũt.ceterũ hac in parte ab Argenterio redarguitur Aristoteles,quòd non declarauit naturã & qualitatẽ huius alienæ caliditatis putrefacientis.Addimus quòd ex eo quoque redarguẽdus videtur,quod non declarauit proportionem huius caloris putrefacientis sicut fecit in generatione,sed ab his Aristoteles facilè vindicari potest.et ad primam Argenterij nos dicimus,quòd vtique declarauit qualitatẽ caloris putrefaciẽtis.nam cũ dixit,quæ putrescunt primo fiunt humida,deinde sicca, & arida,& quòd corruptio caloris naturalis fit per exitũ,& euaporationẽ,quis est tam mentis impos,qui nõ videat Aristotelẽ voluisse quòd caliditas putrefaciens sit caliditas humida,q̃ aperit,& relaxat,& ꝓinde reddit corpus aptũ exhalationi caloris naturalis,& recessui eius ab humido:nec opus fuit vt declararet ꝑter naturalẽ esse vt optat Argẽterius,qa cum sit calorẽ naturalẽ corrũpens, et faciẽs recedere a suo naturali statu,quis dubitat quod est ꝑter naturã,et modũ excedens? Soluitur & alia,quòd Aristoteles virtute quadã huius alienæ caliditatis proportionem declarauit nam cũ sit corrumpens proportionem dominãtis habere debet,non enim corrũpẽs est nisi alteri dominetur,vel dicito Aristotelẽ ꝓportionem huius alienæ caliditatis declarasse in ꝓbatione illius particulæ,nam causam reddens quare minus per hiemem corpora putrescant,

 trescant,

trescant, magis autem per æstatem, causa inquit, est, quia minor per hiemem calor est in ambiente, maior autem per æstatem, & similiter in alijs sequentibus signis, & hæc est putredinis definitio ab Arist. tradita, quæ tres causas continet, formam, cum dicit corruptio caloris, materiã in vnoquoque humido, efficientem primam, ab aliena caliditate.

Quid putredo sit apud Galenum.

Galenus 11. Metho. cap. 8. hunc in modum putredinem definiuit, putredo est mutatio ad corruptelam totius substantiæ putrescentis ab externa caliditate: dixit corruptio totius substantiæ ad differentiam corruptionis secundum partem, & recessus à proprio temperamento quæ humoribus competit, ex quibus putridæ exoriuntur: huiusmodi enim non est corruptio secundum totum cum ad propriam naturam redigi queant. dixit, (substantię putrescentis) vt censeo, vt ostenderet quòd putredo non est corruptio totius substantiæ vt viuens est, sed mixti, quod est substantia putrescens, (ab aliena caliditate) vt ostenderet effectricẽ putredinis causam. Quæ sanè definitio, ab ea quæ ab Arist. tradita est, non distinguitur nisi penes hoc, quia putredo à Galeno definita est putredo pro termino, quæ verò ab Aristot. definita, est pro alteratione & pro via iuncta termino, ex quibus fit vna integra & perfecta putredinis comprehendens definitionem pro uia, & pro termino, & dicentem Quid, & propter Quid, quæ huiusmodi est putredo est corruptio totius substantiæ putrescentis facta propter corruptionem caloris proprij, & naturalis in unoquoque humido ab aliena caliditate, hinc soluitur temeraria Argenterij in Aristotelem accusatio, quòd dixerit putredinem caloris corruptionem esse, cum tamen non caloris, sed substãtiæ corruptio sit. soluitur inquam, quia Aristoteles nõ definiuit putredinem pro termino, vt fecit Galenus, sed pro via iuncta termino, atque præuia alteratione, & proinde dixit esse corruptionem caloris, quę est definitio causalis, & propter quid respectu definitionis traditæ à Galeno: non enim adeò stupidus fuit Aristoteles quin nouerit, quòd putredo est substantiæ mixtæ corruptio, sed quia videbat substantiæ corruptionem supponere, & dependere ex dissolutione passiuarum, hanc autem dependere ex caloris naturalis terminãtis interitu, ea propter per caloris interitum definiuit. Cæterũ quia aduersus putredinis definitionẽ ab Aristotel. assignatum plures occurrunt difficultates, ideo ne legentium animum tędio afficiamus, huius capitis hic finis esto: easque sequenti capite prosequemur.

Dubita-

Dubitationes aduersus putredinis definitionem, & earum solutiones.

TAmetsi putredinis definitio congruè, & decenter ab Arist. tradita fuerit, attamen aduersus eam nonnullæ occurrunt difficultates, & prima fuit illius Argenterij, qui exilibus, & spinosis quibusdam rationibus singula quæ de putredine ab Arist. sapienter dicta fuerunt; funditus euertere conatus est. & ratio ea est, putredo fit a calore, igitur non est corruptio caloris. præterea putrefieri, & corrumpi sunt nomina quæ passionem significant, sed calor non agit, sed patitur: igitur calor non putrefit, neque corrumpitur, igitur putredo non est caloris corruptio. quæ ratio non cohæret fundamento, quia id quod agit non patiatur, vt putauit ille Remigius qui hac in re Aristot. tueri voluit. sed meo iudicio, eo innititur fundamento, quia ex ipsius Aristotelis decreto, duæ sunt qualitates passiuæ, & veluti materia vt siccitas & humiditas. duæ verò tantum actiuæ vt calor & frigus. cum itaque calor sit qualitas actiua, & non passiua, igitur agit, & non patitur, quare neque putrefieri, neque corrumpi dicitur, quæ passionem significant. habet præterea dubitationem id quod dicitur putredinem fieri à calore ambientis: si enim hoc verum esset, sequeretur, q mixtum, quod sui natura corruptibile est positum in uacuo non corrumperetur, sed externum foret, quod est contra Aristotelis decreta primo C ę. contra Platonem, deducitur consequētia, quia in uacuo non est externa ambientis caliditas: igitur non erit putredo, neque mixti corruptio. præterea mixtum constat ex contrarijs & dimicantibus inter se qualitatibus, igitur intrinsecus natutali interitu per actionem, cuius contrariæ qualitatis in alteram ut frigiditatis in calorē internum corrumpi potest absque externa ambientis caliditate. Amplius aduersus eandem partem castaneæ, nuces, & id genus consimilia plerumque, ut conspicimus, intrinsecus putrefacta sunt, extrinsecus autē illesa. igitur ab externa caliditate putrefacta dici non possunt. probatur consequentia, quia si ab externa caliditate putrefactæ essent, cum agens prius in partem sibi finitimam, & propinquam agat, quàm in partē remotam. igitur prius externæ quàm internę partes putrefieri deberent, cum autem secus eueniat: igitur ab externa ambientis caliditate putrefieri minimè dici debet: postremo aduersus definitionem totam, si putredinis definitio vera esset. sequeretur quòd putredo non distingueretur a combustione aduersus Aristotelem ipsum. deducitur consequentia, quia combustio etiam est corruptio caloris proprij, & naturalis in vnoquoque humido ab aliena caliditate: igitur eadem erit cōbustionis, & putre-

dinis definitio, sed quæ definitioni conueniunt eadem sunt: igitur combustio & putredo unum & idem erunt: hæc sunt quæ putredinis euertere & demoliri videntur. Cæterum isthæc quæ aduersus Aristotelem afferuntur nullo quidem negocio à nobis persolui possunt. & prima illa ratio Argenterij leui profectò homine digna est: non enim est idem calor qui corrumpit, & qui corrumpitur: qui enim corrumpit externus est, atque ambientis: qui verò corrumpitur internus est, proprius, & naturalis. & quod nam absurdum est obsecro si ab externo internus, si ab immoderato moderatus corrumpatur? solum ergo concludit argumentum, quòd cum putredo sit à calore ambientis non est eiusdem corruptio, sed alterius, ut potè interni, & naturalis. Ad secundam autē dicimus, quòd putrefieri, & corrumpi vtique passionem significant. & cum dicebatur calorem esse qualitatem actiuam, & non passiuam. respondetur, quod ista propositio non est ità ad uiuum resecanda, ut intelligatur, quòd caliditas ità agat vt nullo modo patiatur, quia caliditas in frigiditatem agens in agendo repatitur, & aliquando à frigiditate corrumpitur: si enim esset, scribit Aristoteles primo de Generatio. 55. caliditas abiuncta à materia, ageret, & nihil pateretur. sed cum materiæ concreta sit, quę radix est, & causa passionis, ut in eodem loco scribit, dicens, materia secundum quòd materia pasiuum est, patitur, & corrumpitur, sed propositio illa ità ab Arist. intelligitur, quòd caliditas vnà cum frigiditate agens est, & non patiens. quò ad secundarias operationes, vt potè quo ad terminare, & copulare, nam hæ terminant, & non terminantur, sicut contrà siccitas, & humiditas patientes sunt & non agentes: quia terminantur, & non terminant: & hæc est germana Aristotelis sententia circa propositionem illam, quam non intellexit Argenterius, nec Remigius Aristotelem defendens. tertia autem dubitatio tā ti momenti fuit, ut Zimara in eam uenerit dementiam, ut dixerit, mixta adæquatum principium actiuum suæ naturalis corruptionis intrinsecus habere, seclusa quauis actione agentis exterioris, non animaduertens Arist. verba dicentis, putredinem & naturalem mixtorum interitum fieri ab aliena caliditate, quæ ambientis est. nobis autem nullum facessit negocium, & licet aliàs soluta fuerit, soluitur breuiter & nūc. & cum dicebatur, si putredo fieret ab aliena caliditate, igitur mixtum positum in uacuo non corrumperetur, sed esset æternum. conceditur argumentum: ad falsitatem autem consequentis respondetur, quod aliqua propositio potest esse uera per se, quæ falsa est per accidens ex aliqua hypotesi, nam propositio ista, corruptibile non potest esse æternum est uera per se, potest tamen reddi falsa per accidens ex hoc data hypotesi,

tesi, nam admisso uacuo in rerum natura mixtum erit æternum: aliqua enim conditionalis potest esse uera, cuius antecedens, et consequens sūt impossibilia; impossibile enim est vacuum esse, fieri nequit corruptibile æternum esse, de Arist. sñia, illa tamen data hypotesi corruptibile ęternum erit, quia ex impossibili sequitur quodlibet. Ad quartam autem dicimus, quòd mixtum constat ex contrarijs, & pugnantibus qualitatibus, minimè tamen corrumpi potest per actionem contrariæ qualitatis ut internæ frigiditatis in internam caliditatem absq; præcedente ambientis caliditate: & ratio est ista, quia interna frigiditas propriam & naturalem mixti caliditatem corrumpere minimè potest nisi ei dominetur, sed interna frigiditas internæ mixti caliditati dominari minimè potest, nisi ab ambientis caliditate prius fuerit diminuta, qua ita diminuta, interna frigiditas adaugetur, & supra caliditatem oppositionem acquirit. atque ita eam corrumpit, quamobrem mixta per actionem internæ frigiditatis in internam caliditatem corrūpi minimè possunt, absque pręuia ambientis caliditate. quòd sanè declarauit Aristoteles his verbis, dicens, quoniam indigentiam patitur calidi, indigens autem tali uirtute frigidum est. ambæ erunt putredinis causæ externa caliditas, & interna frigiditas, quorum uerborum is sensus est. quoniam putredo est indigentia, et inopia calidi, inopia uerò calidi est intensio frigiditatis, igitur putredo fit ab interna frigiditate: ecce quòd interna frigiditas supponit inopiam, & indigentiam caloris naturalis factam à calore ambientis, & consequenter non potest esse causa corruptionis naturalis mixti absque ambientis caliditate. Ad argumentum autem de nucibus & castaneis quicquid alij comminiscantur, nos ità respondemus, quòd licet in his internæ partes putrefactæ sint, externæ uerò integræ, & illęsę, illa tamen putredo facta est ab externa caliditate. & pro intelligentia aduertendum, quòd nucum, & castanearum, & id genus consimilium, extimæ partes non sunt uniformes in raritate, & densitate, sed quædā sunt rariores, quędam uerò densiores, & compactę magis, tunc dicimus quòd caliditas ambientis extimas partes calefacit, & calefaciendo partem rariorem reserat, atque aperit, qua ita reserata calorem internum euocat, & extrahit, ad cuius extractionem secum quoque extrahitur, & egreditur humidum, quo exeunte intrinsecus remanet puluis per recessum humidi à sicco, & proinde in his fructibus, quæ putrescunt, nos orificium quoddam spectamus, per quod naturalis calor unà cum humido euaporat, cæteræ corticis extimæ partes quia sunt compactæ magis, nec rarefactioni, & dissolutioni ità perhabiles integræ manent & illęsæ, quę postea temporis interuallo putrescunt, & in pulueres reuertuntur. Vltima

tima similiter dubitatio parum nos perturbat, licet semper difficilis uisa fuerit. & cum dicebatur, si putredinis definitio esset uera, tunc putredo non distingueretur a combustione. negatur consequentia, ad probationem, eadem putredinis & combustionis definitio est, id est falsum, quinimmo inter se maximè discreminantur. primò quidem quia putredo fit deficiente, & diminuto calore interno à calore ambientis: combustio uerò fit adaucto & intenso à calore ignis. secundo putredo non fit per cõuersionem in naturam agentis exterioris: combustio uerò fit per conuersionem in naturam ignis comburentis. tertio, putredo fit à calido humido, combustio uerò fit à calido sicco: tandem putredo fit non solum à caliditate externa, sed etiam à frigiditate interna: combustio uerò nequaquam, sed solum à caliditate externa: iam ergo uides quàm maxima sit inter utranque differentia, quibus omnibus difficultatibus sic solutis, accusationibusque reiectis, nunc modum putredinis explicemus, quòd fuit aliud in ordine propositum.

De modo putredinis.

VT quem proposuimus ordinem teneamus, explicata putredinis definitione, dubijsque solutis, nunc superest ut putredinis modum explicemus, qua in re non conuenit apud omnes Albertus Mag. & plurimi alij qui postea ipsum secuti sunt, huius extitere sententiæ, quod putredo fiat per intensionem caloris naturalis supra humidum, qui adauctus, & intensior factus à calore ambientis, agit in humidum, ipsumque dissoluit, ad cuius dissolutionem, quod caloris naturalis pabulum & alimentum est, calor & ipse dissoluitur, quo dissoluto & consumpto fit putredo, & naturalis mixtorum corruptio, ita vt secundum istos in putredine isti motus concurrant, & talis sit ordo. primo quidem externus calor qui mixtum corpus ambit suam uim exercens calefacit, & calefaciendo rarefacit, & relaxat, qua relaxatione partium facta intus penetrat, & penetrando internum calorem adauget & intendit, quo intenso & ultra modum adaucto agit in humidum, ipsumque absumit, ita ut nihil supersit alimenti idonei & præparati ad calorem nutriendum, quo absumpto deficit naturalis calor & euanescit, et inde sequitur mixti corruptio: Addidere autem Buccaf. & Argenterius quòd intensio caloris naturalis fit etiam per concentrationem & probibitam transpirationẽ caloris naturalis ratione externæ frigiditatis, quę mixtum ambiens calorem naturalem intrinsecus fugat, atque propellit. & mixti corporis densans, & obstruens caloris naturalis & fulginosorum uaporum pro-

hibet perspiratum, ex quo fit ut calor naturalis alteretur, & plus iusto augeatur, quo ita adaucto ĩ humidum agit. Sed horum sententia est Aristoteli omnino contraria, & primo fiet communis intensio aduersus omnes, mox seorsum aduersus Buccaf. & Argenterium. primò quidem istorum omniũ opinio est, quò ad id quod putredo fiat calore naturali adaucto, ut supra humidum dominante. quinimmo putredo fit opposito modo nempè humido supra calorem naturalem dominante, ut patet ex contex. illo 4. in quo Philosophus hæc habet: Fit autem putredo quę generationi opposita est, cũ id quod terminatur quod humidum est, dominatur supra calorẽ terminantẽ propter ambiens. quod etiam luce clarius ostendunt uerba illa in contex. 6. vbi sic inquit; exeunte enim calore proprio secum attrahit humidũ naturale, ad quẽ locũ nos sæpè recurrimus, quoniam is est qui horum demẽtiam ostendit, & patefacit. cum itaque corruptio caloris naturalis à calore ambientis fiat per exitum & egreßũ illius, cũ aũt egreditur calor naturalis non augeatur, sed diminuatur: igitur putredo non fit per intensionẽ, sed diminutionem caloris a calore ambientis. ex quibus Arist. uerbis illud quoque apertè falsum esse ostenditur humidum dissolui per actionem caloris naturalis adaucti; pariterque calorem naturalem dissolui, atque diminui ad dissolutionem humidi. siquidem Philosophus inquit humidum dissolui non per actionem caloris naturalis, sed per exitum, & euaporationem ipsius caloris, ita ut talis humidi dissolutio non habeat causam positiuam, sed priuatiuam solum, quæ est receßus caloris naturalis ab humido, ex eisdem etiam uerbis quis est tam mentis impos qui nõ videat Arist. non velle calorem dissolui ad dissolutionem humidi, sed potius contra humidum dissolui ad dissolutionem caloris naturalis, atque caloris naturalis dissolutionem non supponere diminutionem, sed potius humidi dominium? Buccaf. autem & Argenterius ab Arist. omnino dißentiunt. quia cũ putredo, & corruptio naturalis corruptio fiat, vt dictũ est, exeunte calore: igitur nõ fit per concentrationem, & prohibitã transpirationem caloris; pugnant enim ista putredinem fieri per concentrationem caloris naturalis, & fieri per exitum, & euaporationem caloris, ut dicit Aristo. ex quo sequitur non fieri a frigiditate externa, quia hæc impedit & arcet euaporationẽ & exitum caloris, cũ condenset, et obstruat: in cuius confirmationem accedit Arist. authoritas in contex. 6. vbi sic inquit, putredo est communis effectus æternæ caliditatis, & internæ frigiditatis, quæ sequitur inopiam & indigentiam caloris naturalis. sed isti putredinis differentias cõfundunt, ut illã quę est corruptio secundum partem cum illa quæ mixtorum generationi opponitur, et quę naturalis interitus finis est: illa enim

PP fieri

fieri potest per prohibitam transpirationem ab externa frigiditate ut contingit in febribus putridis, hæc uerò per exitum & euaporationem caloris naturalis. Ex altera parte dixerunt alij putredinem fieri per actionem caloris ambientis in humidum: ille enim in humidum agens ipsum attenuat, & rarefacit, quo attenuato egreditur, & euaporat: ad cuius euaporationem secum quoque euaporat, & dissoluitur naturalis calor, ad cuius dissolutionem sequitur corruptio mixti. Cæterum & ista opinio falsa est. siquidem calor ambientis non est proximum & immediatum dissoluens, & corrumpens humidum, sed est immediatum dissoluens calorem naturalem: putredo enim, inquit, est corruptio caloris naturalis a calore ambientis. præterea humidum non dissoluitur neque euaporat per actionem caloris ambientis, sed per exitum, & recessum caloris naturalis. In eo pariter errore versantur isti, quòd calor naturalis dissoluatur, & deficiat ad defectum humidi; qua in re studiosos iuuenes commonefacimus, vt posthac comminunem hunc errorem aufugiant, quem etiam his temporibus publicè edoceri animaduertimus non sine maxima admiratione, quòd videlicet in putredine calor naturalis deficiat ad defectum humidi. cuius communis erroris causa ea fuit, quia arbitrati sunt calorem naturalem bis. tantum diminui atque dissolui posse. vno modo à contrario: alio modo ob defectum humidi, & alimenti: quam sententiam approbauit etiam ille Remigius in apologia Aristotelis aduersus Argenterium, quod tamen ab Aristotele apertissimè dissentit, quia calor naturalis non solum diminuitur a contrario, & ob defectum humidi, sed etiam a calore ambientis per exitum & euaporationem ipsius, ut in putredine, sicut patet ex verbis Aristotelis superius citatis. Nec officit si quis in contrarium Aristotelis authoritatem adducat in libro de resp. morte & vita, vbi inquit calorem bis. deficere, & corrumpi posse. vno modo à contrario, alio modo ob humidi defectum, quia Aristoteles intelligit in corruptione animatorū, de qua ibi sermonem habet: in hac enim illis duobus tantum modis calor naturalis deficit, & corrumpitur. uel dicas alio modo, quòd intelligit de corruptione, & diminutione caloris naturalis secundum gradum, sed secundum gradum & quantitatem illis duobus modis deficit, & diminuitur, sed per exitum etiam & euaporationem vt in putredine, & naturali mixtorum interitu contingit.

De modo putredinis opinio propria.

R*EIECTIS aliorum opinionibus, nunc verum, & Aristoteli consentaneum putredinis modum explicemus, dicimusque putredinem*

tredinem hunc in modum effici: primo enim ambientis calor calefaciendo corpus mixtum aperit, & relaxat: relaxatione facta internus egreditur, & foras trahitur, atque ita diminuitur: calore autem egrediente secum quoque trahit, & allicit humidum naturale: cum autem per exitum calor naturalis diminuitur interna frigiditas incipit augeri & supra calórem dominari, qua dominante in calorem naturalem agit ipsumque vsque adeò remittit, quòd non potest amplius retinere humidum cũ sicco, unde humidum quasi sui iuris factum diffluit, et à sicco disiũgitur. ad hanc autem humidi secretionem, passiuarumque dissolutionem sequitur corruptio mixti, & solum manet puluis, & terra, & hic est verus putredinis modus, his verbis ab Aris. assignatus (exeunte. n. calore proprio secum trahit humidum naturale) vndè in putredine multæ mutationes concurrunt, videlicet calefactio, raritas, & relaxatio partium egressus, & diminutio caloris naturalis, actio internę frigiditatis in calorem naturalem, euaporatio humidi, atqueità dißolutio passiuarum, tãdem interitus ipsius substantiæ: & licet ad putredinem multæ mutationes concurrant, attamen vna tantum mutatio est, quia vltimus terminus ad quẽ terminatur, vnus tãtum est, à quo mutatio specificatur: hinc patet quàm temerè, et impudenter ille Argenterius Aristotelem accusarit, quòd putredinis modum non explicarit, cum tamen id pręstitisse tam clarum sit, quàm quod clarissimum. saltem dicet in hoc accusandus erit, quòd nõ omnem putredinis modum explicarit, quia datur alius modus putredinis, qui fit per probibitam transpirationem, quem ipse non declarauit. concedimus vltrò non omnem putredinis modum explicasse, quia cum non omnes putredinis differentias perpendat, suoque subijciat negocio, sed eam duntaxat, quæ mixtorum generationi opponitur, quæ ad Philosophum attinet, illius naturam, modum, et causas explicauit: illa verò putredinis differentia, quę per probibitam transpirationem efficiur, ex qua putridę oriuntur. quæ humorum coruptio dicitur secundum partem, & receßus à propria natura, non attinet ad Philosophum, sed ad Medicum, et proin de illius putredinis modum, & causas ad medium demandauit, & hęc de putredinis modo dicta sint, nunc eius causas perpendamus.

Putredo est communis passio externæ caliditatis, & internæ frigiditatis.

PORRO his verbis duas putredinis effectrices causas Aristotelem statuere externam caliditatem vnam, internam frigiditatem alteram hactenus, in confeßo fuit, neque in re hac immorandum eßet,

 nisi

nisi doctissimi quidam viri de nouo insurrexissent, qui contrarium affirmare ausi sunt, dixeruntque internam frigiditatem putredinem non vt effectricem causam ingredi, sed vt subiectum, eo fundamento persuasi, quia effectrix causa non est posterior re cuius est causa, interna frigiditas est putredine posterior: igitur putredinis causa effectrix esse non potest, probatur minor ex via & methodo qua usus est Aristoteles ad probandum internam frigiditatem putredinis causam esse, quæ huiusmodi est. Putredo est defectus, & corruptio caloris naturalis, sed ad defectum caloris sequitur interna frigiditas, igitur putredo est passio, et effectus internæ frigiditatis. quarè interna frigiditas caloris defectum, & putredinem consequitur, igitur effectrix putredinis causa esse nequit. alioquin effectrix causa suo esset posterior effectu. Sed horum opinio falsa est, quia cũ Philosophus in contex. 1. quarti Meteo. illam hypotesim accepisset, quòd primarum qualitatum duæ sunt agentes vt caliditas, & frigiditas: duæ verò patientes vt siccitas & humiditas, in contex. 2. de operibus agentium qualitatum agere proposuit. isthæc autẽ opera dinumerans, inquit, vt simplex generatio, & naturalis corruptio et opposita, nunc ita arguitur, Aristoteles proposuit agere de generatione simplici, et de putredine ei opposita, vt sunt effectus & opera caliditatis, & frigiditatis, vt sunt qualitates actiuæ, igitur caliditas et frigiditas in simplici generatione et putredine concurrunt vt actiuæ: igitur interna frigiditas in putredine cõcurrit, vt qualitas agens, non autem vt passiua est, atque ut materia: & profectò asserere quod interna frigiditas in putredine concurrit, vt materia, est dicere, quòd frigiditas sit qualitas passiua, non autem actiua, quod est conuellere Aristotelis sententiam: præterea putredo non solum esset communis affectio externæ caliditatis, & internæ frigiditatis, sed etiam internæ siccitatis, aduersus Aristotelem, qui illarum duarum qualitatum tantum putredinem communem affectionem esse asseruit. probatur consequentia, quia non solum interna frigiditas concurrit vt subiectum, sed etiam siccitas, & magis, quia qualitas passiua est. & in his operibus vt materia, & subiectum concurrit, vt testatur in cont. 2. eiusdem quarti. quòd si internam frigiditatem solum, vt subiectum assignaßet, tunc maximè culpandus esset, quia siccitatem reliquißet, quæ ita in putredine derelinquitur, sicut interna frigiditas. ea propter dicendum est, quod externa caliditas, & interna frigiditas cum actiuæ sint qualitates in putredine concurrunt in genere causæ efficientis, non autem vna, vt agens, & altera vt patiens : & materia, vt dicunt. quomodo autem interna frigiditas id efficiat ex superioribus patere potest. Ad rationem autem, cum dicebatur, interna frigiditas sequitur putredinem, & corruptionẽ, calo-

ris

ris naturalis.respondetur, quòd interna frigiditas non sequitur omnimodam corruptionem, & diminutionem caloris, sed inchoatam, & incompletam factam à calore ambientis: ipsa verò putredinem complet, & diminutionem caloris vsque ad eum gradum deducit, quo humidum cum sicco amplius terminare non potest. ratio autem supponit internam frigiditatem sequi completam putredinem, & diminutionem caloris naturalis, quod falsum est.

An externa caliditas, & interna frigiditas eodem modo effectrices causæ sint.

N*Unc illud considerandum est an externa caliditas, & interna frigiditas eodem modo effectrices causæ sint. cui dubio moderniores quidam respondentes, dicunt, quòd non eodem modo effectrices causæ sunt, sed externa caliditas est causa per se, interna verò frigiditas est causa per accidens: sed ista opinio quò ad vtrumque falsa est, & à veritate aliena: quò ad primum quidem, quia simile non corrumpitur, neque dissoluitur per se à simili, sed per accidens, vt est Aristotelis sententia in libro de resp. calor naturalis est similis calori ambientis, igitur ab eo non corrumpitur, neque dissoluitur per se, sed per accidens: quò ad secundum verò quia contrarium per se agit in contrarium, & non per accidens. ergo illud per se corrumpit, non autem per accidens. interna frigiditas est contraria calori naturali, ergo in illum per se agit, & per consequens illum per se corrumpit, & non per accidens: nescio enim apud quem authorem legerint doctissimi isti uiri, q simile per se corrumpit simile, & contrarium per accidens agit, & corrumpit contrarium. sed fortasse dicent ipsi, quòd rationes istæ supponunt, q corruptio caloris naturalis sit defectus, & diminutio ipsius. quod minimè verum est, quia est intensio, & adauctio caloris: iam verò intensio caloris per se fit à simili, & per accidens à contrario. sed ista quoque sententia falsa est, vt patet ex superius dictis, quibus probatum est, q corruptio caloris nõ est intensio, sed defectus, atque caloris remissio. præterea dato etiam q corruptio caloris sit intensio caloris, saluari non potest, quomodo fiat ab interna frigiditate per accidens. nam licèt ab externa frigiditate calorē intrinsecus propellente caloris intensio per accidens fieri queat, ab interna tamen frigiditate nequaquam, quia interna frigiditas non intrò, sed potius extra calorem naturalem propellit, & propterea potius ipsum diminuit, quàm intendat.*

Dilucidatio.

Dicamus ergo nos, quòd externa caliditas, & interna frigiditas putredinis effectrices causæ sunt, diuersa quidem ratione, & modo, ac dixerint ipsi: externa enim caliditas est causa putredinis, & defectus caloris per accidens, prout ipsum egredi, & euaporare facit: interna uerò frigiditas per se, prout in ipsum agit, & secundum gradum corrumpit. præterea externa caliditas est causa origine prior, & præcipua magis: interna uerò frigiditas est causa secundaria, & posterior, quia supponit diminutionem, & defectum caloris naturalis à calore ambientis, ut scribit Philosophus his uerbis, Putredo est corruptio, & indigentia caloris, ad indigentiam autem caloris sequitur intensio frigiditatis; ergo putredo est effectus frigiditatis, ecce quod uult internam frigiditatem supponere defectum caloris naturalis ab externa caliditate, ex quo patet in maximo errore uersari illos, qui aßerunt primum efficiens, eße qualitum contrarietatem: externam autem ambientis caliditatem secundariam, & quasi actioni contrariæ qualitatis suffragantem causam eße, cum tamen ex Aristotelis uerbis res econtra sese habeat. Neque inconueniens aut absurdum est, ut idem effectus à contrarijs causis proueniat secundum diuersam rationem & modum. sed quispiam quæret hoc in loco, cur putredo non fit à frigiditate externa sicut à frigiditate interna, cum externa ita sit contraria calori naturali. ipsumq; remittere queat, sicut & interna. respondetur, quòd causa ea est, quia putredo fit per egressum, & euaporationem caloris naturalis unà cum humido: iam uerò externa frigiditas tantum abest ut facit ad euaporationem caloris naturalis, & humidi, ut potius calorem naturalem intro compellat: & ad unionem partium faciat, & proinde putredinem, potius impediat, quàm efficiat, & propterea dicebat Philosophus mixta temporibus, locisque frigidioribus minus putrescere propter ambientis frigiditatem quæ corpora densat, & ita caloris naturalis euaporationẽ prohibet, & arcet. interna uerò frigiditas calorem potius extra propellit, illud bene uerum est, quòd humorum putredo ex qua putridæ febres oriuntur, quæ fit per intensionem caloris naturalis ab externa frigiditate fieri potest, sed de hac non loquitur Aristoteles. & hæc de putredine dicta sint, in qua pertractanda adeò solers, & diligens fuit Aristoteles, licet concisis uerbis eam explicarit, ut nihil quidem præterierit quod ad eius naturam, modum, & causas attineret, quicquid aduersus eum ignari quidam affirmare ausi sint.

Mixta

Mixta principium habent intrinsecum actiuum alterationis, ac interitus.

Legitur propositio ista apud Auer. 2. Phis. com. primo, ubi exponens uerba illa Aristotelis in calce contextus primi. Quædam uerò habent principium intrinsecum secundum alterationem) inquit, quòd philosophus accepit alterationem communiter, ut dicitur de mutatione in substantia, & de mutatione in qualitate, & rectè quidem: declarans autem Auer. an omnia alterabilia & corruptibilia habeant principium intrinsecum alterationis ac interitus secundum eandem rationẽ principij, respondet quod non, quia elementa solum habent principium intrinsecum passiuum alterationis ac interitus; mixta uerò non solum habent principium intrinsecum passiuum alterationis & interitus, sed etiam principium actiuum: in qua propositione à nobis dilucidanda duo consideranda sunt, unum quidem ex parte subiecti, quomodo accipiantur mixta; alterum uerò ex parte prædicati, quomodo scilicet habere dicantur principium intrinsecum actiuum corruptionis. Quo ad primum dicunt Suess. & quidam alij in eo loco, quòd mixta in hac propositione nõ significant mixta uniuersaliter, sed solum mixta difformia, & ratio est: quia cum hęc partium habeant difformitatem, & diuersitatem, quarum una potest in alteram agere alterationis, & interitus intrinsecam efficientem causam habent; mixta uerò uniformia, quoniam partium difformitate carent non habent intrinsecam efficientem causã corruptionis, sed solum habent principium passiuum, perinde ac elemẽta quæ etiam propter partium uniformitatem ab intrinseco corrumpi non possunt, sed hæc sententia falsa est, quoniam Commentator ibi punit differentiam inter elementa & mixta penes habere principium intrinsecum alterationis, & corruptionis, dicens, quòd elementa solũm habent principium passiuum corruptionis: Mixta uerò non solum habent principium passiuum, sed etiam actiuum. itaque Com. accipit mixtum, ut contradistinguitur ab elemento, igitur accipit mixtum vniuersaliter siue sit uniforme siue difforme; & licet Com. afferat exemplum de animalibus, id effecit, quoniam in his res erat conspicua, & manifesta magis. Cæterum aduersus hoc insurgit Põponatius super 4. Meteo. in fine dubitationis 17. dicens, quòd si propositio vniuersaliter intelligitur, falsa est, & ab Arist. aliena, quòd ita probat, Mixta naturali interitu per putredinem corrumpuntur, siquidem naturalis mixtorum interitus putredo est, ut habetur 4. Meteo. atqui putredo est corruptio caloris natu-

uali interitu corrumpuntur à caliditate externa, & per consequens à principio externo, nec unquam dixit Arist. inquit, quòd uniuersaliter omne mixtum corrumpatur à principio interno, licet hoc uerissimum sit de mixto animato. unde in hoc dissidet Pomp. à Sueßano, quòd Sueß. vult, quòd licet mixta uniformia corrumpantur à principio extrinseco, mixta tamen difformia corrumpuntur a principio intrinseco: Pomponatius autem vult, quòd nullum mixtum inanimatũ siue uniforme, siue difforme corrumpatur à principio interno, sed solum à principio externo, per rationem ab eo assignatam. Sed ambo hallucinantur, licet magis Põpo. qui uult nullum mixtum inanimatum habere internum principium actiuum corruptionis, & cum in hoc Auerroem redarguit, nec Aristotelem, nec putredinis, & naturalis interitus mixtorum rationem intelligere apertissime ostendit: quòd autem mixta omnia perfecta inanimata, siue uniformia siue difformia sint ab intrinseco corrumpantur, ita probatur, Mixta omnia perfecta inquantum mixta naturali interitu per putredinem corrumpuntur, ut supra probatum est, Sed putredo est corruptio caloris naturalis à frigiditate interna, ut inquit Philosophus c. de putred. igitur mixta uniuersaliter naturali interitu corrumpuntur à frigiditate interna, ergo à principio interno: nec dici potest frigiditatem internam in putredine concurrere in ratione subiecti, & in ratione principij passiui, non autem in ratione principij actiui: Primo, quia Põp. in dubitatione 21. mouens dubitationem an caliditas externa, & interna frigiditas concurrant in eodem genere causæ respondet, quòd ambæ concurrunt in genere causę efficientis. & nequeo certè mirari satis huius uiri tam craßum errorem, quòd tenens frigiditatem internam concurrere in genere causæ efficientis, dixerit mixta inanimata solum habere principium intrinsecum passiuum corruptionis, & nullo modo actiuum. Secundo quia cum Philosophus in contex. primo quarti metheo. statuisset, quòd caliditas & frigiditas sunt qualitates actiuæ: siccitas autem & humiditas qualitates passiuæ, in contex. 2. proponit agere de operibus caliditatis & frigiditatis, ut sunt qualitates actiuæ: declarãs autem quæ sint hęc opera, inquit: primo igitur uniuersaliter simplex generatio, & opposita corruptio secundum naturam quæ putredo est harum virtutum opera sunt, igitur generatio, & putredo sunt opera caliditatis & frigiditatis, ut sunt qualitates actiuæ, igitur caliditas externa, & frigiditas interna in putredine concurrunt, ut ambę habent rationẽ principij actiui. itaque mixta omnia naturali interitu corrumpuntur à frigiditate interna, ut à principio actiuo, & proinde mixta in hac propositione de Aristotelis & Auerrois sententia significant mixta perfe

cta

Et 1 uniuersaliter siue vniformia, siue difformia sint, quo ita constituto 1 Nunc secundum consideremus quomodo habere dicãtur principium intrinsecum actiuum corruptionis, Zimara in quæstione de mouẽte & moto, & cum eo quidam alij. Recentiores dixerunt, quòd tam mixta inanimata quàm animata intrinsecus habent adæquatum principium actiuum sui naturalis interitus: qđ quidem, vt dicunt, est calor naturalis ipsius mixti, qui agens in humidum vt seipsum conseruet, & tueatur, illud absumit, atque dissoluit: ad cuius dißolutionem ipse quoque dissoluitur, quo dissoluto mixtum ipsumcorrumpitur, quod quidem per ipsum calorem in eße conseruatur. quem mixtorum intereundi modum Aristotelem declaraße aiunt in libro De morte & vita: quòd autem mixta omnia naturalis interitus adæquatam efficientem causam intrinsecus habeant, Zimara ita probat, Ponatur, inquit, mixtum inanimatum in vacuo, tunc, aut illud corumpetur, aut non si nõ corrumpetur, igitur natura corruptibilis fieret æterna, contra Philosophum primo Cęli cõtex. 120. si corrumpetur, cum ibi nulla adsit actio agentis exterioris cum per casum positum sit vacuum: igitur ex toto ab intrinseco corrumpetur à calore interno humidum dissoluente. Opinio ista ita simpliciter prolata falsa est, & ab Aristo. aliena, nam licet de mixto animato verissimum sit, quòd intrinsecus naturalis interitus adæquatam efficientem causam habeat, et seclusa actione agentis exterioris corrũpi queat, de mixto tamẽ inanimato, & vt mixtum est, id minimè verum est, quod ita probatur. Mixta vt mixta naturali interitu per putredinem corrumpuntur, sed putredo fit ab extrinseca, & aliena caliditate, quæ aeris ambientis est, vt eo cap. de putred. Arist. probat per multa signa: igitur mixta inanimata naturali interitu corrũpuntur ab extrinseca ambiẽtis aeris caliditate, & per consequens corrumpuntur à principio extrinseco, & non simpliciter à principio intrinseco, vt dicit Zim. illud prætereà falsum est quòd corruptio naturalis mixtorum fiat per actionem caloris interni in humidum, & quòd calor internus deficiat ad defectum, & dissolutionem, vt fusius demonstrabitur inferius in disputa. de putred. ad quem locum lectorem reijcimus, ne eadem sæpius repetamus.

Dilucidatio.

NOS *igitur veritatem hanc à paucis intellectam determinãtes dicamus, quòd mixta omnia habent principium intrinsecum actiuũ naturalis interitus, differenter tamen, quia animata habent intrinsecus adæquatum principium actiuum naturalis interitus. Mixta verò ina*

nimata non habent adæquatum principium actiuum intrinsecum, sed partim extrinsecum, & partim intrinsecum, & ita principium actiuum partiale intrinsecus solum habent, quæ res vt conspicua fiat quo ad vtrãque partem aduertendum, quòd animata hunc in modum corrumpuntur, nam cum temporis in animalibus instrumenta inseruientia respirationem, & refrigerationem caloris naturalis vt pulmò, & in piscibus branchiæ sicciora redduntur, & præ siccitate ita obdurescunt vt amplius non possint ita facilè suo munere fungi, at dimoueri & eleuari, tũc calor naturalis refrigerari non potest; & cum refrigerari non possit intenditur, intensior autem factus humidum naturale absumit, quod eius pabulum, & nutrimentum est, ad cuius absumptionem, & ipse quoque deficit, quo sanè deficiente secundum eum gradum quo amplius Anima in corpore seruari nequit, viuens corrumpitur & hoc modo fit naturalis viuentium interitus, quem intereundi modum Aristoteles considerauit in libro de mor. et vita, ex quo sequitur quòd viuentia intrinsecus habent adæquatam efficientem causam corruptionis naturalis, & proinde si in vacuo ponerentur ablata actione agentis exterioris adhuc corrumperentur. Mixta verò vt mixta sunt naturali interitu per putredinem corrumpuntur, putredo verò est corruptio caloris naturalis ab externa caliditate, & ab interna frigiditate, igitur mixta ut mixta sunt partim ab extrinseca caliditate, & partim ab interna frigiditate corrumpuntur, ex quibus duabus causis resultat vna causa totalis, & adæquata naturalis interitus mixtorum, ex quo sequitur quòd mixta intrinsecus solum habent principium actiuum partiale naturalis interitus, hoc autem est interna frigiditas, quæ supponit actionem externæ caliditatis internam caliditatem dissoluentis, quem quidem mixtorum intereundi modum considerauit Aristote. in 4. libro Metheo. in quo agitur de mixtis vt mixta sũt. quem locum si legisset Doctor subtilis solutionẽ illius difficultatis an mixta inanimata ab intrinseco corrumpantur 2. senten. dist. 15. q. vnica, sub dubio non reliquisset: Concludamus ergo quòd mixta omnia intrinsecum habent principium actiuum naturalis corruptionis, sed differenter, animata quidem adæquatum, mixta verò vt mixta partiale tantum, & hæc est vera et germana Aristotelis, et auerrois sententia, à qua verus peripateticus ne latum vnguem recedere debet. quibus ita constitutis nunc rationibus in oppositum est occurrendum, & primo cum Suessanus dicebat, Mixta vniformia non habent partium difformitatem, ergo non habent principium intrinsecum actiuum suæ corruptionis. negatur consequentia, quia difformitas partium non est necessaria ad corruptionem intrinsecam, sed sufficit difformitas, & oppositio qualitatum, quod

ex

ex ipsomet Arist. iam patere potest, qui vult putredinem fieri ab interna frigiditate internam caliditatem corrumpente, licet ergo mixta homogenea non habeat partium difformitatem, quia tamen habent oppositionem caloris interni, et frigiditatis internæ, propterea ab intrinseco quoquomodo putrescunt, et naturali interitu corrumpuntur. quòd verò corpora simplicia ab intrinseco corrumpi nullo modo possint, id non prouenit, quia non habeant partium difformitatem, sed quia non habeat oppositionem qualitatum, ideo enim aqua ab intrinseco corrumpi nequit, quoniam intrinsecus oppositas qualitates non babet: Cum autem probabat Pompo. quòd nullum mixtum inanimatum habeant principium intrinsecum actiuum, quoniam corrumpitur per putredinem, quæ fit ab extrinseco, dicimus, quòd vel ipse intelligit quòd putredo fiat ab extrinseco tanquam à causa adæquata & totali, & tunc Aristoteli & sibi ipsi contradicit, vel intelligit quòd putredo fiat ab extrinseco tanquam à causa partiali & hoc est verum: sed tunc nihil aliud concludit, nisi quòd mixta inanimata non corrumpuntur ab intrinseco tanquã à cã adæquata, & hoc concedimus, sed corrumpuntur, diximus, ab intrinseco tanquam à causa partiali, & hoc modo intellexit Auer. cum autem Zimara tota planè diametro discrepans à Pomponatio probabat quòd omne mixtum siue animatum siue inanimatum intrinsecus habeat adæquatum principium actiuum naturalis corruptionis, dicimus, quòd si mixtum inanimatum poneretur in vacuo non corrumperetur, quia cum tale naturali interitu non corrumpatur nisi per putredinem, hæc autem fiat ab externa caliditate aeris ambientis: igitur posito vacuo, & ablata actione externæ caliditatis non putresceret, neque corrumperetur, ad instantiam, igitur natura corruptibilis fieret æterna: respondetur, quòd absolute ista propositio est falsa, natura corruptibilis fit æterna, sed data hypotesi, quòd detur vacuum in natura, ista est vera, nam tota conditionalis potest esse uera cuius partes sunt impossibiles, nam impossibile est vacuum esse, impossibile quoque est naturam corruptibilem fieri æternam, tamen tota ista conditionalis est vera, si daretur vacuum natura corruptibilis fieret æterna, quia ex impossibili sequitur quodlibet, sicut à simili fieri nequit hominem volare. si tamen homo haberet alas homo volaret, id autem semper intelligi uolumus de mixto ut mixtum est, quod solum per putredinem corrumpitur secundum naturam; non autem de animato, quoniam hoc etiam si poneretur in uacuo motu naturali corrumperetur.

In his, quæ putreſcunt animalia fiunt. quoniam ſegregata caliditas naturalis exiſtens facit conſtare ſegregata.

FVit hæc Ariſtotel. ſententia 4. lib. Meteorum ſub finem capitis de putredine, quę ut placuit Olimpiodoro ab Ariſtotele. allata fuit ad oſtendendum putredinem fieri ob inopiam, & imminutionem caloris, uel vt ipſe puto ad probandum putredinem fieri ab aliena ambientis caliditate, quod certè mihi probabilius videtur. quoniam magis conſentit cum alijs ſignis ſuperius poſitis, putredinem fieri, ab ambiente calore, in qua ſanè dilucidanda iſthæc expendenda ſunt. Primum à quo huiuſmodi animalia in putredine, & naturali mixtorum, interitu producantur, & quomodo. Secundum, cur in mixti interitu, qui per combuſtionem fit, huiuſmodi animalia non oriantur. Poſtremum, an huiuſmodi animalia ſint eiuſdem uel alterius ſpeciei, cum his, quæ ex ſemine oriuntur. Quò ad primum, in hoc theoremate ſtatuit Ariſt. authorem, effectricemq; cauſam animalium, quę ex putreſcente mixto innaſcuntur ſegregatam caliditatē eſſe. inquit enim & animalia fiunt in his, quę putreſcunt. quoniam ſegregata caliditas conſtare facit, quæ ſegregata ſunt; quibus uerbis, & efficiens, & materiam oſtendit. efficiens ſanè cũ inquit [ſegregata caliditas] materiam uerò cum addit [conſtare facit ſegregata] ut potè humidum, & ſiccum, quæ in mixti putredine diſſoluuntur, & quæ in mixtorum generatione, materiæ rationem habent; vt docuit in cont. 2. eiuſdem libri, cum inquit. Generatio eſt tranſmutatio ab his uirtutibus, vt potè calore, & frigiditate, cum habuerint rationem ſupra materiã; hæ autem ſunt paſſiuæ qualitates, ſiccitas uidelicet, & humor. iam uerò ſegregata caliditas, quam huiuſmodi animalium cauſam efficientem ſtatuit, aut eſt caliditas mixti putreſcentis, aut caliditas aeris ambientis. profectò caliditas aeris ambientis dici non poteſt, quoniã hæc non eſt caliditas diſſoluta, ſed potius disgregans, ut diſſoluens calorem mixti. etenim putredo, ut inquit philoſophus, corruptio eſt caloris naturalis à calore ambientis per exitum, et egreſſum caloris naturalis mixti cum quo una egreditur humidum; iam uerò exitus caloris mixti eſt diſſolutio ipſius: igitur diſſolutio caloris naturalis mixti fit a calore ambientis, ac proinde ſegregata caliditas non eſt caliditas ambientis, ſed caliditas mixti corporis putreſcentis. quod ex eo facilè oſtēdi poteſt. quoniam huiuſmodi propoſitio ab Ariſt. allata fuit, uel ad oſtendendũ putredinē fieri ex inopia, & diminutione naturalis caloris, ut placuit Olimpiodoro, hũc in modum, in his, quæ putreſcũt, animalia oriũtur,

quia

quia in putredine segregata caliditas facit co~stare. Igitur in putredine caliditas segregata est, igitur putredo ex inopia, & imminutione caloris efficitur, uel allata fuit ad probandum tanquàm ex ultimo signo putredinem fieri ab aliena ambientis caliditate, hoc pacto. In his, quę putrescũt, animalia oriuntur. quoniam segregata caliditas facit constare etc. igitur in putredine caliditas naturalis segregata est, sed non dissoluitur nisi à calore ambientis; igitur putredo fit à calore ambientis. Itaq; quouis modo dicatur, segregata caliditas, non est caliditas aeris ambiẽtis, sed mixti putrescentis. Cum autem hæc causa effectrix sit huiusmodi animalium igitur caliditas mixti, vt cadaueris putrescentis, author est, & efficiens causa animalium, quæ in putredine oriuntur. Cęterum contra hoc duæ sese offerũt difficultates, prima est. Calor mixti in putredine corrumpitur, si quidem putredo est caloris naturalis corruptio; igitur calor mixti putrescentis hmõi aĩaliũ causa esse non potest. Altera ea est, caliditas aeris ambientis cã est animalium, quæ ex putri materia oriuntur, vt docuit Arist. 3. de gener. animalium cap. ultimo. cuius verba hæc sunt. Itaq; calor in aĩalibus cõtentus ex alimento efficit, hoc calor in ambiẽte aere cõtentus ex mari aut terra cõcernit cõcoquens, atq; constituit: nõ igitur caliditas mixti putrescẽtis: sed hæc facilẽ solutionem hẽt, & ad primam dicimus in putredine, naturalique mixtorum interitu calorem non simpliciter corrumpi, ità vt nihil caloris supersit, sed corrumpitur vt naturalis, & secundum eam mensuram, quam exposcit ad retinendum humidum cum sicco, sicut et in corruptione uiuẽtium non simpliciter, et secũdum omnẽ gradum corrumpitur calor, sed secundũ eam mensuram, quæ opportuna, & necessaria est pro conseruatione viuentis, & existentia animæ in corpore, forma enim substantialis præfinitam quandam mensurã primarum qualitatum exposcit, qua sublata non amplius in materia seruari potest, & propterea dixit Aristo. putredo est corruptio caloris naturalis, & proprij, vt ostenderet calorem non simpliciter corrumpi, sed vt naturalem, & secundum vim & dominium, quod habet supra humidum, & siccum, quod etiam eodem libro contex. 3. his verbis significauit. ex his enim facta erant, & terminatum fuit humidum sicco, dominantibus actiuis. fit autem corruptio, cum id quod terminatur humidum dominatur calori terminanti propter ambiẽs. et quoniam huiusmodi calor mixti putrescentis aliqua ex parte imminutus est, & dissolutus, propterea disgregatus ab Aristote. appellatus est. Sed fortassè quispiam dicet, calor in generatione mixtorum passiuis dominari debet, vt docuit Arist. eo loci cõtex. 2. cũ inquit. Generãt autẽ calidũ & frigidũ cum vincunt, et passiuis dominantur: cum autẽ in putredine calor mixti iam dissolutus

solutus sit, defeceritque secundum rationem dominantis, ità ut amplius humidum cum sicco pro mixti conseruatione retinere non possit: igitur author, & causa esse non potest huiusmodi animalium, quæ ex unione, & consistentia humidi, & sicci efficiuntur. Huic obiectioni ipsemet Aristote. in hoc theoremate occurrere uidetur, cum inquit, segregata caliditas, naturalis existens, facit constare, solutio ea est, quòd calor mixti putrescentis bif. considerari potest, uno modo respectu ipsius mixti, quod putrescit, alio modo respectu animalium, quę ex ipso innascuntur. si primo modo consideretur, præternaturalis est, & minimè idoneus ad retinendum humidum cum sicco, cum non amplius passiuis qualitatibus dominetur si uero secundo modo, naturalis est, uim atque dominium habens suprà humidum, & siccum, quo illa terminare, & copulare possit: quæ duo breuiter Arist. his uerbis complexus est, cum dixit, (segregata caliditas, naturalis existens) dicitur enim segregata, & dissoluta respectu ipsius mixti, naturalis uero respectu generationis animalium. siquidem passiuis qualitatibus dominatur, ex quibus illa generari debēt quam solutionem probarunt etiam Auerro. & Albertus Magnus. Sed illud profectò admiratione dignum uidetur, cur si calor mixti putrescentis uim & potestatem habet terminandi, uniendique humidum cum sicco pro generatione illorum animalium, quæ exputrescente corpore oriũtur, uim eandem non habet atque dominium retinendi humidum cum sicco pro conseruatione mixti. Huius rei, meo iudicio, ea causa est. quoniam cum multo maior sit copia, & quantitatis humidi, & sicci, quæ requiritur pro conseruatione mixti, quàm sit portio humidi, & sicci, quę certè exigua est pro illorum paruorum animalium generatione: multo minor quoque copia, & uis caloris requiritur humidum cum sicco pro conseruatione mixti, quàm ad terminandum eadem pro illorum animalium generatione, quo fit, vt cum in putredine calor imminutus, imbecilliorque factus sit, multam humidi quantitatem retinere non possit, pusillam uerò, & exiguam, qualis est illa, ex qua animalia illa generantur, unire, & terminare queat. Secundæ autem dubitationi ità occurrendũ est. Animalia, quæ ex putri materia oriuntur duum generum esse. alia. n. sunt, quæ ex cęnosa terra, & putrescente limo nascuntur, alia uerò quæ ex mixto & putrescente cadauere producuntur, quæ primi ordinis sunt à calore solis in circunstante nos aere diffusò suam originem ducũt, & de his. 3. de animal. generat. Arist. intellexit, quæ uerò alterius ordinis sunt, a calore mixti putrescentis procreantur, & de his in hoc theoremate intellexit, vndè qui absque distinctione hæc animalia orta ex putredine a calore solis diffuso in ambiente aere produci simpliciter affirmant,

mant,

mant, quod communiter fieri animaduerto, hi ab Arist. longissimè recedunt. siquidem Arist. animalium, quę ex putrescente materia innascuntur, modò calorem solis in terra, & aqua, diffusum, modò mixti putrescentis calorem authorem, & causam assignat. & si magnus ille Auer. 12. Met. com. 18. cum dixit, animalia ex putrescente materia genita à calore solis pendere diffuso in terra, & aqua uniuersaliter intellexit, ab Arist. sententia abhorret, si uerò de ijs tantum, quæ ex cænosa terra, & putrescente aqua oriuntur, congruenter certè ad Arist. locutus est. Cæterum hoc in loco difficilis, & ardua oboritur dubitatio, quonam pacto à calore solis. & mixti putrescentis huiusmodi animalia produci queant, cum utrumque accidens sit; sed ne longiore oratione legentium animos tædio afficiam, id sequentia capite explicandum propono.

An genita ex putrescente materia à calore solis uel mixti putrescentis produci possint.

Constans, & rata est apud omnes sententia, accidens substantiam non producere, quia efficiens, aut uniuocum, aut æquiuocum est, si primum, æquè perfectum cum effectu, si secundum, præstantius, atque perfectius est suo effectu, cum autem accidens multò imperfectius substantia sit, ipsam efficere minimè potest: iam verò calor siue mixti putrescentis, siue in ambiente aere à sole productus, accidens est; igitur uiuentis substantiæ author, & causa esse non potest. Quod si quispiam dixerit, calorem vi propria substantiam efficere minimè posse, sed uirtute substantiæ huiusmodi potestatem habere, sicut calor naturalis in animali existens, qui licet proprijs viribus carnem, et ossa producere, nõ possit, uirtute tamen animæ, cuius est minister, & instrumentum, id efficere potest. Profectò maior difficultas emergit. quoniam calor mixti putrescentis aut huiusmodi animalia producit uirtute mixti, quod putrescit aut uirtute corporis cælestis, non primo, quia cum mixtum illud, quod putrescit, ut cadauer, inanimum sit, animati corporis præcipua causa esse non potest, neque uirtute corporis cælestis. siquidem cęleste corpus cum sit causa uniuersalis, & indifferens ad plures effectus, particularis effectus causa esse non potest. etenim causa uniuersalis est effectus uniuersalis, & effectus particularis est à causa particulari, vt docuit Arist. 2. phy. cont. 38. & per eandem rationem genita ex putrescente terra à calore ambientis uirtute corporis cęlestis minimè produci posse uidentur; cum & calor in ambiente, & cęleste corpus, a quo originẽ habet, sint causæ uniuersales, quæ effectum particularem producere non possunt,

nisi

nisi per aliquam causam particularem determinentur, quæ respiciat effectum particularem: quamobrem cum huiusmodi animalia a calore neque vi propria, neque alterius produci queant: igitur eorum generatio calori haud referri posse uidetur. Non defuerunt olim & illustres quidem philosophi, qui dixerunt huiusmodi animalia ab agente quodam separato produci, quod uel Mundi animam, uel Calcodeam, aut datorem formam appellarunt, calorem uerò materiam solum disponere pro introductione formæ, & hunc in modum Arist. sententiam intelligendam esse, cum inquit. Calorem istorum animantium genitorem esse, prout materiam ad formam substantialem recipiendam disponit. Sed hęc sententia ab Arist. omnino dissentit. siquidem ut scribitur 7. Met. cont. 28. idem est agens disponens materiam, & introducens formam, & licet propositio hęc communiter Auerroi attribuatur, attamen Arist. est sententia, eaque utitur aduersus Platonem asserentem à forma separata formam substantialem produci; agens materiale materiam ipsam disponere, at contra, Aristoteles inquit, res se se habet. quoniam idem est agens disponens materiam, formamque substantialem producens: cum itaque calor rei putrescentis materiam excolat, atque disponat, idem ex materia horum animalium formam traducet. Prætereà si forma animalium, quæ ex putri materia oriuntur, ab agente separato de nouo producitur, aut id est per transmutationem aut per creationem: non primò. quoniam agens separatum materiam transmutare non potest, cum per contactum fiat, quem rebus corporeis tantum conuenire docuit Arist. primo de gener. cont. 44. non secundò. quoniam secundum dogmata Arist. quicquid incipit de nouo, incipit per motum, vt patet ex discursu, quo Arist. vsus est. 8. physi. cont. 4. ad ostendendum motum æternum esse, qui huiusmodi est, motus est actus mobilis à motore. iam uerò motor, & mobile, aut cęperunt de nouo, aut sunt æterna si. inceperunt de nouo, ergo per motum; iam uerò si per creationem aliquid de nouo incipere potest, profectò Arist. consequentia nulla est. quoniam cum antecedente stat oppositum consequentis, quòd aliquid scilicet incipiat de nouo, & non incipiat per motum, sed per creationem. adde quòd cum omnis consequentia ueritatem habeat in uirtute alicuius principij. Aristotelis consequentia vim non habet, nisi in uirtute huius principij, omne, quod incipit de nouo, incipit per motum; nec Aristoteles alium de nouo productionis modum cognouit, nisi per motum; quamuis impiū, & profanum sit, eiusque oppositum secundum sacrosancta nostræ religionis dogmata absque ulla hæsitatione tenendum sit; quare cum neque per creationem, neque per transmutationem ab agente separato

huiusmodi

huiusmodi animalium forma produci queat, horum generatio agenti separato tanquàm authori, causæque efficienti minimè referri debet, quid igitur dicendum?

Dilucidatio.

PROFECTO (*vt anteà ex Aristote. sententia decretum fuit) animalia ex putrescente cadauere genita à calore eiusdem putrescentis cadaueris, vt ab effectrice causa originem ducunt. is enim est, qui materiam disponit, formamque substantialem ex materia traducit, non quidem vi propria. siquidem accidens vi propria substantiam, & quidem uiuentem efficere minimè potest: sed virtute quidem corporis cœlestis. sicut enim calor in animalibus existens virtute animæ nutrit, & ex alimento substantiam gignit, vt carnem, & ossa, & calor in semine virtute generantis, à quo semen promanat, viuens corpus efformat, animamque vtpotè vegetalem, & sentientem ex semine traducit: ità calor mixti putrescentis virtute corporis cœlestis uiuentem substantiam producit. nam vt docuit Aristo. primò Met. cont. primò, oportet mundum hunc inferiorem superioribus lationibus esse continuum, vt omnis virtus huius indè gubernetur. prout itaque virtus caloris mixti putrescentis à cœlesti corpore dirigitur, & moderatur, viuentis substantiæ gradum attingere potest, & illam producere, quod viribus proprijs efficere nunquàm potest. Non secus calor solis in circunstante aere perfusus, & tota virtute corporis cœlestis ex cænosa terra animalia producit, quamobrem animantium generatio siue ex semine, siue ex putrescente materia oriantur ab Aristo. calori accepta refertur, tametsi ortus animantium ex semine à calore seminis fiat virtute generantis, à quo semen decisum fuit: ortus verò animantium ex putrescente materia, vel à calore mixti putrescentis, vel à calore ambientis virtute corporis cœlestis; non quia isti calores natura, & specie inter se distinguantur, quoniam omnes sunt eiusdem speciei, vt alibi ostensum fuit, sed solum ratione agentium, à quibus moderantur, & diriguntur, & ratione subiectorum, in quibus reperiuntur. Ad instantiam autem in contrarium, qua ostendebatur calorem virtute corporis cœlestis huiusmodi animalia minimè producere posse; quoniam cœleste corpus, sicut & calor, indifferens est ad plures effectus, & causa vniuersalis, quæ effectum particularem parere non potest: Respondetur, quòd licet cœleste corpus sit causa vniuersalis, sicut & calor, qui ad plures effectus indifferens est, vt ad ranam, & murem, & calor mixti putrescentis*

ad muscam, & vermes, nihilominus ad hunc & illum particularem producendum ex materiæ diuersitate determinantur, in quam suam actionem exercent. nam si materia multum terrena, & corpulenta fuerit, ratione huius ad testacea producenda calor cęlestis determinatur: si verò materia tenuior, subtiliorque fuerit, ad muscas, & ranas, leuioraque animalia producenda contrahitur, ita vt ex materiæ diuersitate calor, & cęlum, quæ sunt causæ vniuersales determinentur, & magis hoc, quàm illud animal producant, quòd satis apertè Aristote. ipse declarauit 3. de animal. generat. capit. vltimo, vbi sic inquit. In mari verò multum portionis terrenæ existit, quo circa ex tali concretione natura testati generis oritur, ita vt pars terrena circiter durescat, cogaturque. quibus verbis ostendit, ideò testaceorum genus à calore produci ex putrescēte terra ex natura materiæ, quia scilicet portio terrena multum exuberat; eodem loco rationem assignans, propter quid alia nobiliora, alia verò ignobiliora animalia nascantur, id ex materiæ diuersitate prouenire affirmat dicens. Sed differentia nobilioris, ignobiliorisque generis constituendi in comprehensione principij animalis est, huius autem rei causam, & loca habent, & corporis, quod comprehendit. Hæc Aristo. quorum verborum sensus hic est, differentiam nobilioris, ignobiliorisque generis in his animalibus in comprehensione principij animalis, idest caloris, qui animalis appellatur, quatenus animam producit, vitamque largitur, in diuersa materia putrescente, ex cuius discrimine, & diuersitate varius efficitur calor, qui diuersa producit animalia nobiliora, & ignobiliora. Itaque ex diuersitate materiæ putrescētis diuersus, & particularis efficitur calor, qui diuersorum animantiū author, & causa existit. Vnde ad aliud agens recurrendum minimè fuit, nec negligentiæ, aut obliuionis culpandus est Arist. de horum animalium generationis causa efficiente. Sed statim contra hoc addubitabit aliquis. nā omne, quod generatur à sibi simili generatur, vt memoriæ prodidit Aristot. 7. met. contex. 31. iam verò cęleste corpus, & calor similia non sunt ijs, quæ ex putrescente materia oriuntur: igitur ab his minimè generari dicūtur. Posset huic obiectioni latinorum afferri responsio, quòd illa propositio, omne quod generatur à sibi simili generatur, vel formaliter, vel virtute intelligēda est, modò licet cęleste corpus his, quæ ex putri materia oriuntur, formaliter simile non sit: quoniam formam muris, aut ranæ actu non habet: est tamen virtute, & eminenter simile, prout huiusmodi animalia generandi uirtutem, & ptātem habet. nam sicuti formæ sunt in potentia materiæ, ita sunt actu virtuali, & eminenti in primo motore, & corpore cęlesti, & hæc similitudo satis esse videtur:

tur: quoniam satis est, vt agens sit tale virtute, quale est subiectum in potentia. Attamen responsio ex ipsomet Arist. afferri potest primo de gen. cont. 30. vbi inquit, quòd omne, quod generatur dicitur à simili generari, vel secundum speciem, vt homo ab homine, vel secundum genus vniuocum, vel analogum, sicut inquit, aliquid fit ab eo, quod actu est, modo licet huiusmodi animalia, à simili secundum speciem non generentur, neque à simili secundum genus vniuocum: quoniam æterno, & corruptibili nihil est commune uniuocum, vt docuit Aristo. 10. met. contex. 26. generantur à simili secundum genus analogum vel ab vno, quoniam generantur ab aliquo existente actu vt à corpore cęlesti, quod actu est: unde Sol, & huiusmodi animalia conueniunt in ratione actus, qui analogicè de utrisqne prædicatur, quam etiam conuenientiam indicare uoluit Arist. 7. meteo. cont. 30. cum inquit, palam verò ex dictis quoniam modo quodam omnia fiunt à simili, & conuenienti: non enim absolutè dixit à simili generari, sed dixit (modo quodam) vt indicaret aliquem similitudinis gradum satis esse, non solum in genere vniuoco, sed etiam analogo: quod explicauit eo primo de generat. contex. 30. cum dixit, quod ab alio generatur, vt à simili, vt homo ab homine, vel ab actu, & hæc de effectrice causa animalium, quæ ex putri materia oriuntur, nunc ad alterum pergamus in ordine propositum.

Propter quid ex putrescente cadauere non mixtum, aut planta, sed animal oritur.

QVod dubitandi occasionem præbet illud est, quoniam mixtum putrescens maiorem cum mixto inanimato, & planta, quam cum animali affinitatem habet, faciliorisque generationis sunt mixtũ inanimatum, & planta, quàm animal. Accedit ad hoc, quòd natura ab extremo ad extremum absque medio non progreditur. enimverò ab elementis ad mixta inanimata, ab his ad plantas, à plantis ad animalia imperfecta, quæ Zoophita, & plantanimalia nuncupãtur, & ab his ad perfecta magis progreditur. igitur tum ratione maioris affinitatis, facilioris que generationis atque ordinis naturæ operantis magis ex putrescente mixto metalla, & plantæ, quàm animalia, et præsertim leuia, atque uolãtia, vt sunt musca, & vespæ oriri deberent. Cui sanè problemati ita occurrendum puto, quod licet mixtum putrescẽs maiorem cum mixto inanimato, plantaq; affinitatem habent, quàm cũ animali, nihilominus propter materiæ dispositionem animalia magis, quàm illa exoriuntur. enim

uerò aïalia nõ ex toto mixto, et materia putresc ẽte nascuntur, vt docuit Aris. 3. de ortu animalium c. vlt. sed ex humido, quòd ex ipso mixto dissoluitur, ut ipsemet docet in theoremate, quod præ manibus habemus, cum inquit, & animalia generantur, quoniam segregata caliditas naturalis existens, facit constare segregata, vtpotè humidum, quod dissoluitur, & segregatur: & quoniam humidum, quod dissoluitur tenue est, atque subtile, id autem materia idonea non est pro generatione metallorum, & plantarum, quæ ex humido crasso, atque plurimum terreno oriuntur, sed aptissima est materia pro animalium ortu, quæ leuia, atque volantia sunt. propterea ex putrescente mixto horum animalium genus innascitur. quod si humidum illud, quod dissoluitur paulò crassius erit; vermes oriuntur, qui cum paulò magis terreni sint, quàm vespes, & musca ex humido paulo crassiore generatur, idipsum euenire putes in generatione animalium, & plantarum, quæ ex cænosa, & putrescente terra, & aqua nascuntur. Nam secundum maiorem, & minorem humidi participationem cum sicco terrestri varia plantarum, & animalium genera magis, & minus terrena oriuntur. quod si quæras propter quid putrescente cadauere ex humido, quod dissoluitur, non vnum animal magnum, sed plura, & parua quidem animalia generantur: causa ea est, quoniam ex putrescente cadauere non totum humidum simul dissoluitur, sed paulatim, & secundum exiguam portionem, quò fit, vt nõ vnum animal magnum, sed plura, & quidem pusilla animalia generentur. Nunc ad illud problema me confero, cur in interitu mixti per combustionẽ hmõi animalia non generantur, sicut in putredine. Illud profectò in causa est, quoniam in combustione humidum non relinquitur, ex quo animalia generari debent, etenim in combustione humidum accenditur, & ab igne comburente absumitur, in putredine uerò humidum relinquitur, quod à sicco disiungitur, quod postea virtute caloris terminatur, & cum sicco permiscetur. Eapropter in combustione mixti, sicut in putredine huiusmodi animalia, generari non possunt. An verò animalia, quæ ex putri materia oriuntur eiusdem sint speciei, cum his, quæ in semine generantur, iam iam explicare aggrediar.

An orta ex putri materia, & ex semine sint eiusdem, vel aalterius speciei.

F*Vit olim hac de re apud Lationis, et Auerroem controuersia, putarũt p̃cipui latinorũ interpretes vt Bea. Thomas, et Scotus orta ex putri, et ex semine eiusdẽ eße speciei, quã sẽtẽtiã ita p̃suadere conati sũt.*

Orta ex semine, & ex materia putri, easdem habent operationes secundum speciem, siquidem eodem motu secundum locum mouentur, eademque habent organa, & membra, igitur eiusdem sunt speciei. deducitur consequentia. siquidem ex unitate operationum secundum speciem, membrorumq; unitate, & identitate vnitas formæ infertur secundum speciem. nam, ut docuit Auer. primo de anima com. 53. cum diuersitate formarum secundum speciem, membrorum, organorumq; unitas consistere non potest, inquit enim membra cerui differunt à membris leonis, quoniam anima differt ab anima. Secundò ea ratione ipsorũ sententia cõfirmatur, orta ex putri, & ex semine sibi simili procurant secundum speciẽ, ut mus ortus ex putrescente materia alium ex semine murem sibi similẽ secundum speciem producit; igitur quæ ex putri oriuntur, atque ex semine eiusdẽ sunt speciei: id quod assumitur, ex eo patet, quoniam in nauibus recenter ædificatis reperiuntur mures ex putrescente humido nati: siquidem nulli antea erant, ex quibus originem ducerẽt, quippe qui alios ex semine sibi similes secundum speciem producunt, atque subinde ex his alij ex fæminę congressu exoriuntur. Fauet huic sententiæ Arist. authoritas 7. met. contex. 23. vbi ait, eadem animalia ex semine, & absque semine oriri posse: igitur ex Arist. sententia ex putri, & ex propagatione genita eiusdem sunt speciei, atque naturæ. hęc latini: cæterũ hæc sententia Arist. & rationem contra se habet: enimuerò Arist. quinto de historijs anima. cap. 1. apertissimè inquit, quod in piscium genere non nulli sunt, qui ex putrescente limo oriuntur, qui licet idem genus cum alijs sortiantur, specie tamen differunt, quod etiam primo de generat. an. c. 1. vbi scribit, quòd animalia, quæ ex putri materia procreantur, generant quidem, sed id, quod innascitur diuersam speciei sobolem habet, idque aliud non generat, quoniam tunc esset processus in infinitũ, quod rei natura abhorret; iam uerò si orta ex putri, & orta ex his ex cognatione seminis antecedente eßent eiusdẽ speciei, & hæc alia secundum speciem sibi similia procrearent, & ita in infinitum, Arist. ratio statim collabe retur: quoniam incongruum non est, neque à natura abhorret, in indiuiduis eiusdem speciei dari processum in infinitum: quamobrem si Arist. ratio consistere debet, dicendum est, orta ex materia putri, & ex his genita ex semine alterius esse speciei, nec ista ulteriorem sobolem procreare, quoniam tunc esset processus in infinitum in speciebus, quod rei natu ra abhorret, id quinetiam ex eiusdem Arist. sententia comprobari potest 2. de anima contex. 34. ubi inquit, quòd naturalissimum opus uiuentium sibi simile procreare quæcunque imperfecta nõ sunt, neq; orbata, aut spõte genita. quibus uerbis tria excludit ab his, quæ sibi simile procreãt, quę

imper-

imperfecta sunt, quæue mutila, & orbata, & quæ sponte orta sunt: per hæc intelligens, quę ex putri materia oriuntur, ut ipsemet Arist. indicauit primo de genera. animal. cap. primo, quæ proinde sponte oriri dicuntur, quoniam in eorum ortu nullum spectatur, & apparet agens, à quo suam originem ducant. quamobrem cum orta ex putri materia sibi simile secundum speciem non generent, igitur orta ex putri, & quæ ex semine procreantur eiusdem speciei minimè sunt. Rationem quoque opinio hæc contra se habet: si quidem quotiescumque res ipsa commodè fieri potest, semper vnitas multitudini præferenda est, et finitas infinitati, quo sanè principio non semel usus est Arist. & primo phys. cont. 50. & 8. phys. cont. 48. ad ostendendum unum satis esse primum mouens æternum, & non plura, quod etiam artis exemplo ostendi potest, quæ naturam ipsam ęmulatur; etenim ars quod vnico instrumento congruè efficere potest, pluribus non agit. iam uerò si animalia a natura commodè ex putri materia procreari possunt, igitur frustra eadem secundum speciem ex semine, et congressu maris, & fęminæ producuntur, neq; vlla profectò esset opportunitas seminis, aut maris, & fęminæ. Aue. 8. phy. cont. 46. & primo de gene. ani. cap. 1. alia ratione probauit, orta ex putri, & ex semine esse alterius speciei, quæ hmōi est: materiæ diuersæ arguunt formas specie diuersas: siquidem una forma secundum speciem materias diuersas habere non potest, cum forma non fiat ex quolibet, sed ex determinata priuatione, & determinato subiecto, vt docuit Arist. 1. phys. cont. 43. & 2. phys. cont. 26. ubi inquit, quòd materia, & forma sunt ad aliquid, & talis est inter materiam, & formam habitudo, quòd alterius formæ alia est materia, & alterius materiæ alia est forma. iam uerò putrescens materia, & semen materiæ sunt inter se maximè diuersæ; igitur formæ, quæ ex his innascuntur sunt specie diuersæ, ac proinde genita ex materia putri, & ex semine sunt secundum speciē diuersa. Cæterum ratio ista quamuis aliquam probabilitatem habere uideatur, ne vllam quidem efficaciam habet. Nam illa propositio, quæ ab Auer. accipitur, materiæ scilicet diuersæ arguunt formas specie diuersas, non intelligitur de materiebus, quæ secundum essentiam discretæ, atque diuersæ sunt, sed de materiebus, quæ diuersis dispositionibus affectæ, atque excultæ sunt. Nam hæ diuersas formas secundum speciem referunt, atque ostendunt: siquidem vna forma secundum speciem de diuersis dispositionibus consistere non potest. propterea enim forma equi ex semine equi, & ex semine leonis indifferenter produci minimè potest: non quia secundum substantiam diuersæ sint, sed quoniam dissimilibus dispositionibus affectæ sunt, quæ formæ equi non conueniunt. Vnde si semen

men leonis consimilibus dispositionibus afficeretur, quibus semen equi affectum est, utrunque esset equi propria, & præfinita materia. iam uerò licet putrida materia, & semen materiæ diuersę sint secundum substantiam, quia tamen consimilibus dispositionibus excoluntur, & præparantur, utraque propria, & determinata materia unius formæ secundum speciem fieri potest. nam sicut materiæ primæ portiones, que eiusdem naturæ sunt, prout diuersis dispositionibus afficiuntur, diuersæ quoquo pacto fiunt, & diuersarum formarum secundum speciem materiæ sunt ut materia disposita calore, & siccitate, eademque affecta frigiditate, & humiditate formæ ignis, & formæ aquæ subiectum sunt, ita materiæ, quæ secundum substantiam diuersæ sunt, prout consimilibus dispositionibus, & vniforme congruentibus afficiuntur, unius formæ secundum speciem vnum subiectum propriè fiunt: sic enim ex diuersis ci barijs ingestis, ut pane, vino, & carne, quę secundum substantiam diuersa sunt, vnum subiectum proprium fit unius formæ secundum speciem, ut sanguinis, quoniam consimilibus dispositionibus afficiũtur, quæ vni formæ accommodatæ sunt. Quamobrem ratio Auerrois, quam eius sectatores plurimi faciunt, nullam certè vim habet, sed quæ superius ex Aristote. allatæ fuerunt latinorum sententiam satis apertè demoliri videntur.

Dilucidatio.

PRO resolutione itaque problematis statuendum est, animalia ex semine genita, & ex materia putri esse alterius speciei, vt ex Arist. sententia iam satis ostensum est, & quod de animalibus decretum est, id ipsum quoq; de stirpibus intelligi debet. Nam stirpes, quæ spontè naturę, & ex putri materia nascuntur. sibi simile non generant, vt 2. de anima docuit Arist. & octauo de historia animalium cap. 1. vbi inquit. plantarum enim nullum aliud munus esse uidetur, nisi quòd sibi similem alteram faciant, videlicet quæ ex semine procreantur. latinorum autẽ rationes aduersus sententiam hanc facilè diluuntur, & ad primam negatur, quod assumitur; animalia orta ex semine, & ex materia putri eodem motu secundum speciem moueri, eademque habere organa, et membra: nam si, ut inquit Arist. quæ ex putri materia prodiere similem formam secundum speciem non pariunt, igitur neque eundem motum secundum locum largiuntur. idem enim motus secundum speciem eandẽ insequitur formam secundum speciem, & licet ambo motu progressiuo moueantur, hic secundum speciem idem non est, sed specie subalterna, neque

neque eadem membra, & organa secundam speciem habere dicuntur. nam si, ut idem Arist. inquit primo de generat. animal. cap. primo; quod ex his, quæ ex putri materia orta sunt, originem trahit, neque mas, aut fœmina; non igitur eadem habent organa, quamuis utrorumque membra inter se ita similia uideantur, vt eadem esse uideantur, similitudo enim plerunque deceptionis causa est, vt testatur Auerro. primo de generat. animal. cap. primo. Neque uerum est illud, quod secunda ratio assumit, orta ex putri sibi simile secundum speciem procreare: pugnat enim hoc cum Arist. sententia, qui locis supra citatis, ab his, quę sibi simile procreant sponte, ut orta ex putri excludit, atque reiecit. ad probationem autem dicimus, in nauibus recenter factis mures si sibi similes producuntur, illos ex putri materia non prodijsse, sed aliò accessisse, aut cum muribus illuc delatos fuisse, aut si ex putri materia nati sunt, sibi similes secundum speciem non procreare, quod si in nauibus multiplicari spectentur, id non fit, quia mures, qui geniti sunt ex parentibus ortis ex putri alios pariant: sed quoniam ex putrescenti materia in naui continuè generatur. nec Arist. authoritas quicquam cogit, cum inquit, eadem animalia ex semine, & absque semine generari: nam locus ille ipsomet Arist. explicatur quinto de historijs animal. cap. primo, cū inquit, in piscium genere nonnulli sunt, qui ex putri materia oriuntur, qui licet idem genus cum alijs sortiantur: spetie tamen differunt. Quibus uerbis ostendit ex semine, & absque semine eadem animalia procreari, non quidem specie, sed genere. Sed fortè quispiam dicet, Aristotelem intelligere eadem animalia secundum speciem ex semine, & absque semine generari ex similitudine, quam ipse affert. sicut enim inquit, eadem sanitas arte fit, & natura, ità eadem animalia ex semine, & absque semine oriuntur. iam uerò eadem sanitas specie ab arte, & natura efficitur: igitur eadem animalia ex semine, & absque semine secundū speciē procreantur. Nodus iste ita dissoluitur, similitudinē Arist. non esse constitutam in hoc, ut sicut eadem sanitas specie arte fit, & natura, ità eadem animalia specie semine, & absque semine oriantur. sed in eo consistere, quòd sicut sanitas, & arte, & natura fit, ita & animalia quædā ex semine, & absque semine procreari possunt, non tamē eadē specie, si Aristot. per ipsum, & interpretari velimus. Et hæc satis.

Concoctio perfectio est à calore naturali, & proprio, ex oppositis passiuis.

SI quis est Aristotelis locus, aut definitio, quæ explicationem expostulet, profectò hæc concoctionis definitio est, quæ quarto meteoro.

libro

libro de Aristotele scribitur, quæ præter id quod per seipsam satis inuoluta est, eius interpretes maiores tenebras addiderunt, idcirco meas partes esse intelligo, eam explicare, & quantum per me fieri possit, à tenebris uindicare, in qua sanè explicanda, primò definitionem ipsam considerabo, secundò concoctionis modum declarabo, tertiò occurrentes quasdam difficultates dissoluam. Quò ad primum rudis sensus definitionis is est, concoctio perfectio est, aut ad perfectionem mutatio passiuarum qualitatum opposito modo sese habentium à calore naturali, & proprio facta: qui sanè vt intelligatur singulas definitionis partes explicare oportet. porrò in hac definitione ponuntur forma agens, necnon modus seu conditio agentis, & materia. ponitur forma cum inquit, concoctio perfectio est: nam in definitione accidentium genus formæ rationem habet, cum autem perfectio genus sit, proinde[perfectio] formæ rationē subdit, quòd verò concoctio perfectio sit, in contextu 15. philosophus ità persuadet. quoniam cum aliquid plenè concoctum fuerit perfectum dicitur, & factum, quòd si concoctū, perfectum est, igitur cōcoctio perfectio quædam est, quā sanè probationē perpendens Buccaferreus inquit, quòd id quod concoctum est, ab Arist. dicitur perfectum, & factum. quoniam id quod potentia erat, iam actu effectum est, ac proindè perfectum: vt potè quod erat potentia caro, cum concoctum fuerit, in fine concoctionis est actu caro. Sed hæc expositio falsa est. quoniam cùm alimentum iā concoctum fuerit, non est caro, aut ossa: enimuerò cum alimentum in uentriculo concoctum fuerit, chilus efficitur, non caro, nec cum chilus per uenas meseraicas ad hepar deuehitur, ibique plenè concoquitur, aut in corde, in fine concoctionis non fit caro, aut ossa, sed sanguis, qui postea in substantiam carnis commutatur, sed hæc nutritio est. non autem concoctio. unde vir iste nutritionem cum concoctione confundere uidetur. ea propter uerius dicendum est, quòd alimentum cum concoctū fuerit perfectum dicitur, & factum uidelicet vtile nutritioni, cum autem inconcoctum fuerit imperfectum est, & non factum uidelicet utile nutritioni, & propterea concoctio dicitur alimenti perfectio ad esse vtile, idoneumque nutritioni. & quoniam huiusmodi alimenti perfectio, est humidi terminatio, & consistentia. siquidem resoluto humido superfluo alimentū iam perfectum, & concoctum est, sicuti inconcoctio dicitur imperfectio, hoc est humiditas interminata, vt philosophus ait in cont. 20. ea. propter cōcoctio dicitur perfectio hoc est terminatio consistentiaque humidi inexistentis alimento, per quam alimentum nutritioni utile factum est. explicans autē philosophus cuius sit perfectio, inquit,[perfectio est ex oppositis passiuis ut pote humido, et sicco, quæ ut subiecta materia sunt,]

quæ uerba tribus modis exponi possunt. primo quidem, quòd passiuæ qualitates oppositæ sint agenti, à quo transmutantur, & perficiuntur. siquidem agens & patiens inter se relatiuè opponuntur: Secundo passiuas qualitates sibi inuicem oppositas esse. quoniam humidum, & siccum, quæ passiuæ qualitates sunt, oppositionem inter se habent: tertiò prout oppositam conditionem & modum passiuarum qualitatum significant, vt sensus sit, concoctio perfectio est ex oppositis passiuis: hoc est, passiuarum qualitatum sub opposita conditione existentium. enimuero passiuæ qualitates ab esse interminato, & imperfecto, vt à termino, à quo ad perfectionem & consistentiam, vt ad terminum ad quem ab agente transmutantur, quæ tertia expositio mihi multò magis probatur, & propterea philosophus non dixit concoctionem esse perfectionem passiuarum oppositarum, sed (ex oppositis passiuis) vt simul terminum à quo, & materiam complecteretur, & licet humidum, & siccum concoctionis materia ab Aristotele dicantur: humidum tamen præsertim concoctionis materia existit, & vbique in cap. de concoctione concoctionis materia dicitur. nam inquit, concoctio est terminata humiditas, tuncùe planè celebrata dicitur concoctio cum victa fuerit materia, & humiditas. hæc enim est, quæ terminatur à naturali caliditate: concoctio verò interminata humiditas ab eodem appellatur. Siccum verò eatenus materia concoctionis dicitur, prout humidum absque sicco in concoctione terminari non potest, sicuti eodem capite cont. 21. his verbis Aristoteles declarauit. Nullum autem humidum absq; sicco concoquitur. aqua enim non incrassatur sola humidorum. Cæterum quia concoctio, passiuarumque perfectio absque causa agente fieri nequit, eapropter agentem causam explicat, inquiens, (à calore naturali et proprio [Calor enim causa efficiens est, naturalis autem & proprius.] ad concoctionem absoluendam necessaria eius cōditio existit, nomine autem caloris naturalis, & proprij calor internus rei, quæ concoquitur minimè intelligi debet. siquidem concoctio ab interno calore rei concoquendæ minimè fit, siue ab arte, siue à natura fiat. alimenta enim in ventriculum recepta, non à calore elementorum, sed à calore ventriculi concoquuntur. caro etiam, quę aut elixatione, aut assatione concoquitur, non à calore carnis, sed aut à calido humido aquę, aut à calido sicco ignis decoquitur, vndè philosophus assationem ità describit. Assatio est, quæ fit à calido sicco externo, sed nomine caloris naturalis, calor dominans intelligi debet, si uti eodē cap. seipsum declarauit his verbis. (accidit enim hoc pati cum victa fuerit humiditas, hæc enim est, quæ terminatur à naturali caliditate. quandiu enim in ipsa ratio est, naturalis ipsa est. qua propter excrementa conco-

Ea sanitatis signa sunt, quoniam indicant calorem humido dominari] quibus verbis ostendit calorem naturalem esse. quoniam dominantis rationem supra humidum habet, enimuerò si calor humidum terminare debet, pleneque concoctionem perficere, humido dominari debet. quoniam si non dominetur fit molynsis, & diminuta concoctio, vt eodem cap. declarauit his verbis. inconcoctio imperfectio quædam est propter indigentiam calidi, & inconmensurationem ad humidum, quod decoquitur. Sed quoniam calor simpliciter dominari non debet, quoniam si minius erit caloris excessus corrumpet potius, quàm concoquet eapropter rei concoquendæ commensuratus esse debet: quare nomine: caloris naturalis, calor dominans: nomine verò proprij, commensuratus, humidoque proportio natus intelligi debet, sicuti inconcoctio fit à calore non dominante. immoderata verò concoctio à calore quidem dominante fit, sed non proportionato, & proprio, sed licet calor author sit, effectrixque causa concoctionis: multa tamen sunt, quæ, vt ait Aristoteles, ad explicandam coctionem calorem adiuuant, sicuti sunt ea omnia quæ excalefacere, caloremque ad augere possunt. neque propterea turbetur quispiam in febribus ardentibus calidos humores purgandos à frigidis alterantibus concoqui, iuxta illã Hippocratis sententiam, Aphorismorum primo, concocta medicari, & mouere non cruda. quoniam Aristotelis sententia de concoctione propriè dicta intelligi debet. quæ fit in humore vtili pro nutritione viuentium. non autem de concoctione, quæ fit in materia morbosa, atque inutili, quæ non verè concoctio est. Sed purgandi humoris præparatio quædam. quibus omnibus sic explicatis, totius definitionis sensus hic est. Concoctio est perfectiò seu consistentia passiuarum qualitatum sub esse interminato existentium à calore dominante, et commensurato. sicuti econtra inconcoctio imperfectio est, seu humidi interminatio à calore non dominante. cum enim calor non dominatur fit molynsis, vt in definitione generationis, & in hoc cap. Aristoteles declarauit.

Modus, quo concoctio à calore fiat, explicatur, curùe à natura potius calor, quàm frigus concoctionis autor statuatur.

CVM *alimentum custodiæ, salutique animantium à natura comparatum sit, sine quo ne diutius quidem conseruari possent: alimentum verò cum impuris, inutilibusùe quibusdam partibus constet, quæ neque alere, neque viuentium substantiam fouere queunt, ea propter sordes, impurasque partes, secernere operæprætium est: ex quarum se-*

cretione alimentum purius, alẽdoque corpori magis idoneum reddatur: quod sanè authore calore per concoctionem efficitur. cæterum quia non satis constat. quonam pacto id à calore efficiatur, alimẽtumque decoquatur, idcircò id breuiter à nobis considerandum est, porrò cum alimentum in ventrem, aut in locum huic persimilem receptum fuerit, calor naturalis statim ipsum exagitat, primoque excalefacit. et quoniam caloris proprium est rarefacere, & attenuare, ideò calor ipsum rarefacit. & attenuat, ex quibus duo consequuntur: vnum est, quod calor rarefaciendo, inutiles etherogeneasque partes, & ab homogeneis, ijsue, quæ in vnam naturam conuerti possunt, secernuntur. ex quarum secretione alimentum ab imperfecto ad esse perfectum mutatur, & ex inutili quoquomodo vtile efficitur. alterum autem est, quòd calor attenuando humidum superfluum resoluit, partesue quæ aereę magis, & aqueæ sunt, euaporant. ac proindè humidum, quod magis solidum est, & consistens derelinquitur, vndè dissimilium partium ab homogeneis, & his quæ uiuentis substantiæ similes sunt, secretione facta, humidoque superfluo resoluto, alimentum iam concoctum est, & ex opposita ratione, vt ab esse interminato ad esse terminatum, & perfectum mutatur, prout nutritioni, alendoque corpori vtile factum est, & hic modus est, quo concoctio à calore administratur, in qua licet plures motus concurrant: concoctio tamen vnus motus est, ab vnitate vltimi termini, vtpotè a terminatione, humidique consistentia, quæ est formaliter concoctio, ex quibus illud etiam, quòd secũdo loco propositum fuit, facile intelligi potest. cur calor, & non frigus concoctionis authhor extiterit. nam cum in concoctione impuræ, inutilesque partes ab utilibus separari debeant, vt alimentum perfectum reddatur, id autem caloris proprium sit: quippè qui vt 4. meteo. cont. primo ab Aristotele describitur. cõgregat homogenea, quæue in vnam naturam conuerti poßunt, etherogenea verò secernit, frigus verò homogenea, & etherogenea simul permiscet. eapropter calor non autem frigus concoctionis authhor a natura institutus fuit. cui etiam illud adijci potest, quòd cum calor sit veluti càusa uitæ, frigus autem potius vitæ se inimicum præbeat, idem calor causa est omnium eorum, quæ ad vitã ordinantur. siquidẽ idem est cã finis, & eorũ, q̃ ad finem ordinantur. cum aũt concoctio ad nutritionẽ, & vitam ordinetur, sicuti calor est causa vitæ, ita ẽt concoctionis, & nutritionis causa est, non aũt frigus, neque propterea inficias iri debet, quinetiã frigus aliquo pacto ad cõcoctionem concurrat, prout caloris feruorẽ retundit, & prout etiam calorẽ ipsum intrinsecus retinet, probibetq; ne euaporet, & propterea in cã est, vt suas calor retineat uires, concoctionemq; probè administrare posſit.

Dubia

Dubia aduersus concoctionis definitionem, & eorum solutiones.

CÆterum quia permulta sunt, quæ concoctionis definitionem demoliri videntur, eapropter vt omnis ambiguitas, qua eius veritas facilè offundi potest, auferatur; illa à nobis expendenda sunt. quorum primum est circa concoctionis genus, cum inquit, concoctio est perfectio passiuarum, & humidi, & sicci: cum autem concoctio, vt eodem capite inquit sit terminata humiditas, sicut econtra inconcoctio est humiditas interminata, igitur terminatio humidi eius perfectio erit, quòd tamen à veritate abhorret. siquidem humidum cum terminatur, consistentiamùe acquirit, a propria natura recedit, cum humidum, vt legitur 4. Meteo. contextu 1. illud sit quod proprio termino interminatum est: illud autem quod a propria natura recedit, imperfectum potius redditur, quam aliquo pacto perficiatur. quò fit, vt concoctio cum sit terminatio humidi, sit eius imperfectio, inconcoctio verò, quoniam est interminata humiditas, humidi perfectio dicenda sit. Ambigitur secundo circa effectricem causam concoctionis. quoniam non rectè decretum esse uidetur, concoctionem a naturali calore fieri, vt ab agente, quoniam cum concoctio sit humidi terminatio, & quæ concoquuntur, vt eo loci philosophus declarauit, ex aereis fiant aquea, & ex his terrea, maioremque semper consistentiam acquirant. calor autem minimè terminet, cum proprium caloris sit rarefacere, & attenuare. quæ autem rarefiunt, & attenuantur, fluxilia potius reddantur, & interminata; igitur calor concoctionis effectrix causa esse non potest. vnde ista duo inuicem pugnare videntur. concoctionem humiditatem terminatam esse. fierique à calore, vt ab agente: illud tertio concoctionis definitionem perturbat. quoniam si ea esset concoctionis definitio, & natura, concoctio a mixtorum generatione non distingueretur. siquidem mixtorum generatio, vt eodem libro contex. 2. definita fuit, est transmutatio, passiuarumque terminatio a calore dominante supra passiuas; quamobrem vna, & eadem erit generationis, & concoctionis definitio, ac proinde vtriusque eadem erit natura, tamen concoctio a coagulatione minimè distingueretur. Nam & coagulatio, ut proprio capite eiusdem libri philosophus declarauit, est humidi consistentia per resolutionem humidi superflui a calore, non secus ac concoctio, aut igitur hæc concoctionis recta definitio, nõ erit, aut dicere opus erit cõcoctionẽ a generatione,

& coa-

& coagulatione minimè distingui, cum tamen diuersa eo libro ab Arist. statuantur; sunt & alia permulta, sed quoniam alijs communia sunt, ab alijsque tractantur silentio prætermitto. quamuis ista aliquod negocium facere videantur, facilè tamen dissolui possunt. & ad primum dicimus, humidum bif. concipi posse: vno modo secundum propriam eius naturam, alio modo respectu nutritionis, & conseruationis viuentis, cuius gratia decoquitur. si primo modo sumantur concoctio, humidique terminatio eius perfectio non est, sed potius imperfectio, cum terminatio humidi recessus sit à propria eius natura: Secundo autem modo, humidi consistentia eius perfectio est. prout per consistentiam, quam à calore acquirit, fit perfectum, & vtile nutritioni, animantiumque saluti, & hunc in modum concoctio humidi perfectio esse dicitur: inconcoctio verò humidi imperfectio, prout humidum interminatū remanet, ac proindè inutile nutritioni uiuentis. tametsi humidum in ipsa concoctione interminatum existens secundum propriam naturam perfectum sit, secundum autem obiectum. quoniam explicatione indiget, quonam pacto calor terminet, cum alioquin eius proprium sit rarefacere, fluxilemq; rem facere, ea propter id usque ad secundum caput differtur, in quo modus, huiusque obiecti solutio plenius explicabitur. Nec tertium obiectum quicquā efficit. nam generatio bif. capi potest, vno modo pro alteratione præcedente, alio modo, pro introductione formę substantialis. si primo modo sumatur, concoctio à generatione nequaquam distinguitur. quoniam generatio ità sumpta nil aliud est nisi transmutatio, passiuarumque terminatio à calore supra passiuas dominante, non secus ac concoctio & utriusque terminus intrinsecus consistentia humidi est. Nam quæ generantur aliquo pacto per concoctionem generari dicuntur. quod in definitione generationis eo libro tradita Aristotelis indicasse uisus est, cum inquit. nisi calor passiuis dominatur, concoctio à generatione distinguitur. siquidem terminus intrinsecus generationis est substantia, internus autem concoctionis terminus est accidens, vt in cont. 17. his uerbis Aristoteles indicauit [finis concoctionis est cum humidum tale fiet, & tantum] & licet ab eodem concoctionis terminus substantiæ esse dicatur, hæc non internus, sed externus concoctionis terminus existit. Ad ultimum autē dicimus, quod licet coagulatio humidi consistentia sit facta à calore per humidi euaporationem, non tamen coagulatio, concoctio est, quoniam cō coctio humidi consistentia est, à calore naturali, & proprio, atque commensurato: coagulatio verò humidi consistentia est à quocunque calore etiam intenso, atque immoderato. & proindè philosophus in definitione concoctionis adiecit, illa verba à calore naturali, & proprio,

quæ

quæ non adiecit in definitione coagulationis, ut inter unam, & alteram differentiam indicaret, et hæc quò ad concoctionis definitionē dicta sint.

Dilucidatio rationum Aristotelis primo de partibus animalium capite primo: & primo de qua Anima sit dubitatio ibi ab Aristotele mota.

DEcreuerat Aristoteles post rudem illam, & confusam animaliũ doctrinam, quæ in libris de historia tradita fuit, perfectè ac distinctè ipsorum naturam, ac substantiam contemplari; verum quia ipsorum substantia ex duabus partibus nimirum ex materia & forma constituitur, de duabus hisce naturis se verba facturum necessarium dijudicauit, et magis de forma, cum ad rei notitiam magis facere videatur, & naturali Philosopho sit magis conueniens, cum ipsa naturæ nomine dignior quam ipsa materia habeatur. quoniam verò animalium forma anima est, cum recedente a corpore anima, animal eße desinat, neque membrum vllum nisi ratione suæ figuræ idem relinquatur, ea propter de anima disputare proposuit: cum autem naturali ob perfectam animalium doctrinam animæ cognitionem necessariam esse ostendißet, dubitauit Arist. vtrum ad naturalem Philosophum pertineat de omni anima disputare, aut de quadam, quæ sanè dubitatio prius quàm Aristolis rationes perpēdamus a nobis diligenter consideranda est. An scilicet hæc dubitatio ab Aristot. mota sit de anima ipsorum animalium tantum, hoc est, an ad naturalem attineat differere de omni animalium anima, aut de quadam: aut dubitatio sit de anima simpliciter, & in vniuersum: ex hoc enim manifestum fiet quid nomine intellectus, qui pro subiecto in rationibus istis accipitur, intelligere debeamus. arbitrati sunt qui Alexandri doctrinam insequuntur, Aristotelis dubitationem non esse de anima animalium tantum, quoniam de hac non dubitauit an in vniuersum a naturali considerari debeat, sed dubitationē esse de anima simpliciter, an scilicet quēadmodum naturalis eam animam contemplatur, quæ animalium est: ita etiam de animabus illis separatis disputare queat, ac proindè volunt intellectum quem paulo post Philosophus a naturali consideratione seiungit, nō capi pro intellectu humano, sed pro substantijs separatis, vel, vt posteriores dicunt, pro intellectu in communi ad intellectum humanum, & ad substantias separatas. quorum sententia ab Arist. omnino dissentit, quod ex eo probatur: nam Philosophus dubitationem mouens, sic inquit, Sed quæret quispiam animaduertens ad id quod modo dixi, vtrum naturalis intersit de omni anima disputare, aut

re, aut de quadam: mouet igitur Arist. dubitationem propter id quod proximè dixit, proximè autem dixerat, ac posuerat istam disiunctiuam, anima aut omnis, aut quædam nempè qua tale animal est à naturali cõsiderari debet: iam verò hęc disiunctiua est de anima animalium tantũ, non de anima simpliciter. igitur proposita ab Arist. dubitatio est de anima animalium tantum, non de anima simpliciter. etenim cum Philosophus ex declaratis collegisset conclusionem istam, si hæc ità se habent naturæ studiosi sanè interest de anima disserere, & scire aut omni, aut si non de omni, tamen de ea ipsa qua tale animal est, quærere inquit quispiam posset hanc disiunctiuam animaduertẽs verum naturalis de omni anima agere debeat, aut de quadam: itaque dubitatio ista orta est ex illa disiunctiua superius posita. cum autem illa duntaxat sit de anima animalium, igitur & proposita quæstio de hac duntaxat anima erit, quòd autem illa disiunctiua sit de anima animalium tãtum, ex Aristotelis processu facilè ostendi potest. proposuerat, ut dixi, Aristoteles exactè naturam ac substantiam animalium contemplari, sed quoniam duæ sunt principales partes ex quibus animalium substantia constituitur, materia scilicet, & forma, iccirco materiæ & formæ notitiam naturali necessariam esse dijudicauit. cum autem animalium forma anima sit, ideò conclusit, animam quæ animalium forma est, à naturali Philosopho cognoscendam esse, aut omnem, aut aliquam nempè qua tale animal est. ità ꝙ Aristotelis discursus est iste, forma animalium pro ipsorum notitia à naturali Philosopho cognoscenda est. Anima est forma animalium, igitur anima aut omnis aut quædam qua tale animal est, à naturali cognoscenda est. iam verò anima quę accipitur in conclusione ea est, quę accipitur in minori propositione: anima verò quæ in minori propositione accipitur, est forma animalium: igitur eadem est, quæ in ipsa conclusione desumitur, igitur ista disiunctiua quæ in cõclusione profertur, anima aut omnis, aut quædam à naturali considerandæ est, de anima animalium tãtum est, & non de anima simpliciter, vt dicunt isti. quod sanè confirmatur ex his quæ inferius subiunxit. volens enim probare quòd anima animalium à naturali cognosci debeat, & magis quàm materia, tali vtitur discursu. Philosophus naturalis debet naturam cognoscere, & magis, quod est magis natura. sed anima, inquit, animalium aut omnis aut quædam est natura, et magis quàm materia, ergo anima animalium aut omnis, aut quædam à naturali cognoscenda est, & magis quàm materia: sequitur posteà dicens, sed quispiam quęret, id quod modo dixi animaduertens nimirum hanc disiunctiuam, uerum omnis anima, aut aliqua à naturali considerari debeat. refert igitur dubitationem ad id quòd immediatè

diatè dixit, atqui immediatè posuit illam rationem, cuius propositiones sunt de animalium tantum, igitur dubitatio mota est de anima ipsorum animalium tantum, quòd si dubitatio eßet de anima simpliciter, vt dicunt, tunc dubitatio non referreretur ad id quod immediatè dictum fuit, ut uult Arist. quamobrem concludimus quòd proposita dubitatio non est de anima simpliciter, sed de anima ipsorum animalium, qua dubitatione sic explicata, nunc Aristotelis rationes consideremus.

(Perpenditur prima ratio Aristotelis.)

MOTA *dubitatione probauit Aristoteles naturalem Philosophum non omnem animam contemplari, ut intellectum, & prima ratio huiusmodi est. si naturalis ageret de intellectu, præter naturalem scientiã nulla relinqueretur Philosophia. probatur cõsequẽtia, quoniam si naturalis consideraret intellectum, consideraret omnia intelligibilia. deducitur, quia relatiuorum, & omnium inter se coniunctorum eadem est scientia, intellectus & intelligibilia sunt relatiua, igitur intellectus & intelligibilium eadem est scientia. quare si naturalis consideraret intellectum, consideraret omnia intelligibilia, ergo nihil remaneret quod ab alijs scientijs consideraretur. ergo præter naturalem scientiam nulla relinqueretur Philosophia, id est absurdum, ergo & illud ex quo sequitur, at sequitur ex hoc quòd dicitur naturalem Philosophum intellectum considerare, ergo id minimè dicendum est. quam sanè rationem considerantes nonnulli vt Antonius Mirandulanus 18. libro suæ monomachiæ, & quidam alij, dixerunt rationem hanc non eßе necessariam, nec ab Arist. vt necessariam adductam esse, sed vt probabilem, & apparentem ad hominum ingenia exercenda, quod plerumque Aristoteles facere solitus est. & quod hoc verum sit, ostẽdit Mirandul. & primo sic, Si Aristotelis ratio esset necessaria, sequeretur intellectum à nulla sciẽtia considerari, quod falsum eße nemo est qui dubitet. probatur consequẽtia, quia si aliqua sciẽtia quæcunque illa sit, vt Metaphisica cõsideraret intellectum, igitur cõsideraret omnia intelligibilia, igitur præter ipsam, aut aliam, si ponatur aliã ipsum considerare, nulla relinqueretur Philosophia, hoc est falsũ: ergo falsum erit asserere ipsum ab aliqua scientia considerari, igitur à nulla considerabitur, at cũ id absurdũ sit, ergo et id ex quo sequitur, at sequitur ex hoc quòd Aristotelis ratio ponitur necessaria, ergo dicendũ est nullo modo necessariam esse. Secũdò, quòd ratio nõ*

sit cōcludens, & necessaria ex eo ostendit, quia cum Philosophus inquit, si naturalis consideraret intellectum, ergo & omnia intelligibilia cum sint relatiua, solum concludit, quòd naturalis consideraret omnia vt intelligibilia sunt, & quatenus referuntur ad intellectum, non tamen concludit, quòd naturalis consideret omnia intelligibilia simpliciter, & omnibus modis. cum itaque infertur. ergo præter naturalem nulla relinqueretur Philosophia, negatur consequentia, quia remanebunt res alijs modis considerandæ, & consequenter aliæ scientiæ, quæ non considerabunt res ipsas vt intelligibiles sunt, sed quò ad propriam earum naturam. vnde ratio non concludit propositum, & propterea non est dicendum Aristotelem ea vt necessaria vsum fuisse. Qua Mirandulani ratione persuasi quidam recentiores dixerunt rationem hanc non inniti illo principio, relatiua pertinent ad eandem scientiam, quoniam tunc ratio nullum haberet momentum, quia nil aliud concluderet, nisi quòd naturalis considerauet omnia intelligibilia, vt referuntur ad intellectum, non tamen simpliciter, & omnibus modis, & propterea nō sequeretur præter naturalem nullam remanere Philosophiam, quam instantiam plurimi faciunt. Sed Mirandulanus, & qui cum eo rationem hanc non vt necessariam, et demonstratiuam adductam fuisse, affirmant, in maximo errore versantur, quod ita probatur: nam cum Philosophus posuisset conclusionem illam disiunctiuam dicens, anima aut omnis, aut quædam à naturali consideranda est huius occasione mouit illam dubitationem, vt determinaret disiunctiuam, & ostenderet secundum quam partem veritatem haberet, quod ex illis verbis Aristotelis manifestum est, quæ sunt, sed quispiā animaduertens ad quod modo dixi, quæret quæ nam pars istius propositionis est vera, utrum omnis, aut quædam à naturali consideranda est: est enim ista conclusio ad aliquam partem determinādа. persoluens autem dubitationem Philosophus determinauit: quod non omnis anima à naturali consideranda est. quòd hac ratione, et sequentibus demōstrauit, quòd si Philosophus dubitationem illam secundum veritatem non persoluit, nec rationes vt necessarias, sed solum vt probabiles, & apparentes adduxit. igitur propositæ dubitationi non satisfecißet, nec secundum quam partem illa disiunctiua veritatem habeat determinasset, quod tamen apprimè necessarium erat, & eo magis quòd propter hanc causam dubitationem illam proposuit, & rationes illas ob hanc quoque adduxit. Accedit quod id apud Aris. compertum est, ꝙ quotiescunq; ex intentione, & in proprio loco aliquam dubitationem proponit, eam secundum veritatem determinat, & ad conclusionem probandam rationes, vt necessarias, & concludentes adducit, vt cuiuis qui et in Aris. mediocriter versatus

ſatus ſit, ſatis apertum eſt. etenim cum 3. & 4 de Phiſ. auditu de infinito, de loco, tempore, & vacuo dubitationes proponit, an ſit, & quid ipſorum vnumquodque ſit. illas ſecundum veritatem determinat, & rationes vt neceßarias, & demonſtratiuas adducit. ſimiliter cum 8. Phiſ. de motus æternitate dubitationem proponit, & primo Cœli de unitate mundi, et omnibus alijs in locis idipſum facit. cum ergo Ariſtoteles hoc in loco ex intentione, & in proprio loco: erat enim hic proprius locus hanc difficultatem eexaminandi, cum hic a naturali de anima agendũ eſſe propoſuiſſet, hanc dubitationem proponat, & ipſam ſatis diffuſe examinet. igitur dicendum eſt Ariſtotelẽ dubitationem hanc ſecundum veritatem determinare, & rõnes ut neceſſarias, & demonſtratiuas adducere, quòd ſi Ariſtot. hoc in loco id non facit, dicant obſecro, vbi hanc dubitationẽ perſoluit? vbi illam diſiũctiuam determinat? vbi rationes vt neceſſarias, & demonſtratiuas adducit? quod ſi dixerint id ſexto primæ Philoſophiæ cont. 2. ab Ariſt. determinari, porrò eandem concluſionem eodem modo determinat, et eadem rõne, qua primo de partibus poſtremo vtitur loco, eandem confirmat. ſexto enim primæ Philoſophiæ ſic inquit. Manifeſtum eſt, ꝙ naturalis Philoſophi non intereſt de omni anima diſputare, ſed de quadam: rõ autem, inqnit, ea eſt, quoniam naturalis Philoſophus non cõſiderat ea quæ ſe habent vt concauum, ſed ea quæ ſe habent vt ſimum: differunt autem hæc, quoniam ſimum quidem vna acceptum eſt cum materia, concauum verò abſque materia, diſcurſus conſiſtit in hoc. naturalis non conſiderat id quod ſe habet vt concauum, hoc autẽ eſt, quod abſq; materia eſt. igitur naturalis non conſiderat intellectum, qui omnino eſt abſtractus a materia, eadẽ præciſè vtitur ratione primo de partibus poſtremo loco, dicens, ad hæc, rem nullam abſtractam à materia cõſiderat naturalis. igitur nec intellectum, quòd ſi ſexto Met. eam concluſionem ſecundum ueritatem determinat, & ratio illa vtitur vt neceſſaria, ut re uera utitur: cum inibi inter ſcientias ipſas differentiã ponat. ergo & primo de part. eandem concluſionem ſecundũ ueritatem determinat, & ratione utitur ut demonſtratiua, quod ſi ea ut neceßaria, et demonſtratiua uſus eſt: igitur & alijs prioribus, cum de omnibus idem ſit iudicium. ex ijs ergo concludimus rationem hãc ut neceſſariam ab Ariſto. adductam fore, non autem ut probabilem, ut iſti ad pauca reſpicientes, enunciant.

Quomodo ratio neceſſaria ſit, dilucidatur.

CAeterum vt intelligatur quomodo ratio hæc neceſſaria ſit, eſt aduertendum, quòd intellectus bif. conſiderari poteſt, uno modo,

vt intellectus est. secundo modo vt anima. differunt autem hæc, si quidem intellectus primo modo est vis absoluta, & non respicit corpus, at secundo modo respectum includit, & habitudinem, ad corpus. tunc dicimus, quòd intellectus vt intellectus est, & quiditatiuè non consideratur à Philosopho naturali; & id probat hęc Aristotelis ratio, quoniam si intellectus hoc modo à naturali consideraretur, nulla præter naturalem relinqueretur philosophia, rō est, quia relatiua ad eandem pertinent scientiā: si igitur naturalis consideraret intellectum, ergo & omnia intelligibilia: sed quoniam relatiuorum in eadem scientia idem est cōsiderandi modus, quinimmo non solum relatiuorum, sed omnium quæ in eadem scientia considerantur. eapropter si naturalis consideraret intellectum vt intellectus est, & quiditatiuè, cum intellectus vt sic abstrahat à materia et secundum esse & secundum rationem: ergo consideraret omnia intelligibilia eodem modo, nimirum vt abstracta sunt à materia & secundum esse, & secundum rationem. & si naturalis res hoc modo consideraret, igitur res ipsas consideraret vt sunt abstractæ à materia secundum rationē tantum, quia si de quo minus videtur, & est, ergo & de quo magis. et cū naturalis proprio considerandi modo omnia consideret vt in materia sunt, igitur Philosophus naturalis consideraret omnia secundum omnem considerandi modum: tribus enim modis scibilia considerari possunt, vel ut sunt in materia, uel ut sunt abstracta à materia, & hoc dap. vel vt sunt abstracta à materia, secundum esse, & secundum rationem, vel vt sunt abstracta secundum rationem tantum. iuxta quos tres modos Aristoteles sexto Metaf. contex. 2. tres statuit scientias naturalem, mathematicā, & diuinā. vndè si naturalis consideraret ijs tribus modis consideraret ipsa omnibus modis: igitur præter naturalem nulla relinqueretur philosophia, quia nullus remaneret considerandi modus, quo res scientificè considerari poßent, & in hoc Aristotelis ratio consistit, & in hūc sensum necessaria est, atq; demonstratiua, quam ij Aristotelis dicta intimius non considerantes, minimè intellexerunt. verū tamen intellectus vt Anima, atque ut iunctus corpori à naturali consideratur, quoniam ut sic sub naturalis philosophi considerandi modo comprehenditur, cuius est rem ut in materia contemplari. sed hæc non est propria, & quiditatiua eius consideratio, quemadmodum substantiæ separatæ ut animæ sunt, atque proprijs iugatæ orbibus à naturali considerantur, sed hęc non est propria, & quiditatiua earum consideratio, nec in hunc sensum Aristoteles intellectum à naturali consideratione seiungit. nec id probat Aristotelis ratio, sed duntaxat quòd intellectus quiditatiuè à naturali considerari minimè poßit, propter illud quod sequitur inconueniens, sed

hic

hic dubitatio est, quoniam Aristotelis ratio probare quoq; uidetur, quòd intellectus ut iunctus corpori non consideretur à naturali, si quidem intellectus ut corpori iunctus omnium intelligibilium est. hoc enim principium tertio lib. de anima contex. 4. accepit Aristotele ad declarandam naturam intellectus possibilis, dicens. Intellectus omnia intelligit. certum est autem quòd ibi sumitur intellectus vt corpori iunctus. igitur si naturalis consideraret intellectum ut corpori coniunctus est, cōsideraret etiam omnia intelligibilia, ergo præter naturalem nulla relinqueretur Philosophia, ergo siue hoc, siue illo modo sumatur intellectus, per hanc rationem à naturali consideratione reijcitur. pulchra quidem dubitatio est, non tamen nostram demollitur sententiam: concedimus enim quòd intellectus vt corpori coniunctus omnium intelligibilium est. cum tamen dicitur, si naturalis consideraret intellectum vt corpori iunctis est, ergo consideraret omnia intelligibilia: verum est, vt iuncta sunt materiæ, quia relatiua, vt diximus, eodem considerandi modo in eadem scientia considerantur: qua enim ratione consideratur intellectus, eadem quoque ratione considerantur intelligibilia: si ergo consideratur intellectus vt est iunctus materię, pariter et intelligibilia cōsiderabūtur vt sūt iuncta materiæ, vnde non sequitur præter naturalem nullam remanere Philosophiam, quia remanebunt intellectus, & intelligibilia cōsiderādá vt à materia abstracta sunt. & ita remanebunt alię scientię, quę illa sub hac ratione contēpletur. qua propter Aristotelis ratio nō valet de intellectu vt iūgitur corpori, nec adhoc probādū ab ipso allata est. sed valet de intellectu vt intellectus est, atq; vt abstrahit à materia, sicut superius declaratū est. sed priusquam rationes in contrariū persoluamus, nōnulla uerba quæ in hac ratione ponuntur, à nobis consideranda sunt: et primo quid per intelligibilia accipiat Arist. cū inquit, intellectus rerū intelligibilium est, arbitrantur nonnulli Aristotelē per intelligibilia accipere substantias illas separatas, quod ea ratione ostendunt: per intelligibile illud accipit Aristoteles quod est contradistinctum à sensibili, sed sensibile nō capitur pro particulari, quoniam scientia circa particularia non uersatur. ergo capitur pro uniuersali ex sensibilibus collecto. intelligibile autem quod ab hoc contradistinguitur est genus substantiarum separatarum, igitur nomine intelligibilium genus substantiarum separatarū intelligitur. Sed boni isti uiri hac in re ab Arist. apertè dissentiunt, quod ostēdo, et in primis cōsidero illationē Aristotelis: uolens enim probare Aristoteles quomodo ualeat cōsequētia illa, si naturalis ageret de intellectu, ergo p̄ter naturalem nulla relinqueretur Philosophia, ualet inquit, quia intellectus est rerum intelligibilium. ergo naturalis omnia intelligibi-

lia,

lia, & rerum omnium notiones una tenebit, uerba sunt hęc. intellectus enim siue mens rerum intelligibilium est, itaque naturalis rerum omnium notiones vnà tenebit, &c. iam verò sicut intelligibile accipitur in consequente, ita accipitur in antecedente, sed in consequęnte accipitur pro intelligibili in uniuersali, quia inquit: ergo rerum omnium notiones vna tenebit, igitur eodem modo accipitur in antecedente, quòd si in antecedente sumatur pro substantijs separatis, cum in consequente accipiatur pro notionibus omnium rerum, erit æquiuocatio in terminis. pręterea vtor eodem medio quo vtuntur ipsi, per intelligibile accipitur illud quod est contradistinctum à sensibili, uideamus quid per sensibile intelligatur. porrò per sensibile non intelligitur particulare, cum nõ cadat sub scientiam, nec intelligitur vniuersale, & commune ad omnia sensibilia, quod ipsis videtur. quod probatur ex verbis Aristotelis dicentis relatiuorum, & omnium inter se coniunctorum eadem est scientia, sicut sensus & sensibilis: quibus uerbis apertissimè ostendit per sensibile illud intelligere, quod sub eandem scientiam cadit cum sensu: hoc autem non est commune ad omnia sensibilia, quoniam scientia quę considerat aliquẽ sensum, non considerat quodlibet sensibile, sed sensibile illius sensus: scientia enim quæ considerat uisum, non considerat quodlibet sensibile ut sonum, & odorem, sed sensibile quod est correlatiuum ipsius ut potè colorem, igitur per sensibile intelligitur quod est determinati generis sensibile; ergo per intelligibile quod contradistinguitur à sensibili accipitur uniuersale, & commune, & generis indeterminati ad omnia intelligibilia. hoc autem non est genus substantiarum separatarum, igitur nomine intelligibilium genus substantiarum abstractarum non accipitur, sed quid commune ad omnia intelligibilia. sed grauius, meo iudicio, aberrãt illi, qui cum hoc quòd per intelligibilia exponunt substantias abstractas, per intellectum etiam exponunt quid commune omnibus abstractis, & ita faciunt quòd in hac propositione, intellectus rerum intelligibilium est, pro eodem supponant subiectum & prædicatum. nam si intellectus supponit pro quodam communi ad omnia abstracta & similiter intelligibilia; ergo pro eodem supponent subiectum, & prędicatum illius propositionis, quod minimè dici potest, cum subiectum & prędicatum in illa propositione importent relationem, quæ est inter extrema diuersa, sicut & relatio quæ est inter sensum & sensibile. Ad fundamentum autem ipsorum dicimus, quòd per intelligibile accipitur illud quod est contradistinctum à sensibili, sed sicut per sensibile accipitur illud quod est determinati generis sensibile, ita per intelligibile quod est generis indeterminati, & commune ad omnia intelligibilia. quibus sic explicatis,

nunc

nunc rationes illorum persoluamus, qui rationem banc probabilem esse affirmarunt. nec officit prima. nam cum dicebatur, sequeretur quòd intellectus a nulla scientia consideraretur. negatur consequentia. considerattur enim sub ea ratione a Metaphisica. ad probationem dicimus, quòd ratio ab Aristotele adducta valet de naturali, non autem de Metaphisica, & ratio est, quia scientia naturalis est scientia specialis, quæ considerat entia in particulari nempè vt in materia sunt. iam verò si naturalis consideraret intellectum quiditatiuè, & ut abstractus est à materia secundum esse, & secundum rationem consideraret omnia intelligibilia eo modo quo superius declaratum fuit. & si consideraret omnia ut sunt abstracta a materia secundum esse, & secundum rationem; consideraret quoque entia vt sunt abstracta à materia secundum rationem tantum. quia si de quo minus uidetur, & est, & de quo magis: & si considerat extrema ut potentia vt sunt in materia, & ut sunt abstracta secundum esse, & secundum rationem, consideraret etiam media nimirum ut abstracta sunt secundum rationem tantum: quare naturalis consideraret omnia secundum omnem considerandi modum, vnde præter naturalem nulla relinqueretur scientia. non valet autem ratio de Metaphisica, quoniam hæc est scientia uniuersalis quę considerat entia sub ratione communi, & transcendenti vt legitur 4. & 6. Meth. utrobique contex. primo, & consequenter ut abstracta sunt à materia secundum esse, & secundum rationem, vt 6. Met. habetur 2. etenim ratio entis, substantię actus, & id genus materiam non concernit, unde si Metaphisica considerat intellectum quiditatiuè, & ut abstractus est: igitur considerabit intelligibilia eodem modo ut sunt abstracta. Nec propterea sequitur, quòd aliæ tollantur scientiæ, quia remanent alij considerandi modi, res sub ratione propria, & vt in materia sunt; & est naturalis & ex ablatione a materia, & est Math. itaq; ratio non concludit de Metaphisica, sed de naturali. sed solutio ista patitur instantiam: quia si Metaphisica considerabit intellectum quiditatiuè saltem rueret Mathematica. deducitur, quia si consideraret intellectum quiditatiuè, & ut abstractus est a materia secundum esse, & rationem, igitur consideraret omnia intelligibilia eodem modo, ergo consideraret etiam ut sunt abstractæ secundum rationem tantum: hęc enim erat ratio ad probandum præter naturalem non remanere Mathematicam: respondetur, negando consequentiam, quia ut dixi Metaphisica est scientia uniuersalis; quæ sub ratione communi, & transcendenti res ipsas contemplatur, & ideò licet consideret entia ut sunt abstracta à materia secundum esse, & secundum rationem, non tamen considerat res ut sunt abstractę secundum rationem

tan-

tantum, ut entia Mathematica, quia hæc est consideratio propria, & particularis, quæ non est Metaphisici: valet autem de naturali, quia naturalis est scientia specialis quæ considerat entia sub ratione propria, & particulari: & ideo si consideraret entia vt abstracta sunt secundum esse, & rationem: consideraret etiam entia ut abstracta sunt secundum rationem tantum, & propterea Mathematica scientia tolleretur. diuersa est. itaque vtriusque ratio. cum autem dicunt secundo loco, quòd etiã si ratio ut demonstratiua ab Arstotel. adducta esset. non tamen concludit, quoniam cum dicitur, si naturalis consideraret intellectum, ergo & omnia intelligibilia, solum concludit, quòd consideraret illa, vt intelligibilia sunt, & vt referuntur ad intellectum, non tamen simpliciter, & omnibus modis, & propterea non sequi, præter naturalem nullam remanere sciẽtiam. non intelligunt isti summam uim Aristotelicæ rationis, quia ratio non solum concludit, quòd naturalis consideraret intelligibilia vt dicunt ipsi, sed simpliciter, & omnibus modis: quia si naturalis consideraret intellectum quiditatiuè, & vt abstractus est à materia, tunc consideraret intelligibilia non solum vt referuntur ad intellectum, sed etiam quiditatiuè, & vt abstracta sunt à materia: nam sicut naturalis non solum consideraret intellectum, & ratione qua refertur ad intelligibilia, sed quiditatiuè, & ut abstractus est à materia, eodem modo consideraret ipsa intelligibilia, & non solum ut referuntur ad intellectũ: & cum ipse naturalis omnia cõsideret, ut in materia, igitur omnia consideraret secundum omnem considerandi modum, igitur non remaneret alius modus quo scibilia considerari possent, atque ita nulla alia præter naturalem relinqueretur scientia, & in hoc Aristotelis ratio consistit, quòd si animaduertissent clarissimi quidam Alexandri sectatores, non affirmassent Aristotelis rationem non inniti hoc principio, relatiua ad eandem pertinent scientiam, cũ etiam cęco manifestissimum sit, & hæc de prima ratione.

Perpenditur secunda Aristotelis ratio.

SECVNDA *ratio, qua Aristoteles ad eandem vtitur conclusionem huiusmodi est. Naturalis considerat naturam, intellectus non est natura, ergo intellectus non consideratur à naturali, & per consequens non omnis Anima: quam secundam rationem parum accuratè cõsiderantes Mirandulanus libro 19. suæ Monomachiæ, & Buccaf. sub initium primi libri de Anima, dixerunt non solum probabilem esse, quinimmo falsis propositionibus inniti, si quidem propositio illa ab*

Arist.

Aristotele accepta, intellectus non est principium motus, falsa est, cũ tertio libro de Anima 48. statuerit intellectum esse principium motus. similiter illa propositio, intellectus non est natura, falsa est. nam cum de eiusdem sententia intellectus sit principiũ motus, igitur erit natura etenim natura est principium motus in eo in quo est. pariter substantiæ separatæ, inquit Mirandulanus, naturæ sunt, igitur, et intellectus noster. quare ratio ista non solum probabilis est, quinimmo falsis innititur propositionibus; hæc profectò summa hominum dementia est. nam ut superius diximus, quotiescunque Aristoteles ex intentione, & in proprio loco aliquam dubitationem mouet, illam secundum ueritatem persoluit, & ad conclusionem probandam sophisticis rationibus non vtitur, nec propositionibus falsis: cum ergo primo de part. ex intentione, & in proprio loco illam dubitationem moueat, ergo illam secundum ueritatem determinat, & ad conclusionem probandam non vtitur propositionibus sophisticis, & falsis. sunt & illæ rationes superius adductæ, ad quas lectorem reijcimus. Nec eorum rationes aliquod habent momentum. & ad primam dicimus, quòd cum Philosophus inquit 3. lib. de Anima 48. intellectum esse principium motus, per intellectum non intelligit intellectum proprie, sed per intellectum accipit phantasiam, quæ etiam eodem 3. de Anima 20. ab ipso intellectus passiuus nuncupatur. & quòd hoc verum sit, ostendunt uerba illius contex. 48. quæ ita se habent. videntur hæc duo mouentia, aut appetitus, aut intellectus, si quis phantasiam vocauerit intellectum. quibus verbis apertè ostenditur per intellectum accipere phantasiam, quam statuit esse principium commune motus. quia in alijs animalibus in quibus reperitur motus non reperitur intellectus, sed phantasia: intellectus verò nec principium commune motus est, nec proximum in homine in quo reperitur, & hoc modo intelligit Aristotel. primo de part. cum inquit, Intellectus non est principium motus, sed quid aliud, quia in alijs animalibus reperitur motus in quibus non est intellectus, quare tantum abest vt in dictis Arist. repugnantia sit, vt eadem potius utrobique dicantur. nam primo de part. inquit, intellectus non est principiũ motus, sed quid aliud, quod sanè 3. de Anima 48. phantasiã esse affirmauit, & rationẽ assignãs inquit, quia in alijs animalibus reperitur motus, in quibus non reperitur intellectus, sed phantasia. quã eãdẽ rationem assignat primo de part. hinc ergo cognoscant studiosi an hæc sit contradictio, aut potius dictorum suorũ cõfirmatio. ex qua probatione Aristot. qua utitur ad probandum intellectum non esse principium motus, nemo est qui non intelligat Aristotelẽ per principiũ non intelligere principiũ proximum motus, vt nonnulli ex

iunioribus arbitrantur, sed intelligere principium commune, & adæquatum motus, vt sensus sit, intellectus non est principium motus commune, & adæquatum motus. quod ostenditur per rationem quam ipse assignat: intellectus enim inquit non est principium motus, quia non est principium motus in alijs animalibus. cuius verba lubenter subijciam, vt rem hanc intelligant omnes, uerba sunt hæc. Intellectus non est principium motus, sed quid aliud, quia motum uel in cæteris animalibus esse nouimus, intellectum uero in nullis. hæc Arist. quare com Philosophus probet intellectum non esse principium motus, quia non est principium motus in alijs animalibus, in quibus reperitur motus: ergo per principium motus intelligit principium commune ipsius motus. quod sanè dicit esse quid aliud, nimirum phantasiam, vt ipsemet declarauit 3. de Anima 48. quam probationem si animaduertissent recentiores isti, per principium non exposuissent principium proximum motus, licet verum sit, quòd intellectus non est principium proximum motus in homine in quo reperitur. sed ad hoc non tendit Aristotelis probatio. Nec officit secunda, nam cum dicunt intellectus est principium motus, ergo natura. Illum assumptum falsum est, intellectus enim neque est principium commune motus, neque proximum in homine, & proinde non sequitur quòd sit natura: præterea esto quòd esset principium proximum motus in homine in quo est, non tamen sequitur quòd sit natura, si quidem non quodlibet principium motus est natura, sed quod dependenter, & inseparabiliter est in materia, vt ipsemet Aristotel. declarauit secundo Phisico. 12. vbi declarans de qua forma dicatur natura, ita scriptum reliquit, Alio modo dicitur natura forma et species inseparabilis à materia existens. principium igitur motus quòd à materia inseparabile est, dicitur natura, & hoc modo naturæ definitio intelligenda est: quod enim melius est quàm Aristotelem per Aristotel. interpretari? similiter intelligentiæ quamuis sint principia proxima motus, non propterea sunt naturæ, quia separatæ sunt, & à materia independentes, vndè peccat ratio per fallaciam consequentis, cum dicitur, est principium per se motus. ergo natura, sed valet, est principium per se motus à materia dependens, ergo natura, ideo Aristoteles sibi ipsi maximè constans cum se dixisse recordaretur secundo Phisico. quòd natura dicitur de forma, quæ est terminus generationis, & à materia inseparabilis, primo de part. dixit, non omnis Anima est natura, sed aliqua, vtpote à materia dependens. intellectus verò & quæuis forma abstracta à materia non est natura. illud bene verum est, quòd vt inquit Auer. secun. Cæli 3. formæ abstractæ dicuntur

naturæ

naturæ secundum quandam analogiam, quia sicuti formæ materiales quæ verè sunt naturæ, sunt principia motus in his, in quibus sunt. ita formæ abstractæ in proprio subiecto suam operationem producunt, & quatenus ita operantur, assimilantur naturæ; attamen reuera nec naturæ, neque animæ sunt, sed supra animæ, & naturæ gradum, vt testatur Auerro. duodecima in Algaz. disp. sol. primi dubij, et Alexand. primo de Anima cap. 9. vbi ait. enimuerò formæ abstractæ secundum quandam analogiam animæ dicendæ sunt, nunc autem illud à nobis considerandum est, quid nomine intellectus accipiat Aristoteles, cum inquit, intellectus non est natura. quidam Alexandri sectatores voluerunt Aristotelem nomine intellectus non intelligere intellectum humanum, sed diuinas illas mentes, ac substantias separatas, quas à naturali consideratione seiungit, easque negat esse naturas, sed isti grauiter hallucinati sunt, quia de eo intellectu est solutio, de quo est dubitatio: non enim dubitatio pōt esse de vno, & solutio de alio, sed dubitatio mota fuit de anima animalium tantum, & de intellectu humano, vt superius probatum fuit, ergo & solutio est de intellectu humano, & non de substantijs separatis. præterea considero dictum illud Arist. in eo loco, quod est, Intellectus non est principium motus, quia non est principium motus in alijs animalibus, tunc ego quæro aut sub hoc termino intellectus continetur intellectus humanus, aut non: si primo, igitur nomine intellectus non solum accipiuntur intelligentiæ, sed etiam intellectus humanus. si secundo, id est falsum, quia sicuti substantiæ separatæ non sunt principia motus localis in omnibus animalibus, pariter nec intellectus humanus. quamobrem istorum expositio penitus reijcienda est, sed causa erroris fuit, quia videbant ex hoc loco aduersus ipsorum sententiam apertissimè colligi humani intellectus æternitatem. cum Aristoteles eum neget esse naturam, velitque liberam esse formam, atque à materia separatam: sed videant obsecro quod per secundum rationem contra ipsos adductam coguntur in eum scopulum nauim impingere, quem euitare conati sunt. idcirco posteriores dixerunt nomine intellectus Aristotelem non accipere substantias separatas tantum, nec intellectum humanum tantum, sed aggregatum ex intellectu humano, & substantijs separatis: sed licet ij ad Aristotel. magis accedere videantur, tamen & horum sententia ab Aristotele aliena est, quia cum dubitatio mota ab Aristotele fuerit de anima animalium tantum, & de intellectu humano, vt supra probatum est: igitur solutio solum est de intellectu humano: concludimus ergo, quod uoce intellectus Aristoteles intelligit intellectum humanum, quem à naturali consideratione se-

 iungit

iungit sub ea scilicet ratione, qua diximus : bene verum est quòd corrolariè rationes istæ probant etiam de substantijs separatis, sed ad hoc principaliter non tendunt rationes istæ, sed ad intellectum humanum, de quo ex intentione mota dubitatio fuit. ex qua secunda ratione velim vos colligere aduersus Simplicium, & eius sectatores, quòd natura sub se etiam animam comprehendit, si quidem Philosophus inquit, non omnis anima est natura, sed aliqua vna, aut plures, quare vult quandam animam non esse naturam, vt intellectum, vult autem quasdam sub naturæ ambitu contineri vt vegetalem, & sentientem, atque ob id à naturali Philosopho considerari. sed ad hoc fortaßè dicent Aristotelem eo in loco esse in parte argumentatiua, atque ita rem non determinare pro veritate : sed videant obsecro Aristotelem eandem confirmare sententiam 2. Phis. contex. primo, vbi venaturus naturæ definitionem ex differentia inter artefacta, & naturalia, inquit, artefacta non habent in seipsis principium motus. naturalia verò in seipsis habent principium motus, & status, illa quidem secundum locum. hæc verò secundum augumentum, quædam verò secundum alterationem, hinc colligit naturæ definitionem, dicens, igitur natura est principium motus localis, & augumenti, &c. Sed principium motus augumenti est anima, igitur natura ibi definita continet animam. quod etiam confirmat in contex. 13. eiusdem libri : declarans autem de qua forma, & de qua anima diatur natura, de ea forma, inquit, & de ea anima quæ à materia inseparabilis est, & terminus generationis, & cum eadem præcisè sententia ponatur primo de part. cap. primo, ergo si secundo Phis. illud secundum veritatem dterminauit idipsum feciße primo de par. dicendum est, et hæc de secunda ratione.

Tertia Aristotelis ratio dilucidatur.

POSTREMO *Aristoteles ad eandem conclusionem hac vtitur ratione, dicens : ad hæc, rem nullam à materia abstractam considerat naturalis, cum natura, rei alicuius gratia omnia faciat, rebus autē abstractis abiūctum est id quod sub hoc verbo cuius gratia intelligimus, quæ ratio dup. exponi potest. & primo sic. Nulla forma abstracta à materia à naturali considerari potest. intellectus est huiusmodi, ergo intellectus à naturali considerari minimè potest, & per consequens non omnis anima. maior illa propositio ab Arist. ità probatur, naturalis eam formam considerat quæ agit propter finem, quia considerat naturam, quæ quidem propter finem omnia facit, forma abstracta à materia non agit propter finem : igitur forma abstracta non consideratur a naturali, sed*

si hoc

si hoc modo intelligatur ratio, propositiones ita exponi debent, naturalis considerat formam, quæ agit propter finem, qui per motum acquiritur, quia naturalis quiditatiuè considerat naturam, quæ agit propter hunc finem, qui per motum acquiritur, ita illa minor intelligenda est, quia censendum non est Aristotelem a forma abstracta ademisse finem simpliciter, cum 12. primæ Philosophiæ Deum opt. substantiarum separatarum supremum finem esse, propter quem agunt, determinauerit. sed a formis abstractis illum finem negauit, qui est terminus motus. Potest & alio modo ratio ista intelligi, vt sit per locum a maiori negatiuè in hunc modum. scientia naturalis nullam rem abstractam a materia secundum definitionem contemplatur, vt sunt entia Mathematica, ergo multo minus formam abstractam à materia secundum esse, & secundum rationem considerare potest. cum autem intellectus sit huiusmodi, ergo intellectus à naturali considerari non potest, probatur illud aßumptum, quia naturalis considerat eà, in quibus reperitur finis, si quidem naturalis considerat naturam quæ propter finem agit. rebus autem abstractis, vt Mathematicis non inest finis, ergo huiusmodi abstracta non considerantur à naturali. quod autem talium abstractorum non sit finis, declarauit Aristoteles tertio Met. 3. vbi ait, finis autem, & id cuius gratia cætera fiunt, actionis cuiusdam finis est. actiones verò omnes cum motu, quare fieri nequit vt in immobilibus hoc principium sit, aut ullum per se bonum, qua propter in Mathematicis, nihil per hanc ostenditur causam. quod etiam eodem primo de part. declarare uidetur, vbi hæc habet, rem autem hanc esse illius gratia vbique aßerere solemus, quotiescunque finem intelligimus, in quem terminatur motus. quibus verbis ostendit se à rebus abstractis, vt Mathematicis illum finem ademisse, qui finis est actionis, & qui per motum acquiritur, qualis in rebus naturalibus adinuenitur. cum ergo naturalis ea quiditatiuè cõsideret in quibus reperitur finis, qui per motũ acquiritur, in rebus autem ex abstractione à materia non reperiatur hic finis, ergo quæ in abstractione consistunt vt Mathematica non considerantur à naturali, ergo multo minus intellectus qui à concretione materiæ, & secundum esse, & secundum rationem seiunctus est, & hæc secunda expositio mihi magis probatur, tum quia verbis Aristotelis conuenientior est, quæ græcè ità leguntur. ἔτι δὲ τῶν ἐξ ἀφαιρέσεως, οὐδὲν οἷόν τε εἶναι τὸν φυσικὸν θεωρητικὸν quæ latinè significant: amplius autem, nullum eorum quæ ex abstractione sunt naturalis scientia contemplari potest. illa autem dictio ex abstractione, Mathematicis attribuitur, vt apud eundem Aristotel. legitur primo de Anima.

17. vbi habet, ipsarum autem non separabilium quidem, inquantum autem non talis corporis passiones, sed ex abstractione, Mathematicus, quòd etiam habetur tertio de Anima 11. & 35. vbi inquit, quæ verò ex abstractione dicuntur, per hæc Mathematica intelligens. tum quia sexto Met. 2. eadem præcisè ratione uti videtur, inquit enim, Naturalis non considerat id quod se habet vt concauum, hoc autem abstractum est. certum est autem quòd concauum abstractum est à materia secundum rationem tantum, & ex hoc infert, quòd naturalis non debet omnem animam contemplari ut intellectum, quasi vtatur loco à maiori negatiuè, si naturalis considerare non potest id quod se habet vt concauum, quod est abstractum à materia secundum rationem tantum, ergo multo minus cõsiderare poterit intellectum, qui & secundum esse, & secundum rationẽ à materia solutus est, ijs itaq; de causis secundam expositionem quę non ità animaduersa est, veriorem censeo, & magis ad Arist. quam si cognouisset Mirandulanus de necessitate huius rationis minimè dubitasset, & hæc circa has Aristotelis rationes dicta sint satis.

Actus duplex est, primus vt scientia, secundus vt considerasse.

Distinctio hæc de duplici actu ab Arist. 2. lib. de Anima contex. 2. & 5. qui cum non satis verbis quid vterque foret, explicarit, non paruam eius interpretum animis ambiguitatem reliquit. fuit ferè omnium expositorum consensus, quod actus primus substantia sit, actus autem secundus functio, & operatio, quæ ab ipsa substantia proficiscitur, quæ opinio ad hæc vsque tempora percrebuit. Sed quamuis grauissimorum virorum hęc extiterit opinio, attamen falsa est, & ab Arist. aliena, quod ita probatur, indagaturus Aristoteles communem animę definitionem substantiam in materiam, formam, & ex vtrisque compositum diuisit: cum autem materiam potentiam esse, formam autem actus declarauerit, mox actum subdiuisit in primum & secundum. iam verò ille actus diuiditur qui substantia est, quoniam is diuiditur, qui est membrum condiuidens substantiam, sed substantia in substantiam & accidens minimè distribuitur, cum membra diuidentia participare debeant naturam diuisi: ergo vterque actus & primus & secundus substãtia est, & consequenter actus secundus non est operatio & accidens vt cõmuniter aiunt, cæterum moderniores quidam, vt communem tueantur errorem, huic rationi, ita respondent, quòd actus qui ab Aristot. diuiditur non est àctus substantialis, sed est actus in communi ad substantiam & accidens. si quidem formam substantialem describens inquit,

quit, quòd actus est, qui latior, & fusior est quàm sit forma substantialis, vnde actum qui formæ substantialis genus est in primum & secu- dũ diuisit, & hic in substantiam & accidens bene partiri potest. sed quòd isti hallucinentur, & quæ ab Aristotele dicuntur parum intelligant ex contex. 5. ita probatur, cum in tex. quarto Philosophus probasset, quòd anima non est corpus, quoniam corpus non est in subiecto, Anima verò in subiecto est, in principio contextus quinti Animæ, colligens definitionẽ, inquit, Anima substantia est, substantia autem actus, actus autẽ qui huiusmodi corporis est, hic autem duplex est, primus & secundus. perpendo hęc Aristotelis uerba, cum inquit. Anima substantia est, substantia autem actus, hic autem duplex, ergo diuiditur ille actus qui substantia est. quoniam inquit, substantia actus. his autem qui substantia est diuiditur in primum, & secundum. actus itaque substantialis, non autem qui communis est hoc in loco diuiditur: perpendo u super verba sequentia, cum dicit, Actus autem est corporis organici, hic autem duplex est. vnde ille actus diuiditur, qui est actus corporis organici, sed hic non est actus in communi ad substantiam & accidens, sed actus substantialis: ergo hic, & non qui communis est, vt aiunt, ab Arist. diuiditur. cum itaque actus substantialis diuidatur in primum & secundum, ergo & primus & secundus substantia est: accedit quòd si actus secundus operatio est, & accidens, tunc diuisio actus facta ab Arist. in primum, & secundum minimè necessaria fuit. probatur consequentia, quia diuisio actus in primum & secundum non ob aliam causam necessaria erat, & ab Arist. facta fuit, nisi vt determinaretur, quòd anima est actus primus, & non secundus: iam verò si actus secundus operatio est, tunc cognito & habito in prima diuisione quòd anima est substantia, cognitum fuit quod anima non est accidens, & per consequens operatio, et ita quòd est actus primus, & non secundus. & proinde diuisio actus in primum & secundum superuacanea fuisset: melius ergo cum Auer. dicendum, qui solus hac in re Arist. est assequutus, quòd & actus primus, & actus secundus est forma substantialis à seipsa duntaxat ratione distincta: dicitur enim actus primus quatenus non operatur, & propterea Aristoteles ipsum describens assimilauit somno, qui est habere & non operari, vt cum quis scientiam habet & non operatur. Secundus autem dicitur, vt operatur, propterea Arist. ipsum vigilijs assimilauit, & contemplari, vt cum quis scientiam habet, & cõtemplatur, quare actus primus est forma non operans, actus autem secundus est forma operans: & hęc est vera & germana Aristotelis sententia, ex quo sequitur quòd substantiæ illæ separatæ, cęlique motrices non sunt actus primus, quia nun-

quam

quam à suo opere feriantur, aut quiescunt, & consequenter sub communi animæ definitione tradita in secundo libro, quæ est actus primus corporis potentia vitam habentis, minimè continentur, quicquid dixerit Achillinus & nonnulli recentiores, quod ex eo confirmari potest, quoniam ea anima definitur quæ est actus illius corporis habentis vitã, quod ponitur in diuisione corporum naturaliũ in tex. 3. vbi Philosophus posita diuisione in contex. 2. entis, pariter & substantię in materiam, formam, & compositum ex vtrisque, in contex. 3. diuisionem ponit corporis naturalis in non habens vitam, & habens vitam, sed huiusmodi corpus vitam habens illud est, quod per seipsum nutritur, & augetur vt ab Arist. eodem loco describitur, tale verò est corruptibile, & cui ad vitam cibi præsidio opus est. igitur definitur anima corporis viuentis corruptibilis. & quoniam, vt inquit in tex. 6. idem est vitam habens, & organicum: igitur definitur anima, quæ est actus corporis corruptibilis organici, quamuis neq; cæleste corpus, corpus organicum dici possit, quia vt ex eodem context. 6. colligitur, corpus organicum illud est, quod diuersas habet partes destinatas ad exercendas diuersas animæ functiones & opera: vnde ex hoc fructices & plantas corpora organica esse ostendit, quia differentes atque diuersas habent partes ad diuersa obeũda munera destinatus, vt folium gratia frictiferi, hoc autem gratia fructus, radices verò ori persimiles ad alliciendum nutrimentum à terra, quo etiam modo corpus organicum definiuit Alex. Aphrod. primo de Anima cap. 4. neque diuersitas partium secundum rarum & densum in cęlesti corpore existens corpus organicum facit, vt cẽsuit Achill. alioquin & simplicia corpora cum secundum rarum & densum diuersas habent partes, corpora organica dici deberent: solum itaque sub ea animæ definitione, vt etiam Græci omnes tenuere interpretes, generabilium & corruptibilium anima continetur, quæ est actus primus, & quandoque à suo opere conquiescit. cæterum hoc in loco dubitatio sese offert, quia si anima est actus primus corporis organici, actus autem primus est forma non operans. igitur anima vegetalis cum semper operetur, nec vnquam à suo munere conquiescat, sub definitione animę non continebitur, quod Aristoteli aduersatur in tex. 7. vbi sic inquit, si autem aliquod cõmune in omni anima dicere oportet, erit utique actus primus corporis naturalis organici. quam dubitationẽ animaduertens Auerroes in Com. 5. ita respondet, quòd anima vegetalis non semper operatur, nec semper nutrit, vt in his animalibus contingit, quæ hiberno tempore in lateribus degunt, quæ quidem cum extrinsecus nutrimentum assumant, non videntur nutriri, idcircò cum & ipsa vegetalis quandoque a propria operatione vacet,

ne vacet, sicut & aliæ animæ partes, propterea actus primus est, & sub definitione animæ continetur. verum solutionem hanc falsam esse percipiens cum ex Aristo. primo de Gener. 14. animal nutriatur quousque viuit, licet non semper augeatur, & quies animæ nutrientis à sua operatione est mors: ea propter secundam tradidit responsionem, quæ huiusmodi est, quod actus in definitione animæ non dicitur vniuocè, sed æquiuocè: respectu enim sensitiuæ, & intellectiuæ dicitur actus primus, respectu autem vegetalis dicitur actus secundus. vnde actus primus in definitione accipitur respectu quorundam, videlicet animæ partium. sed ista quoque responsio falsa est, quoniam Philosophus in text. 7. inquit, quòd si aliquod in omni anima dicere oportet, erit vtique actus primus corporis Phisici organici. vult itaque quòd actus primis omni animæ communis sit, & proindè actus in definitione animæ non accipitur æquiuocè, vel vt est communis actui primo, & secundo, vt inquit Auer. sed contractus ad actum primum qui competit omnibus animæ partibus, vt inquit Aristoteles. secus itaque dubitatio persoluenda est. verum vt solutio planior fiat, sciendum, quòd vegetalis anima tres habet operationes, nutrire, augere, & sibi simile procreare, ad quas non eodem modo sese habet: nam respectu nutritionis semper operatur, sed respectu aliarum non semper: non enim semper auget, nec semper generat, sed ad certum, statutumque tempus. tunc dicendum quòd licet respectu nutritionis actus secundus sit, respectu tamen aliarum vt generationis, & incrementi est actus primus, cum isthæc non semper exerceat opera, & id satis est ad hoc, vt sub animæ definitione contineatur, cum etiam actus primus de vegetali anima verificetur: quòd si quispiam instet ab his animalibus argumēto desumpto quæ hiberno tempore in latebris degunt, & ex morbo illo qui atrophia, hoc est nutritionis priuatio dicitur, vegetalem animam à nutritione quandoque feriari, ac proinde respectu nutritionis etiam actum primum esse. respondemus, & primum quidem sic dirimitur, quòd huiusmodi animalia quæ per hiemem in latebris degunt, licet nutrimentum extrinsecum non assumant, nutriuntur tamen nutrimento interno, quod quidem æstiuo tēpore uoracius acceperunt, quod præcaloris imbecillitate digerere non potuerunt, vndè in ipsis colluuies quædam indigesti humoris colligitur, in cuius coctionem dum in latebris iacent, innatus calor potissimum incumbit, & concoquit. id autem pro eo tempore satis esse uidetur, quoniā naturalis calor eorū qui ēt ingruente frigore imbecillior redditur, nō nisi longiore tempore illud cōficere, & in corporis substantiā cōmutare potest. & hunc in modum Aristot. dictum secundo de Anima 24 intelligi

volo, cum inquit, quòd animalia tandiu nutriuntur, quandiu nutrimentum habent, videlicet tam intrinsecum, quàm extrinsecum. Secundum quin etiam de atrophia facilem explicatum habet: nutritio enim bifariam capi potest vno modo pro integra & perfecta alimenti conuersione in substantiam eius quod nutritur: alio modo pro qualibet alimenti mutatione, & conuersione, tunc dicimus quòd si nutritio primo modo accipiatur animantia non semper nutriuntur, vt in atrophia contingit, & in extremo: si verò secundo modo, nutritio ab initio vitæ ad postremam vsque diem animantia prosequitur, & in atrophia perdurat, & ab hac intelligitur illa Aristotelis propositio, animal quousque viuit, nutritur. Sed quoniam de nutritione, & nutrimento mentio facta est, nec satis conspicuum sit, quando nutrimentum actu nutrimentum est, aut actu nutrit, vel quando dissimile est, vel quando iam simile factum est: ideò res ista sequenti cap. dilucidabitur.

Anima est actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis.

QVONIAM *concoctio à naturali calore in viuentibus citra animæ opem, quæ princeps causa est, expleri minimè potest: eapropter de anima orationem habiturum necessitas cogere videtur. quia verò in aliqua re pertractanda à rei natura auspicandum est, quæ per definitionem exprimitur; idcircò animæ definitionem, quæ 2. de anima contex. 6. ab Aristotele scribitur; ego expendam: quæ licet obscura, nimisque inuoluta sit, pro viribus tamen ipsam explicare conabor. in ea autem explicanda, perpendam primò, quæ anima eo loci ab Aristotele definiatur, mox definitionem considerabo, & vnde singulæ partes deducãtur; explicabo, tertiò, quo discrimine à secunda definitione distinguatur, quæ eodem libro cont. 24. ab Aristote. ponitur, & quænam fuerit secundæ definitionis necessitas, declarabo. Quo ad primum, plerique tam veteres, quàm moderni arbitrati sunt animam ab Aristotele definitam eam esse, quę principium est animati corporis in communi ad stirpes, & animalia, ex quo postea deduxerunt, animatum corpus in libris de anima subiectum esse, cum ex Aristotelis decreto illud subiectum statui debeat, cuius principia quæruntur, & causæ: cęterum sententia hæc ab Aristotele dissentit: si quidem ea anima definitur, de eaque in libris de anima tractatio habetur, de qua primo de animal. partibus cap. primo Aristoteles disserere instituit. iam vero eò loci de anima, quæ animalium forma, & principium est solum disserere proposuit,*

fuit, quòd ex Aristotelis discursu sub initium illius libri facilè intelligi potest, vbi sic inquit, cum in his libris, qui de animalium historia inscripti sunt, rudi quadam cognitione, & per modum historiæ de animalibus habita fuerit oratio, nunc exacta magis animalium cognitio tradenda est. sed quoniam perfecta animalium cognitio ea proprijs ipsorum principijs habetur, quæ sunt materia, & forma: ideo de his agendum. cęterum quia materia proxima sunt partes tum similes, tum dissimiles, forma vero animalium est anima, ideo de partibus animaliũ, eorundemque anima dißerendum est, quòd etiam ad memoriam reuocauit primo de anima contex. 2. inquiens, de anima quidem dißerere oportet, animalium enim principium est, itaque anima, quæ animalium principium est, & forma 2. de anima ab Aristotele definita fuit. non autem corporis animati, sed quoniam sub communi animalium anima vegetalis quinetiam continetur, quæ stirpium forma est, eapropter ex euentu stirpium anima definitur, de eaque ex accidenti in libris de anima pertractatur, quę fit, ut multò probabilius dixerint illi, qui afferuerunt animal in libris de anima subiectum esse, quam qui animatum corpus: tametsi nec una nec altera mihi probetur sententia, ex quo Aristotelis instituto illud etiam palam est, sub anima ibi definita neq; cęli animam contineri, cum ea definitur tantum, de qua primo partibus tractare proposuit, quę animalium tantum est, quæ ex partibus similibus, & dissimilibus coalescunt. quod etiam illud persuadet: quoniã anima illa definitur, quæ actus est illius corporis organici, quod in diuisione corporis naturalis acceptũ fuit in cont. 3. siquidem in definitionis compositione illa mẽbra accipiuntur, quæ in diuisione assumpta fuere, iam verò in diuisione corporis naturalis acceptũ fuit corpus organicũ, quod nutritur et augetur. igitur anima quæ definitur actus est corporis organici, quod aliter, & ex cõsequẽti animalis quod oritur, & interit: accedit ad hoc, quod cęlum non est corpus organicum: siquidem corpus organicum illud est, quod diuersas partes habet complexione, figuraq; disiunctas, ad diuersas functiones à natura delegatas. vt 2. de anima colligitur cont. 6. vbi philosophus probat stirpes corpora organica eße. quoniam diuersas habet partes ad diuersa munera obeunda: frondes enim habent ad cooperiendum fructiferum. hoc vero verò ad protegendum fructum. radices quinetiam ad alliciendum alimentum, à terra, iam verò cęlum diuersas partes minimè habet figura, & complexione distinctas ad diuersas operationes exercendas: tum quia cęlum diuersas operationes non habet, quæ corpus organicum, partiumque difformitatem expostulent, cum vnico moueatur circulari motu, quippè qui partium complexione differentium veritatem non

requirit, tum quia cęlum corpus simplex est, non secus, ac elementa, vt primo cęl. contex. 7. decretum fuit. sicut igitur elementa corpora organica non sunt, sed cōsimilium, partium pariter nec cęlum. Vnde qui cęlum corpus organicum esse affirmant, neque organici corporis naturam, neque eius necessitatem intelligere videtur. & licet cęlum partem raram, partemque densam habeat, huiusmodi tamen diuersitas corpus organicum non constituit, cum & in elementis hæc partium differentia reperiatur, quamobrem cum anima cæli sub anima ibi definita non contineatur, superest ergo animalium tantum animam ab Aristotele definiri.

Dubia quædam circa dicta, & eorum solutiones.

SED circa ea quæ dicta fuerunt duæ occurrunt difficultates. prima est, quoniam si cęlum corpus organicum non est, sed simplex, suisque in partibus consimile, non secus ac elementa, igitur anima cęli erit actus corporis similaris, & homogenei, sicuti & forma elementorum; quod non videtur rationi consentaneum esse. Quoniam cum anima cęli sit multò nobilior, quam forma elementi, ei quinetiam corpus, & instrumentum nobilius, altiorisque conditionis conuenire debet. siquidem corpus ipsi formæ proportione correspondere opus est. Altera dubitatio est: quoniam si anima cęli in libris de anima non definitur, neque considerãtur, igitur tractatio de anima cęli in naturali philosophia ab Aristotele prætermissa videtur, cum tamen eius tractatio in ea sciẽtia apprimè necessaria sit. nam cum scientia naturalis cęlum, quod corpus naturale est, ex duabusque naturis concretum, vt ex materia, & forma contempletur; igitur, & materiam, & formam cęli pro exacta eius notitia contemplari debet. Cum autem eius forma anima sit, igitur & animam cęli naturalis scientia considerare debet. soluimus, & ad primam dicimus. Animam cęli, formamque elementorum corpus simplex, & homogeneum sortitas esse, enimuerò formæ in triplici ordine sunt: aliæ enim corporum inanimorum formæ sunt: aliæ verò formæ corporum animatorum mortalium: reliquæ verò formæ corporum animatorum immortalium. hæ autem, ita se se habent, quod formæ inanimatorum, & animatorum immortalium, vt corporum cęlestium, corpus homogeneum, partiumque consimilium sortitę sunt. Anima verò, & forma viuentium mortalium corpus organicum, diuersisque partibus insignitum sibi vindicauit, cuius ratio ea est, quoniam cum formæ corporum inanimatorum, & formæ corporum cęlestium multiplices non habeant

operationes,

operationes, quæ partium diuersitatem expostulent. sed quę per eandem partem exerceri possunt, idcirco corpus organicum neque necessarium fuit, neque sibi à natura accommodatum. anima uerò uiuentium mortalium quoniam multiplices operationes habet; vt nutrire, generare, uidere, audire, & id genus alia, quæ per eandem partem expleri non poßunt. non enim audire per oculos, aut videre per aurem fieri queunt: ideò corpus organicū, diuersasque partes habens, sibi necessarium fuit, enimuerò corpus in gratiam animæ factum, vt 2. de anima contex. 37. Aristoteles declarauit, sed licet formæ inanimatorum, corporumque cęlestium corpus homogeneum sortitæ sint, id tamen non propter eandem rationem competit illis non formæ cęli propter eius perfectionem corpus homogeneum tributum est, formæ verò corporum inanimorum propter imperfectionem, siquidem in æternis forma quo perfectior est, eo pauciores operationes habet, quæ in mortalibus verò quo imperfectior, eò pauciores habet operationes. vnde anima sentiens quoniam vegetali perfectior est, ideo plures operationes habet, vegetalis quoniam perfectio est forma elementorum, ideo plures sortita est operationes, quam forma elementi. insuper licet corpus homogeneum vtrique formarum generi accommodatum sit, non tamen utrunque parem dignitatis conditionem sortitum est. Corpus enim cęleste æternum est, transmutabileque vno excepto motu secundum locum: corpora vero inanima caduca sunt, & secundum substantiam, & secundum qualitates transmutabilia, & hæc de prima. Ad secundum autem dicimus, quod licet anima cęli in opere de anima non consideretur, nō propterea ab Aristot. eius tractatio prætermißa fuit, siquidem de ea in 8. lib. de Physi. auditu habita fuit, oratio. Nam cum cęleste corpus ex corpore constet, & anima, secundum partem corporem in libris de cęlo pertractauit, de ipsius verò forma, & anima sub ratione animæ, & naturæ in 8. lib. physi. disseruit. notanter dico sub ratione animæ, & naturæ, quoniam intelligentia bif. considerari potest. vno modo, substantia quædam abstracta, purus actus, atque intelligens, vt nullam ad materiam habitudinem habet: alio modo vt anima, & natura, vnionemque habet ad corpus primo modo 12. primæ philosophiæ consideratur, cuius quidem munus est formas contemplari, vt abstractæ sunt à materia, & secundum esse, et secundum definitionem, authore philosopho 6. metaf. cont. 1. secundo autem modo in 8. lib. physic. consideratur: nam de ratione naturæ est vt sit principium motus in eo, in quo est. vt 3. physi. legitur contex. 3. de ratione autem animæ est, vt sit corporis actus, eique vitam largiatur. cum autem in 8. lib. physi. anima cęli, vt principium internū motus circularis

consideretur, vtque cælesti corpori motum ęternum largitur, qui vnus est ex vitæ gradibus. vt 2. de ani. contex. 13. Aristoteles declarauit: igitur anima cæli intelligentiaque in 8. lib physi. vt anima, & in quantum natura consideratur, secundum quem diuersum considerandi modum octauus liber phys. distinguitur à 12. metaf. penes contemplationem mouentis æterni, & hoc pacto philosophus naturalis, qui considerat cęleste corpus, quod est corpus naturale concretum ex materia, & forma, considerat quinetiam materiam, & formam cęli, prout videlicet est anima, habetque rationem naturæ.

Animæ definitio explicatur, nec non vnde eius particulę deducantur.

Q*Voniam in cuiuslibet rei definitione, aliqua ex parte generis, aliqua verò ex parte differentiæ necessariò reperiri debent, ea propter Aristoteles communem animæ definitionem exploraturus à diuisione eorum incæpit, quæ generis locum tenent, substantiam diuidēs in materiam, formam, & compositum, nec non actum, in primum, & secundum, in cont. autem tertio differentiam exploraturus, corpus naturale diuisit, in viuens, & non viuens. cum autem in cont. 4. ostendisset animam formam esse, animæ definitionem ita deduxit. [Necesse est ergo animam substantiam esse sicuti formam corporis naturalis potentia uitam habentis] in qua sanè definitione aliqua generis, aliqua verò differentiæ locum tenent, quæ generis locum tenent hæc sunt: substantia actus siue forma, & actus primus, in quibus anima cum formis corporū inanimorum etiam conuenit, enimuerò forma ignis substantia est, & actus primus, quod verò differentiæ vicen subijt, est, (corporis potentia uitam habentis,) quo a formis inanimorum anima ipsa diuellitur, quæ pro intellectu huius definitionis à nobis explicanda sunt, & primum, vt à genere exordiamur, animam substantiam esse, vt ostensum accepit Aristoteles in primo lib. contra veteres, vbi probauit animam neq; quantitatem, & numerum esse, neq; qualitatem, aut relationem esse: secundo id accepit ex prima nostra cognitione naturali, vt inquit Auer. in 2. lib. com. 2. hoc est ex operibus ipsis, ex quibus, veluti ex his, quæ primum sensibus nostris obuia sunt: prima nostra cognitio proficiscitur. Nā intelligere, & sentire, quæ intellectus, & sensus opera sunt, ab accidēte prodire non possunt, ita vt dicamus, accidens intelligit, aut sentit, neque nutritio ab accidente primariò proficisci potest, cum nutritio ad substantiam mutatio sit, vt carnes, & ossa: substantia verò ab accidente præ-*

præcipuè promanere non potest, cum nihil agat vltra proprium gradū, neque imperfectam proprijs viribus aliquod præstantius procreare possit, quamobrem cum opera hæc ab anima proficiscantur, anima necessariò substantia esse debet, tandem ex eo deducitur, quoniam accessu animæ animantis substantia constituitur, eaque sublata animantis substantia aufertur, solaq; figura relinquitur non secus ac lapideum, & depictū, illud verò ex cuius accessu rei substantia oritur, & ex eiusdem ablatione aufertur substantia est, vt ipsemet declarauit eo 2. lib. contex. 9. igitur anima proculdubio substantia est. Sed quoniam substantia tripartitò diuiditur, in materiam, formam, & compositum, anima neque compositum est, neq; materia, sed substantia, quæ est actus, & forma. quod in contex. 4. philosophus hac ratione deduxit, corpus viuens, & compositum non est in subiecto, sed potius vt materia, & subiectum. Anima est in subiecto: igitur non est corpus compositum: eademq; ratione probatur, animam materiam non esse: cęterum hæc Aristotelis ratio non satis firma esse videtur: quoniam animam eße in subiecto, quòd alioquin ostensione eget, ab Aristotele non probatur: respondeo huius propositionis probationem in illa propositione tacitè contineri, quæ in calce contextus tertij ab Arist. aßumitur, videlicet (corpus viuens compositum esse,) nam cum corpus viuens compositum sit, igitur ex corpore compositum est, & ex aliquo, per quod viuit, sed id quo viuit, cum corpus esse non possit, alioqnin omne corpus viueret, id igitur anima erit, itaque corpus viuens ex corpore, & anima compositum erit, quare in corpore anima continetur, ac proinde anima in subiecto reperitur, potest quinetiam ex operationibus ostēdi animam formam eße. enim vero agere, & operari formæ attribuitur, sicuti paßio materiæ, vt etiam scribit Aristoteles 1. de ortu contex. 55. & 2. libro contex. 52. cum igitur viuentis corporis opera ab anima proficiscantur: quoniam ea sublata, quamuis corpus ipsum supersit, quàm primum viuentis opera auferūtur: igitur anima actus, & forma erit, qua probatione vsus fuit Aristo. secundo illo de anima context. 24. cæterum circa illud, quod nuper dictum fuit, animam in subiecto esse, nollem quempiam suspicari animam substantiam non eße, quoniam, vt Aristoteles in antepradicamentis decreuit, illud propriè in subiecto est, quod est in alio, & non est pars alterius. adde etiam, quod per subiectum non constituitur. iam verò anima substantiæ pars est, subiectumque constituit in actu, ea propter in subiecto propriè non est, sed verius dicitur esse in materia, vt Græci interpretes declararunt. cæterum cum actus duplex sit primus, & secundus, quis actus sit, nunc considerandum est.

Quid

Quid sit actus primus, & secundus, vtrumve anima sit actus primus tantum.

INterpretes omnes, vno excepto Auerroe, concordes dixerunt actũ primum formam esse, & substantiam, à qua operatio proficiscitur. actum verò secundum operationem esse, tum aiunt animam actum primum esse, hoc est, substantiam, non autem actum secundum, vt potè operationem. Non possum certe hac in re tot sapientum ingenia non maximè admirari; quoniam secundum sententiam hanc, præter id, quod definitio hæc esset redundans, esset quinetiam ridicula, & puerilis. Redundans quidem: quoniam secundum communem expositionem verba Aristotelis hunc sensum facerent. Anima est substantia, quæ est actus primus, idest qui substantia est. iam verò cum Aristoteles acceperit in definitione primum animam substantiam esse, superuacaneum fuit statuere postea esse actum primum, hoc est substantiam esse, in dubiumque reuocare, an sit actus primus, vel secundus, hoc est substantia, vel operatio. Ecquis obsecro, vnquam fuit, qui dixerit animam operationem esse, ita ut opus fuerit Aristotelem ostendere animam operationem non esse, sed substantiam? ridicula insuper esset definitio hæc. nam hic sensus esset. Anima est substantia, quæ est actus primus. idest anima est substantia, quæ est substantia, quo certè nihil absurdius dici potest. & licet moderniores quidam philosophi aduersus nos communem hanc sententiam mordicus defensare conentur: tamen nil firmi, nilue solidi dicunt, vt vnusquisque rationes nostras, ipsorumque responsa in quibusdam ipsorum placitis de anima, prioreque nostrarum dilucidationum libro perlegerit, facilè diju dicare potest.

Dilucidatio.

EA propter, secus dicendum puto actum primum esse formam non operantem. actum verò secundum eandem formam esse, vt in operatione uersatur. vt cumulatè alibi a nobis ostensum fuit. colligitur quinetiam eo secundo de anima contextu 5. vbi philosophus actum primum discribens, inquit, sicuti somnum esse, qui est habere, & non operari: igitur actus primus est habitus, & forma non operans. & cum actus secundus à primo contradistinguatur, sicuti actus primus est forma non operans. vigilijs ab Aristotele comparatur. & licet Aristoteles dixerit actum secundum esse sicuti contemplari, quod operatio est, non propterea

reà ex his verbis colligi debet, actum secundum operationem esse. quoniam si in verbis illis facienda est, igitur & actus primus accidens erit, siquidē Arist. ipsum scientiā appellat. quæ accidens, & qualitas est. sed Aristoteles actum secundum contemplari assimilauit. quoniam cum actus secundus forma operans sit, eiusque ratio in operatione consistat, idcirco contemplari, vigilijsque ipsum comparauit, energiamque appellauit, sicuti & 3. de anima contextu 19. intellectum agentem energiā etiam appellauit. non quia intellectus agens operatio sit. sed quoniam ratio intellectus agentis, vt agens est, in actione, & abstractione consistit. statuitur autem ab Aristotele anima actus primus corporis, idest forma non operans. sed aduertendum, quòd licet Aristoteles statuat esse actum primum corporis viuentis, non propterea inficiatur animam, eiusdem viuentis actum secundum esse. vt facile ex eo contex. 5. colligi potest. vbi philosophus ait. [quoniam enim anima inest, somnus & vigilia inest.] quasi dixerit. siue animal operetur, vt in vigilijs, siue non operetur, vt in somno, semper anima adest, & corporis actus est. sed cum non operatur est actus primus. cum verò operatur est actus secundus, igitur anima est uiuentis corporis actus tàm primus, quàm secundus. Causa verò cur Aristoteles dixerit animam esse actum primum, non autem secundum duplex. vt arbitror, fuit. prima est, quoniam si Aristoteles statuisset animam actum secundum, formamque operantem, facilè quispiam suspicari potuisset animam tandiu corporis uiuentis actum, & perfectionem esse, quamdiù operatur. cum autem non operatur corpori uiuenti coniunctam non esse: quę certè suspicio non contingit, si anima actus primus dicatur. nam si anima est actus primus, & cum non operatur, nulli dubium est, esse etiam actum secundum corporis. & cum in operatione versatur, & hoc voluit dicere philosophus in cont. 5. si rectè cōsideretur: vel secundo dici potest. dixisse animam esse actum primum, & non operantem, non autem actum secundum, vt indicaret esse, et rationē animæ nō consistere in operando, sed vt sit principiū operandi, actusque corporis siue operetur, siue nō operetur. & propterea philosophus animam scientiæ, & habitui cōparauit; cuius ratio non consistit in operādo, sed ut operationis principium sit, siue operetur, siue non operetur. Iam verò si dixisset animam actum secundum, & operantem corporis esse: suspicio statim oriri potuisset; animæ rationem in operando constitutam esse; ad remouendam ergo suspitionem hanc, dixit animam esse actum primum: corporis; non autem secundum. quamuis, & actus secundus dici possit. actus verò, qui in hac definitione accipitur de animæ speciebus non vniuocè, sed analogicè, vt dici solet, prædicatur. & hæc sunt,

quæ in hac definitione generis locum tenent, nunc ultimam partem perpendo, quæ differentiæ locum tenet.

Quid sit potentia vitam habens, & vndè deducatur.

CVM definitio ex differentia potissimum suas vires habere videatur, eapropter cùm hactenus ea declarasset, quæ generis vicem gerunt, ijs vltimam partem adiecit quæ differentiæ rationem habet, inquiens, anima est actus primus corporis, potentia vitam habentis, sed quid per hoc Aristoteles intellexit, non satis conspicuum est. puta. D. Thomas per potentiam vitã habens, intelligere corpus, quod est in potentia ad animam, ità vt sensus sit. Anima est actus corporis potentia habentis vitam hoc est in potentia ad animam, ità vt vita pro anima accipiatur: Sed expositio hæc contra se Aristotelem habet. qui in cont. 10. particulam hanc declarans, sic inquit, [Non est autem, potentia vitam habens, quod abiecit animam, sed quod ipsam habet, semen autem & fructus huiusmodi potentia est,] quibus uerbis apertissimè ostendit. quod potētia uitã habens nõ intelligit id, quid vacat anima, sicuti semē, qđ est in potētia ad illã; sed quod actu uiuēs est, actuq; animã habet, & licet ēt id Arist. ità apertè nõ declarasset, ex eius progreßu hoc pacto cõprobari potest. Illud corpus naturale potentia vitã habēs in definitione animæ accipitur, quod in diuisione corporis naturalis in cont. 3. ab Aristo. acceptum fuit. Non enim ob aliam causam ibi diuisio corporis naturalis posita fuit, nisi vt hæc particula inueniretur, quæ in definitione differentiæ vicem subit. iam uerò eo loci corpus naturale viuens accipitur, quod compositum est, quodùe principium habet internum, quo alitur, & augetur, vt ibi ab Arist. describitur. igitur & in animæ definitione corpus naturale viuens accipitur. quod compositum est ex corpore, & anima, cui sanè progressui videat D. Thomas quomodo cõsentiat Aristotelis declaratio in cont. 10. nuper allato, eapropter ab Aristotele ipso non recedentes dicimus, quòd [potentia vitam habens] pro eo intelligitur, quod actu viuens, & animatum est. sed est potentia ad uitam, idest ad operationes vitales, ita ut uita pro uitalibus operationibus accipiatur, sicut 2. de anima accepit Aristoteles cont. 13. ubi uitam in quatuor gradus partibus est nutriri, sentire intelligere, & moueri secundum locum, sensus ergo is erit, anima est actus primus corporis naturalis animati, quod potentia est ad exercenda munera uitæ, sicut etiam declarauit Alexander secundo suæ paraf. de anima ca. 5. ex quo sequitur animam per materiam, et per corpus non definiri,

quod

quod eſt altera pars compoſiti, ut falsò arbitrantur nonnulli; ſed per compoſitum, & corpus animatum. Nam cum animo non primò reſpiciat materiam, ſed compoſitum, & formatum, cuius eſt, quod quid eſt, reſpicit iurè anima per corpus animatum tanquam per eius effectũ, quem primò reſpicit, definiri debet. ſed ſtatim ea oboritur dubitatio, quam mouet Alexander 2. naturalium quæſtionũ cap. 8. quoniam ſi anima per corpus actu uiuens actuque animam habens definitur, igitur idem per idem, ut anima per animam definiretur. quoniam in definitione ipſius ponitur id, quod animam habet, quicquid huic dubitationi dixerit Alexander, cuius ſolutiones eo loci unuſquiſque per ſe ipſum legere poterit dixerim ego. quod licet anima per corpus actu animam habens definiatur, non tamen idem per idem definitur. quoniam anima non per ipſammet, ſed per corpus animatũ ſicut forma per ſuum formatum, & cauſa per ſuum effectum definitur. iam uero corpus animatum non eſt anima, ſicut neque formatum forma eſt. licet formam ipſam includat, ſicut etiam cum dicitur, lux eſt actus, & perfectio corporis lucidi, et calor perfectio eſt corporis calidi, idem per idem nõ definitur, ſed abſtractum per concretum. & cauſa per effectum. Sed undè hæc particula [Potentia uitam habens] deducatur, dubium eſt. & quod dubitationem adauget, illud eſt, quoniam philoſophus in tex. 4. cum oſtendiſſet animam formam eſſe, ſtatim definitionem concludit, inquiens.

Neceſſe eſt igitur animam ſubſtantiam eſſe ſicuti formam corporis potentia uitam habentis] ſed quomodo ſequatur id, & undè, anima eſt actus; igitur eſt actus corporis potentia uitam habentis, non leuis eſt dubitatio, deducitur ut mea fert opinio, ex propoſitione, quæ in calore contextus tertij ab Ariſtotele accipitur. cum inquit, [quare corpus uiuens compoſitum eſt] deducitur autem hoc pacto, corpus uiuens compoſitum eſt. cum autem per corpus non uiuat, alioquin omne corpus uiueret. componitur igitur ex corpore, & ex aliquo alio per quod uiuit. cum autem uiuere functio & opus animæ ſit, igitur corpus uiuens ex corpore componitur, & anima, per quam uiuit, ex quo huiuſmodi connexum fieri poteſt. Quo huiuſmodi particula colligi ualet, id quo corpus uiuens, uitam habet, actus eſt, & perfectio uiuentis, & habentis potentia uitam, ſed anima id eſt, quo corpus uiuens uitam, habet. Hinc Ariſtoteles concludit. [Neceſſe eſt ergo animam actum eſſe, & formam habentis potentia uitam] ſed quoniam idem eſt potentia uitam habens, & corpus organicum. ut in contextu 7. his uerbis Ariſtoteles declarauit. [Quodcunque autem potentia uitam habens eſt. tale organicum eſt] propterea hoc ipſo contextu animam per cor-

Aristoteles, vt indicaret, quòd licet anima actus sit corporis organici; ipsum tamen non perficit. nec in eo conseruatur, nisi calore naturali affectum sit, quo quidem sublato, vita quamprimum corruit, & anima ab animato corpore statim dissoluitur. & proindè eodem libro de morte, & vita, caloris incolumitatem vitam esse ab Aristotele dictum fuit. sed cum iam satis hanc animæ definitionem explicasse videar, nunc in ordine postremum aggredior.

Quo discrimine prior animæ definitio à secunda distinguatur, quæ tradita est in contextu 24. quæue fuerit secundæ definitionis necessitas.

CVM primam hanc, quam exposuimus, animæ definitionem Aristoteles tradidisset, cõmunem aliam eiusdem animæ definitionem in contextu 12. peruestigare aggressus est, sic inquiens, [tentandum est iterum sic aggredi de ipsa] quam posteà in contextu. 24. in medium attulit, quæ huiusmodi est, anima est principium quo primo viuimus, sentimus, intelligimus, & mouemur loco. sed quoniam non satis constat, quo discrimine a priore seiungatur, quaue de causa allata fuerit, eapropter id breuiter explicandum est. porrò, posterior animæ definitio à priore distinguitur. quoniam prior in ordine ad corpus tradita est, quod ab ipsa perficitur. posterior verò in ordine ad operationes, quò fit, vt prior animæ definitio substantiam exprimat, posterior verò ipsam, vt natura est, declaret. enimuerò ipsam describit, vt operandi principium est. iamuerò vt principium operandi, natura est, siquidem naturæ ratio in hoc consistit, vt sit motus principium in eo, in quo est, vt 2. physi. contextu 3. Aristoteles declarauit, quæ duo de anima explicanda proposuit Aristoteles primo de anima contextu 3. cum inquit. inquirimus enim animæ substantiam & naturam contemplari. propterea duas animæ tradidit definitiones, quarum vna substantiam, altera verò naturam respiceret. posterior tandem à priore diuellitur. quoniã prior solũ, quia est, declarat, posterior verò propter quid, causamue prioris assignat: quam sanè differentiam ipsemet Aristoteles in contextu 2. bis uerbis declarauit, [non solum enim, quia est, oportet rationem definitiuam ostendere, sed etiam causam demonstrare] cum autem prior animæ definitio solùm, quia est, declaret, altera quidem exploranda est, quæ tradat propter quid, vndè prior animæ definitio demonstrationis conclusio est. Secunda verò demonstrationis principium, qua

prior

ac proindè posterior per primam ut per causam, & à priori demonstratur. sed hac in re ab Aristotele dissentit. siquidem cont. illo 12. secundæ definitionis necessitatem declarans, inquit, quod cum prior animæ definitio solum declaret, quia est, altera erat definitio exploranda, quæ propter quid, & causam explicaret: ex quibus verbis nemo est, qui non intelligat Aristotelem velle secundam animæ definitionem, per causam esse, priorisque causam explicare. neque pro Diuo Thoma quispiã ad id confugere potest, vt dicat Aristotelem intelligere secundam definitionem allatam esse per causam in inferendo. quoniam datur per operationes, & effectus, qui prout ex eis principia innotescunt, causæ in inferendo appellari consueuerunt. quoniam philosophus eo modo intelligit esse per causam, sicut est definitio illa quadrati, dicens. quadratum est mediæ lineæ inuentio, respectu alterius definitionis quadrati. iam verò illa definitio quadrati, non est per causam, quò ad illationem, sed quò ad esse: igitur & secunda animæ definitio explicat propter quid, & est per causam, quò ad esse. quod etiam ipsa rei natura confirmat. nam id quod finis est, & cuius gratia alterius causa est, eique necessitatem imponit, vt in calce 2. physico. ab Arist. proditum est. iamuerò si ista duo inter se comparentur, esse viuentis corporis actum, & esse principium, quo uiuimus, & operamur, profectò esse viuentis corporis actum, finis non est, & cuius gratia, quod anima est principium operandi. siquidem anima non operatur, vt sit corporis actus, eique uniatur. sicuti etiam viuens non nutritur, vt habeat animam. videt que vt habet visum, sed potius econtra anima corpori vnitur, & per eam viuamus, sicuti etiam potentia uisiua oculo vnitur, vt per ipsam uideamus. igitur esse principium quo uiuimus, & operamur finis est, & cuius gratia, anima est corporis actus, atque vnioni animę cum corpore necessitatem imponit. enimuerò si per animam uiuere, sentire, intelligereque debemus, necesse est animam esse corporis actum, eique copulatam esse, & cum esse principium, quo uiuimus &c. sit secunda animæ definitio: igitur hæc in genere causæ finalis causa, & principium prioris definitionis existit, ac proindè cum prior per secundam demonstratur, vt per causam finalem demonstratur. Nec rationes in oppositum difficilem explicationem haben. quoniam esse principium operandi bif. intelligi potest uno modo secundum actum. quoniam scilicet principium est, quo actu uiuimus. actu que sentimus. alio modo secundum aptitudinem, quia scilicet inclinationem habet, vt ipso operemur, primo quidem modo posterius est. quoniã prius anima corpori coniuncta esse debet, quam in uiuente actu operetur. secundo autem modo prius est, quia enim anima talis est naturæ

eius que

anima necessariò originem ducũt. propterea philosophus 2. de anima cõ tex. 24. per hos vitæ gradus animam definiuit, inquiens, anima est principium quo primò viuimus sentimus intelligibus, & mouemur loco: cęterum quia huiusmodi vitæ species inter se essentialiter distinguuntur: et tres præsertim vsque adeò inter se disiunctæ sunt, ut nutriri sentire, & intelligere, vt vna sub altera non contineatur, nec una alteram consequatur, in stirpibus enim nutritio, & auctio reperiuntur, in quibus sentire non reperitur, in brutis quinetiam animantibus reperitur sentire, quibus non inest intelligere, eapropter huiusmodi uitæ species ab una, & eadem animæ specie prouenire non possunt, quoniam si ab una animæ specie promanerent, ubi igitur nutritio reperitur, ibi & sentire, & intelligere inessent; quod sanè non usu uenit, quo fit, ut à pluribus, diuersisque animæ speciebus proueniant erunt igitur plures, eßentialiterque distinctæ animæ species, quæ horum diuersorum uitæ gradum effectrides causæ sunt, & quoniam tres tantum sunt species uitæ, quæ non solum eßentialiter distinguuntur: sed nec una ad alteram consequitur, aut sub altera continetur, ut nutriri, sentire, & intelligere, ut nuper ostensum fuit, eapropter tres tantum, & non plures sunt animæ species essentialiter differentes, his nũcupatæ noĩbus. uegetalis, sentiens, atque intelligens, & hunc in modum ex uitæ differentijs, & speciebus, ceu aptissima methodo plures eße animę species, quot, & quæ sint, compertum est. Hinc studiosi facilè intelligere possunt, cur motus secundũ locum, qui est quarta uitæ species ab alijs essentialiter distincta, quartam animæ speciem non constituit. huius rei ea causa est. quoniam illæ species uitæ animæ speciem arguunt, & ueluti propriam animæ speciem constituunt, quæ non solum essentialiter distinguũtur, sed quę ita sese habent, quod una ad alterã nõ consequitur, nec ab altera dependet, iam uerò licet motus secũdum locũ sit uitæ species ab alijs vitæ speciebus essentialiter distincta: quia tamen duas uitæ differentias insequitur, ut sentire, & intelligere, atque ex his depẽdet, ut ex Aristotele colligitur 3. de anima cõt. 48. ubi inqnit, quod cognitio, et appetitus sunt principia motus secundũ locũ. nã in motu locali ipsorum animalium, talis est series, & ordo primo enim est cognitio obiecti sensibilis, ut sensibile est; utpotè ut dulce, uel amarũ, mox sequitur cognitio obiecti ut delectabile, uel tristabile, hinc sequitur appetitio prosequendi, quod delectabile est, & repellendi, quod tristabile est. tandem sequitur motus secundum locum, similiter res sese habet de anima cęli. & de intellectu. primo enim intelligit, quod bonum est. mox illud appetit, hinc sequitur motus. ut ex Aristotele colligitur 3. de anima contex. 30. quoniam ergo moueri secundum locum sub

his duabus vitę differentijs continetur, ab his que dependet, & necessariò seinuicem consequuntur, idcircò moueri secundum locum tametsi a cęteris vitæ gradibus distinguatur, quartam animæ speciem non constituit. sed solum arguit virtutem motricem, quæ ab anima sentiente, & intellectiua re ipsa non distinguitur. sed illud minimè reticebo, cum ab Aristotele dictum est. motum secundum locum vitæ speciem esse, non de quo vis motu secundum locum intelligi debet. qui enim corporibus inanimis conuenit, vitę species non est. nec animæ operatio; sed de eo intelligitur solum, qui ab interno fit principio, & ijs corporibus conuenit, quæ a seipsis mouentur, vt idem Aristoteles declarauit octauo libro phys. cō tex. 29. vbi inquit, moueri à seipsis proprium animatorum esse: quod a Platone accepit decimo de legibus, vbi hæc habet num me interrogas si idem viuere affirmaremus, quando id ipsum se mouet? vtiq; viuit. & animatorum proprium est ex seipso moueri. quod etiam declarauit in Phędro. hic enim vitalis est operatio, & inter species vitæ ab Aristotele 2. de anima contex. 13. recensetur. Sed licet ex illis tribus speciebus vitæ numerus, sufficientiaque specierum animæ colligatur, cur scilicet tres tantum sint, & non plures, id etiam ex modo operandi colligi potest. Nā cum tres tantum animæ possint esse operandi modi, vnus sanè media qualitate, & organo, alter verò medio organo absque qualitate, tertius verò absque qualitate, & organo, idcircò tres tantum sunt animæ species, & non plures. vna, quæ media qualitate, & organo operatur, & hæc est vegetalis, & altrix, quæ medio organo, & calore naturali sua exercet opera. Altera verò quæ absque calore, sed medio organo operatur, & hæc est sentiens, quæ citra instrumentum corporeum operari nequit: licet calore naturali, vt medio non vtatur, sed specie sensibili ad sentiendum: altera verò est, quæ neque medio calore, neque medio instrumento corporeo suo fungitur munere, & hæc est intellectiua, quæ neque calore naturali, neque instrumento corporeo vtitur ad intelligendum, vt 3 de anima context. 6. & 2. de animal. ortu cap. 3. Aristoteles declarauit. cum autem plures operandi modi animæ esse non possint, ideo tres tantum animę species sunt, & non plures.

Dubitatio de uirtute uitali.

SED circa ternarium hunc numerum animę specierum ea oboritur dubitatio, quoniam præter vegetalem, sentientem, & intellectiuam, datur quinetiam virtus vitalis, quæ re, & essentia ab illis tribus distincta est. igitur non tres, sed plures erunt animæ species essentialiter differentes.

rentes. Non leuis hac in re apud philosophos, & medicos controuersia est. porrò arbitrantur medici præter illas, quæ dinumeratæ sunt animæ species, virtutem quinetiam vitalem dari, quæ re, & essentia ab illis disclusa, atque distincta est. quam quidem sententiam Fernelius libro suæ physiologiæ tractatu de animæ facultatibus capit. 23. aduersus Aristotelem mordicus defensare conatur. hoc planè vsus argumento, quæcunque ita comparata sunt, vt vnum lædi, vel prorsus interire, extinguique possit, reliquis illæsis, atque constantibus, distincta sunt, neque vnam substantiam habent. iam verò reliquæ animæ species lædi, labefactarique possunt, superstite, incolumique manente virtute vitali; igitur hæc à reliquis omnibus essentia discreta est, quod ab Auicenna accepisse prima fen. tractatu de virtute vitali, vbi hęc habet. eadem est ratio de virtute altrice, quoniam eius actio in aliquo membro aufertur, & tamen membrum adhuc vitam habet. cuius etiam sententiæ inquit Fernelius Alexandrum extitisse, aliosque Aristotelis interpretes, qui Aristotele derelicto vitalem à vegetali distinxerunt. Sed hæc medicorum sententia mihi non satis probatur: quoniam cum anima viuendi principium sit, igitur virtus vitalis cum facultas animæ sit viuendi principium erit. cum autem ipsius viuere plures sint gradus, & differentiæ, vt nutriri, sentire, & intelligere, & moueri secundum locum: igitur virtus vitalis alicuius vitæ gradus necessariò principium erit. siquidem quod generis principium est, alicuius species sub illo genere comprehensæ principium quinetiam est, aut igitur virtus vitalis nutritionis principium erit, aut sensationis, aut intellectionis, aut motus secundum locum. iam verò si nutritionis principium est, vegetalis erit: si sensationis, sentiens: si intellectionis, intellectiua: si verò motus secundum locum, cum hæc à sensitiua, vel intellectiua non distinguatur, cum motus secundum locum in animalibus appetitum, & cognitionem obiecti propter quod fit motus, necessariò præsupponat: igitur vel vna, vel altera istarum erit, quamobrem virtus vitalis à reliquis animæ speciebus re, & essentia distincta non est, vt medici arbitrantur, vnde oportet ipsos, aut alium vitæ gradum effingere præter illos, qui supra ex Aristotele dinumerati sunt, aut si nullus alius reperitur, vt re vera non reperitur, aut igitur alicuius vitę gradus ex his, qui relati fuere, principium erit, aut nullius, si primo, vel altrix, vel sentiens, vel rationalis erit, si nullius, virtus vitalis facultas, & animæ species non erit, cum vitæ principium non sit quæ propria & peculiaris est animæ operatio, quare quo quo se uertant medici his veluti astricti vinculis, eo quo minime volunt, reuoluentur. grauiter quinetiam hallucinari mi-

hi videntur, cum inquiunt ex toto nutritionem auferri posse, & adhuc membrum viuere. nam quo gradu, specieque vitæ viuit, non enim nutritione, quoniam iam sublata supponitur, aut igitur sensatione, vel intellectione, aut motu secundum locum, & quodcunque dicatur, cum hæc à sensitiua, & ab intellectiua proficiscantur: viuet igitur vel per sentientem, vel per intellectiuam, non autem per uirtutem, quam vocant vitalem ab his essentialiter distinctam, vt ipsi dicunt, præterea sublata nutritione, non generatur sanguis, neque calor naturalis consistit, igitur neque spiritus, qui ex ipsorum sententia per nutritionem ex sanguine genito à calore producitur, & ex consequenti, neque vitalis facultas consistere potest, quæ vt aiunt, in spiritu conseruatur.

Dilucidatio.

EA propter multò verius cum Aristotele dicendum puto, virtutem vitalem re, & essentia à vegetali; quam ipsi naturalem appellant, minimè distingui, per quam animantia viuere dicuntur, qua sublata, nutritioneue, quæ eius functio est, ex toto deficiente, statim aufertur vita, nec amplius animans, aut aliquod eius membrum viuum superesse dicitur, ea propter philosophus 2. de anim. cont. 14. asseruit animantia tandiù viuere, quandiù alimento vti possunt. quod etiam contex. 47. his verbis repetiuit, eo vsque animans seruatur, & uiuit, quousque nutritur, à qua Aristotelis sententia, nec Alexander aphrodiseus, aut latum vnguem recessit, vt apud ipsum legitur primo libro suæ paraf. de anima cap. 9. vbi hæc habet, vita ab altrice virtute cunctis animantibus inest, vnde confestim necesse est, intereant animantia, simul hac ipsa virtute priuata sunt, contra viuunt omnia vbi illam adipiscuntur, nec ab eadem sententia cæteri interpretes recesserunt, vt falsò arbitratur Fernelius, qui vtinam ita rerum veritati indagandæ, sicut verborum lepori operam nauasset, potest quinetiam aliquo pacto calor naturalis virtus vitalis appellari. quoniam cum sit animæ instrumentum, animæ virtus dici potest, ab ipsoque vita proficisci, ea propter philosophus libro de respir. asseruit uitam caloris naturalis incolumitatem esse, econtra verò mortem eius interitum fore, nec ratio à Fernelio in oppositum allata ullum negotium facit, falsum est enim, deficiente, omninoque sublata nutritione animantis membrum adhuc superesse uiuum, ut anteà ostensum est, quo fit, ut animæ species tres tantum sint, & non plures re, & essentia inter se distinctæ. sed per quid inter se distinguantur, sequenti c. explicabitur.

Per quid animæ specties inter se distinguantur.

ARISTOTELES *secundo de anima contex.22.statuiße videtur, animæ species ex earum operationibus inter se distingui. Nã inquit, sensitiuum ab intellectiuo differre: quoniam sentire alterum est ab opinari, & intelligere, sicut & vegetalis à sensu distincta est: quoniam nutritio a sensatione diuersa est, vnde ex eo conte. illa propositio deprompta est. quod potentiæ per actus, & opera distinguuntur. cæterũ hoc Aristotelis decretum difficultatem habet: quoniam cum idem sit principium essendi, & distinguendi, animæ verò operationes principia essendi non sint, nec animæ substantiam compleant. igitur nec erunt principia distinguendi animæ species inter se, quamobrem ad aliud confugiendum esse videtur; ex quo inter animæ species distinctio oriatur, pro huius problematis explicatione animaduertendum est, principia distinguendi in duplici differentia esse. alia enim sunt a priori, & quo ad eßentiam, alia uerò a posteriori, & quo ad nos, ex qua distinctione hæc duo ponimus theoremata: primum est, animæ species a priori, & quo ad eßentiam per ipsarum actus, & operationes non distinguuntur: quoniã nullus effectus, nullumque posterius sicuti causarum essendi principium non est. ita distinctionem essentialem facit in causis. cum autem animæ opera, effectus sint, posterioraque eßentialis specificæque distinctionis principia inter animæ species esse non possunt. sed animæ specierum distinctio ex earum operationibus desumitur a posteriori, & quo ad nos prout scilicet operationum diuersitas inter animæ species diuersitatem patefaci, & hunc in modum Aristoteles intellexit 2. de anima contex. 22. cum dixit, animæ species per actus, & operationes distingui: alterum theorema est. animę species secundum eßentiam seipsis, & ex intrinseca ipsarum ratione inter se differunt. hoc enim discrimine simplices naturæ, & compositę seiunguntur quòd composita ex materia, & forma per aliud vtpotè per formam distinguuntur. Nam sicuti esse formaliter per formam habent, ita etiam specificè per formam distinguuntur, quæ propriè differentia dicuntur, & de his intelligitur illa Aristotelis propositio 7. metaf. context. 49. Actus est, qui separat, & qui distinguit. simplices verò naturæ, non per aliud secundum essentiam: sed seipsis. Nam sicuti seipsis, & non alio, sunt formaliter*

maliter entia, ita etiam seipsis formaliter distinguuntur, ut docuit Aristoteles 8.*metaf. contex.*15.*nec in his alia essentialis distinctionis causa a propria esse̅tia inquire̅da est, amplo sanè discrimine distinguitur Deus opt. a materia prima. non tamen per aliud, sed ex propria ipsius natura, pariter, materia a forma, & formæ inter se, non per aliam formam, sed seipsis, & ex intrinseca ratione, & potius primò diuersæ, quam differentes dici debent, ut* 8.*metaf. contex.*13.*ab Aristo. proditum est. cum itaque animæ species simplices formæ sint, specifica ipsarum distinctio non aliunde, quam ex propria ipsaram natura desumitur.*

De dissimili animæ specierum conditione.

T*AMETSI secundum operandi modum animæ specierum dispar, dissimilisque conditio sit, vt ex superiori capite vnicuique patere potest: attamen multò magis diuersa est earundem conditio, quę modo explicanda proponitur. Enimuerò in his tribus ea conditio reperitur, quod anima vegetalis omnino bruta est, & cognitionis expers. Anima verò sentiens cognoscens est: non tamen intelligens. Rationalis uerò nedum cognoscens est, sed etiam intelligens. patens quidem, & conspicua est diuersitas hæc, sed quæ tam diuersę conditionis causa sit, non omnibus compertum est, & quod magis difficultatem adauget, illud est, quoniam cum anima sentiens ita sit concreta materiæ, atque mortalis sicut anima uegetalis, cur magis anima sentiens cognoscendi priuilegio a natura donata est, quam anima uegetalis, ut tam magnę diuersitatis causa conspicua fiat, duo consideranda sunt: primum quænam est causa, ut aliqua natura sit cognoscens. secundum uerò, quænam est causa, ut aliqua natura sit intelligens. porrò causa quare aliqua natura sit cognoscens, ea est: quoniam spiritaliter, specierumque sine materia est receptiua, ut ex* Aristotele *colligitur* 3.*de anima contex.*60.*ubi rationem assignans, cur stirpes non sentiunt, neque cognoscunt, eam esse inquit, quoniam specierum sine materia receptiuæ non sunt, itaque natura, quæ species sine materia est apta nata recipere, cognoscens est. cum itaque anima spiritaliter non recipiat, eapropter anima uegetalis bruta est, & cognitionis expers. Anima uerò sentiens, quoniam specierum sine materia, spiritaliterque est receptiua, ut* 2 *de anima contextu* 121. *Aristoteles declarauit, idcircò sensus est uirtus, & natura cognoscens, sed licet sensus species absque materia recipere dicatur, prout non recipit albedinem, aut aliam sensibilem*

qualita-

qualitatem cum materia, sed eius speciem, & imaginem, non secus ac cera, ut inquit philosophus loco nuper citato, non recipit aurum, aut ferrum, sed figuram auro impressam: non tamen non recipit speciem sensibilem absque conditionibus materiæ. quoniam speciem recipit singularem, & cum hic, & nunc, ut dici solet, hinc illa propositio orta est, sensus licet abstrahat a materia, non tamen abstrahit a conditionibus materiæ, ex quo sequitur, quod licet uegetalis, & sensitiua hoc habeant commune, quòd utraque concreta est materię, atque mortalis, uegetalis tamen materia magis diuersa est, & inuoluta: sensitiua uerò a materia paulo eleuatior est, quoniam spiritaliter recipit. sed aduersus ea, quæ dicta sunt, ea sese offert dubitatio. quoniam aer, qui medium est, quo species caloris ad oculum deferuntur, calores spiritaliter recipit, & tamen non est naturę cognoscens. igitur uerum non est, quod sensus sit uirtus cognoscens; quoniam spiritaliter recipit sensibiles qualitates; aut saltem dicendum erit, aerem quinetiam uirtutem cognoscentem esse. soluitur propositionem intelligendam non esse de natura recipiente spiritaliter dispositiuè, sed completè. iam uero licet aer calores spiritaliter recipiat, dispositiuè tamen recipit. & ueluti medium deferens, propterea aer non est natura cognoscens, sicuti sensus, qui non dispositiuè sensibilia spiritaliter recipit.

Animantia omnia nutriuntur quousque viuunt.

SIC *Naturæ lege sancitum est, vt animantia omnia, quæ mortali conditione orta sunt, nutriantur, & adolescant. quod sanè præter id quod 2. de anima contextu 47. & primo ortu contextu 41. declaratum est, ipsa rei euidentia ostendit. cæterum quia non satis conspicuum est, Quid nutritio sit, à quoue fiat. & an ad extremum vsque diem continuè perduret; eapropter si hæc tria explicauero, studiosis rem ad modum vtilem me facturum existimaui. Et quò ad primum spectat, vt quid nutritio sit commodè inueniri queat; illud primo accipiendum est, in cunctis animantibus continuè aliquid affluere, atque dissolui, tametsi in animalibus id magis, quàm in stirpibus euidens, manifestumque sit. quamobrem ne cito contabescant, atque intereant, quod effluxum est, rependi, instaurarique operæpretium est; verum quia id minimè fieri potest, nisi per propositionem, conuersionemque alicuius quod simile illi sit, quod effluxum fuit. idcirco animantibus omnibus aliquid intrinsecus adijci debet, in substantiamque animantis conuerti, ex quo illud, quod exhaustum est, instaurari queat: hoc autem alimentum est,*

ex quo

ex quo animantia nutriri dicuntur. Quò fit, vt nutritio nil aliud sit, nisi partis in viuentibus effluxæ, atque deperditæ, instauratio ex alimenti conuersione: quam etiam definitionem attulisse visus est Galenus prima Aphoris. parte com. 15. inquiens: nutritio est eius, quod euacuatur repletio, hoc est, eius, quod effluxum est, instauratio, nutritionem quidem describens per id, quod formaliter nutritio est, enim uerò nutritio formaliter alimenti conuersio non est, sed partis effluxæ instauratio, tametsi absque alimenti conuersione fieri minimè possit, vnde cum aiunt, corpus nutriri, nil aliud est, nisi in eo quod effluxum, resolutumque est resarciri, sicut etiam alimentum nutrire. nil aliud est, nisi ex eo veluti ex materia dissolutam substantiam, vel quæ ei æquiualet aggenerari. quod sanè primo de ortu, & interitu contextu 41. his uerbis Aristoteles indicauit, inquiens: nutrimentum vt potentia caro nutrit. Hinc vnicuique ratio patere potest, cur corporibus cęlestibus, inanimisque corporibus nutritio tributa minimè fuerit. cum enim in cęlestibus corporibus nihil quicquam secundum substantiam dissoluatur, & effluat, cum ab alteratione, & ab interitu sit prorsus liberum, & immune, in ipsis nihil rependi, instaurarique debet, quapropter ipsis nutritio nullo pacto necessaria fuit, similiter cum ex inanimis corporibus nihil, aut certè pusillum, vt ferè nihil sit, dissoluatur; nihil in eis instaurari debet, ac proindè in eis aut alimenti, aut nutritionis nulla necessitas fuit. & licet quandoque ignem nutriri Aristoteles enunciauerit, id secundum analogiam, & similitudinem intelligi debet. solum itaque stirpibus, & animalibus accommodata fuit. quoniam autem nutritio partis iam consumptæ instauratio est, à generatione, quæ altera viuentium est operatio non re, sed solùm rōne distinguitur. secundum scilicet diuersitatem totius, & partis. Nutritio enim partis substantiæ viuentis generatio est: vt generatio portionis carnis iam consumptæ generatio verò totius carnis, totiusque substantiæ viuentis productio est, & ideo licet utraque ad substantiam terminetur: quia tamen illa ad substantiam alteri iam per se consistenti adhærantem, hæc uerò ad totam substantiam. & per se solitarieque consistentem terminatur; duæ uiuentium constituūtur operationes diuersæ. illaq; aggeneratio, hæc verò generatio absolute appellatur, vnum autem hoc in loco animaduertant studiosi, quod mihi non reticendum esse existimaui; quod licet nutritio absque concoctione haud fieri possit, concoctio tamen non est: sed inter se maximè disiunguntur, quoniā nutritio est substantiæ viuentis consumptæ partis per alimenti conuersionem instauratio, ac proindè intrinsecus nutritionis terminus substantia est. Concoctio verò vt 4. meteo.

meteo.c.de concoct. docuit Aristoteles, perfectio est a calore naturali, & proprio ex oppositis passiuis, vt potè terminatio passiuarum vt humidi, et sicci ex oppositio, videlicet ex esse interminato facta à calore, vt infra latiùs explicabitur, ac proindè concoctio alteratio est. cuius terminus intrinsecus accidens est: non autem substantia, nisi extrinsecè, vt chilus, & sanguis, quæ partes viuentis substantiæ non sunt: sed futuræ per ipsorum conuersionem in carnem & ossa. Vndè satis imprudenter Horatius Augenius primo suarum epistolarum medicinal. libro, epistola secũda asseruit concoctionem alimenti conuersionem esse in propriam viuentis corporis substantiam: nam si hęc cõcoctionis essentia est. quoniam pacto stabit hæc concoctionis definitio cum ea, quæ ab Aris. tradita est. Cõcoctio scilicet perfectio est à calore naturali ex oppositis passiuis: quã sanè paulò inferius illustrans inquit. Concoctio terminata humiditas est, sicuti ex aduerso, inconcoctio, imperfectio est, & interminata humiditas. p̃tereà cum cibaria in ventriculo concoquuntur huiusmodi cõcoctio non est alimenti in propriam viuentis corporis substantiam commutatio: sed in chilum, & cum hic ad hepar deuehitur, ibique plenè conficitur, (admissa pro nunc medicorum sententia) chili concoctio non est in viuentis substantiam conuersio, sed in sanguinem, qui plenè etiam concoctus vltimũ alimentum est, & in viuentis substantiam conuertitur. tandem dicat obscero, si concoctio alimenti est in viuentis substantiam transmutatio, cũ alimentum in substantiam viuentis commutari nõ possit, neq; ex eo substantiæ viuẽtis pars ullo pacto generari, nisi rectè alteretur humidumq; alimenti, ut inquit Aristoteles terminetur hæc alteratio humidique terminatio, quid erit? dicet forte, vt omnia præpostere dicantur, hæc nutritio est. alimenti verò in substantiam viuentis transmutatio concoctio est, quamobrem, vt antea decretum fuit concoctio humidi interminati perfectio est, à naturali, proprioque calore. Nutritio vero partis substantiæ viuentis instauratio, ex alimento iam concocto, & in substantiam conuerso, à quo autem nutritio fiat sequenti cap. explicabitur.

De effectrice nutritionis causa.

QVID nutritio sit iam satis, vt arbitror, explicatum fuit, quoniam verò non ita conspicuum est, à quo, vt ab effectrice causa nutritio proficiscatur; eapropter id explicandum est. Putarunt stoici nutritionem à natura, & forma, quæ anima non est, ab effetrice causa prouenire, ac proinde nutritionem,

& auctionem neque inter vitæ gradus recenseri, neque stirpes, quibus isthæc insunt opera vitam degere; & animatas esse. Sed natura, quæ infra animam est, regi, & conseruari. ea fortaße ratione persuasi, quòd huiusmodi virtus, à qua nutritio promanat, absque vlla cognitione operetur, agentiisque naturalis conditiones habeat, ita vt animæ rationem nequaquam habere videatur, sed hæc à veritate abhorret, & ab Aristotele secundo de anima contex. 41. hac ratione reiecta fuit. Nutritio, & augumentatio secundum omnes diametros, & secundum contraria loca efficiuntur. stirpes enim, & animalia; & sursum, & deorsum: ante, & retro; in dextram, atque in læuam partem; aluntur, & augentur. igitur nutritio, & augumentatio, à virtute, & forma, quę non est anima minimè proficiscuntur. consequentia ex eo deducitur. quoniam nulla forma, quæ anima non est, agit secundum contraria loca, sed ad vnam tantum differentiam positionis determinatur, & agit vt de elementorum forma. deque mixtorum omnium inanimorũ natura sensus ipsi vel apertissimam fidem faciunt, & licet non ità conspicuum sit nutritionẽ secũdum quamlibet positionis differentiam fieri, id tamen ipsa augumentatio docet, quę fit secundum contraria loca, & in ea quæuis pars aucti augetur. cũ enim augumentationi vsque adeo necessaria sit nutritio, vt citrà huius opem compleri minimè possit, vt 2. de anima contextu 47. docuit Aristoteles; eapropter si augumentatio fit secundum contraria loca, & quæuis pars augetur, nutritionem quoque secundùm cõtraria fieri loca, quamlibetùe viuentis partem nutriri operæpretium est, idcirco Aristoteles 2. de anima contextu 14. ostensurus vegetabilia omnia vitam degere, fundamentum non desumpsit ex eo, quòd secundum loca contraria nutriantur, sed ex eo, quod quoquo versum, & secundum omnes positionis differentias augentur. quod sanè euidentius erat. ex quo & secundum omnem partẽ nutriri statim ostensum erat. & hæc methodus est, & via ad ostendendũ nutritionem, & incrementum, neque à calore primum, neque ab alia virtute infra animam prouenire posse. siquidem actio, quæ per se secundum omnem positionis differentiam perficitur, opus quidem non est naturæ infrà animas existentis, sed superioris virtutis, & animæ. quo fit, vt cum nutritio, & incrementum secundum omnem positionis differẽtiam administrentur, ab anima, vt ab effectrice causa proficiscantur. Hinc Aristoteles eodem contextu nutritionem, & incremẽtum inter vitæ gradus recenseri, stirpesùe quibus hæc insunt opera viuere, & animatas esse, deduxit. & licet huiusmodi virtus, quæ nutritionis, & incremẽti causa est, absque cognitione, & secundum agentis naturalis cõditiones, vtpotè primis qualitatibus operetur, non propterea animæ rationem subterfugit.

quoniam

quoniam secundum omnes positionis differentias operatur. Illud quidem verum est, naturæ infrà animam, agentisque naturalis instar, imaginem que habere, prout absquecognitione, & per qualitates primas sua munera exercet. Quod sanè considerans Galenus sentire & mouere animæ opera, nutritionem verò, & incrementum naturæ opera appellauit, non quia ab anima non proficiscantur. sicuti sentire, & mouere secundum locum: sed quoniam nutritio, & incrementum ab anima vegetali per modum naturæ proueniunt. quoniam absque cognitione, & non secus, ac natura infra animam operatur: sentire autem, & mouere, quoniam ab anima sentiente per modum animæ promanant. quoniam cum cognitione administrātur, propterà animales operationes à Galeno appellatæ sunt. neque hac in re Galenus, & Aristoteles inter se dissentiũt; tametsi verbis dissidere videantur. An verò nutritio continuè fiat, iam iam explicare aggredior.

An in viuentibus nu tritio semper fiat.

TErtium hoc problema, quod excutiendum proponitur, duplicem sensum habere potest, primus quidem est, an nutritio ad supremum vsque vitæ diem perduret, aut potius ad certum quoddam tempus administrentur. Alter sensus est. si toto vitæ curriculo ad postremum vsque diem persistit: An absque vlla quietis intercapedine fiat, ità vt motus quidam continuus sit, et nulla quiete interceptus. Iam uerò secundũ priorem sensum non ambigitur. quoniam certum est, nutritionem vsque ad obitum, & vltimum vitæ diem persistere, quod sanè primo de ortu & interitu contextu 41. Aristoteles declarauit, inquiens, animantia non semper augentur, sed ad certum vsque tempus, at semper aluntur, quousque vitam degunt. sed dubitatio est, an semper fiat, ità vt continue, & absque vlla quietis intercapedine in uiuentibus administretur. Marsilius primo de generat. quæst. 14. putauit nutritionem in viuentibus continuam non esse, sed quandoque intermitti, & quiete interceptam esse. quod ità persuadere conatur, si in viuentibus interdum contingat calorem naturalem ità debilem, imbecillumque factum esse, vt non amplius quam ad gradum, vt tria resistens adijciatur. profectò calor alimentum hoc neque conuertere, neque transmutare poterit; siquidem transmutãs, & corrumpens patientis resistentiam euincere, & superare debet. quòd si calor, tunc temporis alimentum in viuentis substantiam non commutabit. igitur corpus ipsum non nutrietur, & ex consequenti tunc temporis nutritio quiete intercepta erit, vitaque persistet. quoniam adhuc aduer

sæ dispositiones introductæ non sunt, cum quibus uiuentis corporis forma consistere non possit. Secundo ex ijs animalibus id ostendit. quæ per hyemem in latebris terræ recondita iacent. quæ cum per ea tempora alimentum non assumant, non nutriuntur. cum nutritio absque alimento nullo pacto fieri possit. quod etiam 2. de anima, contextu 14. Aristoteles his verbis edocuit: animantia nutriri, quousque nutrimentum habere possunt. tandem animalia interdum quodam efficiuntur morbo, qui atrophia nuncupatur. hoc est nutritionis priuatio; igitur quandoque animalia non nutriuntur. & tamen viuunt. itaque nutritio licet ad extremum usque uitæ diem perduret, continua tamen non est. sed quandoque cessat. & intermittitur. sed hæc sententia falsa est. & quamuis plurimi ex Aristotele id se demonstrare arbitrentur 2. de anima contextu 14. & primo de generat. contextu 41. ubi inquit. uiuentia semper, & vsque in finem nutriri, at non semper augeri. attamen ex his aduersus Marsilij sententiam nihil concludunt. siquidem cum philosophus ait viuentia semper nutriri, non intelligit continuè, & absque vlla intetercapedine nutriri, ità vt illa dictio (semper) continuitatem nutritionis significet. sed intelligit semper nutriri. hoc est ad extremum usque vitæ diem, & non ad certum aliquod tempus, sicuti uiuentia augentur: quod ex eo ostendi potest. quoniam philosophus primo illo de generat. contextu 41. nutritionem ab auctione contradistinguens, inquit, viuentia semper nutriuntur, sed non semper augentur. iam uerò sicuti semper augeri negatur de uiuentibus, ità de eisdem affirmatur semper nutriri, sed augeri semper de uiuentibus negatur. quoniam non extremam diem, sed ad certum vsque tempus adaugentur, ergo semper nutriri de eisdem affirmatur. quoniam vsque in finem uitæ, & non ad certum vsque tempus nutriuntur, perperam itaque exhisce locis ferè communiter interpretes colligunt nutritionem in uiuentibus continuam esse, cum Aristoteles solum intelligat nutritionem, non ad certum tempus compleri, sed vsque ad obitum ad auctionis differentiam perdurare, neque etiam quicquam nonnulli nostri temporis recentiores concludunt, cum nutritionem ex eo continuam esse demonstrare conantur. quoniam cum assiduo fluore varijs ex causis tum internis, tum externis humida viuentis substãtia dissipetur, assiduè quinetiam & continuã instaurari debet: alioquin si non continuè quod effluxum, exhaustumq; est, resarciretur, sed aliquo temporis interuallo intermissio fieret, uita statim deficeret, & calor incontinenter euanesceret sed hæc ratio nullius momenti est, ut paulo inferius ostendam, cum continuæ nutritionis necessitatem explicabo, eapropter alia ratione Marsilij senten-

sententia reijcitur, ea autem est, nutritionem ab altrice anima, & à calore naturali, quæ agentia naturalia sunt, proficisci. cum autem naturalis agentis ea sit conditio, & natura, vt approximato sibi passo in illud necessario agat; eapropter tum in uiuentibus aut nutrimentum externum, quod aßumitur, aut internum, quod sanguis est, aut humor sanguini proportione correspondens calori naturali propinquum, præstoq; sit, idcirco calor naturalis in alimentum continue agit, illudque transmutat: ac proindè cõtinuè nutrit, reficitque, quod exaustum fuit, idq; aut vlterius aut parcius secundum vires, & robur ipsius caloris, vnde asserere nutritionem continuam non esse, nil aliud est, quàm asserere agẽs naturale, caloremq; naturalem patienti, alimentoque propinquum esse, & in illud non agere, quod cum falsum sit, falsum quoque est asserere nutritionem in viuentibus ab altrice anima, & à calore naturali continuè non administrari, & licet augumentatio ab eodem calore fiat: non tamen augumentatio semper continuèque efficitur: quoniam calor non semper idem robur, easdemque retinet vires, vt amplius, vberiusque restituere posit, quàm id, quod effluxum fuit, sicut augumentatio exposcit. Maius enim caloris robur ad augumentationem, quàm ad nutritionem requiritur: quoniam licet in viuentibus diminutio fiat, vt senio continguit, adhuc nutritio administratur. quoniam caloris vires satis ad nutriendum sunt, & aliqua ex parte ad instaurandum, quod deperditum est, quæ non sufficiunt ad augẽdum. Qua in parte illud animaduertãt studiosi, in quo ferè communiter philosophos labi animaduerto, quòd continuæ nutritionis necesitas ex vitæ conseruatione minimè dependet ita vt vita, quæ animæ in corpore permansio est, absque nutritione ne vllo quidem temporis momento persistere posit, sed ceßante aliquo pacto nutritione statim vita deficiat, & anima a corpore diuellatur: quoniam ẽt si nutritio per posibile in viuentibus breui aliquo temporis interuallo intermitteretur, adhuc vita persisteret, & anima in corpore conseruaretur quod ita ostendo, anima sub quolibet gradu, & mensura calidi, & humidi in corpore consistit, sed prefinitam quandam mensuram amborum exposcit, ut in corpore conseruetur, supponatur aũt mensuram hãc calidũ, & humidũ secundũ tres gradus, & numeros esse, tunc puerũ accipio in quo calidũ, & humidũ secundũ sex gradus reperiãtur, si in eo nutritio per dimidiã horã ꝑ posibile intermitteretur, aut vita deficeret, aut nõ: primũ quidẽ dici nõ põt: quoniã eo breui tẽporis spatio ẽt si duo gradus calidi, & humidi dißoluerẽtur, adhuc quatuor grades supersunt, quibus vita, pariter: & aĩa in corpore cõseruari possũt, igitur intermissa nutritione adhuc vita ꝑsistere põt, itaq; vt nutritio cõtinua sit ex vita necessi

tate

tate minimè dependet,cum aliquo pacto possit nutritio feriari,& vitam adhuc superesse,vt dictum est.sed continuæ nutritionis necessitas ex conditione agentis dependet,à quo nutritio administratur. cum enim nutritio ab altrice anima,& à calore innato,quæ agentia per naturam sunt, quorum ea est conditio,vt cum eis patiens propinquum fuerit, necessariò in illud agat. ea propter cùm vegetali animæ calori alimentum toto vitæ curriculo aut externum,aut internum continuè adiectum, proximū que sit,continuè circa illud versantur, illudque in viuentis substantiam, quo ad fieri potest,continuè transmutant,et ex consequenti continuè corpus ipsum enutriunt.Illud quidem verum est ex vitæ conseruatione, vt ex fine nutritionis,necessitatem pendere; quoniam absque nutritione vita diu superstes seruari non potest:sed continua nutritionis necessitas nō ex vitæ conseruatione,sed ex agentis conditione dependet.vt antea dictū fuit.quibus sic explicatis,nunc Marsilij rationes breuiter expendamus. & ad primam dicimus,quòd si in viuente calor sub ea conditione ponatur,vt amplius agere non possit,quam ad gradum,vt tria,eique alimentum,quod tantundem habeat resistētiæ adijciatur,calor innatus cum nō dominetur, neq; alimenti resistentiam superet, totum alimentum non transmutabit,sed aliquam eius portionem solum conuertet.qua sic conuersa, & alimenti resistentia imminuta,quasi ualidior, factus paulatim residuum in partis substantiam commutabit, atq; ita corpus enutriet. ad secūdam autem rationem ab ijs animalibus desumptam,quæ per hyemem in latebris degunt,qua aliquādo persuasus Auerroes 2. de anima com.5.dixit,vegetalem animam quandoque à nutritione feriari, & requiescere,dicimus, quod huiusmodi animalia tametsi nutrimentum externum non assumant,nutrimento tamen aluntur interno, quod quidem per æstatem voracius acceperunt,quod cum caloris imbecillitate concoquere non potuerint, humoris indigesti colluuies quædā in eis colligitur, in cuius coctionem dum in latebris degunt, naturales calor potissimum incumbit,& concoquit,atque ex eo,huiusmodi animalia nutriuntur, sicut etiam in senio confectis hominibus contingit, in quibus præ caloris imbecillitate multa phlegmatis copia coaceruatur,quod paulatim à calore decoquitur,& ex eo nutriuntur,propterea senes facilè ieiunium ferre ab Hipp.prima aphoris.parte memoriæ proditum est:cum nutrimentum habeant internum,quo nutriri possunt, & hunc in modum illud Aristotelis dictum 2. de anima contex. 14. intelligi debet:cum inquit;animantia tandiu nutriri,quandiu nutrimentum habent tam internum,quā externum.Nec officit instantia de atrophia : nam in hoc morbi genere, non penitus nutritio aufertur , nec priuatio nutrititionis appellatur,

quia

quia ex toto ablata nutritio sit: sed quoniam diminuta nutritio est, imperfectque nutrimenti assimiatio efficitur tripliciter enim actio lędi, aut auferri dicitur, vel ablatè, vel deprauatè, vel diminutè. licet ergo in atrophia perfecta nutritio non sit, imperfectè tamen reperitur, prout ex alimento aliquo pacto humida substantia, & calor reparantur, ita quod nutritio indifferenter sumpta vt perfectè, vel imperfectè administratur, continua est, & absque vlla prorsus quiete ad extremum vsque vitæ diem perdurat.

Quando nutrimentum actu nutrit, & actu nutrimentum est.

P*Vlchra quidem, & non leuis dubitatio est, an nutrimentum sit actu nutrimentum, cum dissimile est, vel cum iam simile factum est, & in viuentis substantiam commutatum: non enim actu nutrimentum dici potest, cum dissimile est. quia tunc contrarium est ei quod alitur, & proindè mutatione opus habet, nec actu nutrimentum dici potest, cum simile factum est, quoniam tunc viuentis pars effectum est: pars autem nutrimentum dici non potest, nec propterea actu nutrimentum dici potest, cum conuertitur & mutatur, quia cum conuertitur, & mutatur adhuc dissimile est & contrarium, alioquin non mutaretur: in mutato autem esse, iam simile est, & pars, & ita ut prius. quid ergo dicendum? Dubitatio ista (mea sententia) ita persoluenda est, quòd nutrimentum dicitur actu nutrimentum cum simile factum est, & in viuentis substantiam cõmutatum, si quidem tunc actu nutrimentum est, cum actu reparat quod effluxum, & deperditum est: ea enim ratione à natura uiuentibus nutrimentum elargitum est, vt reparet, & instauret quod effluit, & continuè deperditur: iam verò tunc nutrimentum actu reparat, quod effluxum est, eique actu æquiualet, cum simile factum est, & in substantiam conuersum: igitur nutrimentum actu nutrimentum est, & actu nutrit, cum iam simile factum est: cum verò dissimile est, atque conuectitur, tunc potentia est, vt partem effluxam instauret, in eiusque locum reponatur, & proindè æquiuocè & potentia nutrimentum est. quam veritatem ante nos cognouit Hippo. in principio libri de alimento, cui subscripsit Galenus primo de facult. naturali. cap. 11. qui concordes dicunt, quòd datur actu nutrimentum, & potentia nutrimentum, & hoc dupliciter, vel potentia remota, uel proxima: actu nutrimentum est, inquiunt, cum conuersum est, & simile factum, potentia proxima, & quod veluti nutrimentum est, dicitur esse illud, quod appositum, & agglutinatum est,*

atque

lem esse commune vtrique est, & sensui, & intellectui: ex quo patet illos Aristotelem minimè intelligere, qui ex hac propositione intellectus immortalitatem colligere voluerunt. cum tamen per impassibilem non intelligat absolutè & vndequaque impassibilem. sed non pati corruptiuè ab obiecto, quod etiam ipsi sensui commune est. vnde cum Philosophus in tex. 3. assignaßet hoc vtrique commune, ne quis putaret in impaßibilitate vndequaque persimilis esse, in tex. 7. impassibilitatis diuersitatem declarauit dicens, quòd autem non sit similis impassibilitas sensus & intellectus manifestum est ex sensorijs, & sensu: sensus. n. non est impassibilis secundum totam latitudinem sui obiecti, quoniam ab excellenti sensibili, corruptiuè patitur: intellectus verò secundum totam obiecti latitudinem impassibilis est, quoniam ab excellenti intelligibili non corrumpitur, sed perficitur magis. ex quo loco quis est qui non videat Aristotelē in tex. 3. per impassibilem eße quid commune intelligat sensui & intellectui, cum postea impassibilitatis differētia ab ipso in tex. 7. declaretur. quod etiam satis apertè confirmant vltima verba cōtextus tertij, in quibus summatim colligens communionem & conuenientiam inter utrunque sic inquit. Et similiter sicut se habet sensus ad sensibilia, ita intellectus ad intelligibilia, vnde malè Auerro. cum Alberto Magno, exposuit illam parriculam, [sed non hoc] idest non corpus, neque in corpore virtus, sicuti sensus. cum immediatè Aristoteles summatim colligat conueniētiam eorum quæ superius dixerat inter sensum & intellectum, sed oportet intelligere illud [non hoc] idest non est actu aliqua species, sed potentia, vt rectè exposuere Them. Ioan. Gramma. & ex latinis B. D. Secundo falsum est in tex. 4. demonstrare intellectum esse de genere virtutum passiuarum, cum satis conspicuum sit, quòd ex illo principio [intellectus omnia intelligit] non deducat nisi quòd intellectus immixtus sit, ipsum aūt esse de genere virtutum passiuarum, in tex. 3. demonstratum fuit, nam ex eo quod intelligere est pati perfectiuè concludebat intellectum esse impassibilem corruptiuè, et ex eodem inferebat eße susceptiuū specierum, & consequenter de genere virtutum passiuarum. nam cum intelligere sit pati perfectiuè ab intelligibili, ab hoc autem minimè perfici possit nisi aliquo modo recipiat, ideo sequitur quòd receptiuus sit, & quoniam id quod aliquid recipit debet carere illo, habere tamen potentiam ad illud, ideo tertio concludebat esse potentia, & non actu id quod recepturum est. Postremo falsum est in tex. 4. demonstrare intellectum non esse corpus, neque virtutem in corpore, ita vt per immixtum intelligat abstractum, & non corpori mixtum, quoniam in tex. 6. probans ipsum non esse corpori mixtum adiecit illam dictionem (corpori) sic dicens, vn-

de rationabile est ipsum non esse corpori mixtum, quod si in tex. 4. intelligeret immixtum à corpore, adiecißet illam dictionem, corpori cum ea esset prima conclusio. cum autem in tex. 4. dicat immixtum tantum, in 6. autem addat corpus. igitur in tex. 4. non intelligit, neque probat esse immixtum corpori, præterea si in tex. 4. probaret intellectum non esse virtutem in corpore, sed abstractam, tunc in tex. 5. non potuißet illud corrolarium inferre quod potentia omnia sit, & nullam actui speciem habeat, quia diceret Plato, aut quiuis alius, quòd cum antecedēti stat oppositum consequentis, quòd scilicet sit virtus abstracta, & non sit potētia omnia, sed actu species habent, propterea melius cum Simplicio, & diuo Thoma dicendum quòd propositum Aristotelis in tex. 4. est demonstrare intellectum nulli prorsus intelligibili mixtum eße, sed ab omni liberū, & denudatum: etenim cum in tex. 3. ex eo quod intellectus est susceptiuus specierum collegißet ipsum non habere actu speciem, in tex. 4. ex eo quòd omnium est susceptiuus infert nullam prorsus actu habere speciē, sed quacunque priuatum eße, & propterea dicit, quare necesse est quoniam omnia intelligit &c. quasi dixerit. si enim ex eo quod recipit speciē caret specie, igitur cum recipiat omnes neceße est omnibus carere, & omnibus denudatum esse, ex quo iure in tex. 5. inferre potuit, quare ipsius natura potentia est, & nihil est actu eorum quæ sunt antequam intelligat, sed licet Simplicius, & B. D. conueniant in hoc, quòd Aristotelis propositum sit demonstrare intellectum immixtum esse, & denudatum ab omni forma intelligibili, dissident tamen inter se, quoniam voluit B. D. Aristotelem demonstrare intellectum ab omni forma & specie simpliciter denudatum fore, Simplicius autem voluit non demonstrare denudatum esse ab omnì specie simpliciter, quoniam posuit in intellectu rationes illas. & ideas intellectui coæternas, sed demonstrare intellectum denudatum fore ab omni specie quę deriuatur ab intellectu agēte, sed diui Thomæ sententia verior est, & Aristoteli consentanea magis quàm illa Simplicij, vt inferius patebit. probat autem Aristoteles conclusionem iam dictam ex hoc principio. Intellectus omnia intelligit, ergo immixtus est. Auer. in sua opinione persistens per immixtum exponit non mixtum cum corpore. probat autem consequētiam Auerro. quoniam si eßet mixtus cum corpore et virtus materialis tunc, haberet formam propriam, quæ probiberet ne alienas recipere poßet, & ita non omnia intelligeret: sed expositio reiecta fuit, quoniam Aris. non comparat intellectum ad corpus, sed ad ipsa intelligibilia: illud bene verum est, quòd ex eodem principio, quia videlicet omnia intelligit, deducitur, & infertur non esse cum corpore mixtum, sed hoc non facit in tex. 4. sed in

tex. 6.

tex 6.cum inquit. vnde rationabile est ipsum non esse cum corpore mixtum: illa enim dictio (vnde) clarissimè ostendit conclusionem illam ex illo principio deduci, quod positum fuit in tex. 4. neque illa probatio consequentiæ ab ipso adducta alicuius est momenti. nam cum dicit, si esset cũ corpore mixtus formam propriam haberet, quę impediret ne alienas reciperet. ista consequentia nulla est, quia cum antecedẽte stat oppositum consequentis: nam cogitatiua forma materialis est, & tamẽ formam propriam non habet, quæ impediãt ne alienas recipiat, & cognoscat, cum omnes intentiones decem prędicamentorum ipso etiam authore 2. de Anima 63. cognoscat, & propter daso etiam quòd intellectus esset forma materialis, non sequeretur id quod dicit Auerro. quòd propriam formam haberet, quæ alienas impediret: qua in re bonus dormitauit Auerro. dicimus ergo nos per immixtum Aristotelem intelligere nõ esse mixtum cum formis intelligibilibus. probat autem consequentiam primo Anaxagoræ authoritate, quippè qui posuit intellectum immixtum ab omnibus, vt imperaret: hoc autem est, ut cognosceret, quæ verba bifa. exponi poßunt. primo quidem, vt sensus sit, Anaxagoras posuit intellectũ inmixtum, vt imperaret, id est, vt omnia cognosceret: secundo ita exponi possunt, quod sicut Anaxagoras posuit intellectum immixtum ab omnibus formis, vt omnibus formis imperaret, ita oportet hunc intellectum de quo sermo est, esse immixtum ab omnibus, vt omnia cognoscere valeat. sed prima expositio mihi magis placet. probat secundo consequentiam ratione, & ratio est à destructione consequentis ad destructionem antecedentis hoc modo, si intellectus alicui intelligibilium mixtus eßet, non omnia intelligeret, quia intus existens probibet alienum. sicut enim contingit in sensibus, quòd si oculus suffusus fuerit calore croceo à biliosso humore, color ille intus existens impedimento est, quo minus alios colores spectare queat, quinimmo quæcunque videt, ut crocea sibi visibilia sunt. ità si intellectus cum aliqua intelligibili forma mixtus esset, omnia recipere minimè poßet, quia forma illa inexistens probiberet ne aliena reciperet, & hoc uoluit Philosophus cum dixit: Intus enim existens probibet alienum) vt igitur omnia recipere et intelligere queat, purum, simplicem, ab omnique intelligibili forma liberum esse operæ prætium est, & hæc est sententia, germanaque expositio præsentis contextus, ex quo facilè colligitur Aristoteli minimè consentaneam esse Simplicij opinionem, dicentis, in intellectu rationes illas ideales intellectui coęternas adueniri, nam data Simplicij opinione Aristotelis ratio statim conuellitur. nam cum dicit, intellectus omnia intelligit, igitur ab omnibus intelligibilibus formis immixtus, & denudatus est. negatur consequentia.

ad probationem, quia si esset cum aliqua specie commixtus, non omnia intelligeret, quia illud intus inexistens aliena prohiberet, id totum negabitur, dixerimque quod intellectus cum formis & speciebus permixtum est, omniaque intelligere valet, nec intus inexistens prohibet ne aliena cognoscat, quia Simplicius ideas, & rerum species ponit, quæ intellectui minimè impedimento sunt, ne aliena cognoscat, & intelligat. si igitur Aristotelis ratio saluari debet, dicendum est Aristotelis rationes illas & ideas ab intellectu penitus reiecisse, voluisseq; formis intelligibilibus & speciebus simpliciter impermixtum esse, sed posteaquam in hunc locum incidimus, non erit ab re in confirmationem huius in medium afferre locum illum Aristotelis secundo. Posth. prope finem, vbi Philosophus dubitationem mouens quomodo demonstrationis principia cognoscãtur, quærit vtrum in intellectu de nouo generentur rationes & habitus, quibus principia cognoscuntur cum prius non essent, aut in intellectu sint rõnes & habitus, qui tamẽ latitent. cui sane dubio satisfaciens destruit secundum mẽbrum dicens: valde absurdum esse asserere in intellectu rationes adinueniri & habitus, illos autem latere: ideo concludit quod rationes, & habitus, illi de nouo generantur in intellectu, cum prius non essent. quomodo autem huiusmodi habitus consequamur declarans, inquit, id fieri medio sensu, si quidem ex sensu fit memoria, ex memoria verò sæpe de eadem re facta oritur experimentum, ex procedente autem experimento ac sæpe confirmato, vniuersale colligitur, quod scientiæ demõstratiuæ principium est. iam vero si Aristoteles eius eius fuisset opinionis quam sibi imponit Simplicius, tunc in soluendo difficultatem non debuisset reijcere et destruere illud secundum membrum quinimmo debebat illud recipere, & maxime comprobare: cum autem vt valde absurdum reijciat, comprobetque primum membrum, quod rationes, & habitus in intellectu de nouo generantur cum prius non eßent, itaque noluit Aristoteles has rationes in intellectu adinueniri, alioquin dubitationem præposterè soluisset, negasset enim quod erat affirmandum, & affirmaßet quod erat negandum, vnde studiosos monitos eße uelimus, vt Simplicij super tertium de Anima librum caute legant. sed quoniam hæc Aristotelis ratio in tex 4. duabus, vt inquit Auer. innititur propositionibus, quarum altera est, quod intellectus omnia intelligit, reliqua vero quod recipiens debet esse denudatum à natura recepti, proinde in sequenti, & vna, & altera dilucidabitur.

Quæ

Quę, & quot vegetalis animæ opera sint.

NVtritionem vegetalis animæ opus esse superius a nobis ostensum fuit, an vero præter hanc alia extent eius opera, & si alia sunt, quæ & quotnam sint, undeùe ipsorum sumatur necessitas, quisùe ordo, & series inter ipsa reperiatur, nunc a nobis exentiendum proponitur. Quò ad primum, Aristoteles 2. de anima cont. 34. vegetalis animæ operationes statuens inquit, eas esse generare, & alimento vti, sub hac quidem secunda, quæ est alimento vti, nutrire, & augere, simul comprehendens: quoniam cum anima in his duobus administrandis operibus alimenti conuersione vtatur, ex qua nutritio, & augmentatio fiunt, hæc verò cum affluentius, vberiusque alimentum eo conuertitur, quod consumptum fuit. eapropter nutrire, & augere communi hac voce, vtpotè, alimento vti, complexus est: in generatione verò, quoniam alimento non vtitur, sed id quod superfluum, alimentique excrementum est: siquidem in generatione semine vtitur, quod alimentum non est, sed ultimi alimenti vtile excrementum, idcircò generationem alimenti vti non appellauit, tres itaque erunt vegetalis animæ functiones & opera nutrire, augere, & generare, quòd autem auctio opus animæ sit, et quidem vegetalis, ex eo ostendi potest: nam auctio in viuentibus nutritionem consequitur, cum absque nutritione, alimentique conuersione fieri minimè possit, cum autem nutritio fiat ab anima vegetali: igitur auctionem ab eadem proficisci neceßariò dicendum est, præterea auctio in uiuentibus ab interno principio, & secundum omnem positionis differentiam efficitur: igitur auctio ab anima proficiscitur. siquidem actio secundum contraria loca non naturæ infra animam, aut virtutis elementarijs, vtpotè quæ ad vnam tantum positionis differentiam determinetur, sed animę actio est, qua ratione vsus fuit Aristoteles 2. de anima context. 14. qđ verò vegetalis animę opus sit, inde patere potest, quod auctio in stirpibus reperitur, quibus sola inest anima vegetalis: igitur ab hac auctio proficiscitur, eiusque munus est, eiusdem quoq; generationē opus esse hinc perspicuum eße potest, quoniā viuentium generatio opus est summè prçcipuum, maximeque a natura intentum, cū per hanc uiuentia æternitatem, eßeque diuinum, quo fieri potest. consequātur, qđ per nutritionem, & auctionē minimè contingit, quod si nutritio, & auctio ab aīa proficiscuntur: igitur & ab eadē generationē, quæ illarum finis est, & intenta magis prodire neceße est, quò etiam tendit Aristotelis ratio 2. de anima contex. 34. cum inquit: naturalissimum opus viuentium

uentium est quæcunque orbata non sunt, aut sponte nata sibi simile procreare, quasi dixerit, si nutritio, & auctio ab anima fiunt, ergo multò magis generatio, cum hæc opus sit magis præcipuum, magisque à natura intentum, ab anima proficiscitur. ità vt Aristotelis ratio à minori ad maius esse videatur. sed aduersus id, quod dictum est, nonnullæ occurrunt difficultates, quoniam generatio viuentium quandoque fit à Sole, et a calore cælesti, ut cum mures, & ranæ ex limosa terra, oriuntur. interdum verò a calore mixti putrescentis, vt cum vermes ex putrescente cadauere innascuntur. in quibus anima vegetalis non reperitur. igitur uiuentium generatio vegetalis animæ opus proprium non est, nec ab ea solum proficiscitur: accedit, quod viuentium generatio, vt 2. de ortu animal. cap. 3. docuit Aristoteles a calore, qui semini inest, efficitur, qui anima vegetalis non est, nec ei anima uegetalis coniuncta est, cum semen corpus organicum non sit, cuius, ex 2. de anima contex. 6. anima actus, & perfectio est, vt his breuiter occurrere valeamus animaduertendum est, duplicem viuentium generationem esse, alteram quidem quæ medio semine efficitur, reliquam verò absque semine, & ex putrescente materia. iam verò non omnis uiuentium generatio vegetalis animæ opus proprium est, ab eaque originem ducit, sed ea tantum, quæ medio semine absoluitur, ita vt ista conuertātur, anima vegetalis medio semine generat, omnisque generatio, quæ medio semine fit, vegetalis animæ opus proprium est. verum hæc nō eodem modo, parique conditione in cunctis animantibus generandi principium est: in quibusdam enim sibi simile secundum speciem generandi principium est: in quibusdam verò nequaquam, vt in ijs, quæ spontè, & ex putrescente materia nata sunt, quod sanè 2. de anima contex. illo 34. Aristoteles significauit inquiens, naturalissimum opus uiuentium est, quæcūque nec orbata, aut mutilāta sunt, nec sponte orta, sibi simile procreare. hæc enim licet sibi simile secundum genus procreēt, simile tamen secundum speciem minimè generant, vt octauo de histo. animal. cap. primo, et primo de ortu etiam animal. capit. 1. clarissimè Aristoteles declarauit, ita vt anima vegetalis sibi simile vel secundum genus, vel secundum speciem generandi principium sit. in his enim quæ ex putri materia orta sunt simile secundum genus generandi principium est, in his verò, quæ ex semine nata sunt simile secundum speciem generandi principium est. & hoc pacto vegetalis animæ definitio 2. de anima cōtext. 48. ab Aristote. tradita intelligenda est. cum inquit. Vegetalis anima sibi simile generandi principiū est. Vnde præter id, quod anima vegetalis a forma differt inanimatorum: quoniam anima vegetalis medio semine, quod vt materiam sibi ministrat, &

parat.

parat. forma verò elementorum per actionem, & passionem immediatè generat, nec materiam, ex qua generant, sibi producunt: differt etiam penes hoc: quoniam forma elementorum semper sibi simile secundum speciem generat. Anima verò vegetalis non semper sibi simile secundum speciem procreat, sed quandoque simile tantum secundum genus, vt dictum est, quibus sic acceptis allatæ dubitationes facilè diluũtur. & ad primam quidem dicimus, viuentium generationem, quæ ex putri materia exoriuntur, vegetalis animæ opus non esse, nec de ea Aristotelem intelligere, tametsi illa viuentium generatio ab animato corpore, vt a cęlesti corpore proficiscatur. Neque negotium vllum facit secunda, siquidem viuentium generatio, quæ ex semine oriuntur a calore proficiscitur in semine existente, sicut ab animæ instrumento, quæ licet in semine actu non reperiatur, virtus tamen ipsius, a qua semen decisum est, calori cõiuncta est, cuius vi, & ope calor membra efformat, animantiaque producit, quod sanè 1. de ortu ani. ca. 1. his verbis Aris. declarauit, semen uirtute generãtis agere dicitur, quod quidem iam separatum est, desiitque eße quod sanè reb. admirabilib. persimile est, in quibus mouens inest, quod mouet aliquid, & mox quiescit, relinquiturùe, quod mouet, mouetque eo motu, quem a morte acquisiuit. sic & in natura: cum n. id a quo semen conficitur uim semini tribuerit, quæ materiam ad perfectionem, & procreationem mouet, semen relinquitur secundum eam uim mouens. quamobrem neceße non est, ut generans tangat id, quod mutatur semen. f. vsque in finem, sed satis est in principio. Hæc Arist. Vnde anima uegetalis, vt productiua seminis, sibique materiam pro generatione parans in viuente actu reperitur. ut uerò generationis causa effectrix, & viuentium procreatrix, in semine virtute adinuenitur: quãobrem ab anima, ut a præcipua causa, a colore uerò semini inexistente sicut ab instrumento uiuentium generatio ex semine proficiscitur, cęterum his omnibus vegetalis animę administrandis operibus alimentum, vt materia inseruit, tametsi nõ secundum eandem rationem ad hæc tria obeunda munera concurrat respectu enim nutritionis, vt substantia concurrit. nam cum nutritio sit substantiæ iam effluxæ restauratio, substantia verò non nisi ex substantia restaurari, generarique possit, ideo nutritio ex alimento, vt substantia efficitur. quod primo de gener. contex. 41. his verbis Aristoteles indicauit, inquiens: alimentum, vt potentia caro nutrit, & vt hoc aliquid est, respectu uerò auctionis concurrit, vt quãtum. cum enim auctio sit maioris quantitatis adeptio, maius autem quãtum ex quanto consurgat, ideo auctio ex alimento, vt quantum efficitur, quod etiam loco citato Aristoteles declarauit, inquiens, alimentum vt

quantum

quantum auget: quomodo autem generationi inseruiat, licet Aristoteles non declarauerit, sed 2. de anima context. 4. cuius generationi inseruiat solum declarauerit dicens. alimentum generationis principium non est eius, quod alitur. sed similis ei, quod alitur, tamen dici potest alimentum generationi inseruire, vt superfluum est, & a nutritione redundās. id enim quod exuberat in semen conuertitur, & ob id Aristoteles primo de ortu animal. cap. semen definiens inquit, excrementum esse vltimi alimenti utpotè sanguinis, sicut etiam calor licet ad hæc eadem opera obeunda necessario requiratur, non tamen respectu omnium paribus viribus, eademque mēsura concurrit. respectu enim auctionis maior vis, potestasque caloris quam respectus nutritionis requiritur: quoniam cum in auctione vberius illud sit, quod instaurari debet, quàm illud, quod effluxit, quod in nutritione certè non contingit, in qua aut æquale, aut minus esse potest, eapropter auctio maius caloris robur, & vires, quàm nutritio exposcit. quibus omnibus sic explicatis, iam satis patere potest, vegetalis animæ operationes numero ternario constitutas eße, nunc secundum in ordine prosequamur.

Vnde trium vegetalis animę operationum necessitas desumantur.

V*EGETALIS animæ tria extare opera hactenus ostensum fuit. nunc verò vnde horum trium operum necessitas desumatur, considerandum est. porrò in uiuentibus tria necessaria sunt conseruatio indiuidui, idonea quantitas ad operandum, & conseruatio speciei. Nam cum in viuentibus substantia assiduo fluore varijs ex causis continuè dissipetur: si aliquo temporis interuallo conseruari debet, illud, quod effluit rependi operæpratium est: quoniam verò eius, quod effluxum est, instauratio nil aliud est, nisi nutritio, idcircò uiuentibus omnibus, quòd longius conseruentur, nutritio necessaria fuit: quoniam verò uiuentium solum conseruari, sed etiam propria munera obire debent, hæc autem præstare minimè possunt, nisi conuenientem magnitudinem habeant, quam cum a primordijs generationis varijs ex causis, præsertimque ex exigua materiæ, & seminis quantitate habere minimè potuerint, temporis cursu eam acquirere debent. cum autem illam non nisi per auctionem acquirere valeant, idcircò viuentibus omnibus auctionem accōmodari operæpratium fuit, vt per ipsam in ampliorem molem porrigerentur. indeque veluti robur, & firmitatem quādam acquirerent, ac propterea suis muneribus fungerentur. quo fit, vt auctio*

ctio non formæ in materia conseruationem, sed uiuentis opera, ueluti finem, respiciat. cum enim forma viuentis a primordijs generationis sub ea materiæ magnitudine introducatur, & conseruetur, igitur ad formæ conseruationem ea materiæ quantitas satis eßet, alioquin forma sub ea materiæ quantitate genita non esset. vnde nutritio substantiã uiuentis formęque in materia conseruationem respicit. & licet substantia, quæ nutritione acquiritur quanta sit, quando substantia materialis absque quantitate consistere nequeat, nutritio tamen substantiam non respicit, vt quantitatem habet, sed vt substantia tantum est. & hoc illud est, quod obscuris verbis dicere uoluit Aristoteles primo de gener. contex. 4. cum inquit, [Hæc autem species sine materia, immaterialis quædam potentia, in materia est.] quorum uerborum sensus non ille est, quẽ eò loci attulit D. Thomas, sed germanus intellectus hic est, quòd forma, quæ nutritione acquiritur, in materia quidem est, & quantitate coniuncta: tamen vt nutritionis terminus est, sine materia, & quantitate eße dicitur, prout non quo materiam quantam habet, sed solum, vt substantia est, nutritione acquiritur. auctio verò ad idoneam quantitatem ad viuentis opera probè administranda respectum habet. tandem cum viuentia caduca, & mortalia sint, nec secundum indiuiduum æternitatem consequi possunt. necessarium esse videbatur, ne immortalitatis appetentia, quæ ipsis inest, sicut & alijs quibusque rebus, penitus eßet inanis. neue viuentium species quandoque deficerent, vt secundum successionem, & secundum speciem saltem ęternitatem consequerentur. verum quia neque species conseruari, neque viuentia secundum successionem æternitatem poterant adipisci, nisi per generationem, eapropter viuentibus generatio neceßaria fuit, eisque à natura tributa, vt quod singulari substantia seruari non poterat, specie saltem persisteret, hinc usu venit, vt unumquodque indiuiduum cum mortale dissolubileq; se sentiat, aliud sibi simile optet in suum locum reponere, in quod languidam, & inclinãtem vitam suam quodammodo conferat, & per quod ope generationis, quasi repuerascens, & renouatum, perpetuum quodammodo fiat, atque æternum, quod quidem 2. de anima contex. 34. his verbis Aristoteles declarauit, [naturalissimum opus uiuentium est, quæ lacessita, aut spõte orta nõ sunt, tale quale ipsum est, procreare, vt semper sint, conditionemque, quo ad possunt subeant diuinam, quam sanè appetunt vniuersa, ipsiusque gratia agunt omnia: quæ secundum naturam agunt,] quamobrem cum hæc tria in viuẽtibus necessaria sint, salus nimirum, & incolumitas indiuidui. idonea ad operandum magnitudo, specieique conseruatio, hinc vnicuique causa patere potest; cur vegetalis animæ opera

tiones numero ternario cōstitutæ sint, non plures, neque pauciores extiterint. quarum duæ, vt nutritio, & auctio ad indiuiduum spectant, tertia verò vt generatio ad speciei conseruationem attinet.

Inter vegetalis animæ operationes quis ordo reperiatur.

VT ea omnia exequamur, quæ de vegetalis animæ operibus ab initio tractare polliciti sumus, agè modo quæ series, quisùe ordo inter ipsa reperiatur explicemus. cęterum quia inter huiusmodi opera duplex ordo spectari potest, vnus quidem originis, alter uerò perfectionis, de ordine quidem originis, nulla prorsus dubitatio est. siquidem clarius est, quam aut ulla egeat explicatione, nutritionem via originis auctionem præire, cum auctio absque nutritione, alimentique conuersione in viuentis substantiam absolui minimè possit: & similiter vtramque generatione priorem esse, cum generatio absque eo quod in nutritione exuberat alimento, decentique magnitudine per auctionem adepta haud fieri queat, sed de ordine perfectionis dubitatio est, quod nam istorū operū perfectius, & excellētius sit ex quo præsertim inter nutritionem, & generationem dubitatio versatur, omissis hac in re inanibus argumentis, quibus vltro, citroque alijs satis inutiliter vti consueuerunt, quæ veritatis contemplationi non satis conuenire videntur, propositam difficultatem ità dissoluimus, inter uegetalis animæ opera generationem ordine perfectionis priorem esse, nutritioneque, & auctione multò perfectiorem, præstantioremque esse. itaque sicuti cæteris origine posterior est, ità sit perfectione prior. cuius problematis veritas ex his ostendi potest, & primo sic: finis ijs, quæ sunt ad finem nobilior, & præstantior est. vt 2. physico. contextu 22. docuit Aristoteles. iam vero generatio nutritionis, & auctionis finis est, igitur generatio nutritione, & auctione præstantior est, minor ex Arist. ostenditur 2. de anima contextu 49. vbi cum anteà vegetalem animam per nutritionem definiuisset, ostendens multo decentius esse ipsam per generationem definire, inquit, à fine vnumquodque denominari iustum esse. cum autem generatio aliarum vegetalis animæ operationum finis, igitur vegetalis anima per generationē definienda est, quod sanè facit eo contexinquiens. anima principium est generandi tale, quale ipsum est, quod animam habet. generatio itaque nutritionis, & auctionis finis est, igitur vtraque præstantior dici debet. insuper, actio qua nobilior acquiritur finis, nobilior certè conseri debet. iam verò generatione longè nobilior, quàm nutritione finis acquiritur, siquidem generatione esse perpetuum, & sempi-

ternum

ternum secundum speciem viuentia acquirunt, quod certè nutritione nō contingit, qua solum viuenti ad certum quoddam statutumque tempus conseruantur. igitur enarratio nutritione multò præstantior existit. tandem ipsius præstantia ex his, quibus conuenit facilè confirmari potest: enimuerò nutritio viuentibus omnibus siue imperfecta, orbataque aut sponte genita sint, conuenit. sibi similis autem generatio, neque imperfectis conuenit, vt ijs quę neque membrorum robur, neque idoneam magnitudinem habent, neque mutilatis, & sponte natis, sed solum ijs, quæ perfecta, & mutilata non sunt. nam eodem authore Aristotele 4. meteo. cap. de maturatione, perfectum est, quod tale, quale ipsum est procreare potest. itaque generatio nutritionem præstantia antecedit. nec illud silentio pertransibo, quòd nutritione pars substantiæ uiuentis acquiritur. generatione verò totum indiuiduum, totaque substantia per se consistens. iam verò totum est præstantius parte, quoniam vt philosophus inquit 2. phy. cont. 31. partes rationem materiæ, totum uerò formæ rationem habet. sicut itaque forma nobilior est materia, ità totum est præstantius parte. igitur generatio, qua tota acquiritur substantia, nutritione nobilior est, qua solum pars uiuentis substantiæ adipiscitur. & proindè quia generatio inter opera uegetalis animæ opus præstantissimum est. naturalissimum viuentium opus hoc est à natura maximè intentum, loco superius citato ab Arist. appellatur. quo enim opus aliquod præstantius est. eò magis à natura intentum esse dicitur, & licet nutritio sit generationis basis, & fundamentum, cum citra opem nutritionis generatio absolui minimè possit, & sublata nutritione statim generatio collabatur, non propterea nutritio generatione præstantior dici debet. enimuero sensus tactus in animalibus aliorū sensuum radix, & fundamentum est. non propterea sensus tactus sensu uisus, & auditus præstantior est: illud enim potius necessitatem, quam perfectionem ostendit. Quod si quis huic ueritati ita se se opposuerit, ostendens nutritionem generatione perfectiorem esse: quoniam conseruatio uiuentis secundum unitatem numeralem perfectior est, quam conseruatio viuentis secundum unitatem specificam, sicut vnitas, & identitas numeralis unitatem secundum speciem secundum perfectionem antecedit. iam uero nutritio ad uiuentis conseruationem secundum unitatem numeralem conducit. generatio uero ad conseruationem viuentis secundum unitatem secundum speciem solummodo confert. igitur nutritio generationem præstantia antecedit. Huic sanè hunc in modum est occurrendum, quod licet aliqua ex parte conseruatio uiuentis secundum unitatem numeralem perfectior sit, quam eiusdem conseruatio secundum identita-

tem, & unitatem speciei, prout vnitas numeralis supra unitatem specificam aliquam perfectionem significat, quia tamen conseruatio uiuentis secundum unitatem numeralem, quo ad tempus est, & secundum præfinitam quandam periodum, conseruatio autem viuentis secundum vnitatem speciei est secundum esse perpetuum, & sempiternum, ac proinde secundum esse nobilius, atque diuinius, eapropter conseruatio viuentis æterna secundum unitatem speciei præstantior est, quam conserua tio uiuentis secundum unitatem numeralem. cum autem hæc per nutritionem, illa verò per generationem habeatur. idcircò generatio nutritione præstantior esse dicitur. quod si nutritio perpetuò indiuiduum conseruaret, nutritio generationem dignitate præiret, quinimò generatione uiuentibus opus non esset. Quà in re illud minimè reticebo, generationem esse ueluti speciei nutritionem. nam sicuti nutritio singularis substantiæ uiuentis partis deperditæ instauratio est ex conuersione alimenti, propter salutem particularis uiuentis, ita generatio instauratio est indiuidui iam deperditi, atque corrupti ex transmutatione redundantis alimenti, utpotè seminis, propter conseruationem speciei; cæterum sicut generatio nutritione perfectior est, ita etiam auctionem perfectione antecedit, tùm quia finis est, tùm ratione termini, quoniam auctio ad quantitatem est. generatio verò ad substantiam, tum ratione eorum, quibus conuenit. enimuerò generatio perfectis solum conuenit, auctio verò, & imperfectis, & mutilatis, atque sponte natis communis est. sed si nutritio, & auctio inter se conferantur diuersa ratione vna perfectior altera dici potest. Nam ratione termini nutritio auctione perfectior est. quoniam nutritio ad substantiam est, auctio verò ad quantitatem, sed auctio, tùm quia nutritionis quoquomodo finis est. tùm quia vltimo, & perfectissimo fini videlicet generationi proximior est, nutritionem dignitate præcedit. Nam quod optimo, & perfectissimo propinquius est, perfectius quoque dicitur. vt 2. met. Arist. declarauit, vndè in cathegorijs rationem assignans, cur species perfectior sit, magisque substantia quàm genus, eam esse inquit, quoniam species primæ substantiæ, quæ maxime substantia est, propinquior existit. cum itaque auctio generationi, quæ inter opera uegetalis animæ perfectissima est, proximior sit, hac ratione nutritione perfectior dici potest.

An uero nutrix, auctrix, & generatrix, à quibus hæc opera promanant, realiter distinguantur, sequenti cap. explicabitur.

An

An altrix, auctrix, & generatrix inter se essentialiter distinguantur, & ab anima vegetali.

CVM tres iam explicatæ operationes ab altrice, auctrice, & generatrice promanare dicātur, nec satis constet, an hæ tres virtutes eædem sint, aut potius inter se realiter & specie distinguantur; eapropter ne vllus hac in re supersit dubitandi locus, huius quoque problematis veritatem illustrandam, dilucidandamque fore operæpretium esse duxi. Gandauensis 2. de anima quæst. 13. Albert. mag. eodem libro, tract. 2. cap. 9. & tandem ij, qui B. Thomæ doctrinam sunt insecuti, concordes dixerunt, altricem, auctricem, & generatricem, inter se realiter, specieque distingui, easque nil aliud esse, nisi qualitates de secunda specie qualitatis, quæ naturalis potentia dicitur, & ex consequenti ab anima vegetali essentialiter differre, quę duo dicta persuadere nituntur, & primum quidem hoc pacto, huiusmodi virtutes diuersas, specieque distinctas habent operationes, vt alere, augere, & generare. igitur inter se specie distinctæ sunt. consequentia ex eo deducitur. quoniam operationes specie distinctæ formas arguunt, à quibus promanant, specie distinctas. quod etiam indicauit Aristoteles 2. de anima contextu 22. vbi inquit, potentias per actus, & opera distingui. cum itaque alere, augere, & generare specie distinguantur, igitur et altrix, auctrix, et generatrix à quib. proficiscūtur specie disiungūtur secundò eandem sententiā ex diuersa formali ratione obiecti ità confirmant. Nam licet istarum virtutum idem sit materiale obiectum, circa quod versantur, vtpote alimentum; non tamen eadem ratione formali ipsarum obiectum est, vt antea dictum fuit, iam verò potentiæ, quarum diuersa sunt obiecta formalia realiter distinguntur, igitur & virtutes inter se realiter distinguntur: essentialiter verò ab anima vegetali, quod secundum dictum erat, ita ostendunt. Substantia non est immediatum principium agendi, sed medio accidente operatur. vt ex Aristotel. habetur libro de sensu, & sensili, igitur anima vegetalis medio accidente, & qualitate tria isthæc opera exercet. Cum autem hæc medijs his tribus potentijs administret, igitur huiusmodi potentiæ accidentia sunt, & qualitates, ac proinde ab anima uegetali essentialiter differentes. sed horum essentia quò ad vtrumque dictum falsa est, & ab Aristotele aliena, & primum quidem dictum à veritate recedere, ità ostendo: animantium naturalis calor nutritionis, auctionis, & generationis proxima, immediata-

que

que causa est instrumentaria tamen, ut 2.de anima contextu 41. & 2. de ortu animal.cap. 3.docuit Aristoteles. iam uerò ex harum operationum diuersitate naturalis calor secundum essentiam, & speciem non variatur, sed unus, & idem calor diuersa hæc munera obit, & administrat. igitur una, & eadem potentia diuersa hæc munera obire potest, nec ex harum operationum diuersitate huiusmodi potentiæ distingui debent, quòd si ob hanc causam hæ potentiæ secundum speciem distinguūtur, a pari ex earumdem operationum diuersitate, diuersaque ratione formali obiecti, & alimenti, circa quod versatur calor, tres erunt calores in eodem uiuente specie distincti, quod quam falsum sit, nemo est, qui ignoret. Præterea nutritio, & generatio essentialiter, specieque non distinguuntur; igitur neque nutrix, & generatrix specie distinctæ sunt. quod aßumitur ex eo patet. quoniam nutritio generatio est partis carnis, & partis ossis substantiæ uiuentis. iamuerò pars carnis, & pars ossis, totaque caro, totumque os specie non distinguntur. igitur neque nutritio, & generatio specie distinctæ sunt. quoniam diuersitas motuum secundum speciem ex specifica terminorum diuersitate desumitur. vt 5. physico. auditu ab Aristote. memoriæ proditum est. tametsi nutritio, & generatio differentia quadam accidentaria inter se differunt. siquidem generatio ad substantiam per se, solitarieque consistentem; nutritio verò ad substantiam, utpotè ad carnem alteri coniunctam, & cohærentem terminatur. iam verò coniunctum, & separatum eße motus secundum speciem non euariant, cum differentia specifica motus penes terminos specie differentes, non penes terminorum modos spectetur. Vidit rationem hanc Fandanensis, & eo loci ita respondet, uirtutem generatricem duplicem esse, vnam quidem, quæ semen producit, quæ in uiuente corpore reperitur. alteram uerò, quæ ex semine corpus efformat, & ex eodem animam traducit, & hæc in ipso semine continetur, tunc ait, virtutem generatricem, quæ semini insidet ab altrice potentia specie non distingui, cum istarum opera specie non distinguantur: siquidem altrix partē carnis, & corporis efficiat, generatrix uero, quæ semini inest, totam carnem, totumque corpus producat, quæ specie non distinguntur. sed uis generatrix, quæ seminis effectrix causa est, in ipsoque uiuente reperitur, ab altrice specie distinguitur. cum altrix substantiæ viuentis partem, generatrix vero semen producat, quæ specie differunt, & hoc intelligendum esse inquit, cum dicitur generatricem ab altrice specie diuelli. sed hæc responsio mihi nequaquam probatur. primo, quoniam sicuti generare est alterum quale ipsum est procreare, ita vis generatrix est principium sibi simile procreandi, tametsi vis illa, quæ se
men

men efficit, appellari possit. prout materiam subministrat, vtpotè semen, ex quo uiuens generari potest. sicuti vis, quæ lac producit, propriè altrix non est, sed materiam suggerit, qua infans ab altrice virtute enutriri potest. neque dubitatio de hac cum quæritur, an generatrix ab altrice specie distinguatur. sed de ea, quæ verè generatrix est, cuius opus est alterum viuenti simile procreare. præterea estò vim hāc seminis effectricem etiam generatricem esse, profectò vis illa procreatrix, quæ in semine reperitur specie non distinguitur ab ea, quæ seminis causa effectrix est. siquidem vis procreatrix semini inexistens, quæ uiuens corpus efformat, nil aliud est nisi vis illa generatrix a qua semē ipsum deciditur, quæ uirtute in semine calori coniuncta, & copulata est, vt ex primo de ortu animal. antea citato satis conspicuum est. quod ex eo etiam confirmari potest. quoniam sicut vnus, & idem calor specie est, qui author, & effector seminis est in uiuente, & qui in semine existens ex eo animam traducit, ita eadem erit generatrix, quæ semen efficit, cum ea, quæ in semine existens corporis viuentis substantiam gignit, quòd si vis illa generatrix, quæ semini insidet specie, & essentialiter, vt ait, ab altrice vi non distinguitur, igitur neque vis seminis procreatrix ab altrice essentialiter discrepabit. quibus sanè rationibus Aristotelis authoritas accedit 2. de anima contextu 42. vbi inquit. quoniam eadem uis animæ est altrix, & generatrix &c. tametsi latini, vt lubet, hunc locum interpretentur. Nunc ad secundum ipsorum dictum me conuerto.

Alterum ipsorum dictum expenditur.

ABERRANT *quinetiam, & ab Aristotelis sententia quam longissimè recedunt, cum inquiunt huiusmodi virtutes ab anima vegetali essentialiter differre, & qualitates esse de secunda specie qualitatis, quod ex Aristotelis progressu ita ostendo. Nam cum philosophus eo loci de vegetali anima orationem habere instituisset, de ipsius obiecto, vt de alimento, ut in contextu 33. proposuit, primum tractare aggressus fuit. de quo cum peregisset, statim de operibus tacitè, & implicitis quodam modo verbis disseruit, a quibus ad vegetalem illico sese contulit. eamque tum per nutritionem in cont. 48. tum per generationem in cont. 49. definiuit. iam uerò aut Aristoteles ibi potentiam, aut animam definiuit, si potentiam, igitur Aristoteles solum accidens, & animæ qualitatem declarauit. ad animæ autem vegetalis substantiā non peruenit, neque eam declarauit, sicuti primo de anima cont. 3. proposuit,*

suit,

sum inquiens, inquirimus enim substantiam & animæ naturam contemplari. & eius accidentia. quamobrem propositę intentioni minimè satis fecisset, quod profectò dici nequit. Si verò animam definiuit. vegetalem, vt verba Aristotelis in 49. præseferunt, igitur ab operibus ad animæ substantiam progressus est. igitur inter essentiam animæ uegetalis, et opera potentia non inest, quæ ab animæ essentia distinguatur. alioquin ab operibus ad potentiam animæ vegetalis, non autem ad essentiam animæ progrediendum erat, cùm potentia animæ uegetalis nutritionis, & incrementi, ut aiunt, immediatum principium sit. & ab hac ad animæ essentiam proficisci, nec eo vt se se tueantur, confugere possunt. ut dicant, opus quidem non fuisse, Aristo. de potentia differere, aut aliquam de ipsa mentionem facere. quoniam potentia illorum operationum causa est instrumentaria. sed operibus ad animam, quę illarum princeps causa est, statim orationem conuertit. quoniam neque de calore naturali eadem ratione earundem operationum causa instrumentaria est, mentionem ullam facere debuisset. de quo tamen in cont. 41. & 50. disseruit: quinimò in cont. 50. agentia dinumerans, quæ in operibus uegetalis animæ administrandis concurrunt, duo solum dinumerauit, utpotè animam, & calorem, inquiens, animam esse mouēs solum. Calorem uerò esse mouens motum uidelicet ab anima cuius est minister, & instrumentum. ex quibus verbis facilè intelligi potest in huiusmodi administrandis operibus, inter calorem, et animam nullum aliud agens intermediū, vtpotè potentiam animæ adinueniri. quoniam non solum anima, & calor nutritionis principia essent, sed etiam potentia animæ vegetalis. ac proindè vnum esset mouens solum vt anima, duoque essent mouentia mota, vt calor, et potentia Altrix, quæ secundum ipsos est mouens motum ab anima vegetali, vt ab agente præcipuo, quod tamen eo loci Aristoteles inficiatur. itaque altrix, cæteræque virtutes non sunt ab anima vegetali essentialiter distinctæ, neque diuersa principia operandi ab anima vegetali; præterea philosophus 2. de anima contextu 33. Animæ essentiā peruestigandi methodum, et viam proponens duplicem tantum ordinem proponit, vnum sanè ab obiecto ad opera, alterum verò ab operibus ad animam. iam uerò si potentia ab anima uegetali distingueretur, triplex certè progressus, & ordo statuendus foret. vnus ab obiecto ad opera, alter ab his ad potentiam, tertius ab hac animæ essentiam. cum autem duplex tantum ab Aristotele statuatur progressus: igitur huiusmodi virtutes qualitates animæ vegetalis non sunt; nec ab ea essentialiter differentes. tandem huius rei necessitatem perpendo, propter quid huiusmodi virtutes, qualitates, & accidentia esse debent. Nam aut qualitates

tates esse, necessariũ est quoniã vegetalis anima cum suarum operationum immediatum principium esse non possit. medio egeat accidente quo suas operationes exercere queat, huiusmodi autem accidens & medium ipsa potentia sit: aut ob causam ab Egidio allatam accidentia esse debẽt. quoniam accidens variabile, quod quandoque adest, & abest. substantiæ non inhæret nisi medio aliquo accidente inuariabili, & permanenti. cum aũt uegetali animæ operationes variabiles sint. quoniã quãdoq; sũt quãdoq; uerò non sunt: præsertim augere, & generare. Animæ uegetali medio aliquo accidenti permanenti inhærere debent, huiusmodi autem accidens permanens cum aliud esse non possit, nisi potentia, ob id altrix, auctrix, & procreatrix accidentia esse oportet. sed nullum istorum huiusmodi virtutes accidẽtia necesse est. non quidẽ pp primum. quoniam animæ vegetalis naturalis calor, vt comes & minister iniunctus est, quo mediante suas operationes exercet. ut docuit Aristoteles 2. de anima cont. 41. & 50. quamobrem animæ vegetali aliud accidens, & medium adhibere necessarium non est, quo agat, & operetur. & ex consequenti iam dictas uirtutes accidentia esse, mediaque ad munera obeunda animæ uegetalis opus non est. Neque propter secundum id necessarium est. quoniam præter id, quod illa Egidij propositio non satis probanda est. uegetalis animæ operationes ei medio calore naturali inhærent qui accidens permanens est. cum uegetalem animam quousque viuenti corpori sociata est, perpetuò comitetur, quamobrem haud necesse est aliud accidens permanens excogitare, aut effingere quo mediante vegetales operationes ei inhæreant, & ab ea proficiscantur. atque proinde huiusmodi uirtutes ob hanc causam accidentia, & qualitates statuere minimè necesse est.

Dilucidatio.

QVAMOBREM *congruenter magis ad veritatem, & ad Aristotelem dicẽdum esse opinor, altricem, auctricem, atque procreatricem neque inter sese, neque ab anima vegetali realiter distingui, vt iam satis superius ostensum fuit, sed ipsammet animam vegetalem esse, quæ pro diuersitate officiorum, & munerum, quibus in corpore fungitur, secundumque diuersos, quos ipsa respectus habet, diuersa quoque sortitur nomina. respectu enim uiuentis corporis anima, & forma dicitur, prout corpus animatum reddit, eique esse impartitur, vt 2. de anima contex. 37. ab Aristotele scribitur. respectu vero operationum potentia appellatur. eadem nanque 2. de anima context.*

27.vegetalem in plantis, & sentientem in animalibus, potentias appellauit; cum inquit. in quibusdam enim una sola potentia inest, vt vegetatiuum in plantis, &c. respectu autem operationum potentia dicitur; quoniam vt docuit Aristoteles 9.met.contextu 3.potentia actiua est principium transmutãdi alterum, sicuti potentia passiua est principium transmutandi ab altero: quoniam ergo ratio potentiæ est, ut sit principium agendi, propterea anima vt agendi principium, potentia dicitur. sicut etiam eadem ratione natura vocatur, siquidem natura, vt legitur 2.physic.contextu 3.principium motus est, in eo, in quo est, &c. & hoc illud est, quod Aristoteles primo de anima contex. 3. cum suum in eo opere consilium patefaceret, cõsiderandum proposuit, inquiens: inquirimus enim animæ substantiam, & naturam, contemplari. substantia enim dicitur, prout uiuentis corporis actus, & forma est. Natura verò, vt in uiuente corpore operationum principium est. propterea philosophus, vt proposito instituto satisfaceret, duplicem tradidit animæ definitionem, vnam sanè, quæ animæ substantiam explicat, 2.de anima contextu 6.cum inquit, anima est actus corporis potentia vitam habentis: Alteram verò eodem lib. cont. 24.quæ animam vt naturam declarat, cum inquit, anima est principium quo viuimus, sentimus, intelligimus &c. quamobrem sicut natura realiter est forma substantialis, & ipsamet anima includens tamen respectum, & habitudinem ad motum, ita potentia est ipsamet animæ essentia, vt ad operationes habitudinem habet, & quoniam anima vegetalis tres operationes habet, alere, augere, & procreare, secundum harum operationum diuersitatem, diuersis quoque nominibus appellatur. prout enim alit, altrix, vt auget, auctrix. vt verò procreat, procreatrix uocatur. quam veritatem D. Augustinus nouisse visus est, libro de spiritu, & aĩa, cũ inquit. anima secundum sui operis officium varijs est nuncupata nominibus, quibus ita probè, ni fallor, explicatis, vt huius dogmatis veritas, quo ad utranque partem ab omni ambiguitate vindicetur, obiectis oppositum est occurrendum, & primum quidem, quo ostendebatur huiusmodi uirtutes inter se essentialiter distingui: quoniam diuersas secundum speciem habẽt operationes, præter id quod falsum assumit: omnes scilicet illarum operationes, specie distingui. siquidẽ nutritio, & generatio accidentali quodam discrimine solum, non autem essentialiter seiunguntur, vt anteà probatum fuit, facilè postea dissoluitur. Nam operationes, & actus in duplici differentia sunt. alij enim subordinati, & consequentes sunt, ita vt vnus ab altero pendere videatur, alij vero subordinati non sunt, iam verò propositio illa, diuersos actus, & operationes secundum speciem

à diuersis

à diuersis naturis secundum speciem proficisci, de actibus, & operationibus non subordinatis veritatem habet, & de his intelligit Aristotel. 2. de anima contex. 22. cum inquit, quod potentiæ distinguuntur per actus, probat enim ibi sensitiuum, & opinatiuum inter se distingui: quoniam sentire, & opinari, quæ sunt actus subordinati, & consequentes minimè sunt. actus verò specie differentes, qui subordinati sunt, formas species differentes minimè arguunt, sed ab una forma promanare poßunt, sicut calefacere, rarefacere, & liquefacere, tametsi operationes specie diuersæ sint, non tamen à diuersis formis secundum speciem proficiscuntur: sed ab uno calore promanant. cum autem alere, augere, & generare, operationes sint subordinatæ, & vna quasi ab altera dependens, eapropter diuersa principia, secundum speciem non exposcunt: sed ab vno principio, vnaque potentia prodire possunt, similiter & secundum diluitur. Nam licet in harum virtutum obiecto diuersa sit ratio formalis: ex hac tamen diuersitate essentialis harum virtutum differentia minimè infertur. quoniam sicuti cum huiusmodi diuersa alimenti ratione formali stat vnitas caloris innati, qui circa alimentum formaliter diuersum versatur, ita etiam cum huiusmodi diuersitate vnitas potentiæ consistit. Non enim quælibet obiecti diuersa ratio formalis diuersitatem potentiarum facit. Sed quæ nullum in obiecto ordinem includit. quoniam autem hæc tria in alimento, utpotè substantia. Quantum, & redundans, ordinem aliquem inter se habent, nō secus ac nutritio, quæ substantiam respicit: augumentatio verò quantum, & generatio vt redundans, ac superfluum, eapropter huiusmodi diuersitas in alimento harum virtutum essentiale discrimen minimè facit. Nec vllam molestiam exhibet postrema ratio, qua ostendebatur huiusmodi virtutes accidentia esse, & ab anima vegetali essentialiter differre. Nam quicquid sit de propositione illa, quæ aßumitur, videlicet substantiam non esse immediatum principium agendi, quæ profectò neque ex parte substantiæ, neque ex parte actionis vniuersaliter veritatem habet, ultrò quidem concedimus uegetalem animam non immediatè agere: sed medio quodam accidente tria illa munera exercere. cum autem infertur huiusmodi accidens potentiam eße, id inficiamur: quoniam huiusmodi accidens, quo intermedio vegetalis anima agit, & operatur, est naturalis calor, qui ipsius minister est, & instrumentum, à quo nutritio, auctio, & generatio promanant, vt 2. de anima cont. 41. Arist. declarauit. quib. sic explicatis, iam finē facimus, q̄d decursa, & planissimè exposita iam videantur oīa q̄ ad nutritionē, cæterasq; operationes aīæ vegetalis & ad facultates attinere uidebātur. à

Vbi sensus, ibi dolor, & lætitia, vbi autem hæc, ibi necessario appetitus reperitur.

SCRIBITVR sententia hæc ab Aristotele 2. de anima contex. 20. & 27. quæ utrobique ad ostendẽdum allata fuit, quod vbi sensus inest, ibi quoque appetitus necessario reperitur, in qua sanè explicanda, tria à nobis expendenda sunt: primum, quid sit dolor, secundum, ad quam facultatem pertineat dolor, postremum, quem ordinem tria hæc inter se habeant, dolor, sensus, & appetitum, & licet ad exactam doloris notitiam de ipsius causis disserendum foret, de quibus satis dubia quæstio est: tamen quia de re hac tum veteres, tum moderniores medici plenissimè pertractarunt, difficultatem hanc lubẽter silentio prętermisi. Quo ad primum spectat, tametsi dolor aliquo pacto alijs etiam sensibus cõmunis sit, prout tristia quædam et lætitia in eis reperiuntur, quæ ex obiecto delectabili, & tristabili oriuntur: tamen quia propriè dolor in sensu tactus reperitur, eapropter de dolore uerba facturus, de hoc præsertim pertractabo, porrò dolor, ut etiam secundo de patientibus locis descripsit Galenus, nil aliud est nisi tristis sensatio à tangibilibus qualitatibus tactui non conuenientibus. vimque inferentibus facta: sicut ex aduerso voluptas blanda quædam sensatio est ab eisdem qualitatibus facta, prout temperatæ sunt, tactuique conueniẽtes. Quam sanè doloris definitionem Horatius augenius conciuis meus tertio suarum epistolarum medicinalium libro perpendens, inquit, summo, cum artificio Galenum dixisse dolorem tristem sensationem esse, non autem sensationem simpliciter, vt significaret dolorẽ exterioris sensus actionẽ non esse, cuius munus est obiectũ solũ cognoscere, vt sensibile est, ut dulce, et amarum, calidumue, & frigidum: sed doloris essentiã in actione interioris sensus cõsistere, cuius munus est obiectum cognoscere ratione, qua nocuum, et molestum est, in cuius perceptione dolor ipse consistit quare cũ dixit Galen⁹ dolorem sensationẽ esse, exterioris sensus necessitatẽ significauit, cuius sanè cognitio pręire debet, cum uero dixit tristem sensationẽ esse, vim sentientẽ internam cõuenire necessario indicauit, cuius munus est, obiectum cognoscere sub ratione iuuantis, atq; nocentis. Hæc illæ, sed id commentitium quoddam est, quoniam si Galenus ita intellexisset, non solum in explicanda doloris essentia artificio, aut eruidtione vsus non esset, sed summam certè ignorantiam ostendisset. vt in secundi problematis explicatione declarabitur, vbi ad sensum exteriorem dolorem attinere, nec

re, nec

re, nec ad vim sentientem internam concurrere apertissimè demonstrabo, eapropter multò verius, mea sententia, dicendum est, dolorem tristẽ sensationem dici, non autem sensationem simpliciter: quoniam ad dolorẽ eiusdem virtutis sentientis duo actus necessario concurrunt, vnus quidẽ est, obiecti sensibilis cognitio, vt sensibile est, vt calidum, & frigidum alter verò est, obiecti sensibilis cognitio, vt triste, & iniucundum, quippè qui priorem necessariò præsupponit. Non enim sensus obiectum vt triste, vel ut iucundum cognoscit, nisi prius idem obiectum, vt sensibile est calidum scilicet, & frigidum cognouerit: & quoniã dolor in cognitione obiecti vt sensibile est non consistit. quoniam tunc cognitio obiecti sensibilis secundum omnem rationem, & gradum, quo sensibile est, dolor esset, proinde cognitio calidi temperati, pariter, & frigidi temperati, quæ sensibilia sunt, dolor esset. quòd à veritate abhorret, sed dolor in obiecti cognitione consistit, vt tristabile est, molestiamque infert, eapropter dolor non sensatio simpliciter, sed sensatio cum tristitia esse dicitur, ita vt his duabus vocibus non duæ virtutes, vt inquit ille, sed duo eiusdem virtutis sentientis actus, & munera, quæ ad dolorem concurrunt, intelligantur. cum enim sensatio dicitur, obiecti sensibilis vt sensibile est, cognitio intelligitur, cum uerò sensatio tristis, eiusdem obiecti cognitio, ut nocuum, tristemque indicatur, in quo doloris eßentia consistit. sicut & voluptas, quæ blanda sensatio est. utrumque actum pariter exposcit, & obiecti cognitionem, qua sensibile est, & quà delectabile. Quod etiam doctissimum Galenum intellexisse opinor, alioquin eius sententia falsa esset, et à verò maximè aliena, ex quo illud consequitur, dolorem actionem formaliter eße. Nam cum dolor sensatio sit, quæ quidem actio est, ut ex Aristotele patet 9. metaf. context. 15. vbi actionem diuidens in immanentem, & transeuntem inquit, actionem immanentem eße, vt sentire, & intelligere, quod etiam 2. de anima declarauit contex. 37. ubi statuit sentientem animam sensationis effectricem causam esse, ac proinde sensationem actionam formaliter, reique iudicium esse. Quamobrem dolor formaliter actio, non autem passio censeri debet, tametsi aliquo pacto passio nuncupari possit, prout dolor ipsius sensus actio quædam est præter naturalis, atque molesta. actionis autem, quæ noxam, detrimentumque aliquod significant passionis nomine appellari solent. Cæterum id, quod à nobis decretum est, eam contra se dubitationem habet, quoniam sentire ut 2. de anima contex. 51. & 3. quoque libro context. 2. ab Aristotele proditum, est pati quoddam est, igitur cum dolor formaliter sensatio sit, passio formaliter erit. Dicimus sentire non eße formaliter pati, sed causaliter,

saliter, & antecedenter, prout sentire absque passione præcedente, specierumque receptione in organo sensus fieri nequit, & hoc pacto citatis locis Aristoteles intellexit, cum inquit, sentire pati quoddam esse, quò fit, vt dolor actio, formaliter sit, reique nocentis perceptio, in organo tamen sensus passione quadam præcedente.

An passio dolorem præcedens spiritalis sit, aut materialis.

NON *leue certè negocium facit, quod modo excutiendum proponitur, porrò qui tangibiles qualitates profitentur in organum sensus tactus immediatè agere, illasque persentiri, vt Auicennas 6. naturalium libro cap. 4. & plusquam commentator in tertium artis paruæ librum Galeni com. 53. concordes affirmant passionem, quæ tristem sensationem antecedit, realem, ac naturalem eße, qua organum sensus tactus à tangibilibus qualitatibus immediatè afficitur, ex altera parte Aristoteles cuius authoritatem hi neglexisse videntur, censuit, vt legitur secundo de anima contextu 113. & infra, a tangibilibus qualitatibus organum sensus tactus immediatè non immutari: quoniam sicut in alijs sensibus sensibile immediatè positum supra sensorium nō sentitur, ita sese habet in sensu tactus, ex quo postea in contextu 116. deducit. carnem sensus tactus organum non eße: quoniam sensibile supra carnem immediatè positum persentitur, quo fit, vt passio, quæ dolorem, tristemque sensationem immediatè antecedit in organo sensus tactus ex Aristotelis sententia realis non sit, sed spiritalis, utpotè specierum receptio, quæ a tangibilibus qualitatibus in organum tactus producuntur, ut in contextu 121. eiusdem libri his verbis declarauit, [verum est dicere de omni sensu, quod est receptiuus specierum sine materia] profectò me non fugit, quam ardua, quamùe difficilis sit huius problematis explicatio; hac tamen in re Aristotelis sententiam sequar, inquiens passionem, quæ dolorem, sensationemque tristem immediatè antecedit, spiritalem eße, quæ nil aliud est, nisi specierum tangibilium qualitatum receptio in organo sensus tactus: sed quoniam spiritalis hæc passio absque immutatione reali tangibilium qualitatum in medium minimè fit, vt in carnem, aut alterum, quod carni proportione respondeat: eapropter passionem hanc spiritalem, specierumque receptionem in organum, passio quædam realis in medium antecedit, ita ut in dolore tria hæc reperiantur, quæ ordine sese consequuntur; primum quidem est. realis immutatio a tangibilibus qualitatibus, quam passio spiritalis consequitur, specierumque receptio in organo, cui statim tristis sensatio succedit,*

cedit, quæ est formaliter dolor. hæc autem tria ita se habent, quòd dolor est in sensu: quoniam dolor sensatio est, quæ in sensu reperitur, cum actio immanens sit, passio uerò spiritalis immediatè præcedens in organo inuenitur, reales autem immutatio, quæ fit à tangibilibus qualitatibus, in medio efficitur, & de hac propositio illa intelligi debet, cum dicitur, dolor passio materialis est, quæ non formaliter, sed causaliter intelligenda est, prout dolor absque passione, immutatio neque reali fieri nequit; ex doloris essentia explicata, illud colligitur dolorem minimè persentire, cum dolor sensatio sit, quæ sanè non sentitur, sed obiectum, quod nocuum est, atque contristans illud est, quod persentitur. & licet magnus ille Hipocrates secundo aphorismorum libro dicere uisus sit, dolorem sentiri, cm inquit, (quicunque aliqua parte dolentes, dolorem non sentiunt, ijs mens ægrotat) scito, dolorem formaliter nō accepisse vt tristis sensatio est, sed mater, pro obiecto videlicet, tristabili, quo oritur dolor, vt sensus sit, quicunque dolorem, hoc est triste obiectum non sentiunt, ijs mens ægrotat. Nunc secundum in ordine propositum aggredior.

Ad quam facultatem pertineat dolor.

PVTAVIT Excellentissimus Horatius loco citato dolorem ad sentiētem virtutem internam attinere, eiusdemque passionem esse, quam modo sensum communem, modo imaginatiuam, modo uerò appetitum esse affirmat. cuius verba eiusmodi sunt dolor, & lætitia ad appetitum attinent, cuius duo munera sunt, alterum quidem obiectum cognoscere, ut conueniens, et non conueniens est, reliquum uero quod conueniens est prosequi. quod verò non conueniens est aufugere, & reijcere) & paulò post ita subiungit, dolor est passio sensus, atque simul imaginatiue) quam indicare inquit, voluit Galenus cùm dixit, dolorem tristem sensationem esse. siquidem ad hoc, vt dolor fiat interiore virtute opus est, quam sententiam pluribus persuadere conatur. & primo sic, dolor in perceptione obiecti sensibilis consistit vt nocuum, atque tristabile est, iam verò nullus sensus exterior obiectum sub hac ratione percipere potest, tametsi illud ut sensibile est, cognoscat. igitur dolor exterioris sensus passio non est, sed præter ipsum sentiens virtus interna necessaria est, sed vt hæc, inquit, maiorem fidem faciant ex peripateticis, ipsoque Aristotele probanda sunt. idque primum ex Arist. probat 2. de ani. cap. de sensu communi, vbi inquit, præter externos sensus operæpretium esse communem sensum statuere, qui inter obiecta sensibilia

bilia differentiam cognoscat, quam externi sensus percipere nō possunt. igitur sensus communis obiectorum sensibilium differentiam cognoscit, prout hæc amica, & conuenientia, illa verò contristantia sunt, cui consimilem ex libro de somno, & vigilia Aristotelis authoritatem adducit, vbi hæc scribit, hæc est quædam communis potentia, quæ dulcia ab albis discernere potest) quibus verbis ostendit externos sensus inter sensibilia obiecta differentiam haud cognoscere, sed id ad communem interiorem potentiam attinere, postremo suam hanc sententiam ex Aristotele confirmat 2. de ani. contex. 20. ubi de insectorum animalium partibus loquens, sic inquit, vtraque enim sensum habent, & motum secundum locum si autem sensum imaginationem, & appetitum. vbi enim sensus est. ibi dolor, & lætitia, vbi autem hæc ibi quoque appetitus inest.) quam etiam sententiam in cōtex. 27. repetiuit. iam verò inquit vir iste, si appetitus necessarius non est ad hoc vt obiectum tristabile percipiat, quomodo hæc Aristotelis consequentia valet, ubi dolor est, ibi & appetitu. non enim opus erat inferre, ubi dolor, ibi appetitus, sed vbi dolor, ibi sensus, si ad dolorem, obiectique tristabilis cognitionem sensus externus satis est. et hæc sunt, quibus se demonstrasse arbitratur obiectū vt conueniens, vel non conueniens ab externo sensu percipi non posse, sed à uirtute interna, & ex consequenti dolorem, qui in obiecti non conuenientis cognitione consistit, non ad externum sensum, sed ad internum attinere.

Sententia hæc reiicitur.

QVONIAM *ea est veritatis lex, atque conditio, vt neque patriæ, neque amicorum, quinimò neque suijpsius permittat ratione haberi, eapropter certo scio mihi haud vitio dandum esse, si veritatis causa conciuis mei sententiam libero animo expendam, profectò omnia huius hominis dicta, quæ ad hanc rem explicandam allatta fuerunt, a verò quàm longissimè recedunt, quæ vt ab omnibus facilè intelligantur, ea in medium proponam, inquit primo, obiecta sensibilia ratione, qua delectabilia, & contristantia sunt ab externis sensibus minimè cognosci, addit secundò, sensus communis eam necessitatem esse, ab Aristoteleque institutum fore vt inter obiecta sensibilia prout alia iuuātia, alia uerò nocentia sunt differentiam cognoscat, subnectit tertiò, appetitum duplex munus habere, unum quidem, ut obiectum vt iuuans, & nocens cognoscat, alterum verò, vt hoc refugiat, illud uero prosequatur, ex ijs tandem concludit, dolorem qui in obiecti nocentis cognitione*

tione consistit, ad uirtutem sentientem internam attinere, eiusque affectionem esse perpendo singula eius dicta. primumque dictum ex eisdem Aristotelis locis falsum esse ostendo, quibus ipse sua pro confirmanda sententia vsus est. porrò Aristoteles 2. de anima contextu 20. inquit, quòd in parte animalis anulosi, vt in cauda lacertæ etiam diuulsa a toto, sensus adinuenitur, pariter & dolor. quoniam si pungatur refugit, atque contrahitur. Igitur ea in parte obiecti contristantis cognitio reperitur. certum est autem quòd in cauda lacertę, aut uermis à toto disiuncta sensus interior non reperitur, vt sensus communis, vel imaginatiua, sed solùm sensus tactus, igitur obiectum tristabile, ex quo oritur dolor à sensu tactus percipitur, quòd si à sensu tactus obiectum tristabile percipi nequit, sed interiore sensu opus est, igitur in cauda lacertæ, in qua duntaxat externus sensus adinuenitur, obiectum ut contristans non percipietur, ac proindè ea in parte neque dolor reperietur, prætereà in animalibus imperfectis, quæ Zoophita, ancipitisque naturæ vocantur, vt ostreæ sunt, & Conchilia, & id genus cõsimilia, dolor, et lętitia reperiuntur. quoniam si iucunda eis obuiam fiant, dilatantur, si verò tristia, atque aduersa, refugiunt, & contrahuntur. igitur in eis iucundæ, contristantisque rei cognitio reperitur. certum est autem, quod in animalibus his ne vllus quidem sensus interior reperitur, sed solum sensus tactus, vt Aristoteles 3. de anima declarauit cont. 56. vbi hac exclusiua usus est, inquiens, [in animalibus imperfectis solùm sensus tactus adinuenitur. [igitur sensus tactus non solum obiectum, qua sensibile est, ut calidum, & frigidum, cognoscit, sed etiam, ut delectabile, atque tristabile est, secus in his dolor, & lætitia non reperirentur, ut Aristoteles ait, ipsaque rei euidentia ostendit. quòd si in hoc animalium genere sensus tactus absque sensus interioris concursu obiectum vtroque modo, & ut sensibile, & ut tristabile cognoscere potest. ergo & in animalibus perfectioribus ipsoque homine obiectum vtroq; modo percipere valet. Aristotelis prætereà institutum ego perpendo 2. de anima cont. 20. & 27. porrò vtrobique philosophi institutum est probare, quòd vbi sensus tactus inest, ibi quoque appetitus reperitur, idque insectorum animalium partibus etiam a toto decisis hac ratione probauit, in partibus his sensus tactus reperitur, sed ubi hic adest, ibi dolor, & lętitia sunt, ubi necessariò inest appetitus, ergo ubi sẽsus tactus, ibi appetitus, quæ ratio in animalibus imperfectis etiam necessitatẽ habet, quæ solum sẽsu tactus prædita sunt. iam uerò cum philosophus infert, ubi sensus tactus, ibi appetitus, aut per appetitum, intelligi appetitũ internũ in sensu interiore existẽtẽ, aut appetitum externum. primum quidem dici nequit. quoniã

EEE illatio

illatio hæc falsa est. vbi est sensus tactus, ibi sensus interior. siquidem animæ virtutes hoc ordine distributæ sunt, quod vbi perfectiores sunt, ibi quoque imperfectiores, in mortalibus tamen reperiuntur, sed non econtra, vt 2. de anima contex. 5. Aristoteles declarauit. igitur per appetitum intelligit externum, qui in exteriori sensu reperitur. quamobrem Aristotelis discursus erit iste, vbi sensus tactus, ibi dolor, & letitia. vbi autem hæc, ibi appetitus, qui sensum tactus insequitur. igitur dolor, & lætitia ad sensum, appetitumque exteriorem attinent. & cum dolor, & lætitia in obiecti delectabilis, contristantisque cognitione consistant. igitur, sensus externus obiectum vt delectabile, cōtristansque iudicat, & cognoscit, hinc videat doctus iste vir quàm accuratè illum Aristotelis contextum animaduerterit, cum ex eo deducit dolorem, & letitiam appetitus interni munera, & affectiones esse. secundum quinetiam eius dictum ab Aristote. & à ueritate abhorret. Non enim præter alios sensus cōis ob eam causam ab Arist. ponitur, vt obiectorum sensibilium prout alia iuuantia, alia uerò nocentia sunt, differentiam cognoscat: sed ut inter obiecta diuersorum sensuum differentiã percipiat, ut inter dulce & album, calidumue & nigrum; ut 2. de anima cap. de sēsu communi ab Aristo. proditum est, atque libro de somno, & vigilia, quem locum vir iste pro sua opinione in medium affert. verba enim Aristotelis hæc sunt, [est quædam communis potentia, quæ dulcia ab albis discernere potest.] quibus verbis, quis obsecro est, qui non videat vel luce clarius Aristotelem sensum communem statuere, non vt obiectorum iuuantium, vel nocentium differentiam cognoscat: sed vt, dulcia ab albis, ac proindè obiecta diuersorum sensuum discernere possit, potest quidem sensus visus album à nigro discernere, sed nō album à dulci, eapropter uirtutem quandam internam, quæ sensus communis dicitur, ponere opus est, quæ obiectum vnius sensus ab alterius obiecto discerneret. Neque verum illud est, quod tertio loco addit, appetitum duplici munere fungi, vtpotè obiectum triste, atque iucundum cognoscere, nec non vnum aufugere, & alterum consectari. Nam vel ab ipso accipitur appetitus formaliter, vt appetitus est, uel pro sensu communi, & imaginatiua, si primo profecto appetitus non cognoscit, vt etiam rectè animaduertit Alexander primo suæ paraphrasis de anima cap. 21. sed solum inclinationem significat ad prosecutionem, & fugam: si uerò secundo modo, obiecti sensibilis sub ratione, qua triste aut periucundum est, ad uirtutem sentientem internam non attinere. anteà ostensum fuit, adde, quòd ultro etiam concesso, obiectum sub ea ratione ab appetitu cognosci, huiusmodi cognitio nō ad appetitum inter-

num

num, vt ait, accepta referri debet, sed ad appetitum externum, & ex Aristotelis discursu facilè patet 2. de anima cōtextu illo 20. iam pridem animaduerso. ex quibus omnibus, postrema eius enunciatio statim collabitur, cum inquit, dolorem ad uirtutem sentientem internam attinere, eiusque affectionem esse.

Dilucidatio.

EAPROPTER multo verius dicendum est, externos sensus non solum obiectum cognoscere, qua sensibile est, sed etiam prout delectabile, & tristabile est, quod etiam ex fine facilè demonstrari potest. enimuerò exteriores sensus, præsertimque sensus tactus, in quo animalis esse consistit, propter hunc finem animalibus a natura tributi sunt. ut ab his quæ sibi noxam, aut interitum inferre possunt, sese tueri queant, sicut etiam Arist. 3. de anima cont. 60. testatum reliquit. Iam uero animalia sensuum ope ab externis iniurijs, rebusque nocuis se cauere non possunt, nisi exteriores sensus sensibilia obiecta, vt molesta, nocuaque percipiant. igitur externi sensus obiecta sensibilia sub hac ratione necessario cognoscere debent, secus ostreæ & Conchæ, idque animalium genus à rerum nocentium incursu declinare non possent. & cum dolor, nil aliud sit, quam tristis sensatio, obiectique contristantis cognitio, sicut igitur huiusmodi obiecti cognitio pertinet ad sensum tactus, pariter & dolor ad eundem attinet sensum, eiusque affectio esse dicitur. & licet in sensu tactus appetitus reperiatur, quoniam vbi sensus, ibi quoque appetitus inest, vt citatis locis Aristoteles inquit: quinimò sensus, & appetitus re ipsa vnum & idem sunt, ut 3. de anima legitur contextu 29. non tamen dolor in appetitu consistit. nec eius affectio dici potest. tùm quia appetitus vt appetitus non cognoscit, vt antea dictum est: tùm quia, dolor tristis sensatio est, quæ appetitus, & concupiscentiæ munus non est, sed sensus vt sensus est, eapropter dolor ad sensum tactus pertinet, prout sensus est, non autem vt appetitus, vndè alia est operatio sensus tactus, vt sensus est, alia uero vt appetitus. eius enim operatio vt sensus, spiritalis est, vt cognitio, quæ duplex est. altera quidem obiecti, vt sensibile est. reliqua vero eiusdem obiecti, ut delectabile, & tristabile est. Appetitus vero operatio, realis est, vt persecutio, & fuga, quæ motus sunt secundum locum, hæc autem tria videlicet, sensus, dolor, & appetitus, quod tertium erat in ordine propositum, hunc inter se ordinem habent. Primo enim sensus tactus est, ut obiectum cognoscens, quà sensibile est, ut calidum,

ſurgi conſequitur. ſicut ex voluptate inclinatio ad proſecutionem con- t, quam ſanè neceſſitatem, ut philoſophus oſtenderet, dixit, ubi dolor, ibi quoque appetitus ad fugam neceßariò reperitur, & hæc de dolore ſatis.

Quibuſdam animalibus ſolum ineſt ſenſus tactus.

ANimalia quædam in rerum natura reperiuntur, quæ in animaliũ genere ita imperfecta ſunt, vt ex omnibus ſenſibus ſolo ſenſu tactus pdita vitam degãt, vt hac propoſitione, q̃ 2. de anima cont. 27. & 3. de anima cont. 56. ſcribitur, Ariſtoteles fidẽ facit. hæc autẽ illa ſunt, quæ cum ancipitis cuiuſdã naturæ ſint, a græcis Zoophita, a quibuſdam uerò plantanimalia nuncupãtur, quæ ſtabili quadã ſede ſcrupulis, lapidibuſq; affixa manent. ut ſunt Spongia, Oſtreę, Conchilia, & id genus alia, ſed circa hoc Ariſtotelis decretum illud difficultatẽ facere videtur. quoniã cum huiuſmodi animalia motu dilatationis, & cõſtrictionis moueantur, ut ex rerum externarum occurſu facilẽ patet. quoniã ſi eis aliquod ſuaue, & periucundũ occurrat, diffunduntur. ſi uerò aliquod noxium, & inſuaue contrahuntur, & in anguſtum ſeſe contrahunt. cum autẽ huius motus principium imaginatiuam eſſe 3. de anima cont. 56. ab Ariſtotele ſtatutum fuerit igitur non ſolũ ſenſu tactus prædita ſunt, vt ait ipſe. & licet eo loci, Ariſtoteles declarauerit, imaginatiuã quæ imperfectis animalibus inſidet. perfectam non eſſe qualis ea eſt, quæ perfectioribus aĩalibus ineſt: ſed indeterminatã, & confuſam, quo ẽt antea 2. libro de anima com. 20. declarauit Auerroes: id tamẽ dubitationem non tollit. quoniã tametſi imaginatiua hęc indeterminata, & confuſa ſit, ſatis eſt, huiuſmodi animalia non ſolũ sẽsu tactus pdita eſſe, ut huic dubitationi occurram⁹. Quid ſit imaginatiua hæc indeterminata, quę animalibus imperfectis ab Ariſtotele accomodatur. Cõſiderandũ eſt, arbitror ego imaginatiuam hanc reipsa à sensu tactus minimè differre. duo autem sunt, quę mihi hoc perſuadent. primum eſt, quoniã ſi a sensu tactus re diſtingueretur, ſtatim corrueret propoſitio Ariſtotelis q̃ modo a nobis explicatur, animalia ſcilicet imperfecta solo sensu tactus prædita eße. Non enim hæc duo conſiſtere poſſunt, animalia imperfecta solum sensum tactus habere, & eisdem imaginatiuam ineße, quæ a sensu tactus re, & eßentia diſtinguatur. ut igitur Ariſtotelis propoſitio conſiſtat imaginatiuam hanc eſſentia coire cum sensu tactus aſſerere operæpratium eſt, hoc idem illud mihi secundò perſuadet. quoniam ſi imaginatiua hærere a sensu tactus diſtinguitur, aut eſt ſensus interior, aut

exterior

exterior, interior quidem esse non potest. quoniam sensus interior percipit et imaginatur in absentia obiecti sensibilis: imaginatiua uerò, quę in animalibus imperfectis reperitur; non imaginatur, neque cognoscit in absentia obiecti. primò quidem, quoniam tunc esset imaginatiua perfecta non secus, ac in animalibus perfectis, quæ rem cognoscit, & imaginatur in absentia obiecti sensibilis: secundò, quoniam ut philosophus inquit 2. de anima contextu 20. in cauda lacertæ, aut alterius animalis anulosi à corpore diuulsa unà cum appetitu reperitur imaginatiua imperfecta, nullus autem dicere audebit, imaginatiuam, quæ in cauda lacertę reperitur, rem absentem concipere, & imaginari, neque à sono, uel ab odore, aut à sapore mouetur. quoniam quicquid istorum caudæ lacertæ, aut spongiæ obuiam fiat, ne tantillum quidem mouetur. sed si à tangibilibus qualitatibus tangatur, dilatatur, aut contrahitur, dolorisque aut lætitiæ sensu tenetur. quamobrem imaginatiua quæ in animalibus imperfectis reperitur, nil aliud est quàm sensus tactus, solaque ratione ab eo distinguitur. nam in sensu tactus quatuor actus reperiuntur, primo quidem sensus tactus percipit obiectum, vt sensibile, vt scilicet calidum, & frigidum est: secundo obiectum percipit, vt delectabile, uel tristabile; hinc statim sequitur appetitus, uel amplectendi, quod est delectabile, uel repellendi, quod tristabile est. sequitur tandem ad hoc uirtus motrix, quæ illud prosequitur, & hoc aufugit. Hæc autem quatuor re & essentia non distinguntur, sed ratione tantum. nam prout obiectum sensibile percipit, sensus dicitur, prout uero obiectum cognoscit, ut conueniens, uel non conueniens, imaginatiua uocatur: prout uerò ex obiecto conuenienti uel non conuenienti appræhenso ad prosequendum unum, & aufugiendum alterum, appetitus dicitur. ut uerò imperfecta hęc animalia mouet motu dilatationis, & constrictionis potentia nuncupatur, undè sunt ueluti gradus quidam sensus tactus ordine quodam sese consequentes. & quoniam imaginatiua hæc idem est quod sensus tactus, propterea ab Aristote. confusa, & indeterminata appellatur. quoniam sicut & sensus tactus diffusa est per omnes huiusmodi animalium partes: in quauis enim parte lacertę diuulsa à toto imaginatiuam reperiri 2. de anima contextu 20. docuit Aristoteles. quamobrem indeterminata dicitur ratione subiecti. quoniam determinatam sedem non habet in animali, sed per uniuersum animal dispersa est, & in singula quaque parte operatur, indeterminata quinetiam, & confusa dicitur ratione loci. quoniam cum animal mouet non magis hunc, quàm illum locum sibi præfinit, ut imaginatiua animalis perfecti, sed ad incertum, indeterminatumque locum mo-

uet,

uet, prout hac vel illa parte obiectum delectabile prosequendum occurrit, vel ad hanc, & illam partem obiectum tristabile refugit. & propterà loco citato ab Aristo. indeterminatè, confuseque mouere dicitur. & hæc satis.

Fames est appetitus calidi, & sicci.

SCRIBITUR hęc famis definitio ab Aristotele 2. de anima contextu 28. quæ ob eam causam allata fuit, ut ex ea ostenderet, quòd vbi reperitur sensus tactus, ibi quinetiam appetitum reperiri operæpretium est, quæ cum non satis conspicua sit, nec in assignanda famis definitione Aristoteles cum Galeno conuenire videatur, idcircò eam mihi explicandam proposui. in ea autem explicanda quatuor tractanda sunt: considerabo primum, quæ, & quot ad ipsam famem concurrant: secundo famis definitio explicabitur: tertio quomodo hæc Aristotelis definitio ab ea distinguatur, quæ à Galeno tradita est: postremo, an in omnibus animalibus reperiatur fames. quò ad primum spectat, Galenus primo de symptomatum causis cap. 7. cum de fame loqueretur naturali, quinque ad famem ordine quodam sese consequentia necessariò concurrere affirmauit. primus enim inquit, partium corporis resolutio concurrit, secundo naturalis resolutarum partium appetitus. hunc tertio consequitur attractio partium vt se repleant, ab hepate, & à uenis, quæ ueluti emulgentes attrahunt à ventriculo. quartum in ordine sensus est inanitionis alimenti in uentriculo. hinc postremo appetitus oritur animalis, qui fames est, quæ omnia ad famem naturalem concurrere intelligendum est. quoniam ad uitiosam famem, & quæ præter naturam est, minimè concurrunt, cum hæc non ex sectione, attractioneque partium à uentriculo exoriatur, sed ex læsa, deprauataque functione ventriculi, de qua sanè in præsentia non loquimur; sed de ea, quæ naturalis est, sed quamuis hæc, quæ à Galeno dinumerantur in naturali fame reperiantur, mihique maximè probentur, illud tamen mihi nullo pacto probatur, cum inquit, appetitum, qui partium inanitionem insequitur naturalem esse, & absque cognitione. enimuero cum duo in fame appetitus reperiantur, vnus qui partium inanitionem, alter verò qui uentriculi inanitionem insequitur, primus inquit naturalis est, & absque cognitione: alter uerò animalis, & cum inanitionis perceptione, quod secundum dictum licet verissimum sit, primum tamen a veritate abhorret, quod discursu Aristotelis ostendo 2. de anima contextu 27. vbi demonstraturus, quod vbi reperitur sensus tactus, ibi quoque

que appetitum inesse oportet, hac vtitur ratione, vbi reperitur sensus tactus, ibi lætitia, & tristitia reperiuntur. quoniam vbi sensus tactus inest, ibi rei delectabilis, tristabilis cognitio reperitur, vbi autem hæc, ibi neceßariò lætitiam, & tristitiam adesse oportet, sed ubi hæc duo reperiuntur, ibi neceßariò appetitus existit, aut prosequendi delectabile, aut refugiendi, quod tristabile est. certum est autem rationem hanc de appetitu animali concludere, qui cum cognitione est. quoniam de eo appetitu concludit, qui sensum insequitur. eadem ratione ostendi potest appetitum, qui in partibus corporis adinuenitur, non naturalem, sed animalem esse, hunc sanè in modum. in qualibet corporis parte, quæ tamen apta sit sensum promereri, sensus tactus reperitur. ergo in qualibet parte lætitia reperitur, atque tristitia. sed ubi hæc insunt, ibi necessariò est appetitus animalis, & cum cognitione, ergo in qualibet corporis parte appetitus animalis, & sensus insequens cognitionem adinuenitur, ac proindè appetitus ille, qui sentientium partium inanitionem insequitur, non naturalis, sed animalis est. non enim animo consequi potest, in cæteris corporis partibus sensum tactus adinueniri, in eisque cognitionem rei delectabilis, atque tristabilis non reperiri, ac proindè appetitum animalem illud amplectendi, hoc verò aufugiendi. Nam si pungatur pes, aut caloris feruore uratur, statim contrahitur. præterea alia ratione ostendi potest. qua in contextu 28. ad eandem conclusionem Aristoteles usus est. quæ ità se habent, vbi est sensus alimenti ibi fames, sed fames est appetitus calidi, & sicci, ergo vbi sensus alimenti, ibi quoque reperitur appetitus. Hinc ratio contra Galenum hoc pacto erigi potest, vbi sensus alimenti ibi fames, quæ appetitus est, sed in quauis corporis parte, quæ apta sit sensum habere, reperitur sensus alimenti, qui ex eodem contextu nil aliud est, nisi sensus tactus. cum calidis, frigidis, humidisque, & siccis alantur corpora, quæ sensum tactus attinent. igitur in quauis corporis parte reperitur appetitus, qui ponitur in definitione famis, hic autem animalis est, vt Galenus, cæterique omnes concordes affirmant. ergo in quauis parte reperitur appetitur animalis. quo fit, vt in cæteris partibus non solum inanitio reperiatur, sed sensus etiam inanitionis alimenti, ac proindè appetitus animalis. Nec maiorem illam propositionẽ Galenus inficiari potest. videlicet, quòd ubi est sensus alimenti, ibi etiam insit fames: quoniam ipse in ore ventriculi, ideo famem ponit: quoniam ibi sensus alimenti, ipsiusque inanitionis reperitur, quinimò eò loci famem definiens, inquit, famem esse sectionis, inanitionisque sensum. tandem dicat, obsecro, Galenus, vt rei radices attingamus, cur ipse statuit appeti-

tum

tum illum in ore ventriculi animalem esse, non autem naturalem, sicut ille est, quem in partibus corporis ponit, dicit: quoniam appetitus qui inest ori ventriculi sensum insequitur inanitionis alimenti, hic autem animalis est, & cum cognitione. sed si res ita sese habet, ergo vbi est sensus tactus, & sensus alimenti, ibi etiam sensus inest inanitionis, & appetitus animalis. sed cum non solum in ore uentriculi, sed etiam in alijs partibus sensus tactus, & alimenti reperiatur: ergo & in cęteris partibus erit appetitus animalis, & cum cognitione sicut in ore ventriculi. hunc Galeni errorem medici, et philosophi communiter insequuntur: sed medicos certè non valde miror: quoniam ne iusiurandum violetur, Galenum omnino tueri volunt. sed philosophos non possum nō valde admirari, qui continuè Aristotelem ipsum euoluant, id non animaduerterint eapropter multò uerius, & cum Aristotele dicendum est, vtrunque appetitum in fame animalem esse: quoniam uterque inanitionis sensum insequitur, ita vt in fame hæc omnia ordine quodam sese consequentia reperiantur. primò, partium inanitio, secundò inanitionis sensus. hunc sequitur tertiò appetitus animalis. quartò per uenas, & hepar suctio, partiumque attractio à uentriculo. quintò uentriculi inanitio, sensusque inanitionis. hinc postremò sequitur appetitus etiam animalis, qui fames dicitur, in stirpibus enim duntaxat appetitus naturalis reperitur: quoniam in his sensus alimenti non inest, sed solum inanitio, partiumque resolutio ex qua naturalis quædam appetentia ad attrahendum alimentum consequitur, nunc ad definitionis explicationem me confero.

Famis definitio explicatur.

DVO sunt, quæ in hac definitione ponuntur. vnum quod generis, alterum verò quod differētiæ rationem habet. quod ut genus sese habet, appetitus est, (calidum autem & siccum) vt differentia: accipitur autem, appetitus non pro potentia appetente, sed pro actu appetendi, qui propensio, & inclinatio quædam est, quæ potentiæ apprehensionem insequitur, qui appetitus animalis appellatur. porrò inter hunc, & appetitum naturalem id discriminis reperitur, quod appetitus naturalis ipsam rei naturam absque vlla cognitione insequitur, estque ipsius naturæ inclinatio in proprium finem, & in suam perfectionem, qui sanè, & rebus inanimis inest, primæque materiæ primo physic. contex. 81. ab Aristotele attribuitur. appetitus uerò animalis, & ipse inclinatio. quædam est, quæ tamen rei cognitionem insequitur. iam uerò fa-

mes appetentia animalis est: sed quoniam fames, & appetentia fit ratione inanitionis, atque resolutionis; huiusmodi autem resolutio est calidi, & sicci, eapropter fames calidi, & sicci apparentia est. ita vt hunc in modum hæc definitionis particula eliciatur, fames est appetitus instaurandi id, quod exinanitum, sed id est calidum, & siccum, igitur fames est appetitus calidi, & sicci. quibus ventriculus, cæteræque omnes animalium partes instaurantur, & conseruantur quò fit, vt hæc famis definitio allata sit per actum, & per obiectum. Actus enim est appetitus, qui ponitur vt genus, obiectum uerò est calidum, & siccum, quod differentiæ vicem subit, ex quo etiam illud consequitur, famem ad sensum tactus attinere, cum fames sit appetitus calidi, & sicci, quæ indicio tactus subijciuntur. cæterum aduersus definitionem hanc nonnullæ occurrant difficultates. prima est, quoniam fames est appetitus illius ex quo corpus nutriri, & conseruari debet. id autem est alimẽtum, vt substantia. non autem vt calidum & siccum, vt 2. de anima contextu 4. & primò de genera. contex. 4. Aristoteles declarauit, inquiens. alimentum vt substantia nutrit, sicuti vt quantum auget. igitur fames est appetitus substantiæ. non autem calidi, & sicci. & ex consequenti fames vegetalis potius functio, & proprietas, quàm sensus tactus dici debet. Ambigitur secundo, quoniam fames non uidetur esse appetitus calidi & sicci, sed calidi & humidi. siquidem fames ex inanitione, resolutioneque oritur. igitur fames est appetitus instaurandi id, quod resolutum est. iam uerò non fit resolutio calidi, & sicci, sed calidi & humidi. quoniam quo maior resolutio fit, eo magis membra arida & sicca redduntur. igitur fames est appetitus calidi, & humidi, non autem calidi, & sicci, & eo magis, quod in his duobus non conseruatur vita, substantiaque uiuentis, sed in calido, & humido. Sed his occurrere arduum quidem non est. & ad primam dicimus. quòd licet alimentum, vt substantia nutriat, uerum quia alimentum nec nutrire, nec in uiuentis substantiam verti potest, nisi mixtum sit, & ex calido frigidoque humido, & sicco conuenienter attemperatum, prout uiuentis exposcit, eapropter philosophus, ut alimenti conditionem explicaret, dixit, animantia ex calidis & frigidis, humidis & siccis nutriri, famemque appetitum esse calidi, & sicci, sub qua ratione alimentum sensus tactus obiectum est, tametsi vt substantia est obiectum sit animæ uegetalis. uel secundò dici potest, Aristotelem dixisse famem appetitum esse calidi, & sicci. quoniam causam respexit ex qua oritur fames. nã cum fames ex sensu inanitionis alimẽti oriatur, sensus autem minimè percipiat alimenti inanitionem, ut substan-

tia

tia est. quoniam sensus substantiam non attingit, sed ut calidum et siccum, eapropter Aristoteles dixit, famem appetitum esse calidi, & sicci. Ad secundum autem dicimus nomine sicci Aristotelem non intelligere siccum, quod ab humido contradistinguitur, ut ratio allata demonstrat: sed intelligere humidum, quod est magis solidum, & magis consistens, quod respectu humidi magis fluxibilis, & interminati siccum dici potest. nam cum humidum illud sit quod proprio termino interminatum est, ut 4. meteo. describitur cont. primo, igitur illud, quod magis terminatum est, magisque consistens minus humidum esse dicitur, et quoniam minus humidum respectu magis humidi siccum quoquo modo est, sicut minus album respectu magis albi nigrum esse dicitur. cum autem fames sit appetitus humidi solidioris magisque consistentis, eapropter fames ab Aristotele *dicitur esse appetitus calidi, et sicci, idest humidi consistentis, ad differentiam humidi, quod eo loci ponitur in defininione sitis. quod est humidum magis roridum, atque fluxibile. sed hæsitabit fortasse quispiam, cum animantia non solum, ex calido, humidoque alimento, sed etiam frigido & sicco nutriantur, ut eodem cōt.* Aris. *declarauit his verbis, uiuentia ex frigidis, calidis, humidisque, & siccis, aluntur. quod etiam 2. de gener. cont. memoriæ prodidit, inquiens, uiuentia ex eisdem aluntur, ex quibus generantur. iam uerò uiuentia non generantur ex calido, & humido tantum. sed etiam ex frigidis, & siccis, ergo & ex omnibus nutriuntur. cum autem fames sit appetitus alimenti, quod ex illis quatuor commixtum est, igitur fames non solum est appetitus calidi, & humidi, sed etiam frigidi & sicci. respondetur, quòd licet reuera fames sit appetitus alimenti; quod ex illis quatuor attemperatum est. sicut etiam ex illis quatuor simul permixtis uiuentia nutriuntur, quia tamen alimenti ratio præcipuè magis in calido, & humido consistit, sicut etiam ex his duobus salus, & vita uiuentium præcipuè magis dependet. eapropter Aristoteles ad id respiciens, quod est præcipuum magis in alimento, dixit, famem appetitum esse calidi, et humidi, ex quibus animantia, eorumque partes aliquo pacto resolutæ præcipuè magis instaurantur, incolumesque asseruantur.*

Qonam pacto hæc famis definitio ab ea distinguitur, quæ à Galeno tradita est.

QVONIAM *Galenus primo de symptomatum causis cap. 7. longè diuersam ab hac tradidit definitionem famis, quæ huiusmodi est. fames sensus est functionis, inanitionisque in ore uentriculi,*

triculi. ea propter, quæ Aristotelis est, quomodo à Galeni definitione distinguatur, considerandum est. porrò definitio famis ab Arist. tradita, formalis definitio est, quæ essentiam famis declarat, quæ nil aliud est, quàm appetitus calidi, & sicci, vel humidi cõsistẽtis, quæ uerò à Galeno tradita fuit, definitio causalis est, quæ propter quid causamùe declarat, definitionem famis ab Aristo. allatæ; ob id enim fit appetitus calidi, & sicci. quoniam sensus suctionis fit in ore ventriculi: ex utraque autem definitione perfecta, absolutaque astruitur definitio famis in hũc modum. Fames est appetitus calidi, & sicci, ob inanitionis sẽsum in ore ventriculi. cuius quidem essentiam Aristoteles, eiusdem uerò causam Galenus respexisse videtur. quamuis si Aristotelis discursum contextu illo 28. sedulò perpendamus, Aristoteles, & famis essentiam, eiusque causam tetigisse visus est. inquit enim, ubi sensus alimenti, ibi fames, sed hæc est appetitus calidi, & sicci, igitur ubi sensus alimenti, ibi est appetitus calidi, & sicci. In quo sanè discursu essentiam tetigisse uidetur, cum inquit, fames est appetitus calidi, & sicci. causam uerò cum inquit, ibi fames, & appetitus, vbi sensus alimenti, & defectionis eius reperitur.

In qua parte, quibusùe animalibus reperiatur fames.

GALENVS *quoniam famis definitionem ad oris uentriculi inanitionem perstrinxit, eius videtur extitisse sententiæ famẽ in uentriculo; præsertimque ipsius ore tantum adinueniri, in cæteris autem corporis partibus famem nõ reperiri. siquidem fames appetitus animalis est. cum autem in cæteris corporis partibus hic non reperiatur, sed naturalis tantum: igitur in cæteris partibus non reperitur fames. sed hæc Galeni sententia mihi nõ satisfacit. quoniam si ibi fames reperitur, vbi sensus inest alimenti, quod etiam ipse ultrò concedit, quoniam inquit famem consurgere ex sensu inopiæ alimenti, cum in cæteris corporis partibus. sensu tamen præditis, reperiatur sensus alimenti quoniam in his reperitur sensus tactus, qui sensus alimenti est, igitur & in cæteris partibus animalis reperitur fames. porro alterum istorum duorum asserere cogitur Galenus, aut in alijs corporis partibus sensum alimenti non reperiri. quod certè non potest cũ sensus alimẽti sit sensus tactus, qui non solum uentriculo inest, sed etiam per alias animalis partes disseminatus est. aut si sensus alimẽti alijs quoque partibus inest, sicuti in ore ventriculi ex sensu inopiæ alimenti oritur fames, & animalis appetitus. ita etiam in alijs partibus ex alimenti. sensu, aut eius inopię oritur*

tur

tur fames appetitusque animalis instaurandi quod resolutum fuit, nec aliquis pro Galeno dicere potest, in alijs quidem partibus sensum inanitionis adinueniri: sed illum quidem hebetem, & perobscurum esse, ac proindè ex eo famem, appetentiamque animalem perobscuram consurgere: at in ore ventriculi exquisitior est inanitionis sensus, ac proindè magis insignis est fames, & animalis appetitus, id inquàm dici nequit. quoniam tunc in alijs partibus animalis appetitus, qui sensum inanitionis insequitur, reperiretur: quod tamen ipse Galenus loco citato inficiatur, eapropter dicendum puto non solum in ore ventriculi famem esse, animalemque appetẽtiam sed in cæteris corporis partibus, quod etiam ex Arist. discursu 2. de anima cont. 28. comprobari potest, vbi ita ratiocinatur. vbi sensus alimenti, ibi fames etiam reperitur: sed hæc est appetitus, ergo vbi sensus alimenti ibi appetitus. ex illa maiore propositione infero ego, in cæteris corporis partibus reperitur sensus alimenti, qui sensus tactus est, ergo in cæteris partibus præter os uentriculi reperitur fames: tametsi in ore ventriculi magis sensibilis sit. eadem ratione quinetiam infantibus, qui adhuc matris utero geruntur famem inesse tametsi per os uentriculi cibum non assumant. quoniam oris ministerio tunc temporis non utuntur. sed per unam umbilicalem ab utero matris, alimentum quasi elaboratum alliciunt. nam quandoque usu venit ob aliquam parentis occasionem eam sanguinis, alimentique copiam non suppeditari, quæ ipsis opportuna est, idcircò uentriculus, cæteræque partes resoluuntur exinanitæque redduntur, & cum in eis sensus tactus, qui sensus alimenti est, reperiatur, igitur inanitionis, inopiæque alimenti sensus inest, sed ex illo Aristotelis theoremate, vbi sensus alimenti est, ibi quoque fames adest, igitur & in pueris intrà matris carceres adhuc existentibus fames est, appetitusque animalis, neque ad id confugiendum est, quop aßerunt moderniores nonnulli, in pueris nondum natis sensum quidem alimenti ineßе, sed usum ipsius sensus non adinueniri. quoniam in his sensus neque alimentum, neque alimenti inanitionem percipit, ac proindè non reperiri famem, appetitumque animalem, sed in his appetitus naturalis, & absque cognitione reperitur, qui inanitionem solum insequitur non secus, ac in plantis, sed hæc gratis, & absque vlla ratione prolata sunt. Nam sensus tactus proprio sibi oblato sensibili calido, aut frigido, remotoque impedimento illud persentit. cum itaque in pueris nondum natis sensus tactus reperiatur, illisque continuè ab utero parentis alimentum suggeratur, quod calidum, alijsque qualitatibus affectum est, nullumque adsit impedimentum, igitur illud necessariò persentitur, prætereà si parentis uterus

rus comprimatur, percipitur infantem in vtero moueri, quod indicio est, infantem compreßionem persentire, ac proindè usum sensus habere, id ipsum duo hæc argumenta apertißimè confirmant, in cauda lacertæ diuulsa à toto sensu tactus, eiusque vsus appetitusuè animalis cognitionem sequens reperitur. quoniam si compuncta fuerit, aufugit, in angustumq; deducitur, ergo multò magis in pueris nõdum natis vsus sensus, animalisque appetitus adinueniri debet; cum multo perfectiores sint, quàm cauda lacertæ, animaliaque sint absoluta, & elaborata, in animalibus quinetiam imperfectis, quæ plantanimalia vocantur, ut sunt Conchæ, & Ostreę, reperitur sensus alimenti, & usus: quoniam si eis aliquod suaue obuiam fiat, perfunduntur, ut illud amplectantur. si uerò aliquod insuaue, atque tristabile contrahuntur, & refugiunt. in eisque reperitur fames, iuxta illam Aris. propositionem sæpe sæpius allatam, ubi reperitur sensus alimenti, ibi fames reperitur, ex consequenti appetitus animalis, ergo multo magis in pueris nondum natis, in quibus alimenti sensus reperitur, erit etiam usus, & cognitio, nec non fames, & appetitus animalis. cum sint altioris ordinis, quàm animalia illa imperfecta. Nec certè animo consequi et sibi oblatum sensibile, vt alimentum calidum, aut frigidum non persentire. vt itaque rem hanc ad exitum perducamus, statuimus, non solum in ore ventriculi famem, animalemque appetitum reperiri, sed etiam in cæteris corporis partibus sensu præditis. tametsi hæc euidentius in ore uentriculi appareant, quod exquisitiore sensu præditum est, quàm in aliis partibus, nec non fames, appetitusuè animalis in pueris nondum natis, & in animalibus imperfectis reperiuntur, in stirpibus quidem nec appetitus animalis, neque fames insunt, neque in ossibus. quoniam in his alimenti sensus non reperitur, sed duntaxat appetitus quidam naturalis, qui alimenti inopiam absque ulla cognitione insequitur, & hæc satis.

Excellens sensibile corrumpit sensum.

DVobus in locis propositio hæc ab Aristotele scribitur 2. de anima contextu 123. & 143. tertioque de anima contextu 7. vbi non similem intellectus, & sensus inpaßibilitatem esse ostendit ex hoc. quoniam sensus ab excellenti sensibili labefactatur, intellectus uerò nequaquàm, sed potius absoluitur, atque perficitur, & licet huiusmodi propositionis veritas vsque adeò euidens sit, ut ne minima quidem egeat ostensione, siquidem vel ipsi sensus confirmant, se ab excellenti sensibili labefactari, interdumuè ad interitum vsque deduci, nõ leuis tamen est difficultas

ficultas de modo, quonam pacto ab excellenti sensibili sensus corrumpatur, difficultasque pendet ex modo agendi sensibilis in sensum. enimuerò sensibile in sensum, vel in sensorium agit actione spiritali, prout in ipsam speciem sensibilem, suique imaginem producit, vt 2. de anima cont. 121. Arist. declarauit. Iam uerò nullum agens actione spiritali, alterum corrumpere potest. siquidem corruptio naturalis mutatio est, quæue per naturales qualitates efficitur. vt per caliditatem, & frigiditatem, igitur excellens sensibile sensum labefactare, ut corrumpere nequit, difficultasne ex Aristotelis verbis locis citatis adaugeri magis uidelitur. nam causam reddens, quare ab excellenti sensibili corrumpitur sensus, causa inquit, ea est, quoniam ratio, & proportio corrumpitur, in qua sensus consistit. iam uerò proportio, in qua sensus consistit est symmetria, temperiesque primarum qualitatum, vt Aristoteles ipse 3. de anima declarauit cont. 60 vbi rationem reddens, cur stirpes sensum non habent, inquit, quoniam primarum qualitatum eam mediocritatem non habent, quam sensus exposcit. iam uerò primarum qualitatum temperies neque à colore, neque à sono, aut ab odore corrumpi potest. tùm quia realiter nō agunt, & quãuis etiam realiter agerent in calorem, & frigiditatem non agunt, neque augendo, neque imminuendo, cum calori, aut frigiditati, neque contrarij sint: intensio autem, & remissio uel similitudine, uel contrarietate fiunt. igitur neque sensus, qui in hac primarum qualitatum proportione consistunt, ab excellenti calore, sapore, aut odore corrumpi possunt: sed si aliquis sensus ab excellenti sensibili corrumpitur, is solum erit sensus tactus, qui ab excellenti frigido, aut calido corrumpi potest. quoniam ab his prmarum qualitatum temperies in sensus tactus consistit, corrumpi, perturbarique potest. quo fit, ut Aristotelis propositio, non de omni sensu, sed solum de sensu tactus ueritatem habere uideatur.

Dilucidatio.

QVoniam sensus in mediocritate, temperataque primarum qualitatum proportione consistit, idcircò sine hac neque generari, neque conseruari, aut quippiam ritè operari potest. quod sanè primo de anima cont. 65. Arist. declarauit, inquiens, quòd si senex acciperet oculum, siue organum iuuenis profecto uideret, ut iuuenis. sed quoniam organum uisus in se non ita probe dispositum, atque attemperatum est, sicut in iuuene; eapropter potentia uisiua in sene, quamuis secundum essentiam ità perfecta, integraque sit sicut in iuuene, non ità

perfe-

perfectè sicut in iuuene uidet, & operatur. quò fit, vt sensus si corrũpi, labefactariq́ue debet, primarum qualitatum temperiem in qua seruatur, corrumpi operæpretium est. cæterum quia primarum qualitatum temperies ab exuberantia. excessuq́ue calidi, & frigidi humidiq́ue & sicci; solum corrumpitur. si quidem hæc solum sunt, quæ tùm corporis vniuersi, tum cuiusq́ue partis temperiem alterare possunt, corporaq́ue modo ad sanitatem, modo ad ægritudinem, & corruptionem deducere, eapropter sensus non ab excellenti sensibili per se, quod in sensorium spiritali actione agit, per speciesq́ue sensum mouet, corrumpitur, aut labefactatur. Non enim ab excellenti lumine, aut ab excellenti calore per se corrumpitur uisus, neque ab excellenti odore per se corrumpitur olfactus, aut ab excellenti sapore gustus. quoniam per speciem, & spiritaliter tantum in sensorium agunt. nullum antem actione spiritali, & per speciem corrumpere potest. quicquid comminiscantur nonnulli, cum corrumpens agat, corrumpatq́ue actione naturali, & per qualitates naturales. siquidem corruptio non fit, absq́ue actione, & passione reali, quæ alteratio est, hæc autem inter primas elementorum qualitates adinuenitur. sed sensus ab excellenti sensibili ex accidenti corrumpitur, prout sibi aliquod agens coniunctum est. quod agit actione naturali, utpotè sensus ab excellenti lumine corrumpitur, ex accidenti prout intenso lumini iuncta est caliditas, quæ ab ipso lumine producitur, quæ naturaliter alterat oculum, eiusq́ue temperiem perturbat, similiter visus ab excellenti candore nimis per se non corrumpitur, sed ex accidenti, prout candori niuis frigiditas in circunstãte aere iuncta est, quæ oculum frigefacit, & alterat, olfactus ab excellenti odore ex accidenti corrumpitur prout sibi fumalis euaporatio coniuncta est, quæ qualitate naturali calore scilicet, & frigiditate sensorum alterat, atque immutat: neque sensus tactus ab excellenti sensibili proprio, vt ab excellenti calido, & frigido per se corrumpitur. prout. s. actione spiritali & per speciem agunt in organum sensus tactus, sed ex accidenti, prout actioni spiritali istarum qualitatum coniuncta est earundem actio naturalis. Enimuerò sensus tactus inter cæteros sensus huius & conditionis, q̃ à qualitatibus primis spiritaliter immutari non potest nisi prius facta ab eisdem immutatione naturali, & hunc modum Aristotelis propositio intelligenda est, cum inquit, ab excellenti sensibili sensum corrumpi. cæterum sensus ab excellenti sensibili bif. corrumpi potest. vno modo, quò ad essentiam, alio modo, quò ad iudicium: vt cum visus post aspectum excellentis luminis statim calores percipere non potest. & ita de reliquis, quo sanè modo 3. de anima contextu 7. Aristotelis

intellexit

intellexit. cum inquit, non enim similis est impassibilitas sensus, & intellectus. sensus enim ex uehementi sensibili. quod minus est, statim non sentit, intellectus uerò cum aliquod valde intelligibile intellexerit. non minus sanè sed magis intelligit inferiora, cuius sanè diuersitatis, vt inquit eodem contextu 7. ea causa est. quoniam sensus est organo alligatus, operaturque secundum decentem organi dispositionem, quæ cum perturbatur, iudicium quoque sensus turbari operæpretium est, intellectus verò ab organo solutus est, & propterea ab excellenti intelligibili non perturbatur. cęterum illud silentio inuoluendum non est, cum in corruptione sensus ab excellenti sensibili tria corrumpantur, temperies, organum, & sensus, quo ordine ista corrumpantur, porrò in primis temperies corrumpitur, quæ copula est, & vinculum formæ substantialis cum subiecto, secundò corrumpitur sensus. Nam sublatis dispositionibus formã in materia conseruantibus statim forma substantialis aufertur. tertio corrumpitur oculus, & vnumquodque aliud organũ. siquidem non corrumpitur compositum, nisi quia primo corrũpitur forma sicuti neque compositum habet esse, nisi præsentia formæ. & hæc satis.

Intellectus omnia intelligit.

HAEC est propositio ex qua in tex. quarto deduxit Aristoteles intellectum immixtum esse, in cuius explicatione duo consideranda sunt, primo quidem quid per omnia, intelligat Aristoteles, cum inquit Intellectus omnia inelligit: secundo de eius veritate considerandum est: quò ad primum Auerroes inquit Aristotelem per omnia, intelligere formas materiales tantum, ut sensus sit, Intellectus intelligit omnes formas materiales, quæ Auerrois sententia ab Aristotele dissentit. quoniam cum Philosophus in tex. 4. ex hac propositione probasset intellectum immixtum esse, in tex. 5. colligit naturam intellectus possibilis sic dicens, Quare nulla alia est ipsius natura nisi potentia, & nihil est actu eorum quæ sunt antequam intelligat, iam uerò sicut illa dictio (Omnia) accipitur in consequente. ita accipitur in antecedente, sed in consequente accipitur vniuersaliter, & non pro formis materialibus tantum, quia dicit, [eorum quæ sunt] quasi dicat omnium entium: non enim poterat Aristoteles vniuersalioribus vti uerbis, igitur & in antecedẽte illa dictio (Omnia) accipitur vniuersaliter pro omnibus entibus, & non pro formis materialibus tantum: prætereà si illa dictio (Omnia) pro formis materialibus tantum acciperetur, tunc Philosophus ex hac

propositione deducere minimè potuisset, id, quod arbitratur Auerroes, videlicet Intellectum abstractum esse, ostendo, quia non valet, intellectus intelligit omnes formas materiales, igitur abstractus est. quia cum antecedente stat oppositum consequentis: nam cogitatiua de ipsius sententia omnes materiales formas recipit, & cognoscit, & tamen non est abstract: ita licet intellectus omnes formas materiales cognoscat, non sequitur ipsum esse virtutem abstractum, quod tamen vult Auerro. ex ea propositione deduci, quod si quis pro Auerro. dicat Aristotelem non deducere intellectum abstractum esse ex illa propositione simpliciter, quia videlicet omnes formas materiales recipit, & cognoscit, sed ex recipiendi & cognoscendi modo, quia uidelicet omnes formas materiales vniuersaliter recipit, et cognoscit, & tunc propositio ita erit intelligēda, Intellectus oēs formas materiales vniuersaliter intelligit, ex qua postea bene deduci potest intellectum abstractum esse, neque cum antecedenti stat oppositum consequentis, quia nulla virtus materialis cognoscit vniuersaliter, sed singulariter. Sed ista responsio textui minimè conformis est, quia Aristoteles accipit propositionem istam simpliciter absq; recipiendi & cognoscendi modo, dicens, Intellectus omnia intelligit, igitur ex cognitione omnium, & nō ex cognoscendi modo nempè vniuersaliter infert, et deducit illud cōsequens, quòd si consequens deduceretur in uirtute modi recipiendi, & cognoscendi, tunc Aristoteles cum modū hunc subticuerit, illud prætermisisset, in quo consistit tota uis medij termini, et id protulisset ex quo conclusio minimè deduci potest. quod an sit rationi consentaneum dicat demonstrator. quare dicimus nos, quod in hac propositione illa dictio, omnia, non supponit pro formis materialibus tantum, vt inquit Auerro. sed pro omnibus intelligibilibus siue materialia sint, siue à materia separata, & hæc de primo. Quo autem spectat ad secundum videtur propositio hæc de ueritate suspecta, quia intellectus humanus omnes plantarum species minimè cognoscit, neque omnes animalium species, neque omnes vltimas differētias rerum. accedit quinetiam Aristotelis authoritas 2. Met. primo, ubi inquit, quòd sicut se habet oculus nicticoracis ad lumen solis, ita intellectus humanus ad ea, quæ sunt manifestissima in natura: igitur intellectus humanus ea quæ sunt manifestissima in natura, vtpote substantias illas separatas intelligere minimè potest, sicut neque oculus nicticoracis lumen solis intueri potest.

Dilucidatio.

VT huius propositionis veritas habeatur, aduertendum, quòd propositio ista bifariam intelligi potest: vno modo secundū actum, alio modo secun-

do secundum aptitudinem: & primo modo adhuc dup. vno modo respectu vnius indiuidui, alio modo respectu totius speciei: tunc ponimus has tres conclusiones. prima est, si accipiatur propositio secundum actum respectu vnius indiuidui, Intellectus non omnia intelligit: non enim datur homo aliquis, qui actu omnia intelligat: secunda uerò ea est, si accipiatur propositio secundum actum respectu totius speciei, fieri potest vt intellectus omnia intelligat, & ista uidetur esse Auerrois sententia primo de Gener. commen. 19. vbi inquit, quòd nihil est occultum in natura, et quod est ignotum est non ens. Tertia enunciatio huiusmodi est. si loquamur secundum aptitudinem propositio verissima est, quoniam intellectus est aptus natus omnia intelligere, & posito phantasmate in phantasia intellectus omnia actu intelligere potest, quòd si actu non omnia intelligat et præsertim materialia id prouenit ex accidenti, quia caret phantasmate, cuius beneficio indiget Intellectus, & in hoc sensu intelligitur hæc Aristotelis propositio, cum inquit, Intellectus omnia intelligit. quibus ita constitutis, facile modo soluuntur in contrarium obiecta: & cum dicebatur primo, intellectus non intelligit omnes species plantarum, & animalium: respondemus, quòd licet intellectus respectu vnius indiuidui actu non cognoscat omnes plantarum species, & animalium, tamen secundum vniuersitatem indiuiduorum forte omnes actu cognoscit, uel respectu unius indiuidui est aptus natus vt omnes cognoscat, & similiter de vltimis differentijs dicendum. ad illam autem Aristotelis authoritatem secundo Met. primo, respondet Auerroes in eo loco dicens, quòd illa authoritas non dicit inpossibilitatem, sed difficultatem: sed animaduerte, quòd si Auerroes intelligat quòd non dicit impossibilitatem respectu cuiuscunque cognitionis, bene dicit: si uerò intelligit, quòd non dicit impossibilitatem, sed difficultatem quò ad cognitionem (vt aiunt) quiditatiuam, & proprium earum conceptũ decipitur Auerro. nec ullo pacto tenendus, quia intellectus quiditatiuè, & secundum proprium conceptum non intelligit substantias separatas, sed solum secundum quædam communia attributa, in quæ ex earum effectibus manuducitur intellectus, quod sanè accommodatissimo nicticoracis exemplo Aristoteles declarauit. nam sicut oculus nicticoracis subobscurè, ac imperfectè lumen solis intueri potest, ita intellectus humanus substantias illas separatas subobscura, et tenui quadam cognitione contemplari potest: quòd autem oculus nicticoracis aliquo pacto lumẽ solis intueri valeat est aperta Aristotelis sententia 9. de hist. anim, cap. primo, vbi hæc habet. Cornix cum noctua dissentit: Cornix enim meridie noctuæ subripit oua, cum non clare meridie

videat noctua, hæc uerò contra oua cornicis noctu exedit, estque altera interdiu, altera noctu potentior, hæc Aristotel. in quibus verbis apertè fatetur, noctuam interdiu uidere, sed non clarè atque ita nicticoracis exemplo egregiè Aristotel. adumbratam et imperfectam quam de substantijs separatis cognitionem habet, declarare videtur: qua in re si mihi liceat pro libertate Philosophiæ loqui, uerior est, & ad Aristotelem magis Diui Thomæ sententia, quam Auerrois, dicentis intellectum intelligere substantias separatas quiditatiuè, et per essentiam cū uidelicet intellectus adeptus est. et sibi intellectus agens iungitur ut forma, quorum alterum perpulchrè ab Auerro. effictum est, alterum uerò nunquam ab Aristotele concessum, quia tertio de Anima 30. 32. & 39. inquit, quòd ad intellectum phantasmata se habent sicut sensibilia ad sensum: iam verò sensibilia, ad sensum ita se habent quòd sensus nunquam sine sensibilibus sentire potest: vnde concludit dicens, quapropter nunquàm sine Phantasmate intellectus intelligere potest, sed in 32. inquit, Intellectus igitur in phantasmatibus formas, et species intelligit, nec unquam in toto tertio illo de Anima attribuit intellectui alium intelligendi modum, quàm cum phantasmate, sed licet intellectus non intelligat substantias separatas quiditatiuè, intelligit tamen quantum sibi conceditur, & hæc satis: nunc ad aliam propositionem pedem conferamus, quæ huiusmodi est.

Omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti.

H*AEC est altera propositio, qua (ut inquit Auer.) innititur Aristotelis demonstratio in text. 4. quam tametsi Zimara in theorematibus suis dilucidare conatus sit, id tamen minimè præstitisse facilè intelligent illi, qui ipsum ea in parte perlegerint: conabimur autem nos (fauente Deo eam dilucidare. & ad mentem Aristotelis explanare. sed fortè dicito, hæc non videtur fuisse Aristotelis propositio, quoniam Aristoteles eam non posuit in tex. Dicimus verum esse eam Aristotelem in tex. non posuisse, quia argumentum Aristotelis fuit vnum enthimema quod tenet in uirtute huius propositionis, & dato quòd ea expresse vsus minimè fuerit, eam tamen intellexit, reducendo enthimema ad syllogismum hoc modo, Omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti, intellectus recipit, & intelligit omnia: ergo debet esse denudatus ab omnibus, ex eo autem probatur illa maior, quia si recipiens omnia non esset ab omnibus denudatū, non posset omnia recipere, quia intus existēs probiberet aliena. itaque propositio ista non solū fuit Auerrois in eo loco, sed etiam Aristotelis, quicquid dixerint Latinorū*

nonnulli

nonnulli, in qua sanè propositione dilucidanda tria a nobis perpendenda sunt: primo quidem in quo sensu hæc propositio ab Auer. et ab alijs accepta fuerit, & an conuenienter ad Aristotelem: secundo ueritas propositionis veritas aperienda est: tertio, an demonstratio Auerrois quæ hac innititur propositione intellectus immortalitatem concludat. quo ad primum, propositio ista ab Auerro. in hoc sensu accepta fuit, quod recipiens sit denudatum a natura recepti secũdum speciẽ, ita quod habens aliquam naturam realiter non possit recipere eandem naturam secundum speciem intentionaliter, quia tunc idem esset mouens, & motum, recipiens & receptum, quod impossibile est, vnde secundum ipsum natura aliqua existens in recipiente realiter impedit receptionem eiusdem naturæ secundũ speciem intentionaliter, vtpotè albedo realiter oculo inexistens impediret receptionem eiusdem albedinis secundũ speciẽ intẽtionaliter, & hæc est Auerro. sentẽtia, sed hac in re grauiter peccat, primo quidem ab Arist. dißentit, quoniam non accipitur propositio ab Arist. in eo sensu, quo ab Auer. accepta fuit: errat secundo quoniam iam eo sensu quo ab ipso accepta est, falsissima est, & à ueritate aliena. quòd ab Arist. dissentiat ita probatur, nam Aristoteles utitur propositione in hoc sensu, quòd si id quod est aliqua recepturum habet aliquam naturam non potest aliena recipere, quia intus, inquit existens prohibet aliena, unde ut possit omnia recipere ad quæ potentia est ab omnibus denudatum esse debet, quamobrem non inquit Aristoteles quòd recipiens habens aliquam naturam realiter non possit eandem secundum speciem intentionaliter, & quòd inexistentia alicuius naturæ impediat receptionem eiusdem formæ secundum speciem, vt inquit Auer. sed quòd inexistentia alicuius naturæ impedit receptionem aliorum: intus, inquit, existens prohibet aliena. in alio itaque sensu propositionem accepit Auer. quàm ab Arist. accepta fuerit. quòd autẽ falsa sit propositio in eo sensu quo ab ipso accipitur, probatur tam in receptione reali, quàm in receptione spiritali. in receptione quidem reali quoniam aqua habens caliditatem remissam, vt duo põt recipere caliditatem intẽsam, vt quatuor quæ est eiusdem speciei cum caliditate remissa ut duo: igitur habens aliquam naturam realem potest recipere eandem & naturam secundum speciem realiter: in receptione verò spiritali, quoniam oculus suffusus colore croceo videt colorem croceũ alterius icterici: hoc enim conspicuũ est, quoniam si duo accipiãtur icterici vnus videt colorem croceum alterius, igitur habens aliquam naturam realiter eandem secundum speciẽ recipere põt intentionaliter, confirmatur, quia si accipiatur cristallũ affectũ aliquo colore reali, vt colore uiridi, il-

lud recipit colorem eiusdem speciei alteri inexistentem subiecto, & per illud cristallum color ille demandatur ad oculum, et si accipiatur cristallum nullo colore affectum, certum est, quod per ipsum videmus alterum cristallum, eiusdem speciei: igitur si aliquod habet aliquam naturam realiter potest recipere eandem secundum speciem intentionaliter, alioquin cristallum haud quaquam per alterum eiusdē speciei videri posset, quod sensui refragatur: amplius, habens aliquam formam intentionaliter recipere potest eandem formam secundum speciem intentionalitur, quia si species Albedinis sit in hac parte medij, & ad eandem partem afferatur alia albedo eiusdem speciei, albedo illa speciem producet in eadem parte medij. igitur eadem pars medij habens albadinem intentionaliter recipit eandem albedinem secundum speciem intentionaliter. quare propositio in eo sensu quo ab Auer. accepta est, ab Arist. et à ueritate aliena est. nec proindè sequitur id, ad quod deducebat Auerroes, quòd idem esset recipiens, & receptum, quia natura inexistens nec est recipiens, nec ratio recipiendi, sed id in quo natura illa adinuenitur, & propterea aliud est recipiens & receptum & mouens & motum Gandauensis super 3. de anima quæst. 4. propositionem istam perpendens pro dilucidatione ipsius hanc distinctionem ponit, quòd aliquid dicitur esse ab alio denudatum duobus modis, vno mō secūdum existētiam, sicut dicimus ꝙ Socrates est separatus à Platone, & vniuersaliter quæcunque ità se habent, quorum vnum non est coniunctum secundum existētiam cum alio: secundo modò dicitur aliquid denudatum secundum essentiam, quando vnum in sui essentia nō includit aliud: quamuis sint coniuncta secundum esse. sicut dicimus, quòd materia denudata est forma secundum essentiā, & dolium à vino, quia neq; materia in sui essentia includit formam, neque dolium vinum, quamuis coniuncta sit secundum esse: tunc inquit, quòd ista propositio ità intelligenda est, quòd recipiens debet esse denudatum à natura recepti secundū essentiā, ita ut excipiens non sit essentialiter idē cū natura recepti, sed non debet esse denudatū secundū existentiam, quod ex eo probat, quoniam oculus recipit colores, & tamen oculus non est denudatus à colore secundum esse, quod probatur ex Aristo. in libro de sensu, & sensibili, ubi inquit, ꝙ omnia corpora colore participant: cum ergo oculus corpus sit, igitur colore participat, sed licet oculus non sit à calore secundum existentiam denudatus, est tamen secundum essentiam denudatus, quia oculus non est eiusdem speciei cum colore quem habet. potest etiam addi ratio de tactu: sensus enim tactus tangibiles recipit qualitates, & tamen non est denudatus à tangibilibus qualitatibus secundum existentiam, quia sensus tactus consistit in qua-

in quadã mediocritate, & symmetria primarum qualitatum, vt legitur apud Arist. 3. de anima contex. 66. Sed hæc Gandauensis resolutio neque de Aristotelis, neque de Auerrois sententia est. quod non sit de Aristotelis sententia ex eo probatur, quia tunc Aristoteles ex demonstratione habita in tex. 4. solum concluderet quòd intellectus denudatus est ab omnibus intelligibilibus secundum essentiam, non autem secundum existētiam deducitur, nam discursus Aris. hmōi est. recipiens debet esse denudatū à natura recepti, intellectus recipit oĩa intelligibilia, ergo debet esse denudatus ab omnibus intelligibilibus. iam verò si illa propositio maior ab Arist. in eo sensu accipitur, quòd recipiens debeat esse denudatum à natura recepti secundum essentiam, non autem secundum existentiam: igitur solum concludit quod intellectus debet esse denudatus ab omnibus intelligibilibus secundum quiditatem & essentiam, non autem secundum existentiam. sed id falsum est, quia tunc ex hac conclusione demonstrata non potuisset inferre in tex. 5. quod intellectus nullā aliam naturam habet, nisi quòd est potentia omnia, & nihil est actu eorum quæ sunt, antequam intelligat, quoniam non valet: intellectus est danudatus ab omnibus intelligibilibus essentialiter, ergo est potētia omnia, & nihil est actu intelligibilium antequam intelligat, quia stat quòd sit denudatus, uel diuersus essentialiter ab ipsis intelligibilibus, & quod actu habeat ipsa intelligibilia, sicut dicit ipse de uisu qui essentialiter ab omni colore denudatus est, actu tamen colorem habet: si ergo illud corrolarium inferri debet in tex. 5. dicere oportet quod illa conclusio demonstrata in tex. 4. intelligitur non solum secundum essentiam, sed etiam secundum existentiam. & cum illa conclusio deducatur in uirtute illius propositionis: quod omne recipiens denudatum esse debet à natura recepti, igitur propositio ista non solum intelligenda est secundum essentiam, sed etiam secundum existentiam, prætereà perpendo propositionem illam qua probationis loco utitur Arist. in tex. 4. quæ huiusmodi est: Intus enim existens prohibet aliena: ista enim propositio non solum veritatem habet de eo quod coniunctum est secundum essentiam, sed etiam de eo quod coniunctum est secundum existentiam: flauus etenim color oculo inexistens icterici non est coniunctus essentialiter cum oculo, sed solum secundum existentiam, & tamen prohibet ne alienos possit spectare colores: similiter amaritudo existens in lingua secundum existentiā solum coniuncta est, & tamen prohibet ne alienos sapores persentire queat: accedunt in confirmationem Aristoteli 2. de Anima 7 1. vbi ita inquit, est autem coloris susceptiuum quod sine colore est, so ni autem abso num, sine colore autem diaphanum, & proinde omnes recipit

cipit colores. certum est autem, quod diaphanum non solum à coloribus denudatum est secundum essentiam, sed etiam secundum existentiam. igitur recipiens non solum secundum essentiam, sed etiam secundum existentiam à natura recepti denudatum eße debet. ea propter posteriores ut Gaetanus, & pleriq́ue alij eandem propositionem exponentes dixerunt, quòd propositio ista ita intelligenda est, quòd recipiens denudatum esse debet à natura recepti tanquam à ratione recipiendi, ità quod conueniunt isti cum Gandauense quod recipiens non debeat esse denudatum à natura recepti secundum existentiam, sed uolunt quod natura illa inexistens non sit tanquam ratio recipiendi. sed neque horum expositio est de Aristotelis sententia, quoniam tunc ex demonstratione contextus quarti non demonstraßet quod intellectus ab omnibus intelligibilibus secundum existentiam denudatus sit, sed solum tãquam a ratione recipiendi, deducitur ut supra. quia cum non deducat conclusionem nisi in uirtute huius propositionis, quod omne recipiens denudatum esse debet à natura recepti, si ista propositio non intelligitur quo ad existentiam, sed quo ad rationem recipiendi: igitur solum concludet intellectum ab omnibus intelligibilibus denudatum eße, non quo ad existentiam, sed tanquam à ratione recipiendi, & ita non potuisset inferre in tex. 5. ex hoc intellectum eße potentia omnia, & nihil esse actu eorum quæ sunt antequam intelligat. quis autem sit verus, & germanus propositionis intellectus sequenti capite explicabitur.

Dilucidatio.

VT huiusce propositionis ueritas aperiatur, illud primo animaduertendum, quòd recipiens in triplici reperitur: aliud enim est recipiens realiter, & naturalitr, ut materia prima, ut elementa: aliud uero est recipiens spiritalitrr, & hoc duplex est: aliud enim est recipiens spiritaliter tantum ut intellectus, visus, & auditus in genere sensuum, licet postea differãt inter se, quia intellectus recipit vniuersaliter, visus autem & auditus particulariter: aliud uero est recipiens spiritaliter intercedente tamen transmutatione reali, ut sensus tactus quidem recipit spiritaliter, quia sensus est, recipit tamen mediante transmutatione reali, quod ex eo patere potest, quia unde est quod æqualiter calida non sentimus, non ne species caliditatis in manu recipi potest? ratio nulla alia est, quia ibi transmutatio realis fieri minimè potest, quia caliditas illa, quæ percipi debet similis est in gradu caliditati existenti in ma-

in manu, & propterea non sentitur, neque intentionalis caliditas producitur: secundo sciendum quod recipiens tam realiter, quàm spiritaliter, vel est receptiuum omnium formarum sicut materia prima, & sensus. tunc dicendum est, quòd propositio ista est uniuersaliter vera tam in receptione reali, quàm spiritali: & ita intelligenda est, quòd recipiens denudatum esse debet à natura eorum quæ recipere debet, & secundum essentiam, & secundum existentiam: & primo declaratur de receptione reali, nam si recipiens realiter fuerit receptiuum omnium formarum sicut est materia prima denudari, ac omnibus formis carere debet; nam si aliquam formam propriam possideret, alias recipere minimè posset, quoniam illa quam secum iunctam teneret, tolleret habilitatem, & potentiam ad alias formas, qua ablata vis quoque recipiendi statim tolleretur: ratio enim recipientis potentiam supponit, & tamdiu recipientis ratio seruatur, quàm diu potentia, & habilitas seruatur: si ergo materia omnes formas recipere debet in ea ad omnes formas potentia seruari debet. hæc autem si seruari debet, nullum actum, nullamque formam sibi determinare debet, hæc autem si seruari debet nullum actum, nullamque formam sibi determinare debet, sed ab omni forma libera, & vacua eße debet: vnde Philosophus primo Phisic. 54. declarans qui nam ex antiquioribus melius dixerunt in statuendo subiectum, inquit quod melius dixerunt illi, qui posuerunt corpus illud intermedium, quam qui vnum ex elementis, & rationem assignans quia subiectum, quod est receptiuum contrariorum ab omni contrarietate denudatum esse debet, cũ autem corpus illud intermedium à contrarietate magis denudatum esse videatur quam elementa quia hæc contrarietatibus complexa sunt, propter illud magis habet rationem subiecti, quam aliquod elementorum: post hoc inquit, est aer qui minus sibi differentias sensibiles determinare videtur consequenter autem aqua, si vero recipiens realiter omnium formarum receptiuum minimè fuerit, sed aliquarum sicut sunt elementa, quæ non sunt elementa, quæ non sunt receptiua omnium formarum sed solum formarum mixtorum, huiusmodi recipiens non debet esse simpliciter denudatum ab omnibus formis, sed solum ab his quarum recepturum est, & ad quas naturaliter ordinat, & proinde quia elementa menta sunt receptiua solum formarum mixtorum, ab his duntaxat denudata sunt, & ipsum quod dicitur de recipiente realiter uerum est etiã de recipiente spiritaliter, nam si recipiens spiritaliter omnium fuerit receptiuum sicut est intellectus, illud ab omnibus denudatum esse debet quia si aliquid eorum quæ recipere, debet, sibi determinaret, omnia recipere minime posset, quia illud inexistens prohiberet receptionem alio-

rum, & hoc modo probatur ab Arist. in tex. 4. intellectum ab omnibus denudatum fore, quia si alicui intelligibilium commixtus esset, non omnia reciperet, quia intus existens prohiberet aliena: si verò recipiens spiritaliter non fuerit omnium receptiuum, sed alicuius generis determinati, illud ab omni ea natura denudatum esse debet, quam recipere debet, vt uisus quia receptiuus est solum coloris, ab omni colore denudatus esse debet: similiter sensus tactus, quia solum excessus recipit primarum qualitatum, ideò solum ab his excessibus denudatus est. itaque recipiens spiritaliter nullam naturam secum admittere debet eorum, quæ recipere debet, quoniam natura illa inexistens aliorum receptionē prohiberet, quæ propositio non solum intelligenda est de recipiente subiectiuè, vt inquit bonus ille Zimara in quæst. de speciebus intelligibilibus, sed etiam de recipiente obiectiuè, sicut est intellectus noster, nec sua probatio alicuius est momenti: nam cum dicit, intellectus noster recipit seipsum obiectiuè, & tamen non est denudatus a seipso. respōdetur, quòd propositio intelligitūr respectu illius recepti, quod per se recipitur à potentia receptiua: iam verò intellectus nō recipit se obiectiuè per se, sed per accidens, ut inquit Alex. & cum eo Auerro. tertio de Anima Commen. 8. sed hoc in loco vnum animaduertendum est, quoniam res non est ita superficietenus intelligenda, quia cum dicitur quòd si recipiens spiritaliter aliquam naturam eorum quæ recipere debet, secum admitteret, natura illa inexistens aliorum receptionem impediret, non intelligitur de receptione simpliciter, sed de receptione perfecta, & cōpleta: hoc autem est receptio iudicatiua: amaritudo enim inexistens linguæ non impedit receptionem simpliciter aliorum saporum; sed iudicium, quia lingua amaritudine infecta non potest probè iudicare, & alios sapores persentire sicuti sunt, sed omnes iudicat ut amaros: propterea quòd natura illa inexistens adeò limitat, & afficit potentiam illam, ut quicquid recipitur in ea recipiatur per modum illius naturæ. Amplius animaduerte, quòd cum dicitur, quod natura inexistens impedit receptionem completam, & iudiciariam, hoc intelligitur respectu aliorum, non respectu eiusdem naturæ secundum speciem. gratia exempli, amaritudo inexistēs linguæ impedit receptionem iudicatiuam aliorum saporum, quoniam si offeratur dulce, nō persentitur vt dulce, sed amaritudo illa non impedit receptionem perfectam et iudicium eiusdem amaritudinis secundum speciem si gustui offeratur, quoniam vt dicebatur supra habēs aliquam naturam realiter potest recipere eandem secundum speciem intentionaliter. cōcludentes ergo uniuersaliter hanc resolutionem tribus propositionibus perstringimus: prima est, omne

recipiens

recipiens siuè realiter, siuè spiritaliter & secundum essentiam, et secundum existentiam denudatum esse debet ab omni ea natura quam recepturum est, & ad quam per se ordinatur: altera est hæc, natura realiter, uel intentionaliter existens in recipiente spiritaliter non impedit receptionem eiusdem naturæ secundum speciem: tertia est, natura in recipiēte realiter existens impedit receptionem simpliciter aliorum. in recipiente autem spiritaliter non impedit receptionem spiritalem simpliciter aliorum, sed receptionem completam, & iudicatiuam: & in hoc sensu propositio ista ab Aristo. accepta fuit. quibus sic constitutis nunc Gandauensis rationes persoluamus, et ad primam cum diceba-tur, visus recipit omnes colores, & tamen non est ab omni colore denudatus, negatur secunda pars propositionis. ad probationem respondetur, quod color bif. accipi potest, vno modo latè pro qualitate visibili, vt etiam lucem comprehendit: alio modo propriè magis pro vt est qualitas resultans ex mixtione humidi cum opaco, tunc dicimus quòd quando Philosophus inquit, quòd omnia corpora colore participant, qui locus causa fuit erroris Gandauensis, accipit colorem primo modo, & hoc modo organum uisus, quòd humor christallinus esse dicitur, coloratum dici potest, sed non est coloratum colore propriè dicto, sed potius lucidum est. Ad illam autem de tactu ita respondetur, quod sensus tactus qui in mediocritate consistit, & temperie primarum qualitatum recipit hanc temperiem, & ideò non est ab hac temperie denudatus, sed recipit excessus qualitatum, ideò ab his excessibus denudatus esse debet, & est. nam vt dicebatur superius, si recipiens fuerit omnium receptiuum ab omnibus simpliciter denudatum esse debet: si uerò aliquorum, ab his denudatum esse debet, quorum naturaliter receptiuum est: cum igitur sensus tactus non recipit qualitates temperatas, sed solum excessus primarum qualitatum, ideò sensus tactus non debet esse denudatus a tota latitudine primarum qualitatum, sed solum ab excessibus earum, & hæc circa propositionem istam dicta sint; nunc illud quod tertio loco à nobis propositum fuit, exequamur.

An demonstratio Auerrois in Com. 4. concludat intellectus immortalitatem.

P*Vtauit Auer. demonstrationē illam quæ hac innititur propositione intellectus immortalitatem cōcludere. demonstratio uerò eiusmodi*

est, recipiens denudatum eße debet à natura recepti, intellectus recipit omnes formas materiales, ergo denudatus est ab omnibus formis materialibus, ergo non est forma materialis, hanc ve Aristotelis demonstrationem fuisse affirmare non dubitauit, sed parcat mihi Auerreos primo ista non fuit Aristotelis demonstratio, ut ex superius declaratis satis conspicuum est: secundo non concludit intellectus immortalitatem, vt arbitratur, quòd ostendo perpendens limitationem illius maioris ab eo traditam in eo loco: limitans enim Auerreos propositionem illam, inquit, quod illa maior propositio ità intelligenda est, quod recipiens debet eße denudatum à natura recepti secundum speciem, non autẽ a natura sui generi: iam uero iuxta hanc propositionis limitationẽ concluditur solum intellectum esse alterius speciei a formis materialibus quas recipit, non autem alterius generis, quod clarissime patebit si in manum accipiamus demonstrationem cum limitatione maioris, quæ huiusmodi est, recipiens debet esse denudatum a natura recepti secundum speciem, non autem secũdum naturam generis; intellectus recipit omnes formas materiale, ergo intellectus est denudatus à formis materialibus secundum speciem, non autem secundum naturam generis: ratio itaque solum concludit quod intellectus est denudatus à formis materialibus secundum naturam generis; igitur intellectus erit in eodem genere materialitatis cum reliquis formis materialibus, quòd si demonstratio concluderet intellectum denudatum eße a formis materialibus secundum naturam generis vt pote natura materialis, tunc denudatum esse a natura recepti alio modo acciperetur in maiore, et alio modo in conclusione: nam in maiore, ut glosat ipsemet Auerro. accipitur denudatum esse a natura recepti secundum speciem, non autem à natura generis, in conclusione uero accipitur esse denudatum a natura recepti secundum genus, quia concludit intellectum nõ esse naturæ materialis, & ita denudatum a formis materialis secundum naturam generis, non autem a natura speciei tantum: secundo si hæc demonstratio intellectus immortalitatem concluderet, ex eadem cogitatiuam immortalem, & immortalem eße concludi posset hoc pacto, cogitatiua recipit omnes formas materiales, ergo est denudata ab oĩbus formis materialibus, ergo non est materialis. antecedens probatur ex ipsomet Auerro. secũdo de anima 63. vbi inquit, quòd cogitatiua cognoscit intentiones indiuiduales hominis, & equi, et vniuersaliter omnium decem prædicamentorum, quare si demonstratio concludit intellectus immortalitatem, concludet etiam immortalitatem cogitatiuæ, quod ab Aristotelis & à ueritate alienum est, cæterum nonnulli quo Auerrois doctrinam insequuntur ipsum tueri conãtur, dicentes

dentes, quod demonstratio Auerrois non concludit immortalitatem intellectus ex receptione formarum materialium simpliciter, sed ex modo recipiendi, quia videlicet recipit vniuersaliter, & tunc bene sequitur, intellectus recipit omnes formas materiales vniuersaliter: ergo intellectus est immaterialis: iam verò licet cogitatiua recipiat omnes forma materiales, non recipit eas uniuersaliter, sed singulariter, & proinde non sequitur ipsam immaterialem esse, sed isti ita respondentes Auerrois demonstrationem euariant, quia illud non fuit medium ab Auerro. assumptum, quia si Auerro. ex modo recipiendi vniuersaliter concluderet intellectum immortalem esse, tunc discursus Auerrois esset huiusmodi, Intellectus recipit omnes formas materiales vniuersaliter, ergo est immaterialis & immortalis. sed cum ista consequentia non teneat nisi in virtute illius propositionis, omne recipiens vniuersaliter est immateriale, igitur demonstratio Auerrois inniteretur his duabus propositionibus, quarum altera esset omne recipiens vniuersaliter est immateriale, altera vero Intellectus recipit omnes formas materiales vniuersaliter, sed hoc apertè est contra sententiam ipsius Auerrois dicentis, quòd hæc demonstratio innititur his duabus propositionibus, altera quòd omne recipiens debet eße denudatum à natura recepti, reliqua verò quòd intellectus recipit omnes formas materiales: & ex his concludit intellectum immaterialem eße. quare non ex modo recipiendi vniuersaliter, ut dicunt isti, sed ex receptione simpliciter omnium formarum materialium Auerro. intellectus immortalitatem concludit, adde quod si ex recipiendi modo Auerro. intellectus immortalitatem deduceret, tunc illud dereliquißet in cuius virtute concluditur immortalitas, quod minimè dicendnm est. probatur consequentia, quia Auerro. profert illam propositionem simpliciter absque recipiendi modo, dicens. Intellectus intelligit, & recipit omnes formas materiales in qua non ponitur recipiendi modus, qui tamen poni debuisset, si in uirtute illius demonstratio concludit. postremo aduersus demonstrationem Auerrois, si demonstratio illa concludere Intellectum non esse materiale, similiter ex eodem medio concludi posset intellectum non esse immaterialem, ita ratiocinando, Recipiens debet esse denudatum a natura recepti, intellectus recipit & intelligit omnes formas immateriales, ergo intellectus est denudatus ab omnibus formis immaterialibus, ergo nō est immaterialis, & cum per demonstrationem suam non sit materialis, igitur intellectus nec erit materialis, nec immaterialis. nec valet responsio Buccaf. quod illa maior propositio ita intelligitur, quod recipiens debet esse denudatum a natura recepti secundum speciem, potest

test tamen eße eiusdem generis: cum ergo intellectus intelligat formas immateriales concluditur solum quòd sit denudatus à formis immaterialibus secundum speciem, ita vt non sit eiusdem speciei cum formis immaterialibus: potest tamen esse eiusdem generis utpote eiusdem naturæ immaterialis. ista inquam responsio nulla est, quoniam statim corruit demonstratio Auerrois, quia à pari dicam quòd intellectus recipit omnes formas materiales, & quòd solum est denudatus à formis materialibus secundum speciem, ita vt non sit eiusdē speciei cum formis materialibus quas recipit, est tamen eiusdem generis, vtpotè naturæ materialis, quare alterum duorum necessario fateri oportet, aut q; demōstratio Auerrois solum concludat intellectum solum eße denudatum à formis materialibus secundum speciem, non autem secundum naturam generis, & ita non concludet propositum suum, aut sic concludit quòd non solum sit denudatus à formis materialibus secundum naturam speciei, sed etiam secundum naturam generis. & materialitatis. per eandem rationem concludetur intellectum à formis immaterialibus denudatum eße non solum secundum naturam speciei, sed etiam secundum naturam generis, & immaterialitatis, & ita neq; erit materialis, neq; immaterialis, vt nuper conclusum fuit. Zimara Auerroi maximè addictus, alio modo respondere conatus est theoremate 84. dicens, quòd intellectus à formis materialibus denudatus esse debet non solum secūdum naturam speciei, sed etiam secundum naturam generis & materialitatis, quia immaterialitas cognitionem impedit, à formis autem immaterialibus secundum naturam speciei solum denudatus eße debet, non autem secundum naturam generis, & immaterialitatis, quia immaterialitas cognitionem non impedit. Sed ista responsio nulla est, quia demonstratio Auerrois non concludit intellectum à formis materialibus & secundum speciem, & secundum genus denudatum esse ex hoc medio, quia materialitas impedit cognitionem, sed ex hoc quia recipiens debet esse denudatum à natura recepti: iam verò hoc medium non solum concludit de materialibus, sed etiam de immaterialibus, & proindè si ex hoc medio concludit intellectum denudatum eße a gradu naturæ materialis, ex eodem medio concludet denudatum eße à gradu naturæ immaterialis: quare uideo neque Auerroem, neque sectatores ipsius ex hoc nodo sese explicare posse, quod si quis est ex his maximis nostri temporis Philosophis qui Auerroem tueri velit, ipsum libenter audiam. Demonstratio itaque quam tantum magnifacit Auer. ad concludendam intellectus immortalitatem nullum habet momentum. Illud quidem verum est, quod ex illo principio posito in tex. 4. quod est intellectus

omnia

omnia intelligit, ex quo deduxit intellectum nulli intelligibilium commixtum esse. deducitur etiam in tex. 6. non esse corpori mixtum, cum inquit, unde rationabile est ipsum non esse corpori mixtum, quod quidem quomodo deducatur, inferius explicabitur.

Vnde rationabile est ipsum non esse corpori mixtum esset enim qualis calidus, aut frigidus & organum haberet, nunc autem nullum est.

CONCLVSIO *ista quæ ad humanæ mentis immortalitatem attinet ab* Aristo. *scribitur tertio libro de Anima con tex. 6. quē introducens Auerroes inquit, quod cum Philosophus in tex. 4. primam rationem adduxißet ad probandum intellectum non esse corpori mixtum; in tex. 6. secundum rationem adducit ad eandem conclusionem probandam; quæ quidem Auer. sententia licet in hoc uera sit, quòd Aristotelis institutum est probare intellectum non esse corpori mixtum, hallucinatur tamen cum inquit Arist. in tex. 4. demonstrare intellectum non esse corpori mixtum, & in tex. 6. secundam rationem afferre ad idem probandum, quia vt aliàs à nobis ostensum fuit Aristoteles in tex. 4. non demōstrauit intellectum non eße corpori mixtum, sed non esse permixtum speciebus, & formis intelligibilibus, neque illud verum est in tex. 6. secundam rationem afferre ad probandum intellectum non eße corpori mixtum, quoniam Philosophus inquit, [Vnde rationabile est] illa autem dictio, unde, est dictio illatiua quæ ostendit conclusionem istam ex superioribus deduci, non autem, noua ratione probari, ea propter dicendum est quòd cum Philosophus in tex. 4. probaßet intellectum nulli prorsus intelligibili mixtum esse, in tex. 6. ex habitis in tex. 4. deducit intellectum non eße corpori mixtum, vnde aliud est immixtionis genus quod probauit in tex. 4. & aliud quod probauit in tex. 6. in tex. n. 4. probauit genus immixtionis respectu obiecti, in tex. 6. vero respectu corporis. Cæterum cum ex superioribus conclusio ista deducatur, ex quibusnam deducatur, considerandum est. dixere nonnulli conclusionem istam deduci ex ea conclusione, quæ demonstrata fuit in tex. 4. quia videlicet intellectus formis intelligibilibus permixtus non est: deducunt autem hunc in modum, quia cum intellectus formis intelligibilibus permixtus non sit, rationi consentaneum est, neq; corpori permixtū eße, quia cū corpus intelligibile quod-*

dam

dam sit, si intellectus esset corpori mixtus, igitur alicui intelligibili mixtus esset atque ita non eßet ab omnibus intelligibilibus denudatus, cuius oppositum demonstratum fuit in tex. 4. cum igitur formis innelligibilibus immixtus sit corpori quoque immixtum esse oportet, sed istorũ sententia falsa est, quia ex hoc quòd intellectus formis intelligibilibus immixtus est, ipsum corpori, vt subiecto immixtum esse inferri minimè potest, licèt inferri poßit non esse mixtum corpori ut obiecto: si enim omnibus intelligibilibus immixtus est, corpori quoque ut quoddam obiectum intelligibile est, immixtum esse neceße est, non tamen ex hoc inferri potest esse corpori immixtum vt subiecto, quòd Aristot. intendit in tex. 6. siquidem cum antecedenti stat oppositum consequentis: cogitatiua. n. nulli speciei sensibile, neque corpori ut obiecto permixta est, sed ab omnibus specicbus sensibilibus denudata est, & tamen corpori vt subiecto permixta est, quamobrem ex immixtione intellectus, à rebus intelligibilibus intellectum non esse corpori mixtum ut subiecto deduci minimè potest: non ergo propositio ista ex ea conclusione deducitur, vt dicunt: melius itaque dicendum est, propositionem istam deduci ex illo principio accepto in tex. 4. quod erat, Intellectus omnia intelligit, ex quo etiam deductum fuit, ipsum omnibus intelligibilibus immixtũ esse, in hunc modum, Intellectus omnia intelligit, ergo omnibus intelligibilibus immixtus est, quia intus existens probibet aliena, vndè quia intelligit omnia, rationabile est ipsum non eße corpori mixtum vt subiecto: deducitur autem conclusio ista ex illo principio in hunc modum, quia ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedẽtis: si enim eßet corpori mixtus non omnia intelligeret. probatur, quia si esset corpori mixtus, tunc esset qualis, calidus, aut frigidus, & organum haberet: si verò qualitatibus esset affectus, organumùe haberet, ab excellenti intelligibili læderetur. probatur ex differentia assignata ab Aristo. in tex. 7. inter sensum, & intellectum: sensus enim quia qualis est, & organum habet, læditur ab excellenti sensibili: intellectus verò cum non lædatur ab excellenti intelligibili organum non habet, quòd si qualis esset, et organum haberet sicut sensus læderetur ab excellenti intelligibili, sicut sensus læditur ab excellenti sensibili, si uerò læderetur ab excellenti intelligibili, non intelligeret omnia intelligibilia, sicut sensus, quia læditur ab excellenti sensibili non percipit omnia sensibilia, ergo de primo ad ultimum si intellectus esset corpori mixtus, non omnia intelligeret, atqui sancitum fuit in tex. 4. omnia intelligere, ergo à nullo læditur intelligibili, ergo non est qualis, nec organum habet, ergo non est corpori mixtus, et hunc in modum ex illo principio propositio ista deducitur.

sed

sed posteaquam explicauimus vnde, & quomodo propositio deducatur, consideremus prædicatum huius propositionis quid esse immixtum corpori intelligat Aristotel. Scotus super quarta sententiarum sectione, Pomp. & qui Alex. tuentur partes, dixerunt Arist. per eße immixtum corpori, non intelligere non esse eductum de potentia materiæ, sed non esse organo alligatum, vt sensus sit, intellectus non est corpori mixtus, idest organo corporeo non alligatus. Sed ista expositio est ab Aristotele penitus aliena, quia Philosophus secundo de Gener. animal. cap. 3. ex hoc quòd mens non vtitur organo corporeo, infert ipsam extrinsecus accedere. & non educi de potentia materiæ: inquit enim sola mens extrinsecus accedit, quia eius actio non communicat cum organo corporali, sicut per oppositum cæteræ animæ partes ut uegetalis, et sensitiua dicuntur intrinsecus innasci educique de potẽtia materiæ, quoniam organo utuntur corporeo, vt inter ambulandum pedibus, quòd si ex hoc medio termino, quia mens (pro quocunque accipiatur mens, nunc. enim id non curo) non utitur organo corporeo, infertur ipsam nõ educi de potẽtia materiæ, sed extrinsecus accedere: igitur cum 3. de Anima contex. 6. ex illo antecedenti, quia intellectus organo non vtitur, infert non eße corpori mixtum, intelligi debet non eße eductum de potentia materiæ: vtrobique enim ratio est, confirmatur, quia nunc agitur de summa nostrarum rerum, videlicet de animi nostri immortalitate, ex probatione qua vtitur Philosophus eodem contex. 6. inquit enim, Si intellectus esset corpori mixtus, tunc esset qualis calidus, aut frigidus, sed non est qualis calidus, aut frigidus, ergo non est corpori mixtus. scito primum, quòd forma dicitur qualis calida aut frigida, quæ qualitatibus afficitur, & quæ temperamentum qualitatum insequitur: tunc sic arguitur, Intellectus per Arist. non est qualis, ergo non est eductus de potentia materiæ. probatur, quia ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis: namsi esset eductus de potentia materiæ esset qualis, calidus, aut frigidus, quia certum est, quòd omnis forma materialis eductaque de potentia materiæ qualitatibus corporeis afficitur, et temperamentum qualitatum insequitur: cum ergo intellectus non sit qualis, ergo non est eductus de potentia materiæ, ergo per eße corpori immixtum intelligit non esse deductum de gremio materiæ. si sic, igitur intellectus est ęternus et immortalis. Sed illuc fortasse sese recipiẽt Alexandri sectatores, vt dicant, quòd licet Aristoteles per immixtũ esse intelligat non eductũ ex materia, hoc tamen prædicatum nõ enunciatur de Anima intellectiua, sed de intellectu possibili, qui facultas est & potentia aĩæ intellectiuæ de secunda specie qualitatis: de hac enim dicitur

immixtam esse corpori, & non eductam de materia, sed hoc summa dementia est: primò quidem, quia intellectus possibilis non est potentia de secunda specie qualitatis, quoniam hæc nil aliud est nisi agilitas seu facilitas ad agendum & patiendum, sicut impotentia nil aliud est nisi difficultas ad agendum & patiendum, vt declarauit Philosophus in libro cathegoriarum cap. proprio. iam verò intellectus possibilis non dicitur facilitas ad intelligendum, sed principium dicitur intelligendi ab Aristo. ergo non est potentia & qualitas de secunda specie, sed est ipsamet anima intellectiua, vt potentia intelligibilis. prætereà si illud prædicatum enunciaretur non de anima intellectiua, sed de potentia & qualitate ipsius, tunc Philosophus non satisfecisset propositæ intentioni, in primo de Anima contex. 3. vbi proponens quod sibi considerandum esset, inquit, inquirimus enim substantiam, & naturam animæ, & eius proprietates. & similiter secundo libro contex. 33. inquit, oportet autem dicere quid vnumquodque ipsorum sit, vt quid vegetatiuum, quid sensitiuum, & quid intellectiuum: iam verò si Aristoteles hoc prædicatum non de substantia animæ intellectiuæ, sed de eius potentia, & facultate demonstraret: igitur neque substantiam animæ considerasset, neque substantiæ proprietates explicasset, vt proposuit, quamobrem immixtum non de potentia, sed de substantia demonstrari dicendum est. neque eo confugere possunt, vt dicant id probari de intellectu agente, tum quia de eo probat immixtum esse, quem definiuit in 5. tex. hic autem possibilis est, tum quia hactenus non probauit dari intellectum agentem, sed illam probat in 17. contex. quare intellectus noster non est corpori mixtus, nec eductus de potentia materiæ, igitur æternus est & immortalis: & hic est vnus locus, in quo tam clarè, quā quòd clarissimè Aristoteles animi nostri immortalitatem ostendit. quam etiam veritatem confirmauit Aristoteles secundo de animal. gener. cap. 3. vbi inquit, Restat igitur vt sola mens extrinsecus accedat, solaque diuina sit, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. nec me latet Alexandrum, eiusque sectatores, cum ad hunc locum perueniunt ex eo sese explicare non posse, Alexander locum illum exponit de intellectu agente, ita vt mens quæ est subiectum propositionis supponat pro intellectu agente, qui secundum ipsum Deus est. Sed responsio ista non est digna summo illo Philosopho, qui Aristotelis dicta diligenter perpendere solitus est, nam conclusio illa est determinatio illius dubitationis quæ superius ab Arist. proposita fuit: hæc autem fuit, an omnes animæ intrinsecus innascantur, vel omnes extrinsecus accedant, uel aliquæ intrinsecus, aliquæ uerò extrinsecus accedant. iam vero sub hac

dubita-

dubitatione non continetur intellectus agens, & Deus Opt. quia nemo est qui ambigat an Deus ex semine innascatur, vel non: ergo solutio non potest esse de intellectu agente ad quem creberrimè confugit Alex. prætereà esto quòd mens accipiatur pro intellectu agente, ratio quæ probat mentem non educi de potentia seminis, sed extrinsecus accedere, eadem probat de intellectu humano. probat Arist. hac ratione mentem extrinsecus accedere, Mens inter operãdum non vtitur organo corporali sicut cæteræ animæ vires: ergo Mens extrinsecus accedit, & è uirtute seminis non innascitur: iam verò anima intellectiua in operando non vtitur organo corporali, vt declarauit Philosophus tertio de Anima contex. 6. & 7. igitur anima intellectiua extrinsecus accedit, & ex semine non traducitur: & si ex eo medio termino concluditur intellectum agentem non educi ex semine, concluditur etiam de anima intellectiua, ea propter Simon Portius sectator Alexandri aliter locum illũ exposuit dicens, quòd non intelligitur de substantia animæ intellectiuæ, sed de actu secundo, & de operatione ipsius, ita ut sensus sit, Mens quo ad actum secundum extrinsecus accedit, quia intelligere quòd est operatio intellectus dependet ab extrinseco vt ab intelligibili, & ab agente, sed responsio ista ab Aristotelis sententia longius abest, quia dubitatio ab Arist. proposita non fuit de operatione intellectus an educatur ex semine, vel non, sed de substantia partium animæ: igitur & solutio est de substãtia aīæ. cum ergo dicit, sola mẽs extrinsecus accedit, subiectum propositionis supponit pro substantia animæ intellectiuę, non autem pro actu secundo, & operatione ipsius. prætetea cum Aristoteles probet illam conclusionem ex hoc medio, quia eius operatio non communicat cum organo corporeo, si propositio illa intelligeretur quo ad actum secundum, igitur operatio sensitiuæ, quia communicat cum organo corporeo non esset ab extrinseco, & ab obiecto sensibili, quod dici minimè potest, & si operatio sensus æquè ac operatio intellectus ab eiusdem pendet obiecto extrinseco, quo pacto effugiet Portius quin etiã sensus accedat, quod tamen negat Arist. in eo loco. eapropter nonnulli alij locum illum aliter interpretati sunt, dicentes vtique sermonem esse de substantia animæ intellectiuæ. sed cum Philosophus inquit, quòd mens extrinsecus accedit non intelligit, quòd reuera extrinsecus accedat, quia intellectus una cum reliquis animæ uiribus è virtute seminis mediantibus qualitatibus, ab agente particulari educitur, sed intelligit secundum apparentiam, quia comparando intellectum cum alendi, sentiendique anima, in eius ortu parum, aut nihil primarum qualitatum, materialisque causæ apparet, & proinde ex-

trinsecus accedere uidetur, sed planè constat solutionem istam, fugam potius quandam esse, quàm philosophicam responsionem, quia quotiescunque sunt duæ propositiones de eodem prædicato, quarum altera est negatiua, et altera affirmatiua, sicut prædicatum negatur in una, ita affirmatur in altera: sed ibi ab Aristotele duæ istæ propositiones accipiuntur de eodem prædicato, quarum una est negatiua, et altera affirmatiua: inquit enim vegetalis, sentiensque anima non extrinsecus in semina & conceptus accedunt. Mens extrinsecus accedit, ergo sicut illum prædicatum quod est extrinsecus accedere negatur de uegetali, et sentiente, ita affirmatur de mente & intellectu. sed negatur de illis secundum veritatem, ergo secundum ueritatem affirmatur de intellectu. postremò considero probationem illius conclusionis: probat enim Philosophus conclusionem hoc pacto, Mēs sola extrinsecus accedit, quia eius operatio non communicat cum corpore. iam uerò forma illa cuius operatio non communicat cum organo corporali non est educta de materia, sicuti per oppositum forma cuius operatio communicat cum organo corporeo educta est de materia: ex hoc enim medio probat Aristotel. alendi, sentiendique animam ex semine traduci, quia earum actio communicat cum organo corporali, atqui operatio intellectus nostri non communicat cum organo corporali: hæc est Aristotelis ea in parte, quam item nō probauit, sed accepit vt declaratam tertio de Anima contex. septimo: igitur intellectus secundum ueritatem non educitur de potentia materiæ, sed sola inter animæ partes, quæ nobis insunt extrinsecus accedit, solaque diuina habetur, quam ob rem & vnus & alter locus ex quibus Alexander, & qui eum sunt insequuti, sæpe explicare non potuerunt, nos apertissimè commonefaciunt ratam, firmamque Aristotelis extitisse sententiam, quod anima intellectiua abstracta sit à materia, atque ita æterna, & immortalis, quam veritatem demonstrauit Aristoteles, tum quia omnia cognoscit, tū quia eius operatio nō communicat cum instrumento corporeo, licet secundum contineatur in primo, quia ex eo quòd omnia cognoscit & intelligit, cognouit intellectū non ut instrumento corporeo, ex quo percepit ipsum non esse cum corpore mixtum, ex quo sequebatur interesse inter ipsum, & alias animæ partes, quæ erant cum corpore mixtæ, siquidem organo, & instrumento vterētur corporeo, et huiusmodi independētia operationis facit ad æternitatem sicut per oppositū dependētia tollit æternitatē sicut in vegetali, sentienteq; anima: & licet intellectus depēdeat à phātasmate, quia corpori coniunctus sine ope phantasmatū nunquā intelligere valet, quicquid cōminiscantur Simplicius et Auerroes, huiusmodi tamē depēdentia

tia non tolli intellectus æternitatem, sed solum separabilitatem a corpore universaliter, licet ab hoc & ab illo corpore separetur, et hunc in modum intelligitur illa Aristotelis consequentia, Si intellectus non habet opus proprium, sed inter operandum indiget ope phantasiæ, igitur non est a corpore separabilis, non quidem quòd mortalis sit, sed quod a corpore simpliciter, & vniuersaliter separari non potest, licet ab hoc et ab illo corpore separetur, unde non possum non valde Pomponatium admirari, qui tenuit intellectum in opere suo non dependere ab instrumento corporeo, dependere tamen a phantasmate, & proinde mortalem, & corruptibilem eße, cum tamen Aristoteles secundo illo de Animal. Generatione cap. tertio ex independentia operationis ab organo corporeo probauerit mentem extrinsecus accedere, et non traduci de potentia seminis, & per oppositum alentem sentientemque partes, quia in ore suo dependent ab organo corporeo è uirtute seminis traduci: si itaque intellectus humanus non utitur organo corporeo, non video quomodo affirmare queat mortalem esse, licet à phantasmate dependeat. Cæterum hoc in loco vna dubitatio persoluēda est, nam superius dictum est Aristotelem in tex. 6. demonstrasse intellectum immixtum esse, & abstractum a corpore ex hoc medio, quia omnia intelligit: si enim hoc verum eßet, sequeretur, quòd substantię abstractę alia uia quam via motus demonstrari valerent, quod falsum est: quia, vt inquit Auerro. in vltimo Comment. primi Phisic. ad probandum substantias abstractas non est alia uia quam via motus, nec vnquam Philosophus alia uia vsus est. respondetur, quòd intellectum abstractum eße probatur eo medio quo dictum est. cum autem dicitur, ergo substantiæ separatæ alio medio probari poßunt quam via motus, conceditur, quia intellectus humanus non est principium motus, et dato quod sit principium motus, non mouet motu æterno. ad Auerro. authoritatem dicimus, quòd illa propositio non intelligitur de quacunque substantia abstracta, sed solùm intelligitur, & veritatem habet de substantijs separatis, quæ cęlestis corporis motrices sunt: hæ enim alia via probari non possunt, quam via motus, qua vbique usus est Aristoteles: èx intellectione autem probari non possunt, quia conspicuum non est an intelligentes sint, sed hoc probatur ex eo, quia abstractæ sunt. quòd autem abstractæ sint ex motus æternitate probatur. & hęc dicta sint.

Cur anima rationalis non solùm cognoscens, sed etiam intelligens sit.

CAusa porro cur aliqua natura sit intelligens vacuitas est, & carētia materiæ, vt 3. de anima cont. 15. Aristoteles declarauit, inquiens. forma abiuncta à materia secundum esse, non solum intelligibilis est, sed etiam intelligens: econtrà uerò formæ materiales, quæ potentia intellectæ in contextu 16. ab ipso vocantur, sunt intelligibiles tantum, non autem intelligentes: vt sunt formæ inanimatorum corporum, stirpium, & animalium. sicut itaque materialitas causa est, vt forma non sit intelligens, ità ex opposito, immaterialitas causa est, vt aliqua forma sit intelligens. Hinc patere potest, cur anima rationalis non solum sit cognoscens, sed etiam intelligens. enimuerò prout spiritaliter recipi cognoscens est. omnis enim à natura spiritaliter recipiens cognoscens est, vt antea dictum est. prout uerò abstracta est, & immaterialis intelligens est: intelligibiliaque recipit non solum vt abstracta sunt à materia, sed etiam à conditionibus, appendicijsque materię. nam modus operandi insequitur modum eßendi. cum autem ipse immaterialis sit, ei quoque immaterialis operandi modus correspondet, & econtra, cum eius operandi modus abstractus sit a materia, & a materiæ conditionibus, eius quoque essentia a materia, materięque cōditionibus abstracta esse debet; alioquin operatio esset supra essentiam. Hinc cognoscat, qui Alexandrum insequuntur, anima rationalis sit materialis, et sinu materiæ traducta. Enimuerò asserere materialem esse, nil aliud est, quam asserere animam rationalem non esse intelligentem, ac proinde intellectum non esse intellectum. quoniam si ex Aristotele loco citato, forma ideo est intelligens, quia est immaterialis, & econtra non est intelligens: quia est materialis, itaque si intellectus eßet materialis vt aiunt, non esset intelligens. & ex consequenti, non erit intellectus, nec ad id confugere possunt, vt dicant Aristotelem accipere formas materiales, quæ organicæ sunt, cum inquit, formas materiales intelligibiles solum eße, non autem intelligentes. siquidem philosophus in contextu illo, ibi accipit formas materiales, quæ sunt potentia intelligibiles, iam uerò formæ, quæ sunt potentia intelligibiles, sunt formę omnes, quæ ex materia traducuntur, sicuti ex aduerso formæ actu intellectæ sunt formæ, quæ ex materia non dependent, sicut Deus opt. & substantiæ separatæ quæ ex se actu intellectæ dicuntur. quoniam ex materiæ gremio non pendent. quibus omnibus sic explicatis, vnicuique iam

causa

causa patere potest diuersæ conditionis, quæ inter animæ species reperitur, quodue anima vegetalis omnino materię demersa est, sensitiua à materia paulo eleuatior, intellectiua verò à concretione materiæ libera, & soluta.

Necesse est & in anima has differentias inesse, & intellectus hic quidem omnia fieri, ille verò omnia facere.

FVIT hæc Aristot. conclusio 3. lib. de Anima contex. 17. in qua intellectus agentis necessitatem determinauit. nam cum superius superque satis à contex. 1. usque ad octauum egisset de intellectu possibili, & a cont. 8. vsque ad 17. egisset de intellectu in habitu, in 17. agere cępit de intellectu agente, de quo hæc tria declarat, necessitatem, opus, & naturam, quorum primum spectat ad quæsitum si est, secundum ad quæsitum quia: tertium verò ad quæsitum quid est. & quoniam quæsitũ est reliqua omnia antecedit, ideo in 17. contex. ab eo exorsus est, atque in natura intellectuali intellectum agentem necessarium esse demonstrauit: id autem ex similitudine a rebus naturalibus desumpta hunc in modum probauit. Sicut in omni re naturali datur vnum quod est materia accommodata vnicuique generi, & alterum quod est agens quod omnia facit ad quæ materia est in potentia, ita in anima necesse est has differẽtias inesse, quarum altera est, vt materia, reliqua uerò ut agens: propositio uerò quam sumit Aristoteles inductione ostendi potest: nam in genere animalium materia est nempè semen, ex quo uirtus actiua in semine existens animalis formam ad actum deducit, in genere quoq; saporum materia est, videlicet humidum, similiter & agens, hoc autem calor est, & in alijs rebus non solum naturalibus, sed etiam arte factis. necessitatem autem huius discursus declarans Auerroes, inquit, quia Anima intellectiua est de consideratione naturalĩ, ideo sicut in alijs rebus naturalibus istæ duæ differentiæ reperiuntur, ita & in anima intellectiua. sed hæc ratio Auerrois nulla est, quia quòd aliquid sit de consideratione naturali non arguit vt has habeat differentias, materiam scilicet, & agens. quoniam materia naturalis est considerationi, non tamẽ priorem materiam habet, nisi fortè dicere uoluerit Auerro. quòd anima intellectiua, quatenus est considerationis naturalis se habet sicut res naturalis, & ideo sicut in rebus naturalibus hę duæ differentiæ reperiuntur, ita & in anima intellectiua. Dicimus autem nos, quòd Arist. discursus ex eo necessitatem habet, quia anima intellectiua in sui generatione spiritali procedit ab esse incompleto ad esse completum

tum, sicut & res naturales in earum generatione reali procedunt ab esse incompleto ad eße completum: & ideo sicut rebus naturalibus datur materia, & agens, quod res naturales deducit ad esse completum, ita & in anima intellectiua necesse est has differentias adinueniri, quarum altera est ut materia, reliqua verò vt agens, quod animam intellectiuam deducit ab esse incompleto ad eße completum, vnde ratio poterit hunc in modum cathegoricè efformari, quorum reperitur in omni re naturali quæ procedit ab eße incompleto ad esse completum: oportet etiam aliquo pacto in anima reperiri, sed istæ differentiæ reperiuntur in omni re naturali ita se habente, ergo & in anima. Cæterum illud animaduertere oportet, quod ex hoc Aristotelis discursu habetur solum, quòd in anima intellectiua reperitur agens, an uerò huiusmodi agens sit intellectus, an uerò obiectum quemadmodum est in anima sentiente, in qua obiectum est agens quod eam ad perfectionem deducit. ex discursu Aristotelis non habetur, ea propter ne quis suspicaretur quòd hoc agens in anima intellectiua sit obiectum, sicut in anima sentiente, circa initium contextus 18. declarat, quòd illud agens intellectus, dicens [et est intellectus hic quidem omnia fieri, hic uero omnia facere,] quasi dixerit necesse est in anima has differentias adinueniri, & vtraque differentia est intellectus: illa quidem quæ se habet vt materia, est intellectus qui est omnia fieri, cuius natura fuerat superius explicata: illa uerò quæ se habet vt agens, non est obiectum vel phantasma, sed intellectus qui est omnia facere. Sed dicito, quomodo valet hoc, in anima intellectiua requiritur agens, & hoc est intellectus. nam dicam ego, quod est obiectum, ea propter id ab Arist. probandum erat. respondetur, quòd eius probatio ex superius declaratis habetur. nam ut inquit Philosophus in contex. 10. illius tertij, intellectus cognoscit carni eße, id autem est quiditas, & vniuersale, cum autem vniuersale ab obiecto minimè fieri possit, quoniam obiectum, cum materiale sit, non potest agere vltra proprium gradum, nec producere aliquod ab appendicijs, & conditionibus materiæ simpliciter abstractum tametsi producere possit speciem sensibilem spiritalem, quoniam illa adhuc in latitudine sensibilium, & materialium continetur, cum materiæ conditionibus coniuncta sit, sed speciem omnino abstractam à materiæ conditionibus producere minimè potest, igitur uniuersale fiet ab aliqua natura abstracta, sed ex contex. 15. eiusdem tertij, omnis virtus per essentiam abstracta à materia est intellectus. igitur vniuersale fiet ab intellectu. igitur agens quod requiritur in Anima intellectiua non est obiectum materiale, sed intellectus, & proinde ex his quæ superius statu erat Arist. inferre potuit, hoc

agens

agens quòd in anima videlicet intellectiua requiritur, est intellectus. Zimara ex hac Arist. conclusione colligit intellectum possibilem, & agentem esse partes substantiales animam intellectiuam componentes, quoniam inquit esse animæ differentias; tantum abest, ut id sit uerum, ut sit potius oppositum, colligatur, ut patet ex ipso Aristotelis discursu: inquit enim, quòd sicut in omni re naturali datur materia, & datur agens quod sanè in agendo talem rationem subit, qualem ars ad materiã conditionem habet, ita & in anima intellectiua dari debet vnum quod se habet ut materia, & alterum ut agens: uult ergo Philosophus quod intellectus agens, ita se habeat ad animam intellectiuam, sicut se habet agens in rebus naturalibus, & ars ad artificialia. iam uerò in rebus naturalibus agens nõ est pars interna quæ una cum materia rem naturalẽ constituat, neque ars pars est rei artificialis, ergo neque intellectus agens respectu animæ intellectiuæ subit rationem partis, sed solum rationem agentis & architecti, sicut & ars respectu artificialium: neque enim ad hoc tendit Aristotelis similitudo, ut quem admodum in naturali cõposito duo sunt materia & forma, ita & in anima existant. sed illud probat, quod quemadmodũ in naturali composito generando agẽte opus est, quod formam deducat ad actum, ita & in anima intellectus agens requiritur, quippe qui quod potentia est ad actum deducat, quamobrem ex conclusione minimè colligitur, ut putauit uir ille, intellectum possibilem, & agentẽ esse partes substantiales animę intellectiuæ: sed hi sunt gradus, & differentiæ, quæ in anima intellectiua solum alteratum faciũt, ob id differentiæ, & non partes ab Arist. dictæ sunt. & licet in rebus naturalibus materia, & agens re ipsa distinguantur, non tamen ob id sequitur, quod in anima intellectiua id quod se habet ut materia, & ut agens realiter distinguantur, si quidem Arist. similitudo non est constituta in hoc quod quemadmodum in naturalibus rebus materia, & agens realiter distinguntur, ita & in anima intellectiua, sed solum in hoc constituta est, quòd sicut in illis, hæc duo reperiuntur, ita & in anima, tametsi in illis realiter distinguantur, in hac uerò secundum rationem tantum, & hæc quo ad si est, propter quid neceßarium sit dari intellectum agentem, ideo rem hanc breuiter consideremus.

Propter quid necessarium est dari intellectum agentem.

GANDAVENSIS tertio libro de Anima quæst. 23. asseruit intellectum agentem ob eam causam necessarium esse vt sit principium actiuum intellectionis in intellectum possibilẽ: censuit enim vir iste quòd intellectus agens, & intellectus possibilis sint duæ substantiæ realiter distinctæ, animam intellectiuam constituentes, quæ ita se habent, quòd intellectus possibilis solum intellectionem recipit: intellectus autem agens in possibilem intellectionem producit, et ob hanc causam ipsum dari necesse est. quam sententiam hac ratione ostendit. Nam principium actiuum intellectionis aut species intelligibilis, aut intellectus possibilis, aut intellectus agens nõ species intelligibilis, quoniã tunc esset perfectior intellectu, neque intellectus possibilis, quia cum ipse, vt omnes concedunt, intellectionem recipiat, principium actiuum intellectionis esse non potest: idem enim principium receptiuum & actiuum actionis esse non potest, quia potentia actiua est principium transmutandi aliud, non se, vt legitur 5. Met. cap. de potentia, & nono Met. ergo erit intellectus agens, quare necessitas intellectus agentis est, vt in intellectum possibilem intellectionem producat. sed vir iste bif. peccat, primo quidem quantum ad id quod assumit, quod intellectus possibilis, & intellectus agens sint duæ substantiæ constituentes animam intellectiuam realiter distinctæ, sicut alio loco à nobis demonstratum fuit, ad quem lectorẽ reijcimus: peccat secundo in conclusione, quia si intellectus agens ea de causa necessarius est, vt in intellectum possibilem intellectionem producat, tunc intelligere non esset actio immanens, contra Philosophum 9. Met. 16. probatur consequentia, quoniam vt ait Philosophus loco citato, actio immanens est, quæ non transit in aliud, sed manet in agente, & in hoc distinguitur ab actione transeunte: iam verò si intelligere proficiscitur ab intellectu agente, & recipitur in intellectu possibili, igitur erit transiens, non autem immanens: sed huic rationi respondet Gandauensis, dicens actionem immanentem esse bif. intelligi posse, vno modo quòd remaneat in agente à quo proficiscitur tã quam in suo per se subiecto: alio modo, quòd remaneat in subiecto coniũcto ipsi agenti secundum esse, tunc inquit, quod actio immanens non dicitur quia remaneat in agente à quo dependet tanquam in subiecto, quia hoc impossibile est, sed dicitur immanens quia recipitur in subiecto coniuncto ipsi agenti secundum esse; sicuti per oppositum dicitur actio transiens, quando subiectum in quo recipitur distinctum est ab

agente secundum eße, sicut cum ignis aquam calefacit. licèt ergo intellectio recipiatur intellectu possibili distincto ab intellectu agente, quia tamen intellectus agens iunctus est intellectui possibili secundum esse, vt forma suo subiecto aliquo modo, proindè intellectio non dicitur actio transiens, sed immanens. Sed ista responsio falsa est, quia si ad operationem immanentem sufficit quòd principium actiuum, & passiuum sint coniuncta secundum esse, tunc operationes animæ uegetalis ut nutrire, & augere essent operationes immanentes, quòd nullus affirmabit. probatur consequentia, quia corpus viuens in quo hæc celebrantur opera, & anima vegetalis sunt vnita secundum esse, vegetalis enim anima uiuentis corporis forma, & actus est. Secus itaque dicẽdum est, quòd præcisa necessitatis causa intellectus agentis est ex parte obiecti, vt trãsferat ipsum de ordine in ordinem. nam cum obiectum, siuè Phantasma materiale sit, atque ita sub opposita conditione potentiæ intelligentis quæ abstracta est, ab intellectu intelligi nequit, nisi fiat intellectui proportionatum, abstractum scilicet, & immateriale: cum autem id fieri minimè possit nisi à uirtute abstracta, & a natura intelligente, eapropter necesariũ est dari intellectũ agentem qui faciat phantasma abstractum immateriale, quòd sanè declarauit Arist. 3. de Anima 18. nam cum ostendisset necesarium eße intellectum agentem, quasi explicans propter quid ipsum ponere opus sit, inquit, quòd oportet omnia facere sicut lumen: quodammodo enim lumen facit potentia colores actu colores, certum est enim quòd Philosophus comparat intellectum agentem ad intelligibile, sicut lumen ad colores, quòd sicut lumen facit potentia colores actu colores, ità intellectus agens facit potentia intelligibile actu intellectum: hoc autem obiectum est, quarè causa necessitatis intellectus agentis est ex parte obiecti, quod etiam declarauit Auer. in eodem Com. 18. vbi sic inquit, modus qui coegit ponere intellectum agentem est, quia cum proportio intẽtionum imaginatarum ad intellectum, sit sicut proportio sensibilium ad sensum, oportet esse aliquod agens quod deducat intelligibilia in potentia ad actum, sicut lux facit colores actu: & in fine sic inquit, si uniuersalia haberent esse extra animam sicuti posuit Plato, non opus esset intellectu agente, ergo præcisa causa quarè requiritur intellectus agens est ut faciat uniuersale in obiecto. quod si requireretur propter aliud vt faceret intellectionẽ in intellectum possibilem, vt dicit ille Auerroista, nulla esset Auerrois consequentia, quia etiam si darentur vniuersalia extra animam, adhuc necessarium esset dari intellectum agentem ut intellectionem produceret intellectum possibilem. tota itaque ratio necessitatis intellectus agentis

est ex parte obiecti vt faciat ipsum de potentia intelligibili actu intellectum, & hic terminatur actio intellectus agentis: non enim intellectus agens agit in intellectum possibilem in eum causando conceptum vniuersalem, aut speciem intelligibilem, vt dicunt D.Tho. & Scotus. siquidem Philosophus contex. illo 18. ad hoc ponit intellectum agentem, vt faciat potentia intelligibili actu intellectum, nec sibi attribuit aliquam ulteriorem actionem, sicut est imprimere speciem impossibilem quæ posterior est. ad rationem autem Gandauensis respondetur, quod principium affectiuum intellectionis non est species intelligibilis, sed est intellectus possibilis, qui est idem realiter cum intellectu agente, non quidem secundum gradum possibilis, quoniam vt sic potentia est ad utrumque actum primum, & secundum, sed inquantum actu est; & inquantum agens, in quo ipsamet intellectio recipitur, & manet. & cum dicebatur, idem nequit esset potentia actiua, & receptiua actionis, quoniam potentia actiua est principium transmutandi aliud, dicimus id intelligendũ esse de potentia actiua per transmutationem, et actionem vniuocam, quæ est actus imperfecti in motu autem æquiuoco, & spiritali sicut est ipsum intelligere non uere dicitur, quia respectu huiusmodi actionis, & motus idem potest esse potentia actiua & receptiua, vt ipsemet Arist. inquit nono illo Met. vbi vult, quòd actio immanens vt sentire, & intelligere in eodem maneat agẽte à quo proficiscitur, & hæc de necessitate causa intellectus agentis dicta sint: nunc uerò eius operationem, & operandi modum consideremus.

Quæ sit operatio; quisvè operandi modus intellectus agentis.

OPERATIO intellectus agentis, ut statuit Aristoteles in contex. 18. est omnia facere, non quidem simpliciter, & secundum esse reale, sed sicut lumen, ut inquit, facit potentia existẽtes colores actu, ita intellectus agens omnia facit. iam uerò lumen non facit colores secundum esse reale, quia colores in tenebris delitescentes sunt actu colores, & illuminationi præexistunt. Sed facit actu colores quo ad actum videndi, quatenus eos ponit in esse quodam conspicuo, & apparrenti, itá vt videantur, cum anteá in tenebris delitescentes non uiderentur: & proindè Philosophus non dixit absolutè lumẽ facere actu colores, sed quodammodo itá intellectus agens non facit omnia simpliciter, et secundum esse reale, sed facit omnia vt sunt potentia intelligibilia, actu intellecta, quatenus ponit obiecta in esse quodam manifesto itá ut intelligantur, cum iam pridem cõditionibus materialibus inuoluta perinde ac

tenebris non intelligerentur, & hoc abstrahere formam à materiæ conditionibus, facere de potentia intelligibili actu intellectum, & illuminare phantasmata, quæ omnia in unum coincidunt. Cæterum illud considerandum est, quomodo accipitur illa dictio, [omnia] an excipiatur pro omnibus formis siuè sint abstractæ, siuè materiales, ita ut sensus sit, intellectus agens facit omnia siuè sint abstracta, siuè materialia potentia intelligibilia actu intellecta, an accipiatur pro formis materialibus tantum: cui dubio resolutè dicendum, quòd illa dictio, omnia, uniuersaliter accipitur tā pro formis abstractis, quā materialibus, quod licet inauditum quoddam esse videatur, verissimum tamen est, & ex ipsomet Arist. probatur: nam cum Philosophus ostendißet in anima intellectiua duas illas differentias adinueniri, declarassetque quòd utraque est intellectus, inquit, quòd intellectus possibilis est omnia fieri, agens verò omnia facere, ita ut illa dictio, omnia, uniformiter accipiatur & ex parte possibilis, & ex parte agentis. iam uerò ex parte possibilis accipitur vniuersaliter, quia possibilis fit omnia siuè abstracta, siuè materialia: igitur & ex parte agentis uniuersaliter accipitur. confirmatur, nam agens & patiens, cum sint relatiua adæquatè sese respiciunt. Sed intellectus possibilis, & agens se habent ut patiens, & agens. igitur adæquatè sese respiciunt, ergo ad ea omnia sese extendit intellectus agens, ad quæ sese extendit possibilis. atqui possibilis sese extendit ad abstracta & materialia, vt declarauimus super conte. 4. eiusdem tertij: ergo & intellectus agens sese extendit ad formas materiales & abstractas. cum itaque dicit intellectus agens, omnia facit, illa dictio, omnia, vniuersaliter supponit: Sed aduersus hoc non leuis sese offert dubitatio, nam intellectus agens facit potentia intelligibilia actu intellecta: iam uerò substantiæ separatæ non sunt potentia intelligibiles, sed actu intellectæ. suaque natura a materiæ conditionibus abstractæ: igitur non indigent opera intellectus agentis, ut fiant actu intellectæ, & a materiæ conditionibus abstractæ. Animaduertito, quòd substantiæ separatæ bif. considerari possunt, vno modo secundum se, propriamque nauram: alio modo vt intellectui nostro offeruntur. si primo modo considerentur sunt actu intellectæ, & à materiæ conditionibus absolutæ: si uerò secundo modo, quoniam intellectui nostro nō offeruntur vt sunt, sed accidentibus adumbratæ, perinde ac materiales formæ, vt sunt potentia intelligibiles (potentia enim intelligibile nil aliud est nisi forma materiæ conditionibus, & accidentibus inuoluta: forma verò actu intellecta, forma est ab accidentibus & materiæ conditionibus absoluta) ea propter indigent opera intellectus agentis, vt ab illis

acci-

accidentibus abstrahantur, atque ita fiant actu intellectæ. si enim offerentur intellectui nostro ut sunt, non inuoluta accidentibus, profectò ad earum intellectionem nullum exigeretur opus intellectus agentis. unde diligenter animaduertat studiosus, quòd non valet ista consequentia, dantur obiecta immaterialia, ergo non opus est intellectu agente: sed ualet sic, dantur obiecta immaterialia, & per se offerri possunt intellectui accidentibus non inuoluta: ergo non requiritur agens, & in hoc sensu intelligenda est illa Auerrois consequentia in Comment. 18. cum inquit, si darentur vniuersalia extra animam, non esset opus intellectu agente: non enim consequentia ista absolutè intelligi debet, vt communiter exponitur, quia etiam si darentur vniuersalia extra animam quæ essent accidentibus adumbrata, opus esset agente intellectu qui ea ab illis accidentibus abstraheret, sed intelligitur sic, quòd si darentur vniuersalia extra animam, & intellectui nostro accidentibus non inuoluta offerri possent, non esset opus intellectu agente, & in hoc sensu verissima est: nunc eius operandi modum perpendamus, quo scilicet pacto intellectus agens facit potentia intelligibilia actu intellecta, formamque a materiæ conditionibus abstrahit, & absoluit.

De modo operandi intellectus agentis.

DIXERE nonnulli intellectum agentem à materiæ conditionibus formam abstrahere, quia vim quandam imprimit in phantasma per quam à materiæ conditionibus abstrahitur, fitque de potentia intelligibili actu intellectum, quæ sententia falsa est: quoniam ut inquit Philosophus in context. 18. intellectus agens se habet ad phantasmata, sicuti lumen ad colores: iam uerò cum lumen colores ponit in esse conspicuo & apparenti nihil imprimit in colores. igitur neque intellectus agens aliquid imprimit in phantasmata: accedit, quòd si aliquid imprimit in phantasmata, uel hoc erit aliquid materiale, vel aliquid immateriale: si materiale, hoc eleuare non poterit phantasma ad gradum immaterialem: si immateriale, ergo in phantasia, in qua ipsum residet phantasma, abstractum, & immateriale reciperetur, quod dici minimè potest. eapropter dixerunt alij quòd intellectus agens cum phantasma deducit de potentia ad actum, nihil imprimit in phantasma, nec agit actione positiua, sed solum actione priuatiua quatenus remouet cõditiones materiales, quæ intellectionem ipsam impediunt. quibus remotis remanet quiditas abstracta, & actu intellecta. Sed isti primum dubitationi non satisfaciunt: nam cum intellectus agens materiales remouet con-

uet conditiones; quæritur quomodo id efficiat: de hoc enim tota quæstio est; quod tamen ipsi non explicant: aberrant secundo cum dicunt intellectum agentem non agere actione positiua, sed priuatiua tantum, si quidem actio priuatiua actionem positiuam præsupponit. tandem fuerunt alij, vt Thom. Gaeta. & Ioan. Bacc. senten. primo quæstio. secunda prolegi, qui dixerunt, quòd intellectus agens est vere agens, & nihil agit in phantasmata, sed sola assistentia, & ipsius præsentia transfert phantasmata de potentia ad actum; sicut, & lumen nihil agit in colores, sed sola ipsius præsentia eos deducit de potentia ad actum; ut cum antea non immutarent uisum, actu uisum immutent. Sed neque istorum sententia uera est, quia quòd aliquid sit verè agens, & nihil agat animo consequi minimè potest: agens enim ab actione denominatur, quòd si non agit, non uideo quomodo verè agens dici queat; & dicere est agens, & non agit, perinde est ac si dicatur agens non est agens, præterea nihil potest extrahere aliquid de potentia ad actum nisi mediante actione: sed intellectus agens extrahit phantasma de potentia ad actum. igitur extrahit mediante actione; neque ratio à lumine desumpta aliquod habet momẽtum; nam licet lumen nihil agat in colores agit tamẽ in medium actione positiua ipsum illuminando, ex quo tenebræ remouentur, quibus remotis, colores qui actus sunt diaphani illuminati uisum immutãt: sed cum hactenus aliorum sententiæ reiectæ sint, nunc quæ nostra sit sententiæ in medium afferamus. dicimus autem quod intellectus agens agit, & actione positiua contra secundam, & tertiam opinionem, non quidẽ aliquid imprimendo in phantasma & actione transeunte, ut dicit prima opinio, sed actione immanente: nam cum phantasia quæ pedissequa & ministra est intellectus ei obtulerit phantasma, quod materiale est, tunc intellectus quiditatem, & formam in phantasmate conditionibus materialibus inuolutam, intelligit non intelligendo indiuiduantes, & materiales conditiones, & hoc pacto dicitur à materiæ conditionibus formam abstrahere: si quidem abstrahere, loquendo de abstractione rationis nil aliud est nisi intelligere unum, non intellgendo alterum: nam quemadmodum sensus uisus si ei offeratur lac in quo dulcedo, & albedo coniuncta sunt, separat albedinem à dulcedine, quia percipit albedinem quæ sui iuris est, non percipiendo dulcedinem, & econtra gustus in eodem lacte separat dulcedinem ab albedine, quia percipit dulcedinem non percipiendo albedinem, ita intellectus cum sibi offertur à phantasia forma materialibus conditionibus coniuncta, à materiæ conditionibus formam abstrahit, quia quiditatem, & formam intelligit, non intelligendo materiæ conditiones, quæ sui iuris minimè sunt. &

sunt. & quoniam intelligere est actio immanens & positiua, ea propter dicitur quod intellectus agens abstrahit formam à materiæ conditionibus actioni immanenti, & positiua: & licet intelligere ab Aristot. quandoque dicatur esse pati, ut tertio de Anima secundo, id non intelligitur formaliter, quia intelligere formaliter est in capite iudicij, et actionis, ut testatum reliquit ipsemet Aristot. nono Met. 16. sed intelligere dicitur pati concomitanter, quoniam cum intellectus intelligit, ab intelligibili patitur, & perficitur, & secundum hanc actionem immanentem dicitur facere de potentia intelligibili actu intellectum, illuminare phantasma. & transferre formam de ordine materialium ad ordinem immaterialium: etenim forma cum materialibus conditionibus coniuncta est, dicitur potentia intelligibilis, & in tenebris delitescens, quoniam materiales conditiones perindè ac tenebræ sunt, quæ intelligibilitati obsistunt: cum uerò intelligitur illis non intellectis dicitur actu intellecta. dicitur etiam illuminari, ac in esse quodam conspicuo reponi, vndè species illuminata, aut phantasma illustratum nil aliud est nisi forma sinè tenebris, hoc est sinè materiæ conditionibus intellecta, & hanc de modo operandi intellectus agentis veram, & germanam arbitror Aristotelis extitisse sententiam, ex quo sequitur non opus eße tot in Socrate intelligente intellectus multiplicari, totque in intellectione afferre negocia, vt sicuti communiter volunt interpretes, qui asserunt quòd intellectus agens abstrahit speciem intelligibilem a phantasmate, postea illam reponit in intellectu possibili tanquam in subiecto, qui cum speciem reciperet, eaque insignitus fuerit, postea intelligit, fabulæ, & figmento omnia, unus duntaxat est in Socrate intellectus, qui plures habet gradus quos in contex. 17. Aristoteles differentias nuncupauit, quippè cum rudis omnino est, & ab omnibus denudatus possibilis nuncupatur. cum uerò phantasmata habuerit reseruata in phantasia, tunc gradum perfectiorem adipiscitur, & dicitur intellectus in habitu, qui non est in potentia sicuti prius, quia prius potentia erat ad actum primum, sed est in potentia ad operari, & est persimilis habenti scientiam, & non contemplanti: cum uerò intellectus iacentem formam in phantasmate intelligit, non intelligendo materiales conditiones, tunc dicitur intellectus agens, & istæ sunt differentiæ quas de intellectu tractare proposuit Aristot. in contex. primo tertij de Anima, quas etiam prosequutus fuit in eodem libro, hinc Zimaræ detegitur error, qui Theoremate 99. abstractionem in duas species diuisit, quarum vna est transferre res de ordine in ordinem, & facere de potentia intelligibilibus actu intellecta. & ista est operatio intellectus agentis, quæ sine cognitione efficitur: sed ista

actio

actio fit ab eo per modum naturæ, quia abstrahit, & non cognoscit se abstrahere sicut ignis comburit, & nescit se comburere: alia uerò abstractionis species est intellectio unius altero non intellecto, et huiusmodi abstractio est operatio intellectus possibilis, cum tamen omnis abstractio, quæ rationis est, nil aliud sit nisi apprehensio unius ex his quæ coniuncta sunt secundum esse, reliquo non apprehensio, omnisque abstractio fiat ab intellectu agente siuè sit abstractio uniuersalis à particulari, quæ omnib. scientijs cōis est: siue sit abstractio formæ a materia, sicut est abstractio Mathematica. dicere quinetiam, quòd uirtus cognoscitiua sicut est intellectus agens agat, & non cognoscat se agere, ridiculum est, & homine dignum, qui ex seipso omnia confingit. & si actio intellectus agentis neque comprehensio est, neque cum cognitione, & comprehensione efficitur, vt inquit, declarare debuit quid sit, et quomodo fiat: sed quæres ad quam intellectus operationem reducitur hæc intellectus agentis operatio. dicendum, quòd ad primam intellectus operationem reducitur, quæ est indiuisibilium intellectio, in qua non reperitur falsum, sicut in secunda operatione, quæ in compositione consistit: & de hac abstractione loquutus fuit Aristot. secundo Phisicorum 18. ubi loquens de Mathematica abstractione in qua abstrahitur linea à sensibili materia, in qua est, sic inquit. Et sic abstrahentium non est mendacium. ex qua determinatione nostra plurima colliguntur, & quidem pulchra: primo quidem illud Gregorij dissoluitur argumentum, quo probare nitebatur singulare esse primo cognitum ab intellectu, si quidem intellectus agēs abstrahit vniuersale à singulari: igitur primo cognoscit singulare a quo abstrahit, secus abstractio fieret ab ignoto, à quo argumento nesciens sese explicare Zimara in quæstione de primo cognito ad illam confugiens fabellam, inquit, quòd intellectus agens cum abstrahit neque cognoscit singulare à quo abstrahit, neque uniuersale quod abstrahitur, sed illud demandat intellectui possibili cognoscendum. sed ex iam dictis argumentum dißoluitur, quòd intellectus agens abstrahit uniuersale à singulari, non tamen cognoscit singulare à quo abstrahit, & cum infert, ergo abstractio fit ab ignoto, tantum abest, vt hoc sit falsum, vt potius sit maximè verum, & Aristoteli consentaneum, quia cum abstrahere nil aliud sit, quam intelligere vnum non intelligendo alterum: igitur cum intellectus agens abstrahit vniuersale à singulari, intelligit vniuersale, non intelligendo singulare, licet hoc cognoscatur a phantasia in qua phantasma singulare adinuenitur, qua etiam in re Gregorius naturā operationis intellectus agentis ignoraße videtur: Colligitur secundo, ꝙ vniuersale non præcedit, sed consequitur actū intelligendi,

gendi, contra communem sententiam, quia cum uniuersale per abstractionem fiat, abstrahere autem sit intelligere vnum alio non intellecto, igitur vniuersale fit per intelligere, ergo vniuersale sequitur intelligere sicut affectus causam suam insequitur, & quamuis obiectum realiter actum intelligendi praeire debeat, tamen quò ad rationem formalem, quae est vniuersalitas in obiecto, sequitur actum intelligendi, & hoc pacto potentia intelligens facere potest obiectum suum, quia intellectus est qui facit vniuersale in rebus. Colligitur tertio, quòd terminus actionis intellectus agentis nil aliud est nisi forma actu comprehensa, & intellecta, quia intellectus agentis operatio sit abstrahere formam à materiae conditionibus: abstrahere autem sit intelligere formam conditionibus illis non intellectis, igitur terminus actionis intellectus agentis est forma actu intellecta. Colligitur tandem quòd non datur vniuersale, seu species impressa, & subiectiuè existens in intellectu, remanens post actum intelligendi, sed solum expressa, & obiectiuè existens in intellectu, cessans, cessante actu intelligendi, quia cum uniuersale non habeat esse nisi quia abstrahitur, ipsum uerò abstrahitur, quia intelligitur, igitur uniuersale habet esse quatenus intelligitur: & quoniam intelligere non diutius perdurat, sed quasi celeriter transit, ideo vniuersale dicitur habere esse velox in intellectu, deficitque cessante actu intelligendi. quam veritatem tandem uidit Auer. 3. de Anima com. 39. vbi sic inquit ad uerbum, necesse est vt formae sint existentes in intellectu secundum velocitatem, & rem velocis transmutationis non fixam, & quòd illae eaedem formae sint existẽtes in rebus sensibilibus extra animã, sicut habitus in habente habitum, & res fixa in materia. vnde frustra quaerit Zimara in quaest. de speciebus intelligibilibus ubi uniuersale habet esse subiectiuè, quia nullibi habet esse subiectiuè, sed tantum obiectiuè, sicut cognitum in cognoscente, sed hoc totum prouenit propter ignorantiam operationis, modique operandi intellectus agentis, iam uerò ad quaesitum si est, pedem conferamus.

Et hic intellectus impassibilis, separabilis, & immixtus est substantia actu.

C*VM hactenus operationem, operandique modum explicauerimus, nunc superest vt quaesitum quid est, eiusque naturam consideremus. quam quidem in contex. 19. hac definitione Aristoteles explicat, dicens, Intellectus agens est impassibilis, separabilis, & immixtus, substantia actu: quam sanè exponens Simplicius inquit, quòd*

definitio

definitio ista datur de supremo & substantiali animæ intellectu, qui est in se manens, nec amplius ad extra progreditur: hic enim ab Arist. separatus dicitur non solum à corpore et à corporea vita, sed à vita discursiua: consistit enim secundum ipsum tunc apud se, nihil extrà se quærens, & propterea etiam inquit, passionis expers dicitur, quòd a nullo extrinsecus accepto perficiatur, sed à seipso perficitur, aut iam perfectus existit. Quæ Simplicij sententia falsa est, quia intellectus vt in se manens non consideratur in tertio libro de Anima, quoniam tunc tertius liber de ani. esset mixtus ex diuersis considerandi modis, vtpote ex modo considerandi naturali, & Metaphysico. deducitur consequentia, quoniam intellectus vt in se manens abstrahit a materia secundum esse, & secundum rationem, cùm etiam ipse authore Simplicio, tunc nullam ad corpus & ad corpoream vitam habitudinem habeat. Sed hic est modus considerandi Metaphysicus, ex 6. Met. igitur intellectus vt in se manens cousideratur modo considerandi Metaphysico. & cum in eodem libro consideretur intellectus vt progressus est, & habitudinem habet ad corpus, hic autem est modus considerandi naturalis, vt legitur eodem 6. Met. 2. & secundo Phisi. 18. igitur intellectus considerabitur modo considerandi naturali. ergo tertius liber de Anima neque erit naturalis, Metaphisicus, sed confusus, & mixtus ex habitu naturali, & Metaphisico, quamobrem dicendum est; quod definitio ista datur de intellectu adhuc progresso, & adhuc ad materialia habitudinem habente, secundum quam rationem consideratur in toto 3. lib. de Anima. datur verò definitio ista intellectus agentis per quædam prædicata communia, quibus conuenit cum possibili, tanquam per genus, & quædam propria tanquam per differentiam. communia sunt isthæc, Intellectus agens est impaßibilis, separabilis, & immixtus, quæ etiam conueniunt poßibili vt patet ex contex. 2. & 6. eiusdem tertij; probat autem hæc prædicata conuenire intellectui agenti hac ratione. agens semper est honorabilius patiente, sed agens intellectus est agens & intellectus poßibilis, est patiens. ergo si ista prædicata quæ nobilitatem significant, conueniant intellectui possibili qui ignobilior est, multo magis conuenient intellectui agenti, quia quod conuenit ignobiliori, quod perfectionem significet, multo magis conueniet nobiliori. ex quo loco apertissimè colligitur contra Alex. & sectatores ipsius, quòd intellectus poßibilis est uniformiter immixtus, & separabilis a corpore sicut & intellectus agens. quia cum ratio Arist. in hoc sit constituta, intellectus possibilis qui est ignobilior agente sit immixtus, et separabiiis, ergo & intellectus agens qui nobilior est, aut in antecedente intelligit intellectum

LLL 2 tellectum

tellectum possibilem esse immixtum, et separabilem secũdum rationem & eße: aut secundum rationem tantum, uel quod non sit organo alligatus: si primum habetur intentum: si secundum, igitur ex illo antecedenti probauit solum intellectum agentem eße separatum secũdum rationem, aut organo non alligatum, quoniam termini uniformiter accipiuntur in antecedente & consequente: si ergo concludi debet intellectum agentem eße immixtum & à corpore separatum, ita ut eductus non sit de potentia, materiæ, ut uolunt, cum hoc deducatur ex illo antecedente, quia possibilis immixtus & separabilis est. igitur dicendum est intellectum possibilem esse à corpore separabilem, & de materiæ gremio non eductum. cum autem Philosophus declaraßet prædicata communia quæ locò generis se tenent, explicat prædicatum proprium intellectus agentis, per quod agens distinguitur à possibili. hoc autem est, cum dicit, [Substantia actu] quam partem exponens Aphrodis. Alexander primo suæ paraphra. de Anima libro cap. de intellectu agẽte, inquit, quod intellectus agens dicitur substantia actu, idest actus purus, nam cum ex prima parte definitionis intellectus agens sit impassibilis et separabilis citra materiam & potentiam est. igitur est actus purus. hinc deducit Alexannd. intellectum agentem primam causam esse, nam si actus purus est, talem profectò primam causam esse, ab Arist. commonstratum est. sed hæc Alexandri expositio falsa est, quoniam cum idem sit definiendi & considerandi modus, si intellectus agens definitur ut actus purus, ergo consideratur ut actus purus, & cum per Alexan. intellectus agens sit Deus, igitur Deus in tertio libro de Anima consideraretur ut actus purus, quod falsum est, cum id fiat in 12. Met. accedit quòd illud idem sequeretur quod contra Simp. superius deductum est. nam si intellectus agens definitur & consideratur ut actus purus, cum talis sit modus considerandi Metaphisici, quoniam ut sic abstrahit à materia secundum eße, & secundum rationem, & cum in eodem tertio libro consideretur intellectus humanus ut potentia est, & in ordine ad corpus, qui est modus considerandi naturalis, igitur intellectus humanus considerabitur modo considerandi naturali, quare tertius de anima mixtus erit ex diuersis modis considerandi, quare neque unus liber erit, quinimmo nec una scientia, quoniam ablata unitate modi considerandi, scientiæ unitas aufertur, ut legitur 6. Met. 2. & 2. Phisi. 18. Secus itaque mea sententia particula illa exponi debet, quòd intellectus agens est substantia actu, hoc est substantia omnia faciens, quæ sanè expositio bifi comprobari potest. primo quidem per terminum quo in præsentia vsus est Arist. actum exprimẽdo: neque

enim entelechia, sed energia quod operationem significat, nõ actum primum positum est: secundo probatur quia Philosophus per hanc particulam distinguit intellectum agentem ab intellectu possibili, qui potentia est, sicut ergo intellectus possibilis dicitur potentia, ita intellectus agens dicitur actu: iam uerò intellectus possibilis dicitur potentia non quidem ad esse, quia actu est, sed quia potest omnia fieri, ergo intellectus agens dicitur actu, quia potest omnia facere, & hoc pacto distinguitur intellectus agens à possibili, quia ille est actu, hic uerò potentia, idest ille potest omnia facere, hic uerò omnia fieri. & hæc est germana huius partis expositio, unde non habet amplius Alexander, quòd ex hac particula colligat intellectum agentem esse Deum, sicut ex falsa illa expositione colligit. ex qua ueritate illud etiam habetur, quòd definitio intellectus agentis non est Metaphysica, ut censuit Clarissimus præceptor meus Marcus Antonius Genua uerborum superficie deceptus, sed est naturalis, cum detur per operationem respicientem phantasmata, & materialia: omnis enim definitio quæ aliquo pacto materiam respicit, naturalis est, & hæc de necessitate, & causa necessitatis, de operatione, & operandi modo, atque de natura intellectus agentis dicta sint.

Quod autem non secundum quantitatem indiuisibile est, sed forma, intelligit indiuisibili tempore, & indiuisibili animæ: secundum accidens autem non ut illa indiuisibilia sunt, ut quod intelligit, & tempus in quo, sed ut indiuisibilia: inest enim ijs aliquid indiuisibile.

TEXTVS est tertio libro de Anima in ordine 24. qui quoniam admodum perobscurus est, nec ita bene intellectus, ipsum dilucidare decreui, ex græcis Simplicius arbitratur Aristotelis propositum esse in præsenti parte agere de obiecto intellectus in se manẽtis, quod est indiuisibile secundum formã: hoc autem secundum ipsum sunt simplices illę quiditates, et rationes ideales, quę ab intellectu perfecto, et apud se cõsistẽte intelliguntur. Cuius intentionis causa ea est, quoniam cũ in textu 23. declarasset quomodo indiuisibile secundũ quãtũ intelligatur, quod ab intellectu pgresso percipitur, ne quis putaret ab eodẽ intelligi, quod est indiuisibile secũdum formã, hac in parte declarare instituit, quod indiuisibile secundum formã ab intellectu perfectò, et in se manẽte intelligatur, et ex hoc appareat differẽtia inter obiectũ intellectus progressi, et intellectus in se manentis: hæc sunt quæ Simplicio habẽtur, et à Sim-

plicianis tanquam diuina dijudicantur, sed hæc Simplicij sententia falsa est: primo quidem, quoniam in tertio libro de Anima non agitur de intellectu in se manente, vt superius probatum: secundo, quia de obiecto illius intellectus Aristoteles agere intendit, qui in tēpore intelligit, sed intellectus in se manens non intelligit in tempore, quia hoc conuenit intellectui progresso, et vt a phantasia dependet ipso etiam authore Simplicio: ergo hoc in loco non agit de obiecto intellectus in se manentis. propositio maior ex præsenti textu probatur, in quo Philosophus inquit: quòd intellectus intelligit indiuisibile secundum formam indiuisibili tēpore: non me latet Simplicium dicturum, quòd per tempus indiuisibile, non intelligitur tempus, sed instans, sed hoc ab Aristotelis sententia alienum est, vt in expositione illius particulæ demonstrabitur. Melius itaque cum Them. Io. Gram. & Auer. dicendum, quòd cum Arist. in tex. 23. ipsum indiuisibile quod ad primam attinet operationē intellectus, diuisisset in id quod est actu tantum, & in id quod est actu, & potestate indiuisibile: illud autem quod actu tantum indiuisibile duplex sit, & secundum quantum, & secundum formam, declarassetque quomodo indiuisibile secundum quantitatem ab intellectu intelligatur: modo in præsenti parte propositum est declarare quomodo id quod est secundum formam indiuisibile intelligatur. per hoc non formam abstractam, sed formam materialem intelligens, quia vt diximus, Aristoteles agit de indiuisibili actu, diuisibili autem potestate, iam uerò forma abstracta actu & potestate indiuisibilis est, non igitur hoc in loco de ea sermo est, sed de forma materiali tantum. sunt in contex. tres exponendæ particulæ quomodo indiuisibile secundum formam intelligatur, declarat in prima, tacitæ dubitationi satisfacit in secunda, rationem affert in tertia: inquit in prima, [Quod non est secundum quantitatem, sed secundum formam indiuisibile hoc est vnum, & indiuisum secundum formam: sicut enim id quod est vnum & indiuisum secundum quantum, dicitur indiuisibile secundum quantitatem. ita id quod est unum secundum formam, & speciem, indiuisibile secundum formam dicitur, ut homo, & equus: hoc igitur quod indiuisibile forma est, intelligit indiuisibili tempore. quam partem exponentes Ioan. Gramma. & Simplicius, & cum eis Auerro. per indiuisibile tempus instans interpretantur, vnde Ioan. Gramma. Aristotelem redarguit, qui momentum, & instans tempus appellarit: sed grauissimi isti interpretes particulam hanc temerè exposuerunt, quod ex contex. 23. facilè ostenditur, vbi Philosophus rationem reddens quare longitudo indiuisibilis intelligatur tempore indiuisibili, ratio inquit est, quoniam tempus indiui-

sibile

sibile est.& diuisibile ut longitudo,tunc ita ratiocinamur: instans non est sicuti longitudo,quoniam instans est simpliciter indiuisibile:longitudo uerò quamuis sit actu indiuisibilis,est tamen potentia diuisibilis, sed tempus indiuisibile est sicuti longitudo:ergo tempus indiuisibile non est instans.præterea id etiam ostenditur ex præsenti contex.in quo Philosophus rationem reddens illius quod dixerat in secunda parte quòd longitudo,et tempus sunt indiuisibilia per accidens,inquit,quòd ideo hęc per accidens indiuisibilia sunt,quoniam in eis aliquid reperitur per quod indiuisibilia sunt. iam verò si per tempus indiuisibile instans intelligatur, cum tempus indiuisibile sit per accidens: ergo instans per accidens indiuisibile erit,quod dici nequit. postremò probatur ex quinto primæ Philosophiæ cap. de uno, ubi Philosophus habet, quòd continuum illud est cuius motus est vnus,motus autem vnus est, qui fit tempore indiuisibili.iam uerò si per tempus indiuisibile instans intelligitur, motus igitur fiet in instanti,quòd falsum eße,cuiuis manifestum est.quæ quidem loca si Ioan. Gramma. accuratè magis animaduertisset, aduersus Aristotelem non ita temerè insurrexißet, neque dicendum est, ut inquit Suessa. quòd tempus indiuisibile pro paruo tempore accipiatur,quoniam eo modo dicitur secundum Arist. in 23. contex. tempus indiuisibile, quo & magnitudo indiuisibilis dicitur: iam verò magnitudo non dicitur indiuisibilis, quia parua, sed quia non est actu in partes diuisa, licet magna sit.igitur, & tempus indiuisibile dicitur,quia non est actu in partes diuisum, tametsi magnum sit. itaque per tempus indiuisibile tempus unum, & continuum intelligi debet, quemadmodum magnitudo indiuisibilis dicitur, quia continua est, neque in partes diuisa: cum ergo dicitur,quòd indiuisibile secundum formam intelligitur tempore indiuisibili,exponi debet tempore continuo, & non interpellato, [& indiuisibili etiam Animæ]quam partem exponentes Ioan. Grammat. Simp. & B.D. per indiuisibile animæ indiuisibilem animæ partem, quæ intellectus est, interpretantur, uerum non eodem modo. Simplicius enim per indiuisibilem animæ partem intellectum in se manentem, qui à seipso indiuisus est, nec amplius ad extra declinans, quem ideo indiuisibilem animæ partem dixit ab Aristot.appellari, quia in hoc Platonem insecutus fuit, qui Animam duabus partibus constare voluit, altera quæ circa corpora compartita est, reliqua uero impartibili secundum quam ideis, de quibus vult hoc in loco sermonem haberi, cohæret atque vnitur: at Io.Gram.& B.D.per indiuisibilem animæ partem absolutè intellectum exponunt,qui indiuisibilis dicitur. Sed nec vna,nec altera expositio vera est non quidem prima, quoniam hoc in loco non est

sermo

sermo de intellectu in se manente, neque de ideis, quoniam in hoc contex. agitur de indiuisibili actu, potestate autem diuisibili: ideæ verò cum formæ abstractæ sint & actu, & potestate indiuisibiles sunt. Nec secunda, licet verior sit, quàm prima, quoniam in 22. conte. Philosophus declarauit, quòd virtus percipiens indiuisibilia, & hæc in unum componens est intellectus, unde non oportuit hoc in loco declarare, quòd intelligens indiuisibile secundum formam est intellectus. propterea melius cum Tho. & Auer. dicendum, quòd per indiuisibile animæ indiuisibilem intellectionem Arist. intelligat: sicut enim quod indiuisibile est, tempore intelligitur indiuisibili & continuo, pariter intellectione indiuisibili, & continua, unde ista secundum Aristotel. sese consequuntur. obiectũ quod intelligitur, tempus in quo, & intellectio: si enim obiectum indiuisum est, intellectio, & tempus pariter indiuisa sunt: si uero obiectũ in partes diuidatur, similiter tempus & intellectio diuieuntur, vt in 23. tex. Aristo. apertissimè declarauit. & quemadmodum ista tria magnitudo, tempus, & motus sese consequuntur in motu reali, ita ex Aristotelis sententia in motu spiritali tria hæc obiectum, tempus, & intellectio sese consequuntur, ex quo illud elicito, quòd intellectus coniunctus corpori & phantasiæ in tempore intelligit, quod ipsa quoque comprobat euidentia rei: cum enim nõ datur temporis interuallum, quod indicium postulare videtur, intellectus nec intelligere nec rectè quippiam indicare potest. hæc de prima parte.

Secundum accidens autem non quò illa diuisibilia sunt, &c.

H*AEC est secunda contextus particula, quæ ardua, & per difficilis est, quam exponentes Ioan. Gramma. Auerro. & Latini concordes referunt ad intellectionem formæ materialis, de qua sermo fuit in prima parte, discrepant tamen inter se in expositione uerborum, Ioan. Gramma. ita exponit, quod forma materialis quæ ut dictum fuit in prima parte intelligitur tempore indiuisibili, non qua diuisibilis est, sed qua indiuisibilis est secundum accidens intelligitur. tempore indiuisibili: uult enim Ioan. Gramma. quòd forma materialis sit diuisibilis per se, indiuisibilis autem per accidens. & tunc iuxta hanc sententiam textus ita exponi debet. [Secundum accidens autem non quò diuisibilia sed quo indiuisibilia] hoc est, formæ materiales licet diuisibiles sint, tamen non quo diuisibiles sunt, sed quo indiuisibiles sunt, secundum accidens intelligũtur tempore indiuisibili: uerum Moderni ex quibus unus*

est

Franciscus Vicomer. Ioannis Gramma. sententiam illico oppugnant, dicentes falsum esse quòd forma substantialis sit diuisibilis per se, indiuisibilis autem per accidens, cum res opposito modo sese habeat: siquidem per accidens diuisibilis est ratione materiæ quantæ, à qua rebus diuisibilitas vt quinto Met. habetur contex. 18. sed sic Ioannis Grammat. sententiã non intellexerunt: non enim tam mentis impos fuit, ut diceret, quòd forma materialis sit per se diuisibilis extensiuè, sed uoluit quòd sit per se diuisibilis, & multiplicabilis in plures particulares formas: est autem indiuisibilis hoc est una, & indiuisa per accidens, nempè beneficio intellectus ipsam à particularibus formis abstrahentis. nam forma quæ in particulares formas dispersa, atque diuisa est, cum ab intellectu à particularibus formis abstrahitur, fit una, & indiuisa, & ita cum per intellectum fiat una, dicitur per accidens indiuisa: cum ergo intelligitur ab intellectu, non intelligitur vt diuisa est in plura, sed ut indiuisa. quoniam uerò huiusmodi est per intellectum, idcirco intelligi dicitur, vt indiuisibilis secundum accidens tempore indiuisibili, & hæc est germana Ioannis Grammatici expositio, & non ea quam moderni existimarunt. Sed licet docta, et subtilis sit Ioannis Grammatici expositio, mihi tamen non satisfacit. primo quidem, quoniam falsum est, quòd in hac secunda parte, sermo sit de indiuisibili secundum formam, nam de eo dicitur diuisibile & indiuisibile in secunda parte, de quo probatio est in tertia parte, quoniam subiectum pro eodem supponit in conclusione, & in probatione: sed in tertia parte indiuisibile per accidens non probatur de forma, sed de tempore, & longitudine: ergo de his intelligitur in secunda parte, & non de forma. ut autem minoris ueritas appareat, uerba Philosophi subijciam, quæ huiusmodi sunt; [inest enim his aliquod indiuisibile quod facit tempus vnum, & longitudinem vnam, & hoc similiter est in omni continuo, tempore, & longitudine:] Animaduerte, obsecro, ista verba: inest enim inquit ijs, de quibus dictum est in secunda parte, quod sunt indiuisibilia secundum accidens. quid? aliquod, inquit, per quod sunt indiuisibilia, & quæ sunt ista, quæ per accidens sunt indiuisibilia? tempus, inquit, & longitudo, quare in secunda parte de tempore, & longitudine, & consequenter de indiuisibili secundum quantitatem, & non de forma intelligitur, cum dicit, secundum accidens autem indiuisibilia sunt. præterea id quoque falsum est, quod forma per accidens indiuisibilis est, utpote per intellectum, quoniam forma per se est indiuisa, & una, nec intellectus facit ipsam indiuisam, nisi pro quanto intelligit ipsam, vt est una, & non diuisa, non intellectis par-

ticularibus . sed hoc est intelligere formam , ut est sui natura talis, sicut dum intelligitur diuisa in plures per accidens, vt talis intelligitur. Commentator & ipse hanc secundam partem exponens de forma quæ intelligitur, & insuper de instanti, in quo intelligitur, rei difficultatem considerans quomodo forma, & instans secundum accidens indiuisibilia sint, cum potius per se indiuisibilia sint, per accidens autem diuisibilia, inquit, quòd sermo transpositus est, & illa particula secundum accidens, non debet ad indiuisibilia applicari, sed ad diuisibilia, ut litera ita legatur, forma, & instans secundum accidens diuisibilia sunt, per se autem indiuisibilia. sed neque Commentatoris expositio stare potest, quoniam si illa particula secundum accidens ad diuisibilia, non autem ad indiuisibilia applicari deberet, tunc Philosophus in tertia parte contextus probaret oppositum illius quod ponit in secunda parte, nam secundum Com. in secunda parte inquit, quòd sunt indiuisibilia secundum accidens, per se autem indiuisibilia. tamen in tertia parte probat Philosophus, quòd sunt indiuisibilia per accidens: inquit enim, inest enim ijs aliquid quod facit longitudinem, & tempus unum, atque ita indiuisibile, sed causa erroris fuit, quia cum sermonem esse existimaret in secunda parte de forma imaginari non potuit, quomodo secundum accidens indiuisibilis dici pòsset. uel quia eam quam nos habemus negationem in textu suo nō legit, aut legere non uoluit, ut suo proposito textum accommodaret. Melius itaque cum Simplicio dicendum, qui secundum hanc partem egregiè interpretatus est, quod Philosophus in secunda parte non loquitur de indiuisibili secundum formam, de quo loquutus fuit in prima parte, sed de indiuisibili secundum quantitatē, de quo loquutus in superiori contex. cuius quidem fidem faciunt ea uerba in hac secunda parte, quæ huiusmodi sunt [secundum accidens autē non quò illa diuisibilia sunt &c.] inquit, [illa] hæc autem dictio referri nō potest ad id quod proximè dictum est in prima parte de indiuisibili secundum formam, quia non dixisset illa sunt, referri ergo debent ad ea de quibus loquutus fuit in superiore contex. quæ indiuisibilia sunt secundum quantitatem. reuertitur autem Philosophus ad illa ut satisfaciat tacitæ dubitationi: nam potuißet quispiam dubitare, dicens, si id quod est indiuisibile secundum formam intelligitur intellectione indiuisibili, & tempore indiuisibili, cum longitudo, & tempus sint per se diuisibilia, quo nam pacto intelliguntur intellectione indiuisibili, & tempore indiuisibili? cui occurrenti dubitationi Philosophus respondet inquiens, secundum accidens autem, non quo diuisibilia sunt, quod intelligit, & tempus & in quo, sed vt indiuisibilia, quasi dicat, licet longitudo, &

tem-

tempus diuisibilia sint, tamen non quò diuisibilia sunt, sed vt indiuisibilia sunt secundum accidens, indiuisibili tempore intelliguntur: diuisibile enim si indiuisibili tempore intelligitur, hoc non est qua diuisibile, sed qua indiuisibile, & hoc est quod inquit in 2. par. sequitur postea.

Inest enim his indiuisibile quoddam, quod facit tempus unum, & longitudinem, &c.

PROBAT in hac tertia parte, quòd tempus, & qualibet magnitudo indiuisibilia sunt secundum accidens, quoniam in his reperitur aliquod per se indiuiduum, quod hæc indiuisibilia facit: nam in tempore reperitur instans, & in magnitudine punctus. quibus hæc unum, & continuum efficiuntur, & hoc similiter est in omni continuo, tempore, & magnitudine: undè forma, & quæ quanta continua sunt, opposito modo sese habent. forma enim per se indiuisa est, & una, quanta uerò continua indiuisa sunt, & unum ex accidenti ratione termini communis, ad quem eius partes copulantur: magnitudo enim indiuisa est & una, quia eius partes ad unum communem terminum copulatum, similiter & tempus, & hæc est explicatio præsentis textus. in quo hæc tria habentur, quòd indiuisibile secundum formam tempore uno & indiuiso, & indiuisa intellectione intelligitur: alterum, quòd indiuisibile secundum quantitatem vt magnitudo non ut diuisibilis, sed vt indiuisibilis, & una indiuiduo tempore percipitur: tertium, quòd tempus, & magnitudo secundum accidens indiuisa & vnũ sunt, ratione communis termini ad quem eorum partes copulantur.

In omni intelligentia, quę intelligit aliud reperitur aliquid simile materiæ, & aliquid simile formę, & nulla libera est à potentia nisi prima forma, in qua essentia eius est quiditas eius, alię uerò diuersantur in essentia, & quiditate quo quo modo.

FVIT hæc Auerrois sententia tertio de Anima Comm. 5. in sol. 3. quæstionis, quæ quoniam summè peripatetica est, & à paucis intellecta, eam dilucidare decreui. & quia duo potissimum continet dicta, alterum est, quod in omni intelligentia citrà primam reperitur aliquid simile materiæ, & aliquid simile formæ: reliquum verò quòd in prima intelligentia essentia eius est quiditas eius, in alijs verò essen-

tia à quiditate quoquomodo diuersa est: ideo & vnum, & alterum explicabitur: & quo ad primum Zimara in Theoremate 40. & omnes ferè qui hunc locum interpretati sunt, dixerunt Auerroem per simile materiæ, & simile formæ nil aliud intelligere nisi compositionem ex priuatiuo & positiuo: nam cum intelligentiæ omnes recedant, ac dilabantur à perfectione primæ, quia nulla intelligentia præter primam continet totam perfectionis plenitudinem, quæ in latitudine entis reperiri potest. licet unaquæque eam contineat perfectionem, quæ sibi conuenire potest, in illis defectus quidam perfectionis adinuenitur, qui priuatio, & potentia dicitur: & quoniam huiusmodi potentia nihil reale dicit in illis, quia in eis nihil est verè possibile, propterea nō significat veram materiam, sed aliquid simile materiæ. & quoniam in eis est suamet essentia, quæ forma est realis & positiua, ideo in illis reperitur compositio ex priuatiuo, & positiuo, quorum alterum est simile materię, reliquum uerò simile formæ.

Dilucidatio.

SED *licet sententia in se verissima sit, non tamen est ad mentem Auerrois in hoc loco, quia Auer. per simile materiæ non intelligit priuationem, & defectum illum perfectionis, & per simile formæ essentiam ipsius intelligentiæ, sed per simile materiæ intelligit naturam positiuam perfectibilem, & receptiuam perfectionis: per simile autem formæ obiectum ipsum intelligibile, & naturam perficientem. & quòd hoc uerum sit, probatur ex his quæ paulò superius in eodem commentario scribit, quæ huiusmodi sunt,* Continuatio igitur intellectus cum homine impossibile est, vt sit nisi per continuationem alterius istarum duarū partiū cum eo, scilicet partis, quæ est quasi materia, & partis quæ est quasi forma. *& exponens quid per isthæc intelligat, inquit,* pars quæ est quasi materia est intellectus, intentiones autem imaginatæ sunt quasi forma. *igitur per simile materiæ intelligit substantiam realem, & obiecti intelligibilis receptiuam, quod etiam ex eodem confirmari potest in* Com. 14. *eiusdem libri, vbi tandem sententiam repetens sic inquit;* Et fuit possibile vt intelligentiæ abstractæ perficerent se adinuicem, & si non, ne quidem possibile esset, ut illic intelligeretur recipiens & receptibile, perficiens & perfectibile, undè uidemus, quòd illud quod est liberatum ab hac natura, est primum intelligens. *ex quibus locis Auerrois iam satis patet quòd Auer. per simile materiæ nil aliud intelligit nisi naturam perfe-*

ctibilem

ctibilem, & substantiam intelligentem, & per simile formæ naturam perficientē, & obiectum intelligibile. & per consequens cōpositionē ex positiuo, & positiuo, nō quidē secundū reale, sed secundū esse intentionale: quia enim intelligens natura perfectibilis est, perfectibile autē simile materiæ est, & similiter quia obiectum intelligibile habet rationem perficientis, perficiens autem simile formæ est: ideò substantia intelligens est similis materiæ, & obiectum intelligibile est simile formæ. & hoc pacto Deus opt. dicitur esse forma intelligentiarum quatenus est obiectum intelligibile, & dicitur forma assistens. & similiter vna intelligentia dicitur forma quatenus est obiectum intelligibile respectu alterius, & hoc est quod voluit Auer. 2. Cę. Com. 3. cum dicit ex intelligentia & orbe fit vnum, sed secundum dispositionem magis diminutam quam sit compositio, & unio ex abstracto, & abstracto: hæc autem est compositio, & unio ex intellectu & intelligibili, vt seipsum declarauit 12. Met. Com. 51. vbi inquit, & cum fuerit aliquod genus intelligentiarum, quod distinguitur in compositione ex intellectu & intelligibili, nobilius est illud quod est minoris compositionis in illo genere &c. vnde Auerrois dicta adinuicem ita conferamus, in omni intelligentia citra primam reperitur compositio ex simili materiæ, & simili formæ: hæc autem, ut inquit, in 14. est ex perficiente & perfectibili, ista uerò ex secundo Cęli 3. est ex abstracto & abstracto, talis uerò ex 12. Met. 51. est ex intellectu & intelligibili. ergo de primo ad ultimum, compositio, quæ reperitur in omni intelligentia citrà primam ex simili materiæ, & simili formæ est ex intellectu & intelligibili, & hic est maximus, & supremus unionis gradus, quia in hoc recipiens fit quo quo modo receptibile & intelligens intelligibile, & utrumque indiuisibile est, cum vtrumque abstractum sit, ex quibus fit maximè indiuisibile, & per consequens maximè vnum. a qua compositione libera & immunis est prima intelligentia, quia cum ab alieno obiecto intelligibili minimè perfectibilis sit in ea non reperitur potentia perfectibilis, & id quod est simile materiæ, sicut in alijs intelligentijs, sed in ea solum reperitur id quod est simile formæ, & hoc est quod subdit Auerroes, ideo sola prima intelligentia, quia ab obiecto extrinseco minimè perficitur, libera & soluta est a potentia, idest ab hac natura perfectibili quę potentię, et materię persimilis est. hinc infert Auer. secundum dictum quod explicandum est.

In prima forma essentia eius est quiditas eius, in alijs uerò essentia à quiditate quo quo modo diuersa est.

HOC secundum Auerrois dictum exponens Zimara Theoremate superius citato, inquit, quòd sicut in generabilibus et corruptibilibus essentia distinguitur à quiditate propter materiam, quæ non attinet ad quiditatem, ità in omni intelligentia citrà primam quiditas distinguitur ab essentia per simile materiæ, & defectum perfectionis. in prima uerò quia nec reperitur materia, nec simile materiæ, & defectus aliquis perfectionis nõ differt essentia à quiditate, sed est absolute quiditas, & purissimus actus: hæc Zimara. sed parcat mihi, bonus iste uir Auerroem no intellexit, quia sicut Auer. per potentiam simile materiæ non intellexit priuationem, & defectum perfectionis, sed naturam realem, ac positiuam: ità cum inquit, quod in omni intelligentia citrà primam essentia & quiditas distinguatur per potentiam, & simile materiæ, non intelligit, quod distinguantur per priuationem perfectionis, & quod in Deo Opt. idem sint quiditas & essentia, quia in ea non reperitur hic perfectionis defectus.

Dilucidatio.

AFFERAMVS ergo nos ueram expositionem, et pro intelligentia aduertendum, quod apud Auerroem quiditas & essentiæ distinguntur: nam quiditas solum forma est, essentia uerò habens formam. sciendum præterea quod intelligentiæ bif. considerari possunt, uno modo secundum se, & propriam naturã: alio modo ut dicunt compositionem, & aggregatum ex intellectu, & intelligibili: dicendum est, quòd si primo modo considerentur, distinguitur essentia vel habens quiditatem à quiditate, quoniam sunt puri actus, ac simplices quiditates, nec in illis aliquid reperitur quod sit extra quiditatem, quemadmodum nec in prima, ut habet Aristoteles tertio de Anima contex. 9. ubi sic inquit, In quibusdam uerò ut in substantijs separatis idem est caro, & carni esse, idest quiditas, & habens quiditatem. quem locum exponens Auer. inquit, causa propter quam hæ duæ intentiones non inueniuntur in omnibus entibus est, quòd quiditas & essentia in omnibus simplicibus sunt idem, uerbi gra. quòd esse carnis & caro idem sunt, quia intentio carnis in eis non est in materia ex qua oritur diuersitas inter quiditatem, & habens quiditatem. hæc Auer. Si uerò secundo mo-

do considerentur, distinguitur essentia, & habens quiditatem in illis à quiditate. quoniam habens quiditatem est aggregatum ex natura intelligente, & obiecto intellecto, ut ex secunda intelligentia intelligente, & prima intellecta. quiditas uerò est obiectum intelligibile, ut prima intelligentia, quæ cum sit similis formæ habet rationem quiditatis. iam uerò aggregatum illud quod est habẽs quiditatem distinguitur ab obiecto intelligibili, & per consequens a quiditate, quia non totum illud aggregatum est obiectum intelligibile, utpote non est prima intelligentia intellecta, quoniam includit secundam intelligentiam intelligentem ut simile materiæ, quæ distinguitur à prima intellecta ut simili formæ. & quiditati, & sicut in generabilibus & corruptibilibus habens quiditatem distinguitur à quiditate, quoniam includit aliquid quod distinguitur à quiditate utpotè materiam, quæ à quiditate diuersa est, ut inquit Philosophus eodem 7. de Anima contex. 9. ita in his aggregatum illud & habens quiditatem distinguitur à quiditate, ut ab obiecto intellecto: quoniam in se includit aliquid simile materiæ, ut substantiam intelligentem, quæ diuersa est ab obiecto intellecto, quod est simile quiditati: dixit autem Auerroes [quoquomodo] quia cum talis compositio non sit realis, sed secundum rationem, et esse spiritale, ita diuersitas solum est secundum rationem: prima uerò intelligentia quoniam non perficitur ab obiecto extrinseco, ideo non reperitur aliquid quod sit simile formæ, aut quiditas quæ a sua essentia diuersa sit, sed quoniam à seipsa beatur, ac perficitur, ideò suamet eßentia est sua quiditas, & propterea simpliciter, & omnibus modis in prima intelligentia eßentia eius est quiditas eius, cæteræ uero intelligentiæ quoniam perficiuntur a prima dum intelligitur tanquam ab extrinseca quiditate, propterea in illis eßentia dicitur esse quo quo modo diuersa a quiditate. & hæc est uera, & germana Auerrois sententia, & Aristoteli maximè cõsentanea. an uerò in illis realis aliqua compositio reperiatur, dubium est.

An in substantiis à materia separatis realis aliqua compositio reperiatur.

BEATVS Doctor in prima parte summæ, q. 3. art. 4. & in secundo contra Gentes, de Aristotel. sententia tenuit, quòd in omni intelligentia citra primam reperitur compositio ex esse, & eßentia, quæ in eis realiter distinguntur: & quoniam eßentia se habet ut potentia, esse uerò se habet ut actus, & complementum: ideò tenuit, quòd in

omni intelligentia a prima sit compositio realis ex potentia & actu, & ex positiuo & positiuo ex altera parte Scotus 2. sent. libro dist. 3. q. 7. voluit in omni intelligentia a prima reperiri compositionem realem ex quiditate, & differentia indiuiduali super addita contrahente quiditatem ad esse indiuiduum & singulare, non tanquam ex re & re, sed ut ex realitate & realitate, vt alibi a nobis declaratum fuit. sed vtraque sententia falsa est, & ab Aristotele aliena, quia si in diuinis illis mentibus realis compositio reperiretur, sequeretur, quòd in eis non esset idem quiditas, & habens quiditatem aduersus Aristotelem tertio de Anima contex. 9. vbi inquit, quòd in quibusdam idem est caro, & carni esse: hoc est quiditas, & habens quiditatem, per ly Quædam intelligens substantias separatas, vt extat communis interpretum sententia. quod ex eo etiam patere potest, quoniam accipit ly Quædam prout sunt contradistincta à Naturalibus, & Mathematicis, in quibus inquit, quòd aliud est quiditas, & aliud habens quiditatem, prout etiam probat in contex. 11. sed hæc sunt substantiæ separatæ. itaque per ea in quibus idem inquit, esse quiditatem, & habens, quiditatem, intelligit substantias separatas. consequentia conspicua est, quoniam si in illis reperiretur compositio ex esse, & essentia quiditate, & differentia indiuiduali super addita quiditati, igitur in illis reperitur aliquid quod est extra quiditatem, & per consequens non est idem quiditas cum habente quiditatem: sicut enim in materialibus quiditas distinguitur ab habente quiditatem, quoniam hoc includit aliquid præter quiditatem, ita si in illis aliquid præter quiditatem reperiretur, non erit idem quiditas cum habente quiditatem: quod cum falsum sit, falsum etiam erit ex quo sequitur, videlicet in illis reperiri compositionem ex esse, & essentia, uel ex essentia & differentia indiuiduali, quæ ab essentia distinguatur. quod etiam confirmatur ex Aristote. 12. Met. contex. 30. vbi probauit, quòd substantia abstracta sit actus purus: cum autem substantia abstracta, quæ est subiectum illius propositionis accipiatur pro substantia abstracta in genere, ut à nobis probatum fuit in disp. de principio indiuiduationis substantiarum separatarum, quæritur, cum probat quod sit actus purus, aut intelligit quòd sit actus purus simpliciter, & libera ab omni compositione reali, & esse & essentiæ, & essentiæ & differentiæ indiuidualis: aut intelligit quòd sit actus purus, hoc est libera à compositione materiæ & formæ. si primum, ergo qualibet intelligentia libera est à qualibet compositione reali: si secundum dicatur, cum ibi sermo sit de substãtia abstracta in genere, vt etiam Deus optimus comprehenditur:

tur: ergo nulla substantia separata erit libera à compositione esse & essentiæ, & realitatis, & realitatis, & ità neque Deus opt. ab hac compositione immunis erit, cuius oppositum tenent ipsi, atque tenendum est. quarè alterum duorum dicendum erit, aut quòd omnis intelligentia ab omni compositione reali sit libera, atque soluta, aut quod in Deo optimo sit aliqua compositio realis, quod cum minimè dici possit, primum necessariò dicendum erit.

Dilucidatio.

QVamobrem de Aristotelis sententia statuendum est, quòd in substantijs separatis nulla realis compositio reperitur, sed sunt puri actus, simplicesque quiditates. cęterum Zimara licet hac in re nobiscũ quoque sentiat, voluit tamen, vt legitur Theoremate illo 40. quòd in anima intellectiua quæ abstracta est à matera, sit compositio realis ex intellectu possibili, & intellectu agente, tanquam ex duabus partibus essentialibus realiter distinctis, animam intellectiuam constituentibus, motus Aristotelis authoritate tertio de Anima contex. 17. vbi statuit in anima intellectiua has duas differentias adinueniri intellectum possibilem, & intellectum agentem: cuius etiam sententiæ fuerunt Gandauensis tertio de Anima, & Antonius Mirandulanus in libro de Monomachia libro 11. sect. 19. Sed horum opinio ab Aristotele dissentit, quia, vt supra dictum fuit, Aristoteles probauit, quòd substantia abstracta sit actus purus, & libera ab omni compositione reali: iam verò sub substantia abstracta, quæ est membrum diuidens substantiã cõtradistinctũ à substantia sensibili caduca, & æterna, vt habetur in contex. 29. continetur etiam Anima intellectiua, quamobrem anima intellectiuã erit libera ab omni compositione reali, nec sibi quicquã fauet cõtextus ille 17. tertij de Anima, quia Arist. non appellauit intellectum possibilem, & agentem partes animæ intellectiuę: cum alioquin nomen partis sibi maximè familiare esset: sed appellauit differentias, quarũ altera se habet vt materia, & altera vt agens: prætereà neque ex illa demõstratione Arist. concludi potest intellectũ possibilẽ, & agentem esse partes constituentes animam intellectiuã, quoniam Arist. ità ratiocinatur, sicut in omni natura datur vnũ vt materia propria unicuique generi, et alterũ ut agẽs, quod se habet vt ars ad materiã, ità et ĩ aĩa intellectiua necesse est has duas differẽtias reperiri, quarũ altera se habeat ut materia, et altera ut agẽs: vult ergo Philosophus ꝙ ĩtellectus agẽs se habeat in aĩa intellectiua, sicut se habet agẽs in naturalibus, et artefactis,

iam uerò agens in naturalibus non est pars quæ cum materia constituat rem naturalem, neque ars quę cum materia cōstituat rem artificialem, igitur neque intellectus agens in anima intellectiua habet rationem partis formalis cum alio eßentiam animæ constituentis, quare non uideo quomodo vir iste ex hoc cõtex. colligere uelit intellectum agentem cum possibili habere rationem partis essentialis cōstituentis animam intellectiuam, cum potius ex eo oppositum colligatur. de Aristotelis itaque sententia dicendum est, quòd in anima intellectiua non reperitur aliqua compositio realis, sicut neque in alijs substantijs separatis, & licet in anima intellectiua reperiantur intellectus possibilis, & agens, hi non sunt partes animæ intellectiuæ, sed sunt modi, gradus, uel differentiæ animæ intellectiuæ: hæc enim vt caret intelligibilibus, & potentia est ad illa dicitur possibilis, & se habet vt materia: cum uerò singula facta est, habet alium modum, uel alium gradu perfectiorem, & dicitur in actu primo, uel inhabitu: habet & alium gradum perfectiorem, ut agens, nam inquãtum abstrahit naturam à conditionibus particularibus, quòd mea quidem sententia nil aliud est nisi quatenus intelligit naturam illam non intelligendo conditiones particulares, dicitur abstrahens, & agens: nam quemadmodum & in Geometra carere, & priuatum eße habitu Geometriæ, habere actu habitum Geometrię, & illum non contemplari, tandem illum contemplati sunt gradus & modi ipsius Geometræ, ità carere intelligibilibus quod correspondet Geometræ non habenti Geometriam, esse singula factam & actu præditam intelligibilibus, quòd correspondet Geometræ habenti Geometriam, & non contemplanti, eße agens, quod correspondet Geometræ contemplanti, sunt modi, gradus, & differentiæ animæ intellectiuæ, quæ non faciunt aliud, sed alteratum, de quibus differentijs agere proposuit Aristoteles in contex. primo tertij de Anima dixit, considerandum est, quã differentiam habeat, non quidem à sensitiua, ut communis extat opinio, sed in se, & hanc differentiam exequitur in proceßu: declarat enim quod alia differentia est vt potentia, & alia ut agens, alia ut speculatiua, alia uero vt practica: quæ quidem differentiæ, & gradus non reperiuntur in alijs substantijs separatis, quia in illis non reperitur ille intelligendi modus, qui per abstractionem fit à fantasmatibus, sicut in anima intellectiua, & hoc pacto anima intellectiua dicitur esse natura è Angelica, & cæteris substantijs separatis, non quidem per compositionem realem, ut sentiunt isti; sed quia hos gradus modus includit qui in illis non reperiuntur. Vndè inter substantias separatas talis erit ordo, in primis enim est Deus optim. qui cum omnium perfectionum sit

plenitudo

plenitudo caret compositione ex priuatiuo, & positiuo: & quoniam non est perfectibilis ab alieno obiecto, propterea caret compositione ex perficiente, & perfectibili, & ex intelligente & intelligibili: cæteræ uero supra animam intellectiuam, quoniam cadunt, à perfectione primæ compositionem includunt ex priuatiuo, & positiuo, & quoniam perficiuntur à prima vt ab obiecto intelligibili, ideò compositionem includũt ex perficiente & perfectibili, vel ex intellectu, & intelligibili: quoniam verò non intelligunt per abstractionem, & per speciem vt humana mẽs, ideò in illis non necesse fuit has differentias, hosvè modos adinueniri, & si quandoque inuenies Auerroem dicentem in substantijs separatis reperiri intellectum possibilem & agentem, id nõ intelligas propriè, & ex parte intellectus, quoniam intellectus substantiarum separatarum non indiget ratione agentis & abstrahentis, cum non intelligat per abstractionem, sed per intellectum possibilem intelligit substantiam intelligentem, quæ quatenus intelligit aliud, & perficitur ab obiecto intellecto, dicitur intellectus possibilis, & similis materiæ. per intellectum autem agentem intelligit obiectum intelligibile, nam prima intelligentiarum dicitur intellectus agens respectu ipsarum: quatenus enim ab alijs intelligitur perficit illas, atque illuminat: omnis enim cognitio illuminatio quædam est, & sub hac ratione dicitur intellectus agens ab Auerro. & similis formæ vt supra declaratum, sed non reperitur intellectus agens propriè & ex parte intelligentis: iam uerò intellectiua quoniam dilabitur à perfectione primæ, & aliarum, propterea compositionem includit ex priuatiuo & positiuo: quoniam verò perficitur & à superioribus & inferioribus intelligibilibus, iõ includit & secundũ gradum compositionis ex perficiente & perfectibili, vel ex intellectu & intelligibili. quoniam uerò per abstractionem, & speciem intelligit, ideò includit alium compositionis gradum, ut ex modo & modo, & ex quibusdam differentijs, vt ex natura possibilis, & agentis, secundum quas differentias, & modos Animam intellectiuam considerauit Aristoteles in tertio libro de Anima, & hoc modo Anima intellectiua dicitur compositior quàm cæteræ substantiæ separatæ: & hæc fuit Aristotelis sententia, pariter & Commentatoris si eius principia consideremus, quorum cum illud unum fuerit,

Omne compositum est nouum, ideo illud sequenti cap. perpendemus.

Omne compositum est nouum, & possibile.

PROPOSITIO *ista fuit Auerrois 12. Met. 39. & tertia in Algazelem disp. sol. 19. dubij. quæ licet ab alijs animaduersa sit, non tamen rectè intellecta fuit. Gandauensis tertio de Anima quæst. 28. Zim. theor. 39. & recentiores nonnulli propositionem istam exponentes, dixerunt, quòd omne compositum ex principijs transmutabilibus, vt ex materia quæ est potentia contradictionis, & forma transmutabili est nouum, & possibile: quod verò compositum non est ex principijs transmutabilibus vt cęlum, & anima intellectiua non sunt noua, neque possibilia secundum substantiam. sed expositio ista falsa est, & ab Auerro. aliena, quia Auer. tertia illa disp. limitans propositionem illam Algazelis, quæ erat, quòd omne causatum est possibile, & nouũ; inquit, quòd ista propositio non verificatur nisi in causato composito: impossibile est enim, inquit, inuenire quid compositum æternum, sed quodlibet est possibile, & nouum: Auerroes accipit compositum non vt contradistinguitur ab alio composito, non ex principijs transmutabilibus, sed prout distinguitur a causato simplici: Algazel enim quem secutus est Auicennas existimauit, quòd omne causatum quod sufficienter diuiditur per simplex & compositum, esset sui natura possibile & corruptibile, & aliunde nancisceretur æternitatem. Auerro. autem perstrinxit propositionem istam, dicens, sed id quod posuit quòd omne causatum est possibile, non verificatur nisi in causato composito, quod nequit esse æternum: accipit itaque Auer. causatum compositum vt contradistinguitur a causato simplici, & de hoc illud possibile, nouumque vult verificari, quod secundum Algazelem verificabatur de omni causato. hoc autem est possibile & nouum secundum substantiam, igitur vult, quòd omne causatum compositum quod non est simplex sit possibile & nouum secundum substantiam. malè itaque ab ipsis perstringitur propositio ad compositum ex principijs transmutabilibus, præterea si eorum expositio vera esset, tunc ratio Auer. 12. Met. 39. nihil concluderet contra Saracenos: ibi enim inuehitur Auer. contra Saracenos ex secta Mohanzelæ, vt ex ipsomet colligitur tertia disp. sol. 18. dubij, qui primam intelligentiam ex tribus substantijs, nempè ex substantia Auerrois, sapientiæ, & vitę compositam asseruerunt. siquidem hæc accidentia esse, & dispositiones supperadditas suæ eßentiæ minimè voluerunt, & ita argumentatur. Omne compositum est*

no-

nouum. prima intelligentia est composita, ergo noua, nouitate inquam substantiæ, vt ostendunt verba sequentia, quæ huiusmodi sunt, nisi dicant aliqua componi per se: & si per se componantur, tunc extraherentur de potentia ad actum, per se: quibus uerbis ostendit compositum extrahi de potentia ad actum, & ita secundum substantiam nouũ esse. iam verò si illa maior propositio intelligatur de composito ex actu & potentia contradictionis, & ex principijs transmutabilibus, cum veteres illi huiusmodi compositionem in Deo minimè ponant, sed maximè diuersam, non sequitur quòd in Deo sit aliqua nouitas, ita quòd cum dicitur, omne compositum est nouum, uerum est ex principijs transmutabilibus: modo dicent Saraceni prima intelligentia non est composita ex principijs transmutabilibus, & propterea non sequitur quòd sit noua. instantiam istam animaduertit Zimara, & in hunc modum respondet, dicens, quòd veteres illi potentiam contradictionis in Deo ponebant, atque materiam primam: si quidem substantiam numeratam esse asserebant; sed numeratio in substantia non fit nisi per materiam, vt primo de sub. orbis. & prima dispositione sol. 7. dubij. quare cum substantiam numeratam ponerent, quæ a materia cum quantitate proficiscitur, igitur in Deo materiam primam, & consequenter contradictionis potentiam posuerunt, sed vir iste cum illud asserit, quòd veteres illi in Deo materiam & contradictionis potentiam posuerunt, maximè fallitur. nam licet substantiam numeratam in plures substantias posuerint, non tamen posuerunt substantiam numeratam in plures substantias sub eadem specie numero differentes, quoniam tunc procul dubio materiam posuissent, cum hæc multitudinis numeralis causa sit: sed hi posuerunt substantiam numeratam in plures substantias forma, & ratione distinctas. quod ex eo probatur quoniam Saraceni in Deo substantiam Amoris, Sapientiæ, & Vitæ posuerunt. sed hæ tres substantiæ non numero, sed ratione, & forma distinguuntur. alia namque est quiditas Amoris, alia sapientiæ, & alia vitæ. igitur substantiam plurificatam posuerunt non in plura numero, vt dicit Zim. sed in plura forma, & ratione distincta, cuius multitudinis causa non est materia: postremo, si propositi theorematis expositio, quam isti tradunt, esset vera, tunc Auerroes à prima intelligentia non omnẽ compositionem remouisset, vt intendit, sed solum compositionẽ ex actu & potẽtia contradictionis, quod probatur ex Auerrois discursu, ex quo ista infertur cõclusio, quòd prima intelligẽtia sit noua, quæ cũ falsa sit, igitur aliqua præmissarũ, nõ maior, ergo minor falsa erit, quòd scilicet prima intelligentia sit composita. sed prædicatũ huius

ius propositionis pro composito accipitur ex actu & potentia contradictionis, quoniam sicut accipitur in maiore, ita in minore, sed secundum ipsos in maiore accipitur pro composito ex actu & potentia contradictionis, ergo & in minore, quæ cum falsa sit, igitur duntaxat probatur primam intelligentiam non esse compositam ex principijs transmutabilibus. & ex potentia contradictionis, sed non esse ab omni compositione liberam & immunem, quod tamen ibi Auer. probare maximè intendit. horum itaque expositio falsa est: Sed alij fortasse aliter propositionem istam exponere possent, dicentes, quòd compositum in duplici differentia est. unum quidem ab alio, alterum uerò à se, nam distinctionem probare uisus est Algazel nona disp. dubio primo, tunc dicent, quod propositio uera est, de composito primo modo, non autem secundo modo, quoniam tale potest eße antiquum, & æternum: quam responsionem tangit Auerroes 12. illo Met. 39. in his uerbis, Omne compositum est nouum, nisi dicant aliqua componi per se, quasi dixerit, quod isti ita respondere potuissent, quòd dantur composita ex se, & talia non sunt noua, sed æterna: iam uerò prima intelligentia cum sit composita à se non ab alio, propterea non sequitur quòd sit noua, Sed responsionem istam in eodem loco redarguit Auer. dicens: si enim aliqua componerentur per se, tunc per se educerentur de potentia ad actũ, & sine motore transmutarentur. ex quibus uerbis duæ rationes colligi poßunt. vna, quæ ostenditur non dari compositum à se: altera, quæ probatur omne compositum siue ab alio siue à se nouum eße. prima ratio ita elicitur, si aliqua per se componerentur, tunc per se educerentur de potentia ad actum, & transmutarentur sine motore per se. consequens est absurdum, ergo & id ex quo sequitur, quòd est aliqua per se componi, falsitas consequentis ita ostenditur, nam motus non potest esse sine motore, nec aliquid educi potest ex se de potentia ad actum, siquidem hæc est ratio ipsius agentis, vt habetur ex Arist. Met. 15. & ex Auer. 12. Met 44. ratio autem ab eo cuius est ratio separari nõ potest. consequens itaque inconueniens est, & consequenter illud antecedens quod detur aliquod compositum ex se, quod etiam declarauit Auer. nona disp. in Algaz. sol. primi dubij, vbi aduersus Algazelem inquit, non eße par iudicium entis, & compositi: datur enim ens à seipso, sed non datur compositum ex se sine agente. falsa est igitur distinctio de composito ab alio, et à se. Secunda ratio ita colligitur, si aliqua componerentur per se, ergo per se educerentur de potentia ad actũ, & transmutarẽtur: igitur quodlibet compositum siue ab alio, siue ex se per transmutationem de potentia ad actum deducitur, ergo possibile & nouum. licet

ergo daretur compositum ex se, illud adhuc esset nouum secundum Auer. & non antiquum.

Dilucidatio.

CVM *itaque nulla quæ hactenus tradita est expositio, uerum propositionis sensum attigerit, agè nos nostram sentẽtiam afferamus, & germanum Theorematis sensum explicemus: hic autem vt planior & apertior fiat, sciendum quòd compositum pluribus modis accipitur, uno modo, vt est compositum ex pluribus substantijs realiter: alio modo spiritaliter, vt ex perficiente & perfectibili sicut superius declaratum fuit: alio modo ex perfectione & perfectionis carentia: atque ex modo & modo. cæterum compositum primo modo sumptum adhuc duplex est, aliud enim est per se unum, ut ex forma dante esse, & aliquo recipiente esse concretum: alterum uerò compositum est ex diuersis substantijs non tanquam ex forma dante esse, & subiecto recipiente, sed tanquam ex mouente, & mobili, ueluti sunt corpora cęlestia, quæ ex duabus naturis composita sunt sub ratione manentis, & mobilis, ut proprio cap. à nobis demonstratum fuit. his modo sic constitutis dicimus, quod ista propositio, Omne compositum est nouum secundum substantiam & possibile, intelligitur de omni composito ex diuersis substantijs, quod est per se vnum vel ex forma dante eße, & ipsum esse recipiente compositum propter primam conditionem compositum spiritaliter ex perficiente & perfectibili, & compositum ex perfectione & perfectionis carentia, atque ex modo et modo excluduntur: nam in diuinis illis mentibus compositio reperitur spiritalis ex perficiente & perfectibili, & ex perfectione & perfectionis carentia, non tamen earum substantia noua est, atque possibilis: similiter in anima intellectiua reperitur spiritalis compositio ex perficiente & perfectibili, atque ex modo & modo, vt ex natura possibilis, & natura agentis, non tamen eius substantia noua est, atque possibilis, licèt secundum illos modos noua atque possibilis dici possit, propter secundam conditionem corpus cęleste excluditur, quod licet ex diuersis substantijs realiter, vt ex intelligentia & orbe compositum sit, non tamen est per se vnum, nec ex ijs compositum, vt ex subiecto & forma dante sibi esse. Quòd autem hic uerus sit & germanus propositionis sensus ex eodem Auerroe 11. Met. 39. ità ostenditur, eo sanè loco Auerroes aduersus Saracenos argumentatur, qui primam intelligentiam ex tribus substantijs amoris, sapientiæ, & vitæ compositam esse asseruerunt. hæ autem tres substantiæ secundum*

dum


dum ipsos erant realiter distinctæ, cum hoc tamen voluerunt esse vnam secundum substantiam: sed quoniam, ut inquit Auerroes, substantia ex pluribus composita non potest esse una nisi per unam formam additam composito, idcirco cum prima intelligentia sit ex diuersis rebus composita, non poterit eße per se una nisi per unam formam superadditam, & quoniam ab eodem est eße, & unum eße, ea propter cum prima intelligentia sit una per unam formam, igitur per eandem formam habebit eße, & tunc Commentator aduersus istam compositionem hoc erigit fundamentum, Omne compositum est nouum, prima intelligentia est cõposita eo modo quo dictum est, ergo erit noua. iam uerò de eo composito vult Auerroes nouum eße affirmari, quod in minori de prima intelligentia prædicatur, nisi illud temerè affirmare volueris, quod diuerso modo compositum in utraque propositione accipiatur: at compositum quod affirmatur de prima intelligentia illud est, quod ex diuersis substantijs constat. & ex forma dante esse, ut superius ostensum est. ergo & de hoc composito nouum esse uerificatur: statuimus itaque, quòd omne compositum ex diuersis substantijs per se unum nouum est, atque possibile: uia autem atque firmissima ratio ad id ostẽdẽdum cur huiusmodi cõpositum nouum sit, non est ratio tradita à Modernis, sed ista, quia omne compositum ex pluribus substantijs, quarum altera dat esse, & altera recipit esse, necessario est per se unum, quoniam ab eodem est eße & vnum esse, sed unum per se minimè fieri potest, nisi quia unum est actus, & reliquum potentia ad esse, ut habetur 6. Met. contex. 15. sed omnis potentia in substantia, & ad esse, est potentia contradictionis, vt legitur apud Auer. sub initium secundi cap. de Sub. orbis, cuius verba sunt hæc, In cęlesti corpore non reperitur potentia omnino scilicet, in substantia, quoniam omnis potentia in substantia est contradictionis, quod ab Aristotele accepit 9. Met. 17. ubi æterna non habere potentiam, hac ratione ostendit, Si æterna haberent potentiam ad esse, ergo haberent potentiam contradictionis. quoniam omnis potentia simpliciter, uel in substantia contradictionis est. igitur omne cõpositum ex pluribus substantijs, vt ex forma dante eße, & ex aliquo recipiente esse, est potentia contradictionis: igitur poßibile est, atque nonum, et hoc est firmissimum huius theorematis fundamentum, in quo Auerroes cum Aristotele maximè consentit. Hinc colligere potes, quare cęleste corpus, cum ex diuersis substantijs compositum sit, non est nouum, sed antiquum: ratio ea est, quoniam non est compositum ex subiecto & forma informãte, nam si huiusmodi eßet, in eo esset potentia ad formam, & ad esse, & ita esset in eo potentia contradictionis, & forma constituta in eße

per

per subiectum, & proinde esset necessario nouum, atque possibile, sed compositum est ex duabus naturis, ut ex mouente & mobili, in quo non est nisi potentia ad ubi, sed fortasse quispiam circa hoc ambigere posset, nam superius dictum fuit, quod Auerroes exponens illam Algazelis propositionem, quod omne causatum est possibile, dixit, quòd ista propositio non uerificatur nisi in causato composito, unde Auer. accepit compositum vt contradistinguitur à simplici: igitur omne compositum & distinctum à simplici erit nouum, & ita corpus cæleste nouum erit, cuius oppositum nuper determinatum fuit: aut igitur ibi Auer. non accepit compositum vt contradistinguitur à Simplici, aut si accepit, absolutè omne compositum nouum erit. Dicimus adhoc quòd ibi Auer. accipit omne causatum compositum vt distinguitur à causato simplici, & quod huiusmodi est, simpliciter nouum est. iam uerò corpus cæleste corpus quãuis compositũ sit, nõ tamen est causatum compositũ, quoniã ex intelligentia & orbe non constituitur secundũ esse formale, sed solum resultat unum quòd à seipso mouetur, quare sicut ibi accepit omne compositum causatum, ita propositio verificatur de omni composito causato contradistincto à causato simplici, & hæc satis.

De calore innato ex 2. de animal. ortu cap. 3. vbi hæc habentur.

In semine, animalibusque calor continetur, qui non est ignis, neque ab igne originem ducit, sed uirtus quæ proportione respondet elemento stellarum.



I caloris innati essentia & natura ità conspicua foret, sicut eius opera conspicua sunt, profectò non tam magna inter neteres sapientes lis extitisset, & controuersia, quorum alij animam, alij uero animæ ministrum asseruerunt. Neque posteriores in disquirenda eius natura ità solliciti fuissent. Tractarunt rem hanc paucis ab hinc annis Fernelius, Altimarus, & Argenterius, alijque non ignobiles philosophi & medici: sed quoniam neque rem ipsam plenè explicasse, neque in multis veritatẽ attigisse videntur, ipse eandem causam agere decreui, quã si tã præclare ut meretur mihi tractare contigerit, nõ dubbio, quin & sũmmas laudes ego, maximamque vtilitatem philosophiæ, medicinæque studiosi ex hac tractatione reportabunt. sed si ut rei dignitas expostulat mihi tractare non dabitur, illud certe efficere conabor, ut hac in re pertractanda in me

aut nihil, aut certè quàm minimũ diligentiæ desideretur. Ut autem in re hac obscura, & perdifficili aliqua methodo progrediar, dicam primò quid nomine caloris innati intelligendum sit: agam secundò de natura caloris innati, de qua duo expendenda sunt. primum an calor innatus sit anima, princepsque causa functionum corporis animati, aut potius animæ instrumentum. alterum est, si anima non sit, sed eius instrumentum, an sit igneus, & elementaris, aut alterius naturæ à calore elementari. tractabo tertiò de operibus caloris innati. tandem de modo corruptionis eiusdẽ, ita ut uniuersa hæc tractatio in quinque principes distribuatur partes. Quo ad primum spectat, calor innatus appellatur, quia à natiuitate, primordijsque generationis ortus est, qui ob eandem causam primogenitus etiam dici solet, cui acquisititius aduersatur, utpote qui non ab ortu, sed cursu temporis acquiratur, ut Galenus tertio de causis pulsuũ declarauit: & licet interdum calor innatus pro calore influente accipiatur, quia corde, aut ab aliquo quod huic proportione respondeat ad corporis partes perfunditur, ut docuit Galenus libro de formatione fœtus non propriè tamen accipitur. quoniam repugnat influere, & insitum esse. sed innatus dicitur, prout innatum auget, & conseruat. est autem calor innatus, & naturalis, & proprius, tametsi inter se habitudine quadam distinguantur. innatus enim dicitur in ordine ad ipsam generationem. quoniam ab ipsa generatione ortus est; naturalis uerò, quia attemperatus est, in ordineque ad passiuas qualitates, ut humidum, & siccum, quæ in generatione, & concoctione terminari debent: ut docuit Aristote. 4. libro Meteo. cap. de concoct. ubi hæc hẽt) humiditas .n. est, quæ a naturali calore terminatur, quamdiu uerò in eo proportio est supra humidum naturalis est) ex quibus uerbis facilè intelligitur calorem naturalem dici prout supra humidum, & siccum dominium habet. cum autem immoderatus efficitur, aut supra humidum amplius uires non habet, præternaturalis dicitur. quoniam uerò sub æquali mensura in uiuentibus, eorumque partibus non reperitur. siquidem sub alia proportione, & mensura in homine, & leone, pariterque in osse, & in carne hoc pacto proprius nuncupatur. quamobrem in ordine ad generationem innatus, in ordine ad mediocritatem, passiuas qualitates naturalis. in ordine uerò ad præfinitam quandam mensuram huic, et illi speciei, atque animantium parti congruentem proprius appellatur. quod sanè considerans magnus Aristotel. 4. libro Meteo. in definitione putredinis, et concoctionis adiecit naturalem, et proprium. quare autẽ in definitione putredinis præmiserit proprium naturali, in definitione uerò coctionis naturalem proprio, quod non sine maximo artificio

factum

factum est, alibi à nobis explicatum fuit. cæterum illud reticendum non est, non idem significare calidum innatum, & calorem innatum. calidum enim innatum substantiam significat calore innato affectam. siquidem concretum formam vnà cum subiecto significat. album enim non solum albedinem significat, sed etiam subiectum. in qua sanè acceptione locutus est Galenus libro contra Lycum, cum inquit, calidum innatum corpus esse, calor verò innatus formam, & caliditatem tantum significat. sicuti formæ in abstracto conditio est, & natura, vndè qui hanc differentiam non agnoscunt, sed indifferenter de vtroque loquuntur, præter id, quod turpiter errant, varijs ambagibus implicantur. iam verò tractatio hæc nostra non est de calido innato: id enim est substantia viuentis primo genita calore affecta, quæ quandoque a Galeno sanguis, & semen appellatur. sed est de calore innato, vt forma est, & caliditas, quæ huiusmodi substantiæ insita est, & hæc de nomine caloris innati, nunc eius naturam persequamur.

An calor innatus sit anima, aut animę instrumentum.

PVTARVNT *ex veteribus nonnulli, quorum sententiam refert Aristoteles secundo de anima contextu* 40. *calorem innatum animam, esse principemque causam operationum corporis animati: quorum opinioni subscribere visus est Hippocrates, vt testatur Galenus primo aphorismorum com.* 15. *vbi de Hippocrate sic inquit, neque animal aliud quicquam ab initio efformauit, sicuti neque rursus adauxit, aut vsque ad mortem enutriuit, præterquam iste calor innatus: hic enim omnium operum naturalium causa est, & paulò post adiecit: nihil aliud quicquam est natura animalium præter calorem innatum secundum Hippocratis opinionem, quæ sententia ita persuaderi potest. Illud ad cuius ablationem rei substantia, atque opera auferuntur, rei substantia, atque natura est: iam verò ad ablationem caloris innati animantium substantia, eorumque opera auferuntur. igitur calor innatus animantium essentia, atque anima dici debet. quæ sanè ratio in causa fuit, vt inquit Alexander in paraph. de anima capite* 10. *vt putauerũt nonnulli calorem vitæ operum principem causam esse, cum abdicata, & soluta vi caloris nihil ali, augerique posse conspicerent. Cui Hippocratis opinioni Arist. ipse fauere videtur secundo de animal. ortu cap.* 3. *vbi inquit, quod idem est calor innatus, spiritus, & natura: cuius verba eiusmodi sunt: [inest in semine omnium quod facit, vt fęcunda sint semina: videlicet quod calor vocatur, idque non ignis, non talis*

facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumosoque corpore continetur, & natura &c. quod si natura calor est, igitur viuentium forma est, atque anima, & cum natura ex eodem Aristot. sit principium primum motus in eo, in quo est, igitur calor innatus præcipuus author functionum, quæ in uiuentibus administrantur. Cæterum sententia hæc ab Aristote. reijcitur secundò de anima contextu 41. ubi contra veterum illorum sapientum opinionem probauit, calorem non esse præcipuã causam nutritionis, & incrementi, sed supra calorem virtutem quandam eminentiorem adinueniri, cui primò hæc opera referantur, quæ anima est, & formá viuentium, & uis rationis consistit in hoc: si calor esset præcipua causa incrementi, tunc uiuentia augerentur in infinitum, quod à ueritate abhorret. siquidem uiuentia omnia limites habent, propriosque terminos magnitudinis. & augumenti, igitur uiuentia à calore, ut à præcipua causa non augentur, & per consequens calor non est essentia, & forma uiuentium. deducitur consequentia, quia calor ignis apposito combustibili crescit, & auget in infinitum. hæc Arist. si in ueritate disquirenda pro libertate philosophari decet, consequentia hæc Arist. mihi neceßaria non uidetur. quia tametsi calor ignis in uiuente corpore incrementi præcipuus author sit, nõ tamen augebit in infinitum: siquidem non semper eundem gradum, easdemque vires seruat, sed continuè progressu temporis imminuitur, & imbecillior redditur; ita ut amplius augere non possit, quinimo diminutionis causa erit. supponere autem uidetur Aristo. calorem in uiuente eandem semper seruare potestatem, & gradum, quem à primordijs generationis adeptus est, quod falsum esse neminem latere arbitror. Ad probationem autem, cum dicit calor ignis opposito combustibili auget in infinitum, dico aliam esse rationem caloris ignis, per se existentis, & aliam esse rationem caloris ignis, qui in uiuente reperitur. calor enim ignis per se existentis continuè combustibilis appositione per noui ignis aggenerationẽ auget in infinitum. quoniã intentus est, neque continua combustibilis appositione imminuitur, & imbecillior redditur. sed calor ignis in uiuente corpore existentis, præter id, quod repressus, atque attemperatus est tẽporis cursu magis, atque magis continua alimẽti appositione imminuãtur, & uires amittit, ut ipsemet Arist. primo de generat. conte. 41 huiusmodi exemplo declarauit. sicut enim inquit, generosum uinũ iterũ atque iterũ aqua si superinfusa, usq; adeò uires amittit, ut amplius opera uini exercere non possit: ita in uiuente calor ex continua alimenti appositione usqueadeo languescit, ut amplius augere non possit. quinimo diminutionis causa est: ut declinante ætate, senescenteque corpore contin-

git.

git. quarè licet maxima sit Aristo. authoritas, in hac tamen ratione mihi non satis animum implet. extat alia ratio eodem secundo de anima cõtex. 14 ad probandum allata plantas uiuere, nutritionemque & incrementum inter opera vitæ in contex. 13. iurè ab ipso dinumerata fuisse. & ratio huiusmodi est. Actio, quæ fit secundum contraria loca a calore non proficiscitur, nec ab aliqua uirtute elementari. siquidem calor ad unam tantum loci differentiam determinatur. calor enim causa leuitatis est, ad quam motus sursum tantum insequitur; sicuti frigiditas causa leuitatis est, ad quam sequitur tantum motus deorsum. hinc est, quod calida in sublimem tantum: frigida uero ad inferum tantum mouentur locum. cui sanè astipulatur Galenus in libro de rigore, ubi declarans quonam pacto calidum in animali sursum, & deorsum moueatur, inquit, sursum moueri ratione caloris, quia ad hanc loci differentiam determinatur: deorsum uerò non ratione caloris, sed quia particeps est frigiditatis, quæ deorsum mouet. itaque calor nõ agit secundũ contraria loca. iam uerò nutritio & incrementum fiunt secundũ contraria loca. enimuerò animantia non solum sursum, sed etiam deorsum aluntur, & increscunt: igitur huiusmodi functiones præcipuè à calore non fiunt, nec ab aliqua virtute elementari, sed ab aliqua uirtute eminentiori: quamobrem calor non est anima, & uiuentium forma, neque præcipuus author operum, quæ in uiuentibus administrantur. quæ ratio contra Hippocratis opinionem summam certè uim habet, aptissimaque methodus est ad ostendendum supra calorem eminentiorem quandam virtutem dari, quæ anima est, cui uiuentium opera, ut authori præcipuo referantur. ex qua etiam ratione ostenditur id, quod antè dicebam, nutritionem & incrementum esse opera uitæ, & plantas uiuere. Nam cum nutritio, & incrementum a calore non fiant, sed ab anima: igitur animæ opera sunt, & per consequens vitæ gradus, & cum plantæ alantur, & increscant; igitur plantæ uiuentes, & animata sunt.

Problematis dilucidatio.

PRO *resolutione itaque propositæ difficultatis, statuendum est, calorem innatum animam non esse, formamque uiuentium, sed animæ ministrum, & instrumentum ad eius munera obeunda: sicuti aperte Aristote. declarauit secundo de anima contextu 41. ubi inquit, non enim calor operationum uiuentium simpliciter causa est,*

est, sed anima. calor autem eò causa est, & animæ instrumentum] quod etiam secundo de animal. part. cap. 7. his verbis explicauit, importune quidem statuunt nonnulli animam ignem esse, aut eiusmodi vim, sed melius dixeris animam in quodam huiusmodi corpore consistere, cuius rei inquit causa est, quia ad exequenda animæ officia calor maximè omniũ administrandi vim habet. arbitrari autem animam calorem esse, perinde est, ac si serram, aut malleum fabrum, aut artem fabrilem esse affirmaueris, hæc Arist. Rationes autem, quæ in oppositum allatæ fuerunt, facile diluuntur. & ad primam, maior illa propositio, vt rectà perpenditur ab Auer. 8. Meteo. com. 5. de eo intelligitur; ad cuius ablationem primo, & per se rei essentia, & opera auferuntur. iam verò ad ablationem caloris innati animatorum substantia per se non aufertur, sed ex accidenti, prout ad ablationem caloris materia redditur indisposita, in qua anima amplius retineri non potest: qua sublata animatorũ substantia per se aufertur, & interit; pariter ad ablationem caloris, læsionemque primò, et per se non auferuntur operationes viuentiũ, sed instrumentaliter, & secundum rationem concausæ, prout sublato vel aliquo pacto læso calore innato vel aufertur anima, vel non amplius ità probè operari potest; sicut etiã contingit in arte. nam sublata serra, vel aliquo pacto lacessita aufertur, vel læditur secandi opus, non quidem primo, sed instrumentaliter, prout faber absque serra, aut ullo modo, aut ea læsa nõ rectè secandi munere fungi potest. quam solutionem indicauit Arist. secundo illo de partibus cap. 7. cum dixit, putandum non est, calorem formam esse, quia viuentium opera absque calore non fiant, sicuti putandum non est serram fabrum esse, quia secandi munus absque ea fieri minime possit. Minus fauet huic opinioni Arist. authoritas 2. de genera. animal. c. 3. enimuero verba illa bifariam intelligi poßunt. primò calorem in semine existentem naturam esse non quidem formaliter, quia nõ est principium primum mutationis in semine ad animam traducendum, quod ad naturæ rationẽ spectat. siquidẽ natura est principium primum motus, ut legitur secũdo phys. contextu 3. sed dicitur natura uirtualiter, prout agit virtute animæ parentis, à qua semẽ productũ, atque decisum est, secundo & ad Arist. magis intelligi possunt. Arist. non dicere calorem naturam esse, sed inquit calorem in semine contentum spiritum esse, cuius natura proportione respondet elemento stellarum: differunt autẽ hæc inter se calor spiritus est & natura, & calor spiritus est cuius natura similis est elemẽto stellarũ: quorum sanè verborum germanus intellectus hic est; quod in semine calor cõtinetur, qui spiritus est, cuius natura, idest virtus & facultas persimilis est elemẽto stellarũ, vtpote calori

cælesti.

cęlesti. Nam sicuti natura, & facultas caloris cęlestis est procreare, & semina secunda facere; ità natura, et facultas caloris in semine existentis, sicut etiam dicere solemus naturam ignis esse calefacere; & naturam hominis ratiocinari. illud benè uerum est, Aristotelem dicere calorem innatum spiritum idem esse, tametsi inter se ratione distinguantur. calor enim dicitur prout materiam alterat, & ex ipsa animam traducit; spiritus uerò nuncupatur prout per omnes seminis partes penetrat, atque perfunditur: sicut etiam ab ipso primo de generat. contextu 19. aer spiritus appellatur, quatenus suarum partium tenuitate omnia permeat, atque pertransit; quo fit, ut sicut est unus calor innatus; ità etiam unicus tantum spiritus sit, & non plures, ut Medici arbitrantur, qui spiritum in naturalem, animalem, & uitalem pro diuersitate operationum naturalium, animalium, & uitalium partiti sunt, ac si unus spiritus tantum ijs operationibus non satis esse uideatur. Nam si unus calor innatus diuersis partibus, uarijsque animæ operibus inseruire potest, pariter & unus spiritus satis erit, idcircò Aristote. & sapienter quidem nunquàm hac spiritus diuisione usus est, neque diuersis nominibus calorem innatum appellauit, quamuis & naturalibus, & animalibus facultatibus inseruiat, sed ne modò litem hanc inire uidear, hæc obiter dicta sint: cęterum quia circa id, quod de calore innato decretum fuit, nonnulla dubia occurrunt, ea sequenti cap. explicare aggredior.

Dubia circa conclusionem de calore innato, & eorum solutiones.

NON leuia, nec ità ab alijs animaduersa circa id, quod superiori capit. statutum fuit, uidelicet calorem innatum animæ instrumentum esse, dubia discutienda occurrunt: primum est, cuius animæ calor innatus est instrumentum, an scilicet sit instrumentum omnium animæ specierum, uegetalis, sentientis, & intellectiuæ, an alicuius animæ speciei tantum: alterum est, cum instrumentum non agat, nisi à principali agente moueatur, quonam pacto calor, qui ponitur animæ instrumentum, ab anima ad agendum moueatur; postremo illud difficultatem facere uidetur, cum calor innatus uiuentibus, ut materia concurrat, ut Aristotel. docuit 2. de partibus animal. cap. primo: quonam pacto concurrit, ut instrumentum, quod rationem habet agentis. idem enim materiæ, & agentis rationem subire minimè potest: siquidem materia, et agens non coincidunt, cum materiæ proprium sit pati, & agere. ut docuit Aristot. primo de generat. contex. 55. hæc sunt, quæ hac in re difficultatem facere uidentur: quibus satisfacere nitar, et primæ dubitationi

tioni ita occurrendum est, calorem innatum non esse cuiuslibet animæ speciei instrumentum. anima enim intellectiua intelligendi munus non absoluit mediante calore, sed instrumentum est animæ vegetalis, & sentientis. enimuerò vegetalis citra caloris innati ministerium sua opera obire non potest, vtpotè alere, augere, & procreare. sentientia autem animæ instrumentum est, quò ad actionem naturalem tantum: vt quò ad motum localem, quem efficit mediante calore: quò autem ad actionem spiritalem, & secundum actum minimè instrumentum est. siquidē sentiens non sentit, neque sensile obiectum dijudicat mediante calore, sed media specie sensibili, quæ proprij obiecti imago, & simulacrum est, licet verissimum sit, sentientem animā calore innato indigere ex parte organi. Nam cum mediante organo operetur, illud rectè dispositum requirit, quod si secus sese habeat ægrè operatur, quod indicare visus est Arist. primo de anima contex. 65. vbi inquit: quod si senex acciperet oculum, vel organum iuuenis, videret vt iuuenis; intellectiua verò neque ex parte operationis calore opus habet, cum instrumento corporeo ad intelligendum non vtatur. Nunc secundum accipio, quonam pacto calor innatus, qui ponitur animæ instrumentum ab anima ad agendum moueatur. Nam aut mouetur motu locali, aut motu generationis, aut alterationis, aut augmentationis: sed certè nulla istarum specierum motus ab anima mouetur, non quidem motu secundum locum, quia calor innatus partibus complantatus est, & firmiter hæret, nec alijs, vt satis conspicuum est, motus speciebus mouetur. quamobrem aut calor innatus non est animæ instrumentum, aut si instrumentum est, cum instrumentum non agat, nisi moueatur ab agente præcipuo, declarandum est, quomodo ab anima ad agēdum moueatur. Nodus certè difficilis est. cui tamen ità occurrendum puto, calorem innatum animæ instrumentum esse, ab eaq; ad agendum moueri, non quidem motu locali, cæterisq; speciebus motus: quoniam id fieri nequit, sed quatenus ab anima virtutem, & potestatem habet agendi. à quo enim res habet esse, ab eodem habet operari, seu virtutem agendi: & quoniam calor innatus esse habet ab anima, à qua viuentis existentia dependet: idcircò calor innatus ab anima operari habet, & virtutem agendi, & hoc pacto calor innatus, qui animæ instrumentum est ab anima dicitur ad agendum moueri; in quo etiam sensu intelligi debet peruulgata illa propositio, sed non satis explicata, videlicet calor vt dirigitur à forma ignis exercet opera ignis, ut verò dirigitur ab anima, exercet opera animæ. enimuerò calorē dirigi vel à forma ignis, vel ab anima, nil aliud est, nisi habere esse nimq; operādi ab illa forma, & proinde calor, ut habet

esse & operari a forma ignis, exercet opera ignis, vt verò habet esse, & operari ab anima exercet opera animę: bene verum est; quod in arte instrumenta vt malleus, & serra, & id genus consimilia ab agente principali, vt à fabro ad agendum mouentur motu secundum locum. huiusmodi enim instrumenta ab agente principali secundum esse separata & disiuncta sunt: quæ vero secundum esse cum agente principali coniuncta sunt, vt calor innatus & anima non mouentur ad agendum à principali agente motu secundum locum: sed eo modo, quo nuper declaratum fuit. Pro vltimæ autem dubitationis solutione sciendum: calorem innatum bifariam considerari posse. vno modo respectu animæ in materia introducendæ, & in materia conseruandæ, alio modo respectu operationum, quæ ab ipsa anima proficiscuntur. si primo modo spectetur calor innatus, in viuentibus materiæ vicem subit: siquidem materiæ dispositiones, & quæ ad formam, vt ad finem ordinantur, vt materia concurrunt. quæ enim ex parte materiæ se tenent ad materialis causæ genus reducuntur. cum autem calor innatus vnà cum alijs qualitatibus primis sit apparatus, & dispositio materiæ, qua anima in materia introducitur, & conseruatur, vt declarauit Arist. in lib. de rep. cap. 4. vbi inquit, dictum est.n. vitam, & animam calore in corpore contineri, vt non immeritò calor nexus, & copula animæ cum corpore à sapientibus dictus sit; & secundum hanc rationem calor vt materia concurrit, & in hoc sensu Arist. authoritas intelligi debet. 2. de partibus capite primo, & alibi cum inquit, calorem, cæterasque primas qualitates, vt mixtorum materiam concurrere: si verò secundo modo consideretur, ut animę operibus famulatur, instrumenti, atque agentis rationem habet, quæ enim ex parte agentis sese tenent ad agens reducuntur. quamobrem calor innatus & materiæ, & agentis secundũ diuersas habitudines vicem gerit: & in hoc distinguitur natura ab arte penes vsum caloris: quoniam natura, vt materia, & instrumento agendi calore vtitur: ars verò, vt instrumento tantum, non autem vt materia, siquidem forma arte elaborata in materia non recipitur disposita per calorem, & alias primas qualitates, sicuti forma, quæ a natura producitur. Illa autem propositio, quæ contra ex Arist. afferebatur, videlicet materia, & agens non coincidunt, de vera materia intelligi debet, quæ agentis rationem nullo pacto habere potest. iam verò calor innatus vera materia non est, sed qualitas est, & formam agens. dicitur autem materia secundum analogiam prout est materię dispositio ad formam substantialem introducendam.

An calor innatus sit eiusdem naturæ cum calore igneo, & elementari.

CVM calor innatus anima non sit, sed eius minister, & instrumentum, nunc ad exactam eius naturæ cognitionem scrutandum est, an sit eiusdem naturæ cum calore igneo, & elementari. Fernelius vir elegans, & doctus libro quarto suæ physiologiæ tractatu de calore innato profitetur, calorem innatum igneum, & elementarem non esse, sed cęlestem, atque diuinum, qui non ex prima elementorum mixtione, sed à cęlesti corpore suam originem ducat: quam sententiam pluribus rationibus persuadere conatur. quarum prima, quoniam non est causa operum vitæ, quorum calor innatus causa est, igitur calor innatus, non est calor elementaris. prima pars antecedentis ab ipso ità probatur; ab eo contrariorum quod alterius excellentis conspectu infirmius atque debilius est; actio mixti prouenire non potest: quia actio in vincentem, & dominantem causam referri debet. iam verò in quibusdam animantibus, vt serpentes sunt, & inter stirpes mandragora, papauer, & vniuersum frigidarum stirpium genus, calor elementaris depressus est, & a frigore superatur, cum frigidiore sint temperamento, nō igitur hic vi, & operibus potest frigus superare; neq; vitæ operū causa esse potest. itaq; alterius naturæ est à calore innato, qui vitæ operum causa existit. potest etiam maior illa ex Arist. confirmari 2. de gen. ani. ca. 3. vbi inquit, quòd calor igneus nullū animal generat, sed potius destruit, et corrumpit. secunda ratio huiusmodi est. Calori elementari, & igneo frigus opponitur, calori innato nequaquam: igitur calor innatus diuersam habet naturam à calore elementari. minorem probat ex Arist. lib. de morte, & vita, vbi mortem definiens, calori innato, in quo vita consistit, nō frigus, vt contrariū opponit, nec à frigore interire affirmat, sed ei extinctionem solū opponit, quæ ipsius caloris priuatio est, quemadmodū, et lumini nihil contrarium, est sed aduersæ tenebrę eius priuatio sunt. tertiò ita persuadet. permulta sunt mixta, vt sulphur, & arsenicū, quæ elementari calore abundant, vt plerunque nos vrant, & tamen vitali calore destituta sunt, similiter inquit demortuum animantis cadauer inclusum intra se calorem habet, qui vt habet Arist. 4. li. meteo in putredine & naturali mixtorum interitu corrumpitur, & tamen vitalem calorem non habet: igitur calor elementaris non est eiusdem naturæ cum calore vitali, atque innato. Nam si eiusdem essent naturę, profectò omnia mixta, quæ calorem elementarem habent, innatum quoq; & vitalem calorem

lorem haberent, ac proinde, & ipsam vitam possiderent. quod cum falsum sit, statuendum est, inquit, calorem innatum præstantioris cuiuspdam esse originis, neq; ignei elementi rudiorem naturam redolere: potest tandem huius viri opinio satis euidenti Arist. authoritate confirmari 2. de gen. ani. cap. 3. vbi sic inquit: inest in semine omnium, quod fęcunda facit semina, quod vocatur calor, idq; non ignis, non talis facultas aliqua est; & reddens rationem ait: quoniam ignis calor nullum animal procreat. & paulò post ita concludit. cęterum calorem in animalibus contentum nec ignem esse, nec ab igne originem ducere, ex his conspicuum est. quæ sanè authoritas huic opinioni multum fauere videtur.

Fernelij sententia refellitur.

PERMVLTA *sunt, quæ in hac sua opinione à Fernelio docentur, quæ ab Aristotelis. Galenique sententia, & ab ipsa veritate abhorrent, quæ breui quadam ratione complectar. primum eius dictum est, in quo præcipua conclusio consistit, calorem innatum viuentium esse alterius naturæ à calore elementari. Secundum est. ab eodem calore elementari calorem cęlestem natura diuersum esse. siquidem inquit, calorem cęlestem esse, quòd si calor innatus ab elementari diuersam naturam habet, igitur & calor cęlestis. tertium eius dictum est: calori innato pariter, & cęlesti frigus minimè aduersari. Porrò primum eius dictum ab Arist. dissentit. siquidem phy. secundo de anima contextu 41. illorum sententiam reijciens, qui aßerebant, calorem ignis nutritionis, & incrementi pręcipuam causam esse, sic inquit. Hic huiusmodi operationum præcipua causa non est, sed magis concausa, & instrumentum: ex quibus verbis cõnexum hoc formari potest. ille est calor innatus viuentium, & animæ instrumentum, qui secundum antiquos erat præcipua causa nutritionis, & incrementi. quoniam philosophus inquit [hic] scilicet calor, qui secundum veteres, est causa prima, concausa est, & instrumentum. iam verò secundum veteres calor igneus, & elementaris erat præcipua causa nutritionis, & incremẽti, ut inquit in cont. 40. igitur calor igneus, & elementaris est calor innatus, et animæ instrumentum ad vitæ munera exercenda, ac proinde calor innatus, cui vitæ opera referuntur, re ipsa non distinguitur à calore igneo et elementari. quod etiam ex eodem Arist. sub initium quarti Meteorũ facilè confirmari potest. nam cũ philosophus in contextu primo duo illa theoremata accepißet, quorũ primum fuit, quatuor eße qualitates pri-*

mas, quæ sunt elementorum principia, ex quorum coniugationibus quatuor elementa consurgunt. Alterum verò primarum qualitatum duas esse agentes calorem scilicet, & frigus, duas verò patientes humorem, & siccitatem in cont. 2. de operibus primarum qualitatum, vt duæ agẽtes sunt, duæ uerò patientes differendum proponit, & declarans, quæ huiusmodi opera sunt, & quibus insint, inquit: opera hæc sunt, generatio ei opposita, corruptio, & cõcoctio, quæ animalibus insunt, & plantis, et partibus horum, de quibus agit in eo libro. itaque generatio viuentium, & concoctio opera sunt caloris, qui est qualitas prima, & proprietas elementi, & cum calor innatus istorum operum author, & causa sit: igitur calor innatus de Arist. sententia, est vnus, & idem re cum calore igneo, & elementari. quam suam sententium clarius explicare volens in ijs locis, quibus de animæ loquitur instrumento, ipsum ignem appellat. enimuero in libro de rep. sic scribit. Anima elementari igne concoquit: quo circa in qua parte huiusmodi principium est, ibidem & animam esse vegetalem, quæ prima omnium est, contineri necesse est. & paulo infra addebat, cætere igitur animæ vires sine vegetali consistere non possunt: vegetalis verò sine igne naturali. hoc enim natura eam igniuit. hæc Arist. eiusdem sententiæ extitit Galenus. nam primo Aphorismorum cont. 41. & 61. febrem definiens inquit, febris est innati caloris ad igneũ conuersio, & commutatio; iam verò huiusmodi innati caloris conuersio, aut intelligitur secundum esse simpliciter, ita ut calor innatus simpliciter intereat, generetur q; calor igneus secundũ formam diuersus a calore innato, aut intelligitur mutatio secundũ modum, et ab esse naturali ad esse præter naturale: primo modo, certè intelligi nequit. siquidẽ ipsemet Galenus 8. methodi c. primo eam mutationẽ declarãs, hæc scribit ad uerbum: sanè vnusquispiã morborum est, intemperies creat, & febris cum adeò immodicè auctus est calor, vt hominem offendat, & actionem lędat, quando si neutrum horũ efficiat, quantũ eius sit homo nunc, quàm ante calidior, nondum tamẽ cum febri citare mõstrauimus. ex quibus verbis facilè intelligitur febrẽ mutationẽ innati coloris ad igneũ nõ fore secundũ esse simpliciter, sed secundum modum, & gradum excessuum: quia scilicet plus iusto calor innatus adauctus est. secundum quem excessum ad ignis qualitatem accedit, & præternaturalis efficitur. quãobrẽ calor innatus non secundum formã, sed solum secundũ modũ, & exuberantiã graduũ ab igneo calore distinguitur. secundo id ipsum ex eodem Galeno ostendi põt in lib. de format. fętus. ubi caloris influentis vtilitatem declarans inquit: calorẽ influentẽ a corde manantem calorẽ innatũ fouere, et augere, ut opera vitæ probè valeat exercere. cũ autẽ calor

lor influens elementaris sit cum ex sanguine, cibarijsque ingestis genitus sit: igitur calor elementaris fouet, conseruatque calorem innatum; ergo calor elementaris est eiusdem naturæ cum calore innato: deducitur consequentia. quoniam vnũquodque conseruatur, & augetur ab eo quod sibi simile est; non autẽ ab eo, quod secundũ naturam dissimile; vt docuit Arist. 2. de anima cont. 45. vbi habet corpus viuens ali, augerique ex alimento non vt dissimile, sed vt simile factum est, quod si calor innatus natura dissimilis, & diuersus est à calore elemẽtari, vt inquit Fernelius, quonã pacto calor innatus ab elementari conseruari, augeriq; põt; prętera cũ calor innatus cęlestis sit, atq; diuinus: igitur calor cęlestis ab elementari conseruatur: quod certè minimè absurdum est. Addo ex Galeni sententia, ipsaq; rei natura calor innatus à calore elementari ex alimentis genito, & per corpus diffuso redditur potens ad vitæ opera ministranda: igitur calor elementaris concurrit ad opera uitæ, & animæ instrumentum cũ calore innato: igitur est eiusdem naturæ cum illo. ex quibus omnibus iam satis ostensum esse opinor Fernelij cõclusionẽ, primumque eius dictum ab Arist. Galeniq; sententia plurimum aberrare.

Nunc secundum eius dictum considero, atque ostendo calorem cęlestem non esse alterius naturæ à calore elementari. nam calor a Sole productus materiæ dispositio est pro generatione ignis, vt cum ex speculo radijs Solis opposito stuppa crematur, atque ex ea ignis generatur; igitur calor cęlestis est eiusdem naturæ cum calore ignis. deducitur consequentia, quoniam ex apposito consequentis sequitur oppositum antecedentis. Nam si calor cęlestis eßet natura diuersus à calore ignis, profectò nullo pacto materiæ dispositio eße poßet pro generatione ignis, quoniam a ratione prorsus abhorret, calorem cęlestem, qui elementaris, igneæque naturæ non est, dispositionem esse materiæ pro generatione ignis, & elementi, ignemq; cęlesti calore comburere, suaque opera exercere. enimuerò qualitas, quæ dispositio est materiæ pro vnione formæ, eiusdemque conseruatione in materia, est ipsius quoque formę ministra ad operandum. cum itaque calor cęlestis sit materię dispositio, & apparatus pro generatione formæ ignis, eiusdem instrumentum ad comburendum, procul dubio erit eiusdem naturæ cum calorę ignis.

Nec vllo pacto tertium eius dictum probari potest, calorem scilicet cęlestem, & innatum non habere frigus sibi contrarium. Nam vt docuit Aristoteles 1. de gen. cont. 51. agens & patiens contraria sunt: cum autem calor cęlestis a Sole productus agat in frigiditatem aquæ, & terræ, utranque excalefaciendo: igitur calor cęlestis, & frigiditas inter se contrarietatem habent: pariter calor innatus

uiuentium

uiuentium agit in alimenti frigiditatem, cum ipsum concoquit, & alterat: igitur calor innatus alimentum concoquere non potest, nisi ipsum alteret, atque in ipsum agat, actio .n. fit ratione cōtrarij, igitur in alimentū agere nequit, nisi in alimento sit aliquid contrarium calori innato: unde pugnant ista duo inter se calorem innatum non habere contrarium, & calorem innatum in alimentum agere, & ipsum alterare, in uiuentisque substantiam commutare: accedit ad hoc, quòd calor innatus interdum frigiditate reprimitur, & imminuitur: ut in esu lactucæ, endiuiæ, & consimilium, quæ frigido sunt temperamento: quinimo interdum interit, & corrumpitur, ut ex opio, & papauere, si talia insigni quadam quantitate deuorentur. igitur calor innatus inimicam, & sibi contrariam habet frigiditatem, cuius maleficio vires, & naturam amittit, quod etiam apertè declarauit Aris. lib. de iuuentute, & senectute cap. 3. ubi inquit, caloris innati duplicem corruptionem alterā, quę dicitur marcor, quæ a seipso prouenit: alteram uerò quæ fit a cōtrario, et appellatur extinctio, & corruptio violenta. eandem sententiam habuit Galenus libr. de causis morborum, ubi inquit, easdem flammæ, & innati caloris corruptionis causas esse. post longam orationem concludit, calorem innatū inter alios modos à frigiditate corrumpi. ex quibus omnibus satis perspectum eße potest, ex Arist. Galenique sententia, calorem innatum contrarium frigus habere. quæ cum non animaduerterit Fernelius, non possum certè hac in re ipsum non maximè admirari.

Problematis dilucidatio.

CVM iam satis circa Fernelij opinionem uersatus sim, modo quid pro ueritate dicendum sit explicare oportet. porrò huius dubitationis resolutio tribus theorematibus cōsistit. Primum est calorem innatum eiusdem naturæ, & rationis eße cum calore igneo, & elementari, vt ex Arist. Galenique sententia ostensum fuit: quod etiam hac ratione comprobari potest. Quotiescunque commodè fieri potest, semper vnitas multitudini præferenda. Non .n. natura, & ars cum aliquid unico efficere possunt instrumento pluribus vtuntur. quo sanè principio non semel Aris. usus est. iam uerò calor elementaris attemperatus est, in animalibus vitæ opera exercere potest: igitur præter hunc alium calorem natura, & forma diuersum in eisdem minimè poni debet. minor ex eo euidentiam habet. siquidem in arte calor ignis cū attemperatus est, cibaria sibi apposita conficit, & concoquit, tametsi cum immoderatus fuerit comburat, & destruat: igitur & idem calor ignis in animantibus cum repreßus, & temperatus fuerit, ipsius animæ consectu, cui famulatur.*

latur, alimenta concoquere, eademque plenè concocta in uiuentis substantiam commutare potest. itaque calor innatus, qui uitæ operum causa est, animæque instrumentum re ipsa à calore igneo, & elementari minimè differt. Vnde illi quoque maximè damnandi sunt, qui in uiuentibus duo calorum genera ponunt, alterum elementare: reliquum uerò ab hoc natura maximè diuersum, cum tamen unus tantum calor elementaris in uiuētibus reperiatur, idoneusque sit animæ famulari ad eius opera peragenda. cuius etiã sententiæ fuit Plato in Thimeo, ubi ita scribit: igitur ex ignis excessu præcipuè ægrotat animal: itaque illud, quod Galenus innatum calorem uocat, ex cuius excessu animal ægrotat: Plato ignem appellat, indicans calorem innatum igneum, & elementare esse. Neque hac in re Plato ab Arist. dissentit, ut falsò putauit Altimarus libro de medendis febribus cap. 7. ubi inquit Platonem uoluisse calorē innatum elementarem esse, Aristotelem uerò nequaquàm, ea ratione persuasus, quia Plato calorem innatum ignem appellat, Aristo. vero minimè: quinimo libro secundo de animal. gener. cap. 3. apertè affirmat calorem in animalibus inclusum nec ignem esse, nec ab igne originem ducere. Parum certè in Arist. doctrina sese uersatum esse ostendit Altimarus. quoniam sicuti Plato calorem innatum ignem appellat; ità & Arist. eundem non semel ignem uocat, secundò enim de anima contextu 41. concludit ignem non esse principem causam augmenti, sed concausam, & animæ instrumentum. pariter libro de respiratione cap. 4. inquit: animam operari mediante igne. & paulo infra addit. Anima vegetalis sine igne naturali consistere nequit. quamobrem cum Arist. calorem innatum ignem appellet, sicut & Plato hac in re minimè dissentiunt, quomodo autem Arist. sententia secundo de gener. animal. intelligi debeat, posterius declarabitur. Quò fit ut calor innatus ità describi queat. Calor innatus est calor igneus, & elementaris à primordijs generationis ortus ab ipsa frigiditate attemperatus, à qua igneã, & vrentē illam facultatem amittit, quæ in graduum exuberantia consistit, & vitalem quandam facultatem acquirit, congruamque graduum mensurã tum ad animam in corpore sustinendam, tum ad eius munera exercenda. sed animaduertito, quòd præfinita caloris mensura in viuentibus nõ fit præcipuè ab ipsa frigiditate. reprimit sanè frigiditas exuberantiam graduum caloris, ipsumque ad certam quandam mensuram reducit, sed non primo, sed hoc fit ab agente effectiuè, ab anima verò in genere causæ finalis, quia cum anima, quæ de materia traduci debet, in quadam mē sura, calorem exposcit; ideo generans quod propter animam tanquam propter finem agit, calorē ad illam mēsuram reducit media frigiditate,

vt in-

ri instrumento, undè sicut anima, & quæuis forma est causa determinatæ magnitudinis in genere finalis; ita etiam in eodem genere causæ complexionis, atque temperamenti certa quadam mensura, causa est, quoniam diuersi sunt formarum ordines: hinc est, quòd in naturalibus varij, atque diuersi sunt magnitudinis termini, uariaque mensura, & terminus complexionis, & temperamenti. quod si calidum innatum definire uolueris, ità debet, calidum innatum substantia est à primordijs generationis orta insito calore affecta. quod ab ipso Galeno libro contra Lycum sanguis, & semen appellatur, hoc est, substantia ex sanguine, & semine derelicta innato affecta calore, & hæc de primo. Secundum theorema est. Calor cęlestis, & elementaris eiusdem sunt rationis, atque naturæ, ut antea ostensum fuit. quinimo calores omnes eiusdem naturæ sunt. extrinsecus autem & ex accidenti inter se differunt, uariaque sortiuntur nomina, calor enim ut a cęlesti corpore dirigitur, cęlestis appellatur; ut à forma elementi, elementaris, ut uerò ab anima, animalis vocatur. & quoniam cęleste corpus, ignis, & anima inter se natura, & essentia distinguuntur, eapropter huiusmodi calores specie distingui dicuntur: sed hæc differentia extrinseca est, uidelicet ratione agentium, quorum instrumenta sunt, pariter calor ignis, & animantium, quoniam in subiectis reperiuntur, quæ specie distinguntur; specie differre dicuntur: sed extrinsecè, & ex accidenti, ut causa exempli. Albedo niuis, & albedo cygni eiusdem sunt speciei, prout uerò in subiectis secundum speciem differentibus reperiuntur, specie distingui dicuntur extrinseca, & accidentali. Postremum theorema illud est. Calorem cęlestem, & uniuersaliter calorem omnem contrariam habere frigiditatem. cum enim calor cęlestis, & quilibet calor in frigiditatem agat, proculdubio omnis calor: quisquis ille sit frigiditati aduersatur. actio enim vt docuit Aristotel. in libro de sensu & sensi. & primo de genera. absque contrarietate fieri minimè potest, quibus modo sic constitutis, Fernelij rationibus occurrendum est.

Fernelij rationum solutiones.

VT habita iam resolutio ab omni ambiguitate uindicetur, opus est, ut Fernelij rationes expendamus, & ad primã dicimus: propositionem illam, quæ ab ipso accepta est, ab eo contrariorum, quod respectu alterius infirmius, atque depressius est actionem prouenire non posse, de eo intelligendam fore, quod secundum uirtutem, & agendi pote

testatem

ſtatem infirmius, atque debilius eſt. Iam verò licet calor innatus in eo viuentium genere quod ſuperius relatum fuit, ſecundum gradum frigore depreſſior, atque inferior ſit: non tamen ſecundum uirtutem, & potetatem agendi. quoniã cum calor maioris ſit actiuitatis, atque potentiæ, quam frigus, tam exigua graduum inæqualitate, aut agendi poteſtatem non amittit, aut certè quàm minimã, ità ut in eo agẽdi poteſtas cõſpectu frigoris adhuc relinquatur. poteſt & illa propoſitio ſecũdò ità intelligi, quod ab eo contrariorum, quod infirmius eſt, actio perfectè, & exactè minimè prouenit; ſubobſcurè tamen, & imperfectè promanare poteſt. cũ autem in ſerpentium, frigidarumq; ſtirpium genere calor innatus depreſſior ſit vitæ functiones perfectè exercere non poteſt: imperfectè tamen eas agit, quæ illorũ viuentium generi conueniunt. ſicut etiã in ſenio iam conſtitutis hominibus contingit, in quibus licet calor innatus frigore infirmior ſit; opera tamen vitæ exercere poteſt, quãuis ſuboſcurè, & imperfectè. Ad ſecundã negatur calorẽ innatum non habere frigus ſibi contrarium, vt ex retro habitis ſatis patet. ad probationem dicimus, ibi Ariſt. mortem naturalem definire, quæ in animalibus ſenectus dicitur in plantis autem auanſis, vel ariditas, quæ non fit per corruptionem caloris à contrario, ſed per impotentiam reſpirandi; quia amplius euentari & refrigèſcere non poteſt. vnde intenſior factus illud humidi reſiduum abſumit, ad cuius adſumptionem ipſe quoque corrumpitur, vt ipſemet Ariſt. declarauit libro de reſpiratione c. 7. vbi hæc ſcribit. Porrò vitæ principiũ, in quibus habetur deficere ſolet, cum calor uitalis nõ refrigeratur: tunc.n. idẽ, quod ſæpe diximus, ſeipſum conſumit &c. & paulo poſt addit. cæterum mors, quę in ſenili ætate contingit, marcor illius partis eſt, qui quòd eã refrigerare animal præſenio non poſſit, cõmittitur. ſed licet mors naturalis non fiat per corruptionem innati caloris à contrario; tamen quæ violenta mors eſt, aliquãdo fit per interitũ innati caloris à cõtrario, vt ipſe docuit Ariſt. lib. de iuuentute, & ſenect. c. 3. ac proinde concepit calorem innatum habere frigus contrarium, à quò interdum extinguitur. Quæ tertiò afferebatur loco nullã prorſus probabilitatẽ habet. quia licet cadauer, ſulphur, & Arſenicum, & conſimilia inanimorum corporum genera, innatum habeant calorem, qui elementaris eſt; vitam tamen nõ habent, neque calor innatus in eis uitæ operum cauſa eſt. ſiquidem calor innatus non per ſe ipſum, ſuapteque natura animãtibus, vitã tribuit, ſed virtute animæ, qua cum corpora iã dinumerata, deſtituta ſint, quãuis calorẽ innatum intra ſe teneant, uitam non habẽt. enimuerò Fernelius, quod animæ tribuendã eſt, calori innato aſcribit, ut ignorare videatur quid animæ propriũ ſit, quidùe caloris innati.

Ad illam autem Arist. authoritatem secundo de gener. animal. quæ plurimis hac in re errandi occasionem dedit, dicimus Aristotelem, cum inquit calorem in semine contentum non esse calorem ignis, non intelligere esse re, & natura diuersum a calore ignis. quoniam idem est, ut ex eodem probatum fuit. sed intelligit non esse calorem ignis, & quò ad gradum, & quò ad uirtutem: quo ad gradum quidem; quia calor; vt est qualitas ignis, in summo est, totamque latitudinem implet, ut uerò in uiuentibus existit remissus, & attemperatus est, ita vt calor ignis iurè dici nõ possit, quoniam ut calor ignis in summo esse debet. quò ad uirtutem uerò, quia calor ut igni inest uitalem uirtutem non habet, neque nim animal procreandi, quinimo urendi, & destruendi uirtutem habet: in uiuentibus uerò non amplius torridam, urentemque facultatem habet, sed uitalem, & animantium procreatricem, ita ut in uiuentibus quò ad uirtutem nõ amplius debeat igneus appellari. et hoc est, quod Aristo. significare uoluit, cum dixit, in semine aliquid contineri, quod fecunda facit semina, quod calor vocatur, cuius natura proportione respondet elemento stellarum. quoniam ueborum is sensus est: quod in semine calor continetur, qui licet igneus, elementarisue sit, eius tamen uirtus proportione non respondet uirtuti caloris elementaris. quoniam hic animantia procreandi facultatem non habet: sed proportione respondet calori cęlesti, quoniam sicuti uirtus caloris cęlestis potest animantia procreare, fęcundaue semina facere, ità & uirtus caloris, qui in semine continetur, quare licet calor innatus viuentium, & elementaris secundum rem unum, & idem sint: maximè tamen discrepantem agendi uim, & facultatem habent: tum ex modi diuersitate, tum ex diuersitate agentium, à quibus moderantur. etenim calor ut igni inexistit intensus est, & immoderatus, idem in uiuentibus moderatus, & temperatus est, pariter ut calor igni inest à forma ignis regulatur. quæ uiuentia proceeare non pōt; idem uerò in uiuẽtibus ab aĩa regulatur, a qua et uita, & uiuentia procreantur. sed quoniã philosophus addit calorẽ in semine cõtentum (neq; ab igne originẽ ducere) quæ uerba non leue negotiũ facere uidentur, eapropter à nobis expendenda sunt. dicimus autem Aristo. non intelligere calorem in semine contentum secundum essentiã ab igne originem suam non ducere: quoniam cum elementaris, ignisque proprietas sit, ab igne promanat, sed intelligit, quo ad uirtutem agendi, & ut generationis author est, nec non quò ad mensuram, & gradum, quo in semine reperitur. enimuerò agendi uim, ut ex semine animantia procreare possit, ab igne non habet, sed à generante, cuius uirtute agit, animamque traducit, sicut etiam calor innatus in uiuente existens,

stens, ut nutritionis causa est, originem non trahit, & ab igne, sed ab anima, cuius est instrumentum, similiter esse attemperatum, quod in semine habet, ab igne non acquirit, cum potius ab eo esse habeat immoderatum, atque intensum, sed à generante, & ab anima, quæ ex semine traduci debet in genere tamen causæ finalis. Nam cum anima, neque ex semine traduci, neque in materia conseruari queat, nisi medio calore naturali, & temperato, eapropter operæpretium est, ut in semine calor in quadam temperatione in gratiam animæ generãdæ producat. sicut etiã in arte usu uenit: cum cibaria à calore ignis decoquuntur. Nam licet calor, qui cibaria concoquit secundum essentiam ab igne suam originem trahat: tamen quò ad esse attemperatum, uiresque concoquendi non pẽdet ab igne. quoniam ab hac nec unum, nec alterum habet; quinimo si suæ naturæ ignis relinquatur, comburet, alimentaque corrumpet: sed quò ad illa duo, pendet à coquo, qui calorem attemperat, eique uires concoquendique mensuram largitur, & secundum hãc rationem calor quãuis ignis sit: non tamen calor ignis dicitur, sed calor artis, & hic, ni fallor, uerus est, & germanus illorum uerborum intellectus, & licet Aris. 3. de partibus animal. cap. 7. dicere uisus sit, calorem innatum à corde tanquam à fonte suam originem ducere, cuius uerba hæc sunt. cor & iecur omnibus animalibus sanguine præditis necessaria sunt. cor enim propter caloris originem: locum enim adesse oportet, quo naturæ fomites, primordiaque ignis natiui contineantur, cuius etiam sententiæ uisus est esse Galenus libro de format. fętus: attamen horum sententia nõ de calore innato propriè intelligenda est; cum ab hoc potius in generatione cor, cæteraque corporis partes suam originem ducant: sed de calore influente, qui indies ex alimento acquiritur, & ad singulas partes perfunditur ad earum calorem perficiendum, intelligi debet; & quamuis calor iste propriè acquisitiuus sit, utpote qui ex alimento temporis cursu acquiritur: tamen innatus appellatur: calorem propriè innatum, & à generatione ortum souet, atque tuetur. sicut etiam testatur Galenus libro de format. fętus, ubi inquit, calorem influentem, qui à corde promanat, & ex alimento acquiritur, quoquomodo innatum appellari. huius autem caloris influentis necessitas ab Aristo. explicatur libro de iuuentute, & senect. cap. 3. ubi inquit, quòd cum calor innatus continuè dissoluatur, & instar fluminis effluat, quamuis nos lateat, eapropter ne ocissimè euanescat, aliquo adueniente, & influente calore opus fuit, quo perficiatur, et quoad fieri põt, cõseruetur. vt alterius instrumẽtũ efficere põt, quæ ut præcipuus author efficere nequit, & quandiu calor innatus superstes, incolumisque seruatur, uita consistit, & isthæc ope

ra probè administrantur. cum autem interit, atque consumitur animantis natura destruitur, & eius munera abolentur. quod Aristotel. libro de iuuent. & senect. his uerbis explicauit. Necesse itaque est uitam huiusce caloris incolumitatem esse, item mortem eiusdem corruptionem simul esse.

De innati caloris interitu.

EA est innati caloris conditio, ut cum aliquo temporis interuallo in custodiam, salutemque animantis laborauerit, tandem intereat & corrumpatur, sed quoniam non satis constat, quonam pacto interire contingat, eapropter, ne quid supersit, quod ad exactam eius notitiã desiderari possit, id silentio prætereundum non esse diiudicaui. Galenus libro de causis morborum frigidæ ægritudinis causas dinumerans, flammæ, innatique caloris easdem esse corruptionis causas modosq; affirmauit. & sicuti plurimis modis flammam extingui conspicimus, iisdem etiam modis calor innatus extinguitur, & euanescit. Modos autem explicans inquit, calorem innatum in primis à frigiditate extingui, non secus ac flamma à frigiditate extinguitur. Nã si igni multum niuis, aut multam aquam super infundas continuò extinguitur. quem etiam corruptionis modum libro de iuuent. & senect. cap. 3. Aristo. explicauit, qui sanè corruptionis modus eodem authore, propriè caloris extinctio nuncupatur. secundo, ob alimenti copiam, nimiamque sanguinis redundantium calor innatus corrumpitur. sicut si paruo igni multam lignorum copiam super imponas, ob immodicæ quantitatis excessum ignis confestim extinguitur, sicut etiam si lucernæ liberalius quàm par sit, oleum adhibueris, illicò flammam extingui. ità si alimenti, aut sanguinis ingens fuerit multitudo aut uenarum fractionem, aut caloris interitum sequi necesse est. hic autem corruptionis modus per suffocationem dicitur: ità ut multitudine obruatur, aut suffocetur calor. tertio ob alimenti defectum, humidique inopiam corrumpitur. Nam sicut lucernæ flamma ob olei defectum extinguitur, ità ob humidi egestatem, quo animantium calor conseruatur continuò marcescere conspicimus. qui corruptionis modus in animalibus marcor, siue senectus, si ab externa causa non pendeat, loco prius citato, ab Aristo. nuncupatur. quartus corruptionis modus ex eodem Galeno est ex constipatione, seu prohibita caloris refrigeratione, quæ usque adeo calori innato necessaria est. ut ea sublata statim calor langueat, & corrumpatur: ut libro de vtilitate respirationis his uerbis testatur Galenus: respiratio innati caloris custodia animantibus à natura tributa est, quod etiam antea libro de iuuent.

& senect. cap. 3. memoriæ proditum fuit, ubi sic inquit: clarum itaque est, si seruari calorem oporteat, quod sanè neceßarium est, si animal uicturum sit. quandam fieri caloris refrigerationem oportere. sed hic corruptionis modus aut ad illum, qui ex suffocatione est, aut ad illum, qui ex humidi inopia fit reduci uidetur. siquidem prohibita existente respiratione, aut ex fumosorum excrementorum exuberantia calor suffocatur, non secus ac flamma à crasso multoque fumo obruitur: aut quia cum refrigerari non posit, plus iusto excrescit, & intenditur. ut in febribus euenire solet. intensior autẽ factus humidum illud, quod idoneum sibi pabulum est, absumit. quo deficiente, calor quinetiam deficit. ut loco nuper citato Aristoteles declarauit. inquiens, [cum enim spiraminis nihil quicquàm habet, aut restigerij, calor plurimus in sese collectus alimentum celerrimè absumit, idque prius facit quàm ut ulla respiratio adhiberi queat [postremus corruptionis modus caloris ex eodem Galeno est per rarefactionem à calore externo. Nam cum circunstantis aeris calor ingens immoderatusque fuerit, calorem naturalem extrinsecus euocat, ipsumque dispergit ità ut tandem langueat, et cum eo animantis uita deficiat. sicut etiam minor flamma à maiore flamma extinguitur. quoniam maior flamma vt quæ potentior est, minorem laxat, atque dispergit. sed hic corruptionis modus caloris innati ad propositum non est. quoniam sermo est, corruptione caloris innati secundum essentiam, non autem secundum quantitatem, de qua intelligit ultimus hic corruptionis modus. enimuerò dum calor naturalis ab externo calore foras euocatur, non quidem secundum esse corrumpitur, sed secundum quantatem, quoniam in internis corporis partibus non ea quantitas copiaque caloris relinquitur, quæ prius erat: sed beneficio caloris externi foras egreditur. & cum tenui portione materiæ, quæ secum egreditur, aeri admiscetur, unde postremus hic corruptionis modus prioribus non correspondet. quoniam priores sunt de interitu caloris innati secundum esse, postremus autem secundum quantitatem. Propterea si postremus hic modus persimilis est, ut inquit, cum minor flamma à maiore extinguitur, modus hic ad modum illum corruptionis reducitur, qui ex humidi defectu proficiscitur. siquidem cum minor flamma a maiore extinguitur, id non est; quoniam maior flamma minorem rare faciat: sed quoniam paratum sibi pabulum absumit, quo quidem absumpto minorem flammam, quæ illo fouetur, extingui necesse est, ut in hoc Aristotelem rectè sensisse arbitror, libro de iuuent. & senect. ca. 5. ita cum calor naturalis ab externo calore corrũpitur, id certè fiet. quoniam externus calor ipsum cor, internaque uiscera magis inflammat

humidumque absumit, quo quidem consumpto continuo innatus calor corrumpitur, & hoc pacto ultimus hic corruptionis modus corruptioni minoris flammæ a maiori persimilis erit. atque innati caloris interitus erit secundum esse. sicuti & cæteri priores, qui ab eo dinumerati fuere. cæterum Aristoteles tertia sect. problematum problemate. 25: innati caloris interitus duos tantum modos assignauit: unum, qui est à contrario: alterũ uerò, qui ex inopia est, humidique defectu. cæteros uerò, qui à Galeno dinumerati sunt, silentio prætermisit, utpotè qui ad hos duos redigantur. Nam qui ex suffocatione fit, ex nimio sanguinis, aut excrementorum excessu ad illum redigitur modum, qui à contrario fit: siquidem superuacaneą excrementa nimisque exuberans sanguis respectu caloris quoquomodo contrarij rationem habent, ut loco nuper citato Aristoteles indicare uidetur. cęteri uerò ad illum corruptionis modum reducuntur, qui ex humidi inopia pendet. Atque hi sunt modi, quibus in animantibus calorem innatum interire contingit: de interitu uerò naturalis caloris in mixtis inanimis sequenti capite explicabitur.

Quot modis calor naturalis in mixtis inanimis corrumpatur.

QUONIAM *non solum in animantibus, sed etiam in mixtis inanimis calor naturalis corrumpitur; siquidem ipso uiuente corrupto cadauer relinquitur, quod postea corrumpitur, in puluerem que dissoluitur, cuius quidem interitus, naturalis caloris corruptio est, ut quarto meteor. capite de putredine ab Aristotele scribitur. eapropter quot modis in mixtis inanimis naturalem calorem interire contingat explicare non inutilis futurum arbitror. porrò in huiusmodi mixtis naturalis calor unico tantum modo secundum gradus, & secundum essentiam aliqua ex parte corrumpitur à contrario scilicet, & ab ipsa frigiditate, non quidem externa: quoniam hæc potius à putredine arcet, caloremque naturalem intrinsecus cohibet; eiusque uires quodammodo seruat, quibus humidum cum sicco coniunctum tenet, in quorum unione mixtum consistit. enimuerò sub gelu carnes, & cadauera difficulter putrescunt, sed ab interna frigiditate corrumpitur, ut loco nuper citato Aristoteles his uerbis declarauit. putredo, quæ corruptio est naturalis caloris, passio est internæ frigiditatis, quæ eousque calorem naturalem secundum gradus, & secundum esse corrumpit, ut amplius mixtum conseruare non possit. & licet in putredine, mixtorumque interitu eo capite de putredine calor naturalis a sibi simili ut ab ambientis*

tis aeris calore corrumpi dicatur; non tamẽ ſecundum eſſe, & ſecundum aliquem ſui gradum corrumpitur. ſed ſolum ſecundum quantitatem imminuitur: quoniam a calore externo foras euocatur, ut eo loci philoſophus inquit, ſed cum foras egreditur, qui internus relinquitur, minoris quantitatis exiſtit, quam antea; qui uerò extrinſecus egreditur non corrumpitur. ſed ambientis aeris calori adijcitur, unde mutatio quædam ſolum eſt ab eſſe naturali ad eſſe præter naturale, cum iam pridem naturalis eſſet mixto, cauſa vero caloris externi, extrahentis ipſum impotens reddatur, & ſecundum quantitatem mixto non conuenientem, pariter in mixti interitu qui combuſtione ab igne efficitur, calor naturalis ſecundum eſſe minimè corrumpitur: quoniam cum cadauer, mixtumùe quod combuſtione corrumpitur, in naturam ignis conuertatur, ab igne comburente cadaueris humidum conſumitur, & ſiccum magis generatur, naturalis uero cadaueris calor a calore ignis intenditur, ut pro generatiane ignis idoneus reddatur, ac proindè huius caloris naturalis corruptio tranſitus quidam ſolum eſt ab eſſe naturali ad eſſe præter naturale eiuſdem, & eſſe naturale ignis, qui generatur, ex quò facilè intelligitur quam diuerſus ſit tranſitus, & mutatio caloris naturalis in combuſtione, & in putredine mixti a calore externo. in putredine enim tranſitus fit a maiori ad minus cum fiat per exitũ, et egreſſum caloris: in combuſtione uerò econtra a minori ad maius, cum in hac mixtum in ignem conuertatur, quod ſanè fieri nequit, niſi calor mixti intendatur, & ſecundum gradus adaugetur. Quamobrem vt rẽ ipſam concludamus, in mixtis inanimis calor naturalis vnico tantum modo ſecundum eſſe corrumpitur, videlicet a contrario, in animantibus uero duobus modis, & a contrario, & ob inopiã, humidiq; defectum, et hic terminum habeant quæ de natura caloris innati de origine officio eius, atque de interitu tractanda erant.

Horatij Augerij reſponſa, problematibus ab Archangelo Mercenario olim ſibi propoſitis expenduntur.

An morbis remedia ſecundum gradum ęqualia ſint adhibenda.



VM tertio abhinc anno poſt ſtudiorum meorum labores in patriam reuerſus eſſem, vbi Horatius Augerius commorabatur, ne per ocium torpeſceret animus, ſed quandoque de re litteraria recreari poſſet, problemata quędã a me ſibi propoſita fuerunt, non equidem vt cum ipſo

pugnam

pra dispositionem serræ. In naturalibus quinetiam non secus res ipsa se habet. Nam si in animalibus calor naturalis ualidus fuerit anima, quę agens præcipuum est perfectè concoquit, & nutrit. si uerò contra calor debilis, imbecillusque fuerit, in ęgroto, & in senio contingit, anima diminutè cõcoquit, & nutrit, nec anima supra uires caloris has operationes exercet, sed imperfectè secundũ caloris imbecillitatem, neque calori naturali uires, & robur addit, ut uehemẽtius excalefaciat, & alteret, pariter ignis secundum uires caloris cõburit, & agit. quamobrem etiã si in morbis qualitates cũ animalis natura connectantur, natura supra uires qualitatum non aget, neque qualitatibus uires adijciet, ut uehementius agant, utpotè frigefaciant, atque humectent. Sed causa huius erroris ea fuit. quoniam ex hoc nodo à me sibi proposito sese explicare non potuit, quonam pacto si morbus fuerit in intemperie sicca, eique pari graduũ numero humor adhibeatur; siccitatis excessum corrumpere potest, cum humor minoris sit actiuitatis, quàm sit resistentia sicci, corrumpens autem, patientis resistentiam necessario superare debeat; cum in actione, agentis actio ad patientes resistentiam semper comparetur.

Secunda eiusdem solutio.

TRADIDIT, *& alteram solutionem, quę huiusmodi est, actionem duplicem esse, unam cum uictoria agentis supra suum contrarium, alteram verò sine uictoria agentis: iam uerò licet morbis paria secundum gradum remedia adhibeantur, inter ipsa actio reperiri sine uictoria agentis. Sed neque secunda hæc solutio consistit. quoniam cum in morbo totus exceßus corrumpi debeat, igitur cum inter æqualia actio cum uictoria agentis supra contrarium fieri non possit, igitur ex paribus remedijs excessus morbosę qualitatis non corrumpetur. ac proinde non profligabitur morbus, quo fit, vt dubitatio nostra contra Galenum allata suas adhuc retineat vires. neque ad animalis naturam confugere oportet, quòd paria secundum gradum remedia quoquomodo exceßum morbosæ qualitatis refrenant, postea uerò natura residuum facilè uincit, & superat. siquidem, vt antea ostensum est, Natura ex se uim alterandi, vt refrigerandi, & humectandi non habet, tandem post multa uerba circa idem problema illud addit, non solùm morbis paria secundum gradum remedia adhibenda eße, sed etiam inferiore gradu adhiberi poße, quæ tamen actione naturę adiuta exceßum contrarię qualitatis corrumpere valent: rationem autem reddẽs, cur, si remedia inferiore etiam gradu adhiberi possint, mor-*

his paria secundum gradum a Galeno adhibenda esse; decretum est, inquit, ideo Galenum dixisse parem, vt omnino superiorem gradum negaret, non autem, inferiorem. dij boni, nonne vir iste animaduertit, quàm parum sibi constet. hic enim ex Galeni sententia negat, remedia vt morbo superiora adhibenda esse, sed ut paria solùm uel inferiora. superius autem affirmauit. quòd licet paria morbo adhibeantur remedia, non tamen vt paria, sed ut superiora concurrunt, & agunt ad profligandum morbum. itaque si ut superiora agunt, morbumque repellunt, igitur remedia superiora quinetiam gradu ex Galeni sententia adhiberi possunt. quamobrem aut non ob eam causam dixit Galenus parum gradum adhibendum esse, ut negaret superiorem, aut si Galenus ita intellexit, igitur quod uir iste antea affirmauit ex Galeni sententia prolatum non est. præterea dicat obsecro, vir iste, ecquid causæ fuit, vt Galenus inficias iuerit superiora secundum aliquem gradum adhiberi posse, an quia pertimuit contrarium morbum inductum iri, quod sanè dici non potest: quoniam si excessui caloris vt tria, quatuor frigiditatis gradus adhibeantur, sicuti ex vsu trium graduum frigiditatis contrarius morbus non inducitur: ita neque ex usu quatuor graduum induci posse timendum est, cum nihilo ferè inter se distent, eoque magis quòd cum agens in agendo repatiatur, & frigefaciens, ab eo, quòd refrigeratur, incalescat, ut primo de gener. contextu quinquagesimotertio, & quarto de ortu animal. capite tertio, Arist. declarauit frigidum vt quatuor aliqua ex parte à calore, in quem agit, remittetur, igitur timendum non est aliquod incommodum allaturum. quo fit, vt si remedia aliquo pacto superiora secundum gradum nullam inferant noxam, promptiusque, & facilius morbosæ qualitatis excessum repellere possint, quàm si pari, aut inferiori adhibeantur gradu. negandum autem non est, remedia superiori gradu nunquam adhiberi posse, vt inquit ipse. hinc nouerit ipse an illud Galeni pronunciatum ut axioma sese habeat, cum tot premantur difficultatibus, & an ipse illud ab omni difficultate uindicarit. quod cum certè non fecerit, pro Galeni salute, quem quotidie pre manibus habet, melius recogitet, & meditetur. nunc secundum problema aggredior de resistentia.

Quid existentia sit, & in quo genere reponatur.

C*VM circa primum problema sermo inciderit de resistentia, à me alterum sibi problema propositum fuit, quid uidelicet resistentia sit. cui sanè respondens inquit, resistentiam in alia cathegoria*

actio medicamentorum in morbum non ab æquali, sed à proportione maioris inæqualitatis efficitur. quam solutionem inquit vsque adeo firmam aſſe, vt nihil quicquam à me excogitari posſit, quod ipſam labefactari queat.

Reſponſio reiicitur.

Attamen ſi reſponſio hæc accuratè perpenditur, inanis eſt, & erroribus plena, qui vt omnibus pateant, eius dicta accipio. dicit primò, remedia ſecundum gradum æqualia morbis adhibita, vt æqualia ſunt contra morbum non agere, ſed prout imparia, morboque ſuperiora ſunt. dicit ſecundò remedia ad agendum validiora fieri ope naturæ, quæ animal conſeruat. circa primum dictum duo committit errata. primò vir iſte ſibi ipſi non conſtat: quoniam in hac ſolutione inquit, remedia paria ſecundum gradum morbis adhibita, vt paria ſunt contra morbum non agere, ſed vt ſuperiora ſunt, maioriſque inæqualitatis proportionem habent: paulo autem inferius oppoſitum ait. reddens. n. rationem, cur eſt, ſi remedia in inferiori etiam gradu adhiberi poſſunt, Galenus aſſeruit, morbis remedia ſecundum gradum æqualia adhibenda eſſe, inquit, ut Galenus indicaret remedia morbis ſecundum gradum ſuperiora adhibenda non eſſe. uerba ipſius hæc ſunt. [reſpondeo Galenum parem dixiſſe gradum, & ut omnino neget ſuperiorem, nō autem inferiorem gradum, licet æquali, licet inferiori. nunquam licet ſuperiore uti.] iā verò ſi remedia, & inferiora, & paria; nunquam autem morbo ſuperiora eſſe debent: igitur quod in hac reſponſione ab ipſo elicitur, quod licet remedia morbis paria ſint, nō ut paria concurrunt, ſed ut morbo ſuperiora ſunt, non conſiſtit, & unum alterum euertit. Labitur ſecundo: quoniā ſi remedia ſecundum gradum æqualia contra morbum nihil quicquam (ut ait,) corrumpendo efficiunt, ſed ut ſuperiora, maioriſque proportionis inæqualitatem habentia, igitur non paria morbis ſecundum gradum remedia, ſed ſuperiora adhiberi debent, vt connexum huiuſmodi ſit, remedia adhibentur ut morbum proſternant. iam uerò non ut paria, ſed vt ſuperiora (vt ait,) morbum proſternunt: igitur non paria, ſed ſuperiora adhiberi debent, non ergo congruenter à Galeno decretum eſt, paria morbis remedia ſecundum gradū adhibanda eſſe. Labitur præterea circa alterum dictum, cū inquit, cōtrariam qualitatem morbo applicatā, tametſi proprijs viribus morboſæ qualitatis exuberātiā euincere nō poſſit, naturæ tamē auxilio, & ope illā corrumpit, ut ſi in ardente febre ſecundū tres gradus fuerit caloris exceſſus, & huic frigus ſecundum totidem

Tertium problema.

Qua methodo compertum sit in igne præter calorem, sicci tatem ad inueniri.



VM mecum ipse cogitarem qua methodo sapientes cognouerunt in igne prẹter calorem siccitatem adinueniri, tertium hoc problema à me sibi quoq; propositum fuit, vt eius opinionem ueluti de philosophia, & medicina benemerito, audirem. & quoniam certò sciebam ipsum in eam responsionem iturum, id ex effectu, quoniam uidelicet exsiccat, compertum fuiße, siquidem formæ ex operibus innotescunt. ea propter tacitã hanc responsionem reieci, idque hac methodo inueniri non posse, hac ratione ostendi. quoniam cum calor & calefaciendi, & exsicandi uirtutem habeat, ex hoc inferri non potest, ignis exsiccat: igitur præter calorem siccitatem habet. siquidem ab unico ignis calore exsiccatio nõ secus, ac calefactio promanare potest.

Cæterum solutionem illam vir iste confirmãs obiectioni allatæ ità respondet. calorem duplicem esse, alium qui humectat, alterum uerò, qui exsiccat, quæ duo munera non ex se, sed ex cohærentibus sibi qualitatibus exercet. enimuerò in igne calor media siccitate exiſiccat, in aere uerò media humiditate humectat. undè concludit, quod sicut ignis caliditate calefacit, ita ignis siccitate exsiccat, & si calor exsiccare dicitur, id media siccitate facit.

Verum hæc mei Horatij responsio ità ieiunè, & simpliciter prolata dubitationi non satisfacit. ostendo enim ego calorem ex se, & non media siccitate exsiccare. primo quidem. quoniam calor solis excalefacit, & desiccat, & tamen calori cẹlesti siccitas formaliter coniũcta non est, quẹ media desiccet. igitur calor ex se & calefaciendi, & exsiccandi uirtutem habet. pręterea concoctio à calore naturali solùm, vt ab effectrice causa proficiscitur, ut 4. meteo. cap. de concoct. ab Arist. proditũ est. in qua humidum absumit, atque desiccat, cum ea, quæ concoquuntur, continuè sicciora reddãtur, ut eo loci idem Arist. declarauit, inquiens, quæ concoquuntur ex aereis fiunt aqueæ. & ex his fiunt magis terrea, & tamen calor in concoctione ex se, non autem media siccitate desiccat, humidumque absumit. siquidem siccitas in concoctione solùm passiuè, & vt materia concurrit, vt eodem loco his verbis Aristoteles declarauit. I concoctio est perfectio à calore naturali, & proprio ex oppo-

sitis

ria reponi non posse, quàm in cathegoria qualitatis, locari se in secunda specie qualitatis, quæ dicitur potentia & impotentia naturalis, ac proindè resistentiam nil aliud esse, quàm impotentiam naturalem, quæ difficultas est ad patiendum. Enimuerò durum resistere dicitur, quoniam potentiam non habet, vt facile patiatur, aut secetur: sic etiam salubre, inquit, resistere dicitur. quoniam potentiam non habet, ut à quibuslibet accidentibus patiatur. quòd uerò in alia qualitatis specie nō reperiatur, id persuadet. quòd uerò substantia non sit, aut quantitas, aut aliud quodpiam ex aliis prædicamentis id non probat, sed ut manifestissimum supponit, cuius verba hæc sunt [Quòd autem substantia non sit, aut quantitas, aut relatio, aut aliud ex reliquis, cum tibi manifestum esse arbitrer non probo, sed supponens, ad aliud problema me confero] putauit amantissimus Horatius meus ex hoc proposito sibi problemate breuiter sese explicasse, & quid resistentia sit ad amussim declarasse. quod certè assecutus non est. siquidem resistentia non solum in cathegoria qualitatis adinuenitur, ac proindè non solum naturalis impotentia est ad patiendum, vt asseruit ipse, sed etiam in prædicamento actionis reponitur, & ab actione re ipsa distinguitur, quod ex Aristotelis sententia 4. de animal. ortu capit. 3. facile ostendi potest. vbi de similitudine filiorum ad parentes orationem habens, sic inquit: causa vt soluatur, hebeteturque motus, & actio agentis est. quoniam agens in agendo repatitur, ut calefaciens à calescente refrigeratur. ex quibus uerbis huiusmodi fundamentum depromitur, resistentia patientis ad agens est, qua actio agentis soluitur, & aliqua ex parte labefactatur. siquidem agentis actio in passum ex patientis resistentia soluitur, & retardatur. quod sanè ex multis persuaderi potest. Nam si gladius lignum, aut ferrum incidat, eius actio ex resistentia ligni, aut ferri soluitur, & hebetatur, pariter dum ignis in uiride lignum agit, eius actio ex ligni resistentia retardatur. iam verò agentis actio soluitur, atque obtunditur per actionē patientis in agens. igitur resistentia est actio, aut reactio patiētis in ipsum agens. minor ex nuper allata Arist. authoritate probatur, cum inquit, causa, vt soluatur agentis actio est: quoniam agens in agendo repatitur, & calefaciens a frigido refrigeratur. quamobrem si calidum dum agit in frigidum, actio calidi soluitur, & hebetatur propter frigidi reactionem: quoniam scilicet à frigido refrigeratur; igitur resistētia frigidi nil aliud est nisi actio frigidi contra calidum, ac proinde resistentia in cathegoria actionis. quin etiam reponitur, & ab actione reipsa non distinguitur. quem Aristot. locum si meus Dominus Horatius perlegisset, in hunc errorē nō incidisset, nec ab

solutè

autem aliæ esse non possunt nisi siccitas, & calor. siquidem caliditas, et humidtas in aere reperiuntur, neque calor, & frigus, cum hæc duo elementum, ueluti inter se maximè pugnantia, constituere non possunt; quibus sic constitutis arduum modo non est primam illum instantiam cõtra solutionem dissoluere. Nam cum dicebatur, calor & calcfaciendi, & exsiccãdi virtutem habet. igitur ignis calore solum vtroque munere fungi potest. respondetur, in mixtis corporibus calorem, & calefacere, & exsiccare, per humidi euaporationem, nõ quia calor siccitatem inducat: sed quoniam humido euaporantem partes sicciores, terræque derelinquuntur, & hunc in modum calor Solis madidam terrã exsiccat, et calor naturalis in concoctione, & in coagulatione mixtorum prout calefaciendo, & attenuando in causa est, vt humidum euaporet, quo sanè euaporante partes siccę magis, & consistentes supersunt. in elementis uerò calor non exsiccat, neque humidum corrumpit, sed id ab ipsa siccitate proficiscitur. siccitas enim ignis aeris humiditatem corrumpit, siccitatemque inducit pro generatione ignis. quamobrem ignis, & sola caliditate calefacit, & exsiccat, & siccitate exsiccat. in mixtis enim caliditate exsiccat. in elementis uerò siccitate hanc actionem absoluit, unde uir iste non ita simpliciter hæc duo theoremata enunciare debeat, ignis caliditate calefacit, ignis siccitate exsiccat, hoc enim secundum in elementis solum ueritatem habet.

Ad ultimum autem problema: quoniam eam solutionem affert: quã nos ipsi priore dilucidationum lib. tradidimus, cum quæreremus propter quid à natura singulis elementis duæ qualitates accommodatæ fuerunt, eam non perpendo, neque improbo, cum propria potius confirmare, quã demoliri vniuscuiusque partes esse uideantur.

Quibus omnibus sic explicatis, quæ ad nostram hãc disputationem attinebãt, nunc ad te amantissime Horati me conuerto, ijs responsurus, ut meæ partes sunt, quæ in calce tuæ epistolæ adijcere voluisti, te summo iure mihi immortales gratias habiturum, quippè qui cum sese tulit occasio de te, tuaque doctrina honorificentius locutus sim, ut Archangelum Mercenarium hominem alioquin liberum, tuæque patriæ, ut nosti, antiquissimum ciuem decebant. neque illud uerum est, nobilissimo inueni de te quicquam aliud scripsisse, quam ut significaret, quonam pacto tu nouus miles in docendo te gereres, sicuti literæ meæ, quæ apud ipsum sunt, testari possunt, quod sanè altero ab hinc anno cum unà eßemus in patria ciuibus omnibus, pſertimque excellentissimo D. Iulio Pichino vtriusque amico, & affini me ostensurum pollicitus fui; nec tu quamdiù in patria commoratus fui, oppositum demonstrare ausus fuisti, uale.

De indiuiduatione substantiæ materialis opinio prima. Cap. 2.

QVO ad primam partem attinet, non conuenit apud Arist. interpretes: arbitrati sunt nonnulli, quòd substantia materialis sit vna numero, & indiuidua non per aliquam causam positiuam, sed solum per duplicem negationem: nam cum vnum numero, & indiuiduũ non dicat nisi negationem diuisionis à se, & negationem identitats cum alio, siquidem Socrates ideo est unus numero & indiuiduus, quia in plures homines diuidi nequit, & est non idem, vel diuersus à Platone, & quocunque alio indiuiduo, ea propter inquirenda non est alia causa positiua ab hac duplici negatione, sed hac duntaxat substantia est indiuidua, & numero una. confirmatur sic, si substantia esset indiuidua per aliquam causam positiuam, vel illud esset materia, vel forma, vel aliquod accidens. materia esse non potest, quia cum indiuiduum dicat esse indiuisum à se, & diuisum à quolibet alio, materia non est causa distinctionis, & diuersitatis, quoniam in fundamento naturæ nulla est distinctio, vt legitur 1. Met. contex. 17. igitur materia causa esse non potest, ut substantia sit indiuidua: præterea quæritur de ipsa per quid est hæc, & indiuidua aut seipsa, aut ab alio, non ex seipsa, quoniam est natura communis, & indeterminata: non ab alio, quia tunc quæram de illo alio, & ita in infinitum, neque causa indiuiduationis potest esse forma, quoniam quod est causa communicabilitatis, & vniuersalitatis, non potest esse ratio indiuiduationis, quia idem non potest esse ratio & per se causa oppositorum, sed forma est causa vniuersalitatis. ut legitur primo C5. contex. 92. ergo & c. neque aliquod accidens esse potest siuè sit absolutum, siuè respectiuum, quoniam substantia accidens antecedit septimo Met. contex. 4. igitur indiuiduum substantiæ indiuiduum accidentis antecedit: igitur substantia per ipsum accidens indiuidua esse non potest. cum itaque substantia neque per materiam, neque per formam, neque per aliquod accidens indiuidua sit, igitur indiuidua non est per aliquam causam positiuam. remanet ergo ut huiusmodi sit per duplicem negationem, scilicet per negationem diuersitatis à se, & per negationem identitatis cum alio.

Refellitur opinio. Cap. 3.

SED isti uehementer aberrant: primo enim non declarant id de quo dubitatio est. nam licet indiuiduum formaliter significet negationẽ

stituit speciem, ipsamque ab alia specie distinguit, & separat. igitur nec unum numero, & indiuiduum erit per duplicem negationem, sed per aliquam causam positiuam, & tunc ad primum ipsorum dicimus, quòd licet indiuiduum formaliter dicat duplicem negationem, non tamen est indiuiduum principaliter per hanc, sed per causam positiuam, per quā etiam duplex hęc negatio ipsi substantiæ inest. Ad aliud cum dicebatur, si substantia est indiuidua per aliquod positiuum, uel illud est materia uel forma, uel accidens. dicimus esse materiam signatam. cæterisque dispositionibus affectam, ad instantiam, indiuiduum dicit esse indiuisum à se, & diuisum à quolibet alio, materia uerò non est distinctionis causa. respondetur id eßse uerum de materia secundum se, & pręcise considerata, non de materia signata: hæc enim est præcipua distinctionis numeralis causa: Cùm autem quærebatur, per quid materia est una numero, & indiuidua: dicimus, quod materia signata seipsa est indiuidua, sicut seipsa propria est, atque determinata, cæterum solutio hæc magis explicabitur in progressu, nunc autem intantum dictum sit.

Opinio Scoti. Cap. 4.

EX altera parte Scotus secundo sent. libro dist. 3. q. 6. reiectis aliorum opinionibus in eam tandem iuit sententiam, quòd substantia materialis sit una numero & indiuidua per hæcceitatem & differentiam indiuidualem, quæ naturam communem contrahit ad esse singulare & indiuiduum: declarans autem quid sit hæccheitas ista, inquit, quod nec est materia, nec forma, neque compositum, sed ultima realitas formę, materiæ & compositi: unde secundum ipsam tam materia, quàm forma & compositum propriam habent hæccheitatem, quæ sic se habet ad unumquodque istorum sicut actus ad potentiam contrahens ipsa ad unitatem numeralem. quam opinionem ita persuadet. Omnia differentia reducuntur ad aliqua primo diuersa, secus eßet processus in infinitum in differentijs, indiuidua inter se differunt, ergo eorum differentia reduci debet ad aliqua primo diuersa. sed hæc non possunt esse forma in hoc, & in illo indiuiduo, quia idem non potest eßse quo aliqua conueniunt formaliter, & differunt realiter, licet idem eße possit conueniens formaliter, & distinctum realiter. multum enim differt esse distinctum, & esse quo primo aliquid distinguitur: cū autem formæ in hoc et illo indiuiduo eiusdē speciei conueniant formaliter, igitur nō possunt distingui realiter tanquam per rationē distinguendi. simili quoque ratione neque materia huius et illius possunt esse primo diuersa neq; accidētia: igi-

tur hæc primo diuersa quibus differunt indiuidua inter se, & natura in hoc & illo indiuiduo, erunt hæccbeitates, & quoniam idem est principiũ distinguendi primo & constituendi rem: igitur cum hæccbeitas sit prima ratio distinguendi unum indiuiduum ab alio, eadem erit prima ratio eßendi, & constituendi indiuiduum, nec aliæ rationes ad opinionẽ hanc probandam afferuntur ab eo, quoniam ex reprobatione aliarum opinionum iam satis probatam eße arbitratur.

Refellitur opinio Scoti. Cap. 5.

NEQVE *opinio ista Aristoteli consentanea est, quod ex quinto illo Met. satis patet, ubi Philosopuhs inquit, unum numero esse, cuius materia est una, pariter ex septimo lib. 35. vbi ità scribit, singulare verò ex ultima materia est. necnon ex ijs quæ scripta reliquit primo Cę. 93. & 94. igitur vnum numero, & indiuiduum est per materiam, & non per differentiam indiuidualem, vel per hæccbeitatem, vidit Scotus istas authoritates, & in quæst. 6. ita respondet, quòd cum materia & forma relatiua sint, ut legit secundo Phisic. 26. quot modis dicitur forma, totidemq; dicitur materia: & quoniam forma duplex est, altera quidem totius, quæ est tota quiditas rei amplectens materiam & formam, quæ totam rei complent quiditatem: reliqua verò est forma partis, quæ est altera pars compositi. ità duplex est materia, altera quidem partis, quę est subiectum ex quo aliquid fit, & est altera pars compositi, & ista opponitur formæ partis, reliqua verò est materia totius, quę opponitur formę totius. & quoniam forma totius est quiditas rei, ita materia totius quæ illi opponitur est extra quiditatem rei. & sicut illud, quod est rei quiditas dicitur forma, ità illud quod est extra quiditatem rei dicitur materia: cum autem differentia indiuidualis sit extra quiditatem rei, quoniam homo absque differentia indiuiduali intelligi potest, ea propter differentia indiuidualis materia nuncupatur: tunc inquit, quòd cum Philosophus describit unum numero per materiã, & alijs citatis locis unitatis numeralis causa materiam assignat, non intelligit de materia partis, quę est altera pars compositi, sed de materia totius, quæ est hæccbeitas ipsa contrahens naturam communem ad eße singulare, & indiuiduum. Sed hæc responsio falsa est, & ut interim omittam non dari formam illam totius, de qua aliàs dicam, probo primum apud Arist. non dari hanc materiam totius, mox citatis locis de hac Philosophum non intelligere, sed de materia partis, quòd autem de Arist. sententia materia hæc totius non detur, ita ostendo: hæc materia*

teria totius cum sit contrahens naturam communem, se habet vt actus. nam ut inquit ipse, materia totius ita se habet ad speciem, sicut differentia specifica ad ipsum genus: & sicut differentia specifica se habet vt actus, quoniam contrahit & determinat, genus uerò se habet ut potentia; quoniam est quid contrahibile, ita differentia indiuidualis, & materia totius; quoniam contrahit speciem, se habet vt actus: species verò quoniam contrahibilis est, se habet ut potentia, sed materia quæ actus sit, nunquam ab Arist. definita fuit, nec de ea ullum prorsus habitum fuit uerbum siuè naturalem, siuè primam Philosophiam percurras, sed solum de materia quæ potentia est. igitur apud Arist. non datur nisi materia quæ potentia est. quæ quidem est materia partis: materiam uerò totius quam Scotus effinxit, ne quidem Arist. somniauit: quòd autem Philosophus citatis locis intelligat de materia partis, et primum eo 5. Met. ita probatur. vnum numero est, cuius materia est una, diuersa numero, quorum materiæ sunt diuersæ. tunc ita argumentor, illa materia est causa unius numero, cuius diuersitas est causa diuersitatis numero, sed hæc est materia ex qua, & materia partis. ergo causa vnius numero est eadem materia partis. probatur minor ex 7. Met. contex. 28. ubi Philosophus inquit, generans generat diuersa propter materiam, & Socrates & Callias propter materiam diuersa sunt, & per hanc intelligit materiam ex qua, ut eius uerba apertissimè ostendūt, quæ huiusmodi sunt, omnis uerò iam talis species in ijs carnibus, & ossibus, & Callias & Socrates propter materiam diuersa sunt. certum est autem, quòd caro & ossa sunt materia ex qua, & materia partis. igitur per materiam intelligit materiam partis. confirmo, Arist. considerans institutum in eo contextu. porrò Aristoteles in eo loco Platonem redarguit formas illas separatas ponentem pro generatione substantiarum, illasque ad hoc opus minimè necessarias fore ita ostendit. nam si propter hoc necessaria forent, hoc maximè esset propter generationem hominis, & equi, qui maxime substantiæ sunt, at propter generationem istorum minimè necessariæ sunt, quoniam generans sufficiens causa est ut materiam disponat, & ex ea formam educat. certum est autem, quod generans formam educit de materia partis. igitur per materiam intelligit materiam partis, sicut etiam exponit Auer. quòd etiam de eadem prorsus intelligat eodem 7. contex. 35. cum dicit ex ultima materia singulare est. quæ uerba Scotus sibi fauere existimauit, ita ostendo: nā sicut inquit ex anima & corpore in communi fit homo in communi, ita ex hac anima, & ex hoc corpore, quod ultimam materiam appellat, fit hic homo, & singulare. per ultimum itaque materiam corpus intelligit:

lis aut sunt primo diuersa, aut non: si primum, igitur ut prius, si secundum, illa adhuc per alia distinguuntur. aut itaque erit processus in infinitum, quod dici nequit: aut affirmare oportet, quòd differentia individuorum necessario reducitur ad aliqua primo diuersa, & propterea Zimara tota planè, ut aiunt, diametro dissidens à Suessano concedit conclusionem rationis Scoti, indiuidua scilicet eiusdem speciei distingui per aliqua primo diuersa: cum autem addit Scotus. sed hæc primo diuersa nec sunt formæ, neque materiæ, hoc negat, quoniam primò diuersa, quibus indiuidua sub eadem specie distinguntur sunt formæ substantiales ipsorum: ad has.n. secundum ipsum indiuiduorum reducitur differentia. Sed ista quoque solutio procul dubio abest à veritate. nam primo diuersa seipsis, & non alio distinguntur, formę verò substantiales sub eadem specie comprehensæ non distinguuntur seipsis, igitur non sunt primo diuersæ. minor probatur ex primo Cę. 94. ubi Philosophus inquit, quòd forma est vna, quia eius materia est una. & formæ sunt plures, atque diuersæ, quia materiæ sunt diuersæ. quinimmo ubicunque Aristo. loquitur de diuersitate numerali, nunquam inuenio ad formā substantialem illam reducere, sed video semper illam siuè formarum sit, siuè cōpositorum ad materiam ipsam referre, ut patet ex omnibus ijs locis, quos antea animaduerti. cum itaque numeralis formarum diuersitas aliundè pendeat, non igitur seipsis distinguntur, & per consequens non sunt primo diuersæ. pręterea ab his quæ sunt primo diuersa vnus conceptus specificus abstrahi minimè pōt, sed à formis eiusdē speciei unus cōceptus specificus abstrahi potest. à formis enim particularibus equi abstrahitur equinitas, & sic de alijs. igitur formæ eiusdem speciei non sunt primo diuersæ. illud bene uerum est, quòd formæ specie distinctæ seipsis distinguntur, & sunt primo diuersæ ut forma hominis, & forma equi, ad quas ut radicem specifica differentia reducitur. sed quòd formæ substantiales eiusdem speciei sint primò diuersæ, & seipsis distinctæ, & quòd ad has indiuiduorum eiusdem speciei numeralis differentia reducatur: hoc tam falsum est, quàm quod falsissimum. Sed posteaquam clarissimi ex hoc laqueo Scoti sese explicare non potuerunt, id soluere tentemus & nos: dicimus ergo, quòd indiuidua eiusdem speciei procul dubio per aliqua primo diuersa distinguntur. cum autem inquit hęc primo diuersa neque sunt materię, neque, formæ dicimus quòd sunt materiæ signatæ, certisque dispositionibus affectę. quæ res vt magis conspicua fiat, distinctio illa ad memoriā reuocanda est, quòd materia in hoc & illo indiuiduo bif. considerari possunt. uno modo secundum se, alio modo ut signatæ, et proprijs quibusdam dispositionibus affectæ: si primo modo cō-

ſiderentur non ſunt primo diuerſæ, ſed ſunt vnius, & eiuſdem rationis, & ſub hac ratione, ab eis non ſumitur differentia indiuiduorum: ſi uero ſecundo modo conſiderentur, ut ſic ſunt primo diuerſæ, et ſeipſis diſtinctæ, & ſub hac ratione ab Ariſt. indiuidua eiuſdem ſpeciei differre dicuntur. unumquodque enim indiuiduum talem habet materiam ſignatam, et tali accidentium complexione diſpoſitam, quòd aliud indiuiduum in ea communicare nõ poteſt. et hunc in modum nodus iſte mea quidem ſententia diſſolui debet.

Auerrois opinio perpenditur. Cap. 6.

AVERROES in hac difficultate mihi maximè varius, atque ambiguus eſſe uidetur. nam 5. Met. 12. iuxta textum Ariſto. inquit, quod unum numero eſt, cuius materia eſt una. & primo Cœli com. 95. inquit, quod ratio deſumpta à materia ad probandum numeralem mundi unitatem dicit cauſam, & propter quid: & lib. de ſomno & uigilia ſcribit, quòd formæ per materiam indiuiduantur, quibus in locis uelle uidetur materiam eſſe indiuiduationis principium. huius tamen oppoſitum ſcribit 2. de Anima 9. ubi quoque rationem ponit, dicens, indiuiduum eſt indiuiduum per formam non per materiam: ratio, inquit, eſt, quoniam indiuiduum eſt indiuiduum ut in actu, ſed eſt in actu per formam, non per materiam, ergo eſt indiuiduum per formam, non per materiam: quod eſt inficias ire, quod alibi affirmauerat. Zimara Auerrois doctrinæ maximè addictus, pugnantia hæc loca hunc in modum componere nixus eſt. quod indiuiduum dicitur tale per formam & per materiam, ſed primo & principaliter per formam, ſecundariò uerò per materiam: cum ergo Auer. inquit, quod indiuiduum eſt per formam, id principaliter intelligendum eſt, cum uerò per materiam ſecundario, & ita nulla eſt, inquit, in Auer. repugnantia. Sed Zimara non uindicat Auerroem à contradictione, & parcat mihi, parum acuratè obſeruauit rationem illam 2. de Anima 9. nam Auer. ita ratiocinatur. indiuiduum eſt indiuiduum ut in actu, ſed eſt in actu per formam, non per materiam, ergo eſt indiuiduum per formam, & non per materiam. iam uero de ipſius Auer. ſententia indiuiduum eſt actu ſolum per formã, & et non per materiam, ergo indiuiduum eſt ſolum per formam: quod uerò indiuiduum ſecũdum Auer. ſolum actu ſit per formam, et nõ per materiam, ex ipſomet probatur eodem 2. de Anima com. 8. ubi concluſionem illam probat his uerbis. materia enim ſecundum quod materia in rebus naturalibus non habet eſſe in actu, ſed potentia: & eſſe in actu

non

non est nisi formæ, & hoc ualde manifestum est in formis rerum simplicium, quoniam cum fuerit forma ablata nihil remanet. discursus consistit in hoc, illud, quo posito ponitur res, & quo ablato, quouis alio remanente, res ipsa tollitur, & aufertur, est causa præcisa, & adæquata alicuius rei, sed posita forma statim res ponitur in actu. posita autem materia nullo modo res ponitur in actu, quod explicat, cum inquit, materia secundum quòd materia in rebus naturalibus non habet esse nisi in potentia non in actu, quasi dicat, posita materia res solum est in potentia non in actu, quod etiam declarauit 7. Met. 37. ablata uerò forma quamuis superstes remaneat materia omnino tollitur res, quod explicat, cum inquit, quoniam cum fuerit forma ablata, nihil remanet. igitur forma est causa præcisa, & adæquata, ut indiuiduum sit in actu, et per consequens secundum ipsum sola forma est causa, vt indiuiduũ sit indiuiduũ. igitur cũ dicit Auer. indiuiduũ est indiuiduũ per formã nõ per materiam, illa negatio non excludit materiam à principio per se indiuiduationis quò ad esse principale, vt inquit Zim. sed absolutè, cuius oppositum alibi affirmauit. præterea dato, quòd illud Auer. dictum secundo de Anima 9. ita intelligi debeat, quòd indiuiduum est indiuiduum per formam, non absolutè, sed principaliter adhuc Auerro. à contradictione vindicari non potest, quoniam alibi statuit ipse, quòd per materiam principaliter indiuiduum est indiuiduum: nam in lib. de somno & vigil. cum declarasset, quòd intelligentię non producunt formas secundum gradum particularem, cum illas non cognoscant sub ratione particulari: declarauit per quid formæ ipsæ indiuiduantur, & inquit, quòd formæ per materiam indiuiduantur: etenim cum in materia recipiantur signata, & particulari, recipiuntur signatè, & particulariter, ex quo loco nemo est, qui non intelligat Auerroem voluisse materiam esse causam principalem indiuiduationis: nam si, vt inquit, materia est causa indiuiduationis formæ, & forma est causa indiuiduationis compositi: igitur materia est causa prima indiuiduationis compositi. extat præterea in confirmationem huius alius locus primo Cęl. 95. ubi inquit, quòd demonstratio ea in parte ab Aristo. sumpta ex materia ad probandum mundum esse vnum numero, est demonstratio propter quid: igitur secundum Auerro. demonstratio qua probatur de substantia materiali vnum numero per materiam, est demonstratio propter quid, sed demõstratio propter quid est per causam principalem, & non secundariam, quarè secundum Auerr. indiuiduum est indiuiduum per materiam principaliter, & cum secundum mirabilem Zimaræ expositionem secundo de Anima 9. dixerit, quòd est per formam principaliter: igitur Auerr.

à seipso dissentit, ex qua ratione ea quoque diluitur responsio, quæ afferri posset, quòd cum inquit Auer. 2. de anima 9. indiuiduum esse indiuiduum per formam, intelligit per se: cum uerò alibi dicit, quòd per materiam intelligit per accidens. si quidem demonstratio propter quid nō est per causam per accidens, sed per ipsum ratio sumpta à materia ad probandum unum numero est demonstratio propter quid. igitur ratio sumpta non est per causam per accidens, atque itá dici minimè potest Auerro. voluiße vnum numero esse per materiam per accidens. sed fortè quispiam pro salute Auerrois adhuc dicere poßet, quòd indiuiduum bif. considerari potest, uno modo pro natura subiecta indiuisioni, alio modo pro ipsa indiuisione: iam uerò cum dicit secundo de Anima, dicit Auerro. quòd indiuiduum est per formam, non per materiam, accipit indiuiduum primo modo, quoniam substātia quæ est indiuisioni subiecta, est per formam, non per materiam, vt supra dictum est: cum verò alibi dicit, quòd est per materiam, intelligit quò ad indiuisionem ipsam. sed nec ista responsio satisfacit, quoniam ut eius uerba apertissimè ostendunt, Auerro. accipit indiuiduum secundo modo, quia itá concludit: ergo indiuiduum est indiuiduum per formam, igitur accipit indiuiduum, vt indiuiduum est, & quò ad ipsam indiuisionem. secundo & fortius, si Auerro. acciperet indiuiduum quò ad substantiam subiectam indiuisioni, tunc idem esset medium, & quęsitum. deducitur consequentia, quoniam itá ratiocinatur, indiuiduum est indiuiduum quatenus est in actu, sed est in actu per formam, ergo est indiuiduum per formam: accipit enim pro medio eße in actu, quòd si accipiat esse indiuiduum pro esse substantia in actu, perindè erit ac si dixerit, indiuiduum est indiuiduum quatenus est in actu, idest substantia in actu, quatenus in actu, & propterea idem eßet medium, & quæsitum, quamobrem (meo quidem indicio) Auerro. à contradictione liberari non potest, & si quis est ex modernis qui ipsum tueri queat, ipsum libenter audiam. cum ergo Auerro. hunc in modum perplexus sit, & nihil certi, aut firmi hac in re ex eo haberi, ideò ipsum relinquamus, & ad alios pedem conferamus.

Opinio plusquam Commentatoris, & Achillini. Cap. 7.

PLVSQVAM *Comment. In secundum artis paruę librum Galeni, & Achillinus primo de elementis libro cap. 26. concordes dixerunt, quòd sola forma est per se indiuiduationis principium: ma-*

teria uerò non est indiuiduationis principium nisi per accidens, quatenus est subiectum formę, quæ per se indiuiduationis causa est. quam sententiam & ratione, & authoritate probare conati sunt. & primo plusquam Comment. ità probauit. una materia communis est omnibus formis, & omnibus generabilibus, et corruptibilibus, una autem forma est, unius tantum materiæ, igitur principium per se indiuiduationis est forma, & non materia. probatur antecedens quò ad utramque partem. nam una, & eadem materia subiecta est pluribus, quinimmò infinitis formis, & si non simul, saltem successiuè. at vna forma neque simul neque successiuè pluribus materiebus cõmunicari potest. deducitur consequentia, nam indiuiduum dicit esse indiuisum, & in communicabile, igitur quòd à se magis indiuisum est, & incommunicabile indiuiduationis per se principium statui debet, sed hoc est forma, & non materia ut probatum est: igitur forma & nõ materia per se causa indiuiduationis erit. secundo sic deducitur, nihil potest alterum constituere sub ratione opposita suæ naturæ, materia communis est, & esse incommunicabile, & indiuiduum est ratio ei opposita: igitur materia non potest quippiam sub esse indiuiduo, & incommunicabili, hoc igitur pręstabit forma, quæ propria & incommunicabilis est. prætereà indiuiduum inquantum indiuiduum non diuiditur, cum de ratione indiuidui sit esse indiuisibile à se, sed hoc habet à forma, non à materia, cum potius secundum materiã diuidatur: igitur esse indiuiduum habet à forma, non autẽ a materia, hæc plusquam Comment. & quædam alia quæ breuitatis causa prætermitto. Achillinus autem ità probauit, illud indiuiduationis per se principiũ statui debet, per quod unum indiuiduum ab alio distinguitur, quoniam idẽ est principium distinguẽdi à priori, & principium essendi, sed per formam vnum indiuiduum distinguitur ab alio, non autem per materiam: igitur indiuiduationis per se principium est forma, & non materia. probatur minor ex Arist. 7. Met. 49. vbi inquit, actus est qui separat, & qui distinguit, & ex Auerro. primo de Anima 53. vbi habet, membra cerui non differunt a membris Leonis, nisi quia anima differt ab anima, prætereà id probat Achillinus innumeris ferè Auerro. authoritatibus, ex quibus breuitatis causa illam tantum recensebo, quã cum ratione posuit Auerro. secundo de Anima 9. inquit enim indiuiduum est indiuiduũ per formam, & non per materiam: ratio, quia indiuiduum est indiuiduũ ut in actu, sed est in actu per formam, & non per materiam, ergo indiuiduum est indiuiduum per formam, & nõ per materiam, vndè ex hac & alijs consimilibus, quas lector apud eum uidere poterit, concludit, quod forma est per se causa indiuiduationis, non autem materia.

Horum

Horum opinio refellitur. Cap. 8.

SED neque hi *Aristotelis mentem sunt assecuti, quod ex eo ostenditur, quoniam Philosophus definiens unum numero ipsum definiuit per materiam, non per formam, & primo Cęl. 93. & 94. causam assignans propter quam mundus est numero unus, pariter & hic homo materiam assignauit. certum est autem, quòd res non definitur per causam per accidens, sed per causam propriam, & per se, & cum assignatur propter quid alicuius rei, non assignatur causa per accidens, sed per se. cum igitur unum numero ab Arist. per materiam definiatur, causavè unitatis numeralis mundi pariter & hominis in materiam referatur, igitur materia unitatis numeralis non est causa per accidens, sed per se, & non solum per se, quinimo causa magis præcipua quàm dicatur esse forma, grauiter profectò accusandus esset Arist. si materia esset causa per accidens unitatis numeralis, forma uero per se, quòd in definiendo unum numero, & in assignanda causa ipsius prætermisisset causam per se, & aßignasset semper causam per accidens, utpote materiam. nec miretur aliquis si sæpè ad hæc confugimus loca, et sæpè confugiemus, quoniam præcipua sunt nostræ opinionis fundamenta. Cæterum ad definitionem illam unius numero traditam quinto Meth. 12. respondet Achillinus, dicens, quòd illa definitio intelligitur de ijs, quæ sunt unum numero per accidens, quæ cum sint formaliter distincta, ad unum esse minimè reduci poßunt, nisi quia materia est una. sicut albedo & dulcedoq, ua sunt formaliter distincta, non fiunt unum nisi quia materia est una, & dicuntur unum numero per accidens. quoniam sunt unum subiecto: & de hoc, inquit, intelligit Aristo. in eo loco, non de uno numero per se, de quo sermo habteur. Sed hæc responsio falsa est. nam cum Philosophus ab initio illius capitis differere proposuißet de uno, diuisissetque unum in unum per se, & unum per accidens, cępit declarare quid sit unum per accidens: quo declarato, unum per se declarare incępit, & illud diuisit in unum genere, unum specie, unum numero, & unum analogia, & singula membra definiuit: igitur Philosophus illud unum numero definiuit, quod est membrũ unius per se, & non per accidens, quare definiuit unum numero per se, & non per accidens. prætereà postquam Philosophus definiuit unum numero, inuicem comparauit unum numero, & unum specie, dicens, quod unum specie non infert unum numero, sed unum numero infert unum speciè: tunc sic loquitur Philosophus de uno numero, quod infert unum speciè,*

sed hoc est unum numero per se, non autem per accidens. nam albedo & dulcedo in lacte sunt unum numero per accidens, tamen hoc unum non infert unum specie, quoniam albedo, & dulcedo specie distincta sunt: tandem ut locum loco conferamus, quid dicit Achillinus ad illam Aristotelis authoritatem primo Celi 94. ubi illud idem habet, quod scribit quinto Met. 12. dicit enim ibi, homo est unus numero, quia materia est una. certum est autem, quòd homo est unus numero, per se, igitur & definitio unius numero tradita quinto Met. intelligitur de uno numero per se. ea propter Iuniores quidam nostræ ætatis Philosophi aliam responsionem imaginati sunt, dicentes, quod utique Philosophus eo in loco definiuit unum numero per se. sed illud animaduertere oportet, quòd cum Philosophus definiuit unum numero per materiam, non definiuit illud per materiam tanquam per causam, sed definiuit illud per materiam tanquam per aliquod proprium, & peculiare ipsius. Somniant isti. nam si Philosophus non definiuit unum numero per materiam tanquam per causam, sed tanquam per aliquod peculiare, & proprium: igitur Philosophus perfectè non declarasset quid sit unum numero, sicut proposuit: deducitur consequentia. nam perfecta cognitio unius numero, sicut & uniuscuiusque rei habentis causa non habetur per propriam & peculiare, sed per causam propriam à qua dependet. quinimo cum semper vbicunque Philosophus declarat vnum numero, ipsum explicet per materiam, si materia non dicit causam ipsius, sed tantum proprium quoddam & peculiare. igitur Aristo. solum assignauit proprium unius, & nunquam causam, quod tamen debuit, & magis. Secundo ostendo, quòd ista definitio, unum numero est, cuius materia est una, dicat causam, & non proprium, & considero Aristotelis dictum primo Celi 93. & 94. ubi refert unitatem numeralem mundi & hominis in materiam, aut materia dicit causam, aut proprium, & peculiare: si primo habetur intentum: si secundo, quæro de causa pro fectò assignari non potest, nisi forma: sed contra, forma non est una numero, nisi quia materia est una, ut exemplo similitatis declarat Aristote. in 94. igitur unitas numeralis compositi non pendet ex vnitate formæ, nisi quia vnitas numeralis formæ pendet ex vnitate materiæ: ergo materia non dicit proprium, sed causam quinimo præcipuam vnius numero. Quod considerans Auerro. in Comment. 95. dixit, rationem illam Aristotelis desumptam à materia ad probandum mundum esse numero vnum esse demonstrationem propter quid. certum est autem, quòd demonstratio propter quid non est per propriam, & aliquod peculiare, sed per causam propriam: postremo, diuersitas materiæ

est causa diuersitatis numeralis: igitur vnitas materiæ est causa vnitatis numeralis. antecedens est Aristotelis septimo Meth. 28. vbi inquit, Socrates & Callias diuersa sunt propter materiam, quòd etiam testatum reliquit primo Cęli 94. dicens, non existente diuersitate materiæ, impossibile est esse diuersitatem numeralem, aut formarum, aut compositorum. consequentia est Aristotelis loco nuper citato, ex quo discursu te illud colligere volo Achillinum & Simonem Portium ab Arist. plurimum deuiasse, affirmantes, ꝙ differentia est inter eße principiũ vnitatis numeralis, et eße principiũ diuersitatis numeralis: nã principium unitatis numeralis est forma, principiũ verò diuersitatis numeralis indiuiduorũ sub eadẽ specie est diuersitas materiæ, ità, vt secundũ istos hoc pacto dicendũ sit, illud est vnũ numero, cuius forma est vna, & diuersa numero, quorũ materiæ sunt diuersæ, cũ tamen Ari. iterũ atque iterũ dicat, diuersa numero sunt, quorũ materiæ sunt diuersæ, & vnũ numero, cuius materia est una, & proindè diuersitatem numeralem, pariter & unitatem non ad diuersa referat principia, sed ad unum, utpotè ad materiam, quæ secundum rationes diuersas oppositorum causa esse potest, ut unitatis, & diuersitatis numeralis, quod dicere tantum timuit Simon Portius, & hæc de prima ratione, quam ità confirmatam esse opinor, ut in præsentia alias afferre minime opus sit: illud tamen silentio præterire minimè volo, quòd in eo quoque Achillinus mihi maximè damnãdus videtur, quòd in re hac Auerrois authoritatibus potissimum innitatur. nam licet in omni philosophandi genere ad Aristotelis doctrinam tanquam ad saxum adhærere debeamus, non tamen decet nos eodem modo eius interpretibus astrictos teneri: adde quòd ex eo nihil firmi nihilvè certi hac de re colligere potest, cum modo ad unam, modo ad alteram partem declinare videatur, ut superius ostensum fuit. quæ cum ità se habeant, nunc eorum rationes dissoluamus: & ad primam plusquam Commen. dicendum, quod si materia secundum se consideretur, ut pręscindit ab omnibus dispositionibus, ut sic communis est, & indifferens ad omnes formas recipiendas, & hoc pacto non est principium indiuiduationis, ut probat argumentum: si uerò spectetur & ipsa, ut certis dispositionibus affecta est, & exornata, ut sic propria est, & incommunicabilis tum respectu formæ, tum respectu sui ipsius: respectu quidem formę, quoniam vt sic diuersis formis neque simul, neque successiuè communicari potest, sed vnius tantum formæ propria est: respectu sui, quoniam ita se habens in plures materiæ partes eiusdem rationis diuidi minimè potest, quoniam ex ijs proprietatibus consistit, quarum collectio in alia esse non potest, & propterea sub hac ra-
tione

ctione conceptu communi concipi nequit, & hoc pacto unitatis numeralis, & indiuiduationis & formarum, & compositorum principium extat, nec officit secunda: nam cum dicitur indiuiduum dicitur indiuiduum, quia non diuiditur, respondeo quod indiuiduum non dicitur indiuiduum, quia in partes diuidi non possit, quoniam hoc modo diuidi potest, cum sit quantum, & diuisionis capax: sed dicitur indiuiduum, quia in plura indiuidua eiusdem rationis diuidi nequit, ut hic homo dicitur indiuiduus, quia in plures homines diuidi minimè potest, & ex his constat proprietatibus quarum complexio in alio esse nō potest, ut inquit Porphirius, & propterea non dicitur indiuiduum & vnum simpliciter, sed unum numero, hoc est in plura indiuisibile sub eadem specie, & totum hoc à materia signata primo proficiscitur, non à forma. undè illud hoc in loco animaduertit, quod species dicitur athoma, & indiuisibilis, quia in plura differentia secundum formam diuidi nequit. & propterea indiuisibilis secundum formam ab Aristo. tertio Met. 11. appellatur, est autem diuisibilis in plura eiusdem rationis, ut homo diuiditur in plures particulares homines, indiuiduum uero utroque modo indiuisibile est: neque in plura eiusdem rationis, & propterea indiuiduum est magis unum quàm species, quoniam magis indiuisibile, non tamen simpliciter est unum, quoniam quantum est, & in plures partes distrahi potest. Nunc ad Achillinum me uerto, & ad primam rationem negatur minor: ad probationem cum dicebatur actus est qui separat, & distinguit. respondetur, ista propositio, intelligitur de distinctione specifica, non numerali. ità quoque Auerro. authoritas intelligitur: & quis est, obsecro, ità ingenio rudis, qui hoc non uideat? inquit enim membra cerui differunt à membris Leonis, quia anima differt ab anima: certum est autem, quòd membra Cerui, & membra Leonis specie distinguntur, & talem distinctionem prouenire ex diuersitate specifica animarum Leonis & Cerui. ad alias Auerrois authoritates, reijciuntur omnes illæ Auerrois authoritates, ad illam autem rationem qua vtitur 2. de Anima 9. indiuiduum est indiuiduum vt in actu, dico quòd ista est falsa, nam licèt substantia composita indiuidua, & vna numero actu sit, non tamen est primo indiuidua quatenus actu est, sed quatenus talem habet materiam signatam, talique accidentium complexione affectam, quod in alio esse non potest.

Zimaræ opinio. Cap. 9.

OCCVRRIT tandem clarissimus Zimara, quippè qui in proprio quæsito eandem causam egit, sed priusquam suam hac de re sententiam ponat, nonnulla prius animaduertit, ex quibus illud unum est, quod indiuiduum signatum de quo disputatio est, bif. considerari potest, uno quidem modo secundum esse prædicamentale, & Metaphisicum, ut abstrahit ab actuali existentia, & ab accidentibus: alio uerò modo secundum esse Phisicum, prout est in effectu coniunctum cum transmutatione, & accidentibus, quod cum sit aggregatum per accidens, nec dicat conceptum per se unum non reponitur in prædicamento, quo habito, pro dubitationis resolutione tres ponit conclusiones, quarum prima huiusmodi est, si consideretur indiuiduum, vt habet esse Metaphisicum, & prædicamentale principia intrinseca, & per se indiuiduationis sunt materia, & forma. quam conclusionem ità probat, principia per essentiæ rei, sunt per se principia indiuiduationis, & unitatis numeralis rei, si quidem ex quarto Meth. 3 ens & vnum idem sunt, & idem est homo, ens homo, & unus homo, & proindè animo consequi minimè potest, quod aliqua sint principia entitatis rei, & non sint principia vnitatis rei, sed materia & forma sunt principia per se entitatis compositi: igitur sunt principia per se unitatis numeralis eiusdem. Alia conclusio huiusmodi est, licet materia & forma sint per se principia indiuiduationis, comparando tamen adinuicem materiam & formam, forma est præcipua indiuiduationis causa, materia uerò secundaria, & minus præcipua. quam conclusionem ita persuadet, illud est prima indiuiduationis causa, à quo primo res habet hoc esse, & vnum esse, atqui hoc esse, & unum eße res primo & principaliter habet à forma: igitur forma est prima & principalis indiuiduationis causa. maior patet, quoniam indiuiduum dicit hoc esse, & unum esse. minorem probat ex Aristo. secundo de Anima secundo, ubi inquit, quòd forma est substantia, per quam est hoc aliquid, pariter ex Auerro. eodem libro Comment. 8. & 3. Phisicorum 68. ubi habet, quod omnis res est una per suam formam. utitur & alia ratione, quæ huiusmodi est, quo primo & principaliter vnum indiuiduum distinguitur ab alio, illud est prima indiuiduationis causa, quoniam idem est principium distinguendi primum, pariter & eßendi, sed per formam primo & principaliter unum indiuiduum ab alio distinguitur: igitur forma & principalis indiuiduationis causa. probatur minor, quoniam actus est qui separat, & qui distinguit:

distinguit: probatur etiam hoc pacto, sicut se habent materia & forma in communi ad compositũ in communi, ità materia, & forma in particulari ad compositum in particulari, sed per formam in communi per prius distinguitur compositum in commmuni, ergo à pari per formam in particulari per prius distinguitur compositum in particulari, & consequenter per formam ipsam per prius constituitur in esse indiuiduo. Tertia conclusio est hæc, principia indiuiduationis extrinseca, necessario tamen requisita sunt ipsum agens, quantitas, & breuiter omnia alia accidentia, quæ concurrunt ad esse indiuidui. quæ conclusio ita probatur, quæcunque non sunt de intrinseca ratione indiuidui, neque partes essentiales ipsius, sine quibus tamen indiuiduum non fieret in effectu, illa sunt principia indiuiduationis extrinseca, & sicut conditiones necessariò requisitæ, sed agens, quantitas, cæteræque dispositiones non sunt de intrinseca ratione indiuidui, neque partes essentiales ipsius, ergo &c. & in his consistit tota Zimaræ sententia de principio indiuiduationis.

Zimaræ opinio refellitur. Cap. 10

LATISSIMVS hic mihi sese offert campus redarguendi Zimaram, si quidem omnia eius dicta falsa sunt, & ab Arist. aliena, & primò quidem falsum est dictum illud, cum inquit dari indiuiduum signatum substantiæ, secluso quolibet accidente, ut superque satis proprio capite demonstratum fuit: ad quem locum Lectorem reijcimus, & consequenter falsa est prima eius conclusio in eo sensu, quo ab ipso prolata est, nimirum quod materia, & forma sint per se principia indiuiduationis, seclusa qualibet re alterius prædicamenti, & seclusis accidentibus. falsa quinetiam est secunda Zimaræ conclusio, cum inquit, quod licet materia & forma sint per se principia indiuiduationis, forma tamen est præcipua indiuiduationis causa, materia uero secundaria, & minus præcipua. tantum abest ut conclusio ista sit de Aristotelis sententia, ut potius secundum Arist. res opposito modo sese habeat, videlicet quod materia est præcipua indiuiduationis causa. forma uero secundaria, quod ita ostendo, illud est magis intima, & magis præcipua causa alicuius rei, per quod res ipsa definitur, siquidem definitio, & quod quid est rei non datur per causam secundariam, & minus intimam rei, unum numero ab Arist. definitur per materiam, non per formam: igitur causa magis intima, & magis præcipua indiuiduationis est materia, et non forma. confirmatur, Demonstratio propter quid non fit per causam secundariam, sed

fiderentur non sunt primo diuersæ, sed sunt unius, & eiusdem rationis, & sub hac ratione, ab eis non sumitur differentia indiuiduorum: si uero secundo modo considerentur, ut sic sunt primo diuersæ, et seipsis distinctæ, & sub hac ratione ab Arist. indiuidua eiusdem speciei differre dicuntur. unumquodque enim indiuiduum talem habet materiam signatam, et tali accidentium complexione dispositam, quòd aliud indiuiduum in ea communicare nõ potest. et hunc in modum nodus iste mea quidem sententia dissolui debet.

Auerrois opinio perpenditur. Cap. 6.

AVERROES in hac difficultate mihi maximè varius, atque ambiguus esse uidetur. nam 5, Met. 12. iuxta textum Aristo. inquit, quod unum numero est, cuius materia est una. & primo Cœli com. 95. inquit, quod ratio desumpta à materia ad probandum numeralem mundi unitatem dicit causam, & propter quid: & lib. de somno & uigilia scribit, quòd formæ per materiam indiuiduantur, quibus in locis uelle uidetur materiam esse indiuiduationis principium. huius tamen oppositum scribit 2. de Anima 9. ubi quoque rationem ponit, dicens, indiuiduum est indiuiduum per formam non per materiam: ratio, inquit, est, quoniam indiuiduum est indiuiduum ut in actu, sed est in actu per formam, non per materiam, ergo est indiuiduum per formam, non per materiam: quod est inficias ire, quod alibi affirmauerat. Zimara Auerrois doctrinæ maximè addictus, pugnantia hæc loca hunc in modum componere nixus est. quod indiuiduum dicitur tale per formam & per materiam, sed primo & principaliter per formam, secundariò uerò per materiam: cum ergo Auer. inquit, quod indiuiduum est per formam, id principaliter intelligendum est, cum uerò per materiam secundario, & ita nulla est, inquit, in Auer. repugnantia. Sed Zimara non uindicat Auerroem à contradictione, & parcat mihi, parum accuratè obseruauit rationem illam 2. de Anima 9. nam Auer. ita ratiocinatur. indiuiduum est indiuiduum ut in actu, sed est in actu per formam, non per materiam, ergo est indiuiduum per formam, & non per materiam. iam uerò de ipsius Auer. sententia indiuiduum est actu solum per formã, & et non per materiam, ergo indiuiduum est solum per formam: quod uerò indiuiduum secũdum Auer. solum actu sit per formam, et nõ per materiam, ex ipsomet probatur eodem 2. de Anima com. 8. ubi conclusionem illam probat his uerbis. materia enim secundum quod materia in rebus naturalibus non habet esse in actu, sed potentia: & esse in actu

non est nisi formæ, & hoc ualde manifestum est in formis rerum simplicium, quoniam cum fuerit forma ablata nihil remanet. discursus consistit in hoc, illud, quo posito ponitur res, & quo ablato, quouis alio remanente, res ipsa tollitur, & aufertur, est causa præcisa, & adæquata alicuius rei, sed posita forma statim res ponitur in actu. posita autem materia nullo modo res ponitur in actu, quod explicat, cum inquit, materia secundum quòd materia in rebus naturalibus non habet esse nisi in potentia non in actu, quasi dicat, posita materia res solum est in potentia non in actu, quod etiam declarauit 7. Met. 37. ablata uerò forma quamuis superstes remaneat materia omnino tollitur res, quod explicat, cum inquit, quoniam cum fuerit forma ablata, nihil remanet. igitur forma est causa præcisa, & adæquata, ut indiuiduum sit in actu, et per consequens secundum ipsum sola forma est causa, vt indiuiduũ sit indiuiduũ. igitur cũ dicit Auer. indiuiduũ est indiuiduũ per formã nõ per materiam, illa negatio non excludit materiam à principio per se indiuiduationis quò ad eſse principale, vt inquit Zim. sed absolutè, cuius oppopositum alibi affirmauit. præterea dato, quòd illud Auer. dictum secundo de Anima 9. ita intelligi debeat, quòd indiuiduum est indiuiduum per formam, non absolutè, sed principaliter adhuc Auerro. à contradictione vindicari non potest, quoniam alibi statuit ipse, quòd per materiam principaliter indiuiduum est indiuiduum: nam in lib. de somno & vigil. cum declaraſset, quòd intelligentię non producunt formas secundum gradum particularem, cum illas non cognoscant sub ratione particulari: declarauit per quid formæ ipsæ indiuiduantur, & inquit, quòd formæ per materiam indiuiduantur: etenim cum in materia recipiantur signata, & particulari, recipiuntur signatè, & particulariter, ex quo loco nemo est, qui non intelligat Auerroem voluiſse materiam eſse causam principalem indiuiduationis: nam si, vt inquit, materia est causa indiuiduationis formæ, & forma est causa indiuiduationis compositi: igitur materia est causa prima indiuiduationis compositi. extat præterea in confirmationem huius alius locus primo Cœl. 95. ubi inquit, quòd demonstratio ea in parte ab Aristo. sumpta ex materia ad probandum mundum eſse vnum numero, est demonstratio propter quid: igitur secundum Auerro. demonstratio qua probatur de substantia materiali vnum numero per materiam, est demonstratio propter quid, sed demõstratio propter quid est per causam principalem, & non secundariam, quarè secundum Auerr. indiuiduum est indiuiduum per materiam principaliter, & cum secundum mirabilem Zimaræ expositionem secundo de Anima 9. dixerit, quòd est per formam principaliter: igitur Auerr.

à seipso dissentit, ex qua ratione ea quoque diluitur responsio, quæ afferri posset, quòd cum inquit Auer. 2. de anima 9. indiuiduum esse indiuiduum per formam, intelligit per se: cum uerò alibi dicit, quòd per materiam intelligit per accidens. si quidem demonstratio propter quid nõ est per causam per accidens, sed per ipsum ratio sumpta à materia ad probandum unum numero est demonstratio propter quid. igitur ratio sumpta non est per causam per accidens, atque ità dici minimè potest Auerro. voluiße vnum numero esse per materiam per accidens. sed fortè quispiam pro salute Auerrois adhuc dicere poßet, quòd indiuiduum bif. considerari potest, uno modo pro natura subiecta indiuisioni, alio modo pro ipsa indiuisione: iam uerò cum dicit secundo de Anima, dicit Auerro. quòd indiuiduum est per formam, non per materiam, accipit indiuiduum primo modo, quoniam substãtia quæ est indiuisioni subiecta, est per formam, non per materiam, vt supra dictum est: cum verò alibi dicit, quòd est per materiam, intelligit quò ad indiuisionem ipsam. sed nec ista responsio satisfacit, quoniam ut eius uerba apertissimè ostendunt, Auerro. accipit indiuiduum secundo modo, quia ità concludit: ergo indiuiduum est indiuiduum per formam, igitur accipit indiuiduum, vt indiuiduum est, & quò ad ipsam indiuisionem. secundo & fortius, si Auerro. acciperet indiuiduum quò ad substantiam subiectam indiuisioni, tunc idem esset medium, & quęsitum. deducitur consequentia, quoniam ità ratiocinatur, indiuiduum est indiuiduum quatenus est in actu, sed est in actu per formam, ergo est indiuiduum per formam: accipit enim pro medio eße in actu, quòd si accipiat esse indiuiduum pro esse substantia in actu, perindè erit ac si dixerit, indiuiduum est indiuiduum quatenus est in actu, idest substantia in actu, quatenus in actu, & propterea idem eßet medium, & quæsitum, quamobrem (meo quidem iudicio) Auerro. à contradictione liberari non potest, & si quis est ex modernis qui ipsum tueri queat, ipsum libenter audiam. cum ergo Auerro. hunc in modum perplexus sit, & nihil certi, aut firmi hac in re ex eo haberi, ideò ipsum relinquamus, & ad alios pedem conferamus.

Opinio plusquam Commentatoris, & Achillini, Cap. 7.

PLVSQVAM *Comment. in secundum artis paruę librum Galeni, & Achillinus primo de elementis libro cap. 26. concordes dixerunt, quòd sola forma est per se indiuiduationis principium: ma-*

teria uerò non est indiuiduationis principium nisi per accidens, quatenus est subiectum formę, quæ per se ind uiduationis causa est. quam sententiam & ratione, & authoritate probare conati sunt. & primo plusquam Comment. ità probauit. una materia communis est omnibus formis, & omnibus generabilibus, et corruptibilibus, una autem forma est, unius tantum materiæ, igitur principium per se indiuiduationis est forma, & non materia. probatur antecedens quò ad utramque partem. nam una, & eadem materia subiecta est pluribus, quinimmò infinitis formis, & si non simul, saltem successiuè. at vna forma neque simul neque successiuè pluribus materiebus cōmunicari potest. deducitur consequentia, nam indiuiduum dicit esse indiuisum, & in communicabile, igitur quòd à se magis indiuisum est, & incommunicabile indiuiduationis per se principium statui debet, sed hoc est forma, & non materia ut probatum est: igitur forma & nō materia per se causa indiuiduationis erit. secundo sic deducitur, nihil potest alterum constituere sub ratione opposita suæ naturæ, materia communis est, & esse incommunicabile, & indiuiduum est ratio ei opposita: igitur materia non potest quippiam sub esse indiuiduo, & incommunicabili, hoc igitur pręstabit forma, quæ propria & incommunicabilis est. præterea indiuiduum inquantum indiuiduum non diuiditur, cum de ratione indiuidui sit esse indiuisibile à se, sed hoc habet à forma, non à materia, cum potius secundum materiā diuidatur: igitur esse indiuiduum habet à forma, non autē a materia, hæc plusquam Comment. & quædam alia quæ breuitatis causa prætermitto. Achillinus autem ità probauit, illud indiuiduationis per se principiū statui debet, per quod unum indiuiduum ab alio distinguitur, quoniam idē est principium distinguēdi à priori, & principium essendi, sed per formam vnum indiuiduum distinguitur ab alio, non autem per materiam: igitur indiuiduationis per se principium est forma, & non materia. probatur minor ex Arist. 7. Met. 49. vbi inquit, actus est qui separat, & qui distinguit, & ex Auerro. primo de Anima 53. vbi habet, membra cerui non differunt a membris Leonis, nisi quia anima differt ab anima, prætereà id probat Achillinus innumeris ferè Auerro. authoritatibus, ex quibus breuitatis causa illam tantum recensebo, quā cum ratione posuit Auerro. secundo de Anima 9. inquit enim indiuiduum est indiuiduū per formam, & non per materiam: ratio, quia indiuiduum est indiuiduū ut in actu, sed est in actu per formam, & non per materiam, ergo indiuiduum est indiuiduum per formam, & nō per materiam, vndè ex hac & alijs consimilibus, quas lector apud eum uidere poterit, concludit, quod forma est per se causa indiuiduationis, non autem materia.

Horum

Horum opinio refellitur. Cap. 8.

SED neque hi Aristotelis mentem sunt assecuti, quod ex eo ostenditur, quoniam Philosophus definiens unum numero ipsum definiuit per materiam, non per formam, & primo Cęl. 93. & 94. causam assignans propter quam mundus est numero unus, pariter & hic homo materiam assignauit. certum est autem, quòd res non definitur per causam per accidens, sed per causam propriam, & per se, & cum assignatur propter quid alicuius rei, non assignatur causa per accidens, sed per se. cum igitur unum numero ab Arist. per materiam definiatur, causavè unitatis numeralis mundi pariter & hominis in materiam referatur, igitur materia unitatis numeralis non est causa per accidens, sed per se, & non solum per se, quinimo causa magis præcipua quàm dicatur eße forma, grauiter profectò accusandus esset Arist. si materia esset causa per accidens unitatis numeralis, forma uero per se, quòd in definiendo unum numero, & in assignanda causa ipsius prætermisisset causam per se, & aßignasset semper causam per accidens, utpote materiam. nec miretur aliquis si sæpè ad hæc confugimus loca, et sæpè confugiemus, quoniam præcipua sunt nostræ opinionis fundamenta. Cæterum ad definitionem illam unius numero traditam quinto Meth. 12. respondet Achillinus, dicens, quòd illa definitio intelligitur de ijs, quæ sunt unum numero per accidens, quæ cum sint formaliter distincta, ad unum eße minimè reduci poßunt, nisi quia materia est una. sicut albedo & dulcedoq, ua sunt formaliter distincta, non fiunt unum nisi quia materia est una, & dicuntur unum numero per accidens. quoniam sunt unum subiecto: & de hoc, inquit, intelligit Aristo. in eo loco, non de uno numero per se, de quo sermo habtetur. Sed hæc responsio falsa est. nam cum Philosophus ab initio illius capitis differere proposuißet de uno, diuisissetque unum in unum per se, & unum per accidens, cępit declarare quid sit unum per accidens: quo declarato, unum per se declarare incępit, & illud diuisit in unum genere, unum specie, unum numero, & unum analogia, & singula membra definiuit: igitur Philosophus illud unum numero definiuit, quod est membrũ unius per se, & non per accidens, quare definiuit unum numero per se, & non per accidens. præterea postquam Philosophus definiuit unum numero, inuicem comparauit unum numero, & unum specie, dicens, quod unum specie non infert unum numero, sed unum numero infert unum specie: tunc sic loquitur Philosophus de uno numero, quod infert unum specie,

sed

sed hoc est unum numero per se, non autem per accidens. nam albedo & dulcedo in lacte sunt unum numero per accidens, tamen hoc unum non infert unum specie, quoniam albedo, & dulcedo specie distincta sunt: tandem ut locum loco conferamus, quid dicit Achillinus ad illam Aristotelis authoritatem primo Cęli 94. ubi illud idem habet, quod scribit quinto Met. 12. dicit enim ibi, homo est unus numero, quia materia est una. certum est autem, quòd homo est unus numero, per se, igitur & definitio unius numero tradita quinto Met. intelligitur de uno numero per se. ea propter Iuniores quidam nostræ ætatis Philosophi aliam responsionem imaginati sunt, dicentes, quod utique Philosophus eo in loco definiuit unum numero per se. sed illud animaduertere oportet, quòd cum Philosophus definiuit unum numero per materiam, non definiuit illud per materiam tanquam per causam, sed definiuit illud per materiam tanquam per aliquod proprium, & peculiare ipsius. Sõniant isti, nam si Philosophus non definiuit unum numero per materiam tanquam per causam, sed tanquam per aliquod peculiare, & proprium: igitur Philosophus perfectè non declarasset quid sit unum numero, sicut proposuit: deducitur consequentia. nam perfecta cognitio unius numero, sicut & uniuscuiusque rei habentis causa non habetur per propriam & peculiare, sed per causam propriam à qua dependet. quinimo cum semper vbicunque Philosophus declarat vnum numero, ipsum explicet per materiam, si materia non dicit causam ipsius, sed tantum proprium quoddam & peculiare. igitur Aristo. solum assignauit proprium unius, & nunquam causam, quod tamen debuit, & magis. Secundo ostendo, quod ista definitio, unum numero est, cuius materia est una, dicat causam, & non proprium, & considero Aristotelis dictum primo Cęli 93. & 94. ubi refert unitatem numeralem mundi & hominis in materiam, aut materia dicit causam, aut proprium, & peculiare: si primo habetur intentum: si secundo, quæro de causa profectò assignari non potest, nisi forma: sed contra, forma non est una numero, nisi quia materia est una, ut exemplo similitatis declarat Aristote. in 94. igitur unitas numeralis compositi non pendet ex vnitate formæ, nisi quia vnitas numeralis formæ pendet ex vnitate materiæ. ergo materia non dicit proprium, sed causam quinimo. præcipuam vnius numero. Quod considerans Auerro. in Comment. 95. dixit, rationem illam Aristotelis desumptam à materia ad probandum mundum esse numero vnum esse demonstrationem propter quid. certum est autem, quòd demonstratio propter quid non est per propriam, & aliquod peculiare, sed per causam propriam: postremo, diuersitas materiæ

est

est causa diuersitatis numeralis: igitur vnitas materiæ est causa vnitatis numeralis. antecedens est Aristotelis septimo Meth. 28. vbi inquit, Socrates & Callias diuersa sunt propter materiam, quòd etiam testatum reliquit primo Cæli 94. dicens, non existente diuersitate materiæ, impossibile est esse diuersitatem numeralem, aut formarum, aut compositorum. consequentia est Aristotelis loco nuper citato, ex quo discursu te illud colligere volo Achillinum & Simonem Portium ab Aristot. plurimum deuiasse, affirmantes, quòd differentia est inter esse principiũ vnitatis numeralis, et esse principiũ diuersitatis numeralis: nã principium unitatis numeralis est forma, principiũ verò diuersitatis numeralis indiuiduorũ sub eadẽ specie est diuersitas materiæ, ità, vt secundũ istos hoc pacto dicendũ sit, illud est vnũ numero, cuius forma est vna, & diuersa numero, quorũ materiæ sunt diuersæ, cũ tamen Ari. iterũ atque iterũ dicat, diuersa numero sunt, quorũ materiæ sunt diuersæ, & vnũ numero, cuius materia est una, & proindè diuersitatem numeralem, pariter & unitatem non ad diuersa referat principia, sed ad unum, utpotè ad materiam, quæ secundum rationes diuersas oppositorum causa esse potest, ut unitatis, & diuersitatis numeralis, quod dicere tantum timuit Simon Portius, & hæc de prima ratione, quam ità confirmatam esse opinor, ut in præsentia alias afferre minime opus sit: illud tamen silentio præterire minimè volo, quòd in eo quoque Achillinus mihi maximè damnãdus videtur, quòd in re hac Auerrois authoritatibus potissimum innitatur. nam licet in omni philosophandi genere ad Aristotelis doctrinam tanquam ad saxum adhærere debeamus, non tamen decet nos eodem modo eius interpretibus astrictos teneri: adde quòd ex eo nihil firmi nihilvè certi hac de re colligere potest, cum modo ad unam, modo ad alteram partem declinare videatur, ut superius ostensum fuit. quæ cum ità se habeant, nunc eorum rationes dissoluamus: & ad primam plusquam Commen. dicendum, quod si materia secundum se consideretur, ut præscindit ab omnibus dispositionibus, ut sic communis est, & indifferens ad omnes formas recipiendas, & hoc pacto non est principium indiuiduationis, ut probat argumentum: si uerò spectetur & ipsa, ut certis dispositionibus affecta est, & exornata, ut sic propria est, & incommunicabilis tum respectu formæ, tum respectu sui ipsius: respectu quidem formæ, quoniam vt sic diuersis formis neque simul, neque successiuè communicari potest, sed vnius tantum formæ propria est: respectu sui, quoniam ita se habens in plures materiæ partes eiusdem rationis diuidi minimè potest, quoniam ex ijs proprietatibus consistit, quarum collectio in alia esse non potest, & propterea sub hac ratione

ctione conceptu communi concipi nequit, & hoc pacto unitatis numeralis, & indiuiduationis & formarum, & compositorum principium extat, nec officit secunda: nam cum dicitur indiuiduum dicitur indiuiduum, quia non diuiditur, respondeo quod indiuiduum non dicitur indiuiduum, quia in partes diuidi non possit, quoniam hoc modo diuidi potest, cum sit quantum, & diuisionis capax: sed dicitur indiuiduum, quia in plura indiuidua eiusdem rationis diuidi nequit, ut hic homo dicitur indiuiduus, quia in plures homines diuidi minimè potest, & ex his constat proprietatibus quarum complexio in alio esse nō potest, ut inquit Porphirius, & propterea non dicitur indiuiduum & vnum simpliciter, sed unum numero, hoc est in plura indiuisibile sub eadem specie, & totum hoc à materia signata primo proficiscitur, non à forma. undè illud hoc in loco animaduertit, quod species dicitur athoma, & indiuisibilis, quia in plura differentia secundum formam diuidi nequit. & propterea indiuisibilis secundum formam ab Aristo. tertio Met. 11. appellatur, est autem diuisibilis in plura eiusdem rationis, ut homo diuiditur in plures particulares homines, indiuiduum uero utroque modo indiuisibile est: neque in plura eiusdem rationis, & propterea indiuiduum est magis unum quàm species, quoniam magis indiuisibile, non tamen simpliciter est unum, quoniam quantum est, & in plures partes distrahi potest. Nunc ad Achillinum me uerto, & ad primam rationem negatur minor: ad probationem cum dicebatur actus est qui separat, & distinguit. respondetur, ista propositio, intelligitur de distinctione specifica, non numerali. ità quoque Auerro. authoritas intelligitur: & quis est, obsecro, ità ingenio rudis, qui hoc non uideat? inquit enim membra cerui differunt à membris Leonis, quia anima differt ab anima: certum est autem, quòd membra Cerui, & membra Leonis specie distinguntur, & talem distinctionem prouenire ex diuersitate specifica animarum Leonis & Cerui. ad alias Auerrois authoritates, reijciuntur omnes illæ Auerrois authoritates, ad illam autem rationem qua vtitur 2. de Anima 9. indiuiduum est indiuiduum vt in actu, dico quòd ista est falsa, nam licèt substantia composita indiuidua, & vna numero actu sit, non tamen est primo indiuidua quatenus actu est, sed quatenus talem habet materiam signatam, talique accidentium complexione affectam, quod in alio esse non potest.

Zimaræ opinio. Cap. 9.

OCCVRRIT tandem clarissimus Zimara, quippè qui in proprio quæsito eandem causam egit, sed priusquam suam hac de re sententiam ponat, nonnulla prius animaduertit, ex quibus illud unum est, quod indiuiduum signatum de quo disputatio est, bif. considerari potest, uno quidem modo secundum esse prædicamentale; & Metaphisicum, ut abstrahit ab actuali existentia, & ab accidentibus: alio uerò modo secundum esse Phisicum, prout est in effectu coniunctum cum transmutatione, & accidentibus, quod cum sit aggregatum per accidens, nec dicat conceptum per se unum non reponitur in prædicamento, quo habito, pro dubitationis resolutione tres ponit conclusiones, quarum prima huiusmodi est, si consideretur indiuiduum, vt habet esse Metaphisicum, & prædicamentale principia intrinseca, & per se indiuiduationis sunt materia, & forma. quam conclusionem ità probat, principia per essentiæ rei, sunt per se principia indiuiduationis, & unitatis numeralis rei, si quidem ex quarto Meth. 3 ens & vnum idem sunt, & idem est homo, ens homo, & unus homo, & proindè animo consequi minimè potest, quod aliqua sint principia entitatis rei, & non sint principia vnitatis rei, sed materia & forma sunt principia per se entitatis compositi: igitur sunt principia per se unitatis numeralis eiusdem. Alia conclusio huiusmodi est, licet materia & forma sint per se principia indiuiduationis, comparando tamen adinuicem materiam & formam, forma est præcipua indiuiduationis causa, materia uerò secundaria, & minus præcipua. quam conclusionem ita persuadet, illud est prima indiuiduationis causa, à quo primo res habet hoc esse, & vnum esse, atqui hoc esse, & unum eße res primo & principaliter habet à forma: igitur forma est prima & principalis indiuiduationis causa. maior patet, quoniam indiuiduum dicit hoc esse, & unum esse. minorem probat ex Aristo. secundo de Anima secundo, ubi inquit, quòd forma est substantia, per quam est hoc aliquid, pariter ex Auerro. eodem libro Comment. 8. & 3. Phisicorum 68. ubi habet, quod omnis res est una per suam formam. utitur & alia ratione, quæ huiusmodi est, quo primo & principaliter vnum indiuiduum distinguitur ab alio, illud est prima indiuiduationis causa, quoniam idem est principium distinguendi primum, pariter & eßendi, sed per formam primo & principaliter unum indiuiduum ab alio distinguitur: igitur forma & principalis indiuiduationis causa. probatur minor, quoniam actus est qui separat, & qui distinguit:

distinguit: probatur etiam hoc pacto, sicut se habent materia & forma in communi ad compositũ in communi, ita materia, & forma in particulari ad compositum in particulari, sed per formam in communi per prius distinguitur compositum in commmuni, ergo à pari per formam in particulari per prius distinguitur compositum in particulari, & consequenter per formam ipsam per prius constituitur in esse indiuiduo. Tertia conclusio est hæc, principia indiuiduationis extrinseca, necessario tamen requisita sunt ipsum agens, quantitas, & breuiter omnia alia accidentia, quæ concurrunt ad esse indiuidui. quæ conclusio ita probatur, quæcunque non sunt de intrinseca ratione indiuidui, neque partes essentiales ipsius, sine quibus tamen indiuiduum non fieret in effectu, illa sunt principia indiuiduationis extrinseca, & sicut conditiones necessariò requisitæ, sed agens, quantitas, cæteræque dispositiones non sunt de intrinseca ratione indiuidui, neque partes essentiales ipsius, ergo &c. & in his consistit tota Zimaræ sententia de principio indiuiduationis.

Zimaræ opinio refellitur. Cap. 10

LATISSIMVS *hic mihi sese offert campus redarguendi Zimaram, si quidem omnia eius dicta falsa sunt, & ab Arist. aliena, & primò quidem falsum est dictum illud, cum inquit dari indiuiduum signatum substantiæ, secluso quolibet accidente, ut superque satis proprio capite demonstratum fuit: ad quem locum Lectorem reijcimus, & consequenter falsa est prima eius conclusio in eo sensu, quo ab ipso prolata est, nimirum quod materia, & forma sint per se principia indiuiduationis, seclusa qualibet re alterius prædicamenti, & seclusis accidentibus. falsa quinetiam est secunda Zimaræ conclusio, cum inquit, quod licet materia & forma sint per se principia indiuiduationis, forma tamen est præcipua indiuiduationis causa, materia uero secundaria, & minus præcipua. tantum abest ut conclusio ista sit de* Aristotelis *sententia, ut potius secundum Arist. res opposito modo sese habeat, videlicet quod materia est præcipua indiuiduationis causa. forma uero secundaria, quod ita ostendo, illud est magis intima, & magis præcipua causa alicuius rei, per quod res ipsa definitur, siquidem definitio, & quod quid est rei non datur per causam secundariam, & minus intimam rei, unum numero ab Arist. definitur per materiam, non per formam: igitur causa magis intima, & magis præcipua indiuiduationis est materia, et non forma. confirmatur, Demonstratio propter quid non fit per causam secundariam, sed*

per causam magis præcipuam, sed ratio qua probatur de substantiis vnium numero per materiam ex ipso Auer. est demonstratio propter quid. igitur ratio qua probatur unum numero per materiam est per causam magis præcipuam, quare &c. Præterea forma est causa vnitatis numeralis compositi vt est vna numero, quoniam vt communis non potest constituere sub esse incommunicabili, & indiuiduo, quia nihil potest constituere aliquid in aliquo esse, quod repugnat rationi formali ipsius. sed forma est vna numero per materiam, vt alibi à nobis demonstratum est. igitur unum numero est primò & principaliter per materiam, quamobrem cum vnitas numeralis & compositi, & formæ ab Arist. semper in materiam referatur tanquam in causam, & propter quid, igitur materia est præcipua indiuiduationis causa, non forma. quod si à me iterum confirmari desideras, postremo hanc rationem adduco. Quo primo & principaliter indiuidua sub eadem specie distinguntur, eo primò, & principaliter constituuntur. atqui indiuidua eiusdem speciei principaliter per materiam distinguntur, nõ autem per formam: igitur indiuidua principaliter sub eße tali per materiam constituuntur. maior ab ipso conceditur: probatur minor, de qua nobis controuersia est. ex Aristo. in infinitis locis primo C. 94. septimo Met. 28. & in decimo etiam lib. 25. ubi inquit, quòd ideo aliqua differunt specie, quia eorum differentia sumitur à forma. aliqua verò non differunt specie, sed numero, quia eorum differentia sumitur à materia, & ex hoc subinde declarat, quòd masculus & fœmina non differunt specie, sed numero, quoniam eorum differentia sumitur à materia, & tandem ubicunque Philosophus loquitur de diuersitate numerali siuè compositorum, siuè formarum semper assignat materiam pro causa, nec unquam formam, vt patet ijs qui in Aristotelis doctrina versati sunt. itaque cum indiuidua eiusdem speciei per materiam principaliter distinguantur, non autem per formam: igitur principaliter per materiam constituuntur, & non per formam, ut temerè inquit Zimara: Nec postrema eius enunciatio Aristoteleæ doctrinæ consentanea est. quinimo si ad primas radices rem ipsam redigere voluerimus, quantitas, cæteraque materiæ dispositiones sunt radix, & prima indiuiduationis origo, quod breuiter ita probatur. ablata quãtitate, abdicatisque alijs materiæ appendicijs, quocunque alio remanẽte, nõ remanet amplius indiuiduũ, & illis positis statim ponitur indiuiduũ ut cumulatè suo loco demonstratum fuit. igitur quantitas, & alia accidentia materialia sunt prima ratio constitutiua, & quod quid est ipsius indiuidui ut indiuiduum, ita arguit Philosophus secundo de Anima octauo dicens, ablata forma dolabræ non manet amplius do-
labra

labra nisi æquiuocè, igitur forma dolabræ est ratio, & quod quid est ipsius. & in tex. nono, ablato inquit visu non amplius manet oculus, nisi æquiuocè. igitur uisus est substantia secundum rationem ipsius oculi, quamobrem huiusmodi accidentia non sunt principia extrinseca indiuiduationis, & conditiones necessario requisitæ, sed prima ratio constitutiua, & de intrinseca ratione indiuidui. nec miretur quispiam si superius dictum est materiam esse primam indiuiduationis causam, quia illud dixi comparando materiam & formam adinuicem. præterea materiam accepi non præcisè, & secundum se, sed ut signata est & dispositionibus affecta. & hæc de huius uiri, & aliorum placitis dicta sint.

Dilucidatio. Cap. 11.

REiectis aliorum opinionibus, nunc tempus est eam in medium afferre sententiam, quam Aristotelis fuisse opinor. & quoniam in indiuiduo duo considerare valemus & substantiam subiectam indiuiduationi, & ipsam indiuiduationem, vt Philosophiæ studiosis omnis tollatur confusio, vtrunque considerabimus. insuper, quia indiuiduationis principia aut extrinseca aut intrinseca esse possunt, & hæc, & illa nos explicabimus, ijs habitis, prima conclusio huiusmodi sit, si considere tur indiuiduum quò ad substantiam subiectam indiuiduationis principium essendi per se indiuidui, ipsumque cōstituens in esse, sola forma est: materia verò quò ad esse concurrit per accidens, tamquam causa sine qua non, quæ conclusio probatur ex Arist. 2. Phisi. 11. vbi inquit, quòd sicut in artefactis antequam recipiat formam artificialem nihil dicitur esse secūdum artem, vt nihil est lectuli antequam recipiat formam lectuli, etiam si adsit materia, ita in naturalibus nihil est carnis, perpēde illā dictionē [Nihil] antequam recipiat formā carnis, etiam si adsit materia carnis. ex quibus uerbis satis conspicuum est, quòd cum in naturalibus ēt si præsto sit materia, nihil est rei antequam recipiat formā, Philosophū velle, quòd in naturalibus totum esse pendeat à forma, quod etiā uoluit aphr. Alex. 1. lib. paraph. de Anima c. 2. sub finem, cuius verba sunt hæc. sanè igitur veritatem inspicientibus in his rebus quæ ex materia cō stant & forma, id per quod esse cuique est, & speciem & formam esse liquidò constabit. idem voluit Them. 2. de Anima super tex. 2. vbi inquit, hoc discrimine distinguntur materia, & forma, quod à materia res habuerūt ut fierent, à forma verò ut essent, quos secutus est Auer. 2. de Anima 8. materia uerò quò ad esse per se causalitatē non hēt, sed quò ad

hoc

hoc concurrit per accidens tanquam subiectum, & vehiculum formæ, à qua totum esse rei proficiscitur, sed ab ipsa materia res per se hēnt vt fiant, vt ex definitione ipsius 1. Phisi. ab Arist. tradita facile ostenditur, quæ huiusmodi est, materia est primum subiectum ex quo aliquid fit; definitio.n.eius causalitatem ostendit, eo tamen discrimine à priuatione seiungitur, quòd licet ex priuatione per se quoque naturalia fiant, attamen priuatio accedente forma corrumpitur: materia verò eadem adueniente in composito manet. & ob id Philosophus 1. Phisic. 65. dixit, quòd ex materia & forma res per se fiunt, & sunt, quoniam materia non solum manet in fieri, sed etiam manet cum res iam facta est, & absoluta. sed quoniam ens & vnum idem sunt, ideo illud, quod est per se causa entitatis rei, illud quoque est per se causa vnitatis rei: cum autem forma sit per se causa entitatis rei, eadem est per se causa vnitatis, quæ conuertitur cum ente. & sicut materia est causa sine qua non respectu entitatis rei, ita quoque est causa sine qua non respectu huiusmodi unitatis. Alia conclusio, si indiuiduum accipiatur quò ad indiuiduationem, & unitatem numeralem, principia indiuiduationis intrinseca sunt materia signata, & forma: sed materia est causa & præcipua causa, forma verò est causa secundaria, & minus principalis. cuius conclusionis probatio iam satis habetur ex his, quæ superius allata fuere, quæ hoc in loco lubenter prætereo, ne eadem repetantur. solum autem conclusio vt conspicua sit, illustranda est, atque explicanda magis, quod nunc facere aggredior, Materia quæ formarum receptaculū est & domicilium substantia est, quæ secundum seipsam considerata à quantitate, alijsque accidentibus relegata, neque priuationem, neque potentiam ad formam, neque diuisionem habet, sed duntaxat formarum carentiam & negationem secum iunctam tenet, ut benè Græci dicunt interpretes: cum autem ei primum iungitur quantitas extensionem, uel distantiam unius partis ab alia adipiscitur, & in plures diuiditur & multiplicatur partes. duo namque materiæ quantitas elargitur, & extensionem, & diuisionem in plures atque diuersas partes, nec proindè materia quantitate sic insignita propria effecta est, sed adhuc indifferens manet, atque communis, sed cum agentis beneficio in ea propriæ dispositiones introducuntur certo quodam graduum numero, & interuallo, tunc propria efficitur materia, & in ea determinata oritur priuatio atque potentia, quæ res hoc illustrabitur exemplo, cum ab agente per calorem & siccitatem disposita fuerit materia sub ea quidem mensura, quæ igni conuenire uidetur, tunc in ea determinata oritur potentia ad formam ignis, adeoque propria & determinata effici-

tur materia, vt alias formas sub ea manens conditione neque simul, neque successiuè in sui gremio recipere queat: quamobrem ex complexione accidentium, & dispositionum, vt ex tali quantitate, talibus dispositionibus, tali dispositionum mensura, & tali potentia respectiua, quæ actu sunt in materia antè formam substantialem, materia incommunicabilis redditur, & indiuidua, tum quia ita se habens, alteri formæ communicari non potest, tum quia in alias partes eandem accidentiū complexionem habentes diuidi minimè potest: & hæc est vltima materia de qua loquebatur Philosophus 7. Met. 35. dicens, ex vltima materia singulare est: materia enim proprijs dispositionibus affecta vltima est, si quidem ab agente vlteriorem dispositionem non recipit, sed ex ea immediatè forma ad actum deducitur. illud autem animaduerte me notanter dixisse, quòd materia sit incommunicabilis & indiuidua per dispositiones actu existentes in ea antè formam substantialem, quoniam voluit D. Thomas materiam fieri signatam & indiuiduam non propter dispositiones actu in materia existentes, quoniam secundum ipsum nulla dispositio formam substantialem in materia præire potest, sed per habitudinem & potentiam ad hanc quantitatem, aut qualitatē, & non ad illam, cuius doctissimi viri sententia mihi non probatur, si quidem ex Arist. secundo Phisicorum 38. effectus in actu requirit causam in actu, signatio, & indiuiduatio materiæ est effectus in actu, ergo habere debet causam in actu: igitur quantitas, & alia accidentia quibus materia redditur signata, & indiuidua, in ea debent esse in actu, & profectò Arist. & veritati semper consentaneum esse dijudicaui, materiam determinari per dispositiones actu existentes in ea ante formam substantialem, & hoc maximè propter actionem agentis æquiuoci, sed de hoc alias. sed circa prius dicta oritur dubitatio. nam ex Arist. septimo Met. context. quarto, substantia est prior accidente, igitur indiuiduum substantiæ prius est indiuiduo accidentis: ergo materia erit indiuidua ante accidentia, & consequenter per accidentia indiuiduari non potest, quia nullus effectus est prior sua causa. respondetur ad hoc, quòd indiuiduum substantiæ bif. considerari potest, uno modo vt substantia est, alio modo vt indiuiduum est. tunc dico, quod vt substantia præcedit indiuiduum accidentis: secundo vero modo non præcedit, quinimmo posterior est, vt à simili paries substantia, est prior albedine, vt albus est posterior albedine, sicut effectus formalis est posterior sua causa formali, ita materia ut substantia præcedit accidentia, & dispositiones, vt autem indiuidua est posterior illis, à quibus secundum hāc rationem dependet tamquam a causa formali: Materia vero ita indi-

uidua-

iiduata, & vna numero existens causa est, vt forma substantialis quæ ex ipsa educitur indiuidua sit, & una numero, vt superius probatum fuit. iam verò hæ duæ naturæ singulares existentes & indiuiduæ compositum faciunt singulare, & indiuiduum: unde inter ista, hęc reperitur series, & ordo, accidentium complexio tamquam radix, & origo est cã indiuiduationis materię, materia ijs signata, & indiuiduata, est causa indiuiduationis formæ. hæ autem sunt causa indiuiduationis compositi, & proinde inuicem comparando materiam & formam, materia signata est principalis indiuiduationis causa compositi, forma verò est causa secundaria, & minus principalis, ex qua determinatione ratio Scoti facilè diluitur, qua probat, quòd materia non potest esse causa indiuiduationis. si materia, inquit, eßet indiuiduationis causa, & vnitatis numeralis compositi, cum materia eadem maneat in genito & corrupto, ergo idem numero erit genitum, & corruptum. deducitur, quia manente eadem causa manet idem effectus. soluitur, materia non est causa indiuiduationis compositi præcisè & secundum se considerata, sed ut signata, & proprijs quibusdam dispositionibus affecta: iam uerò licet in genito & corrupto eadem maneat materia secundum substantiam, non tamen manet secundum easdem dispositiones, quibus mediantibus causa est indiuiduationis compositi, & proinde non sequitur, quod genitum & corruptum sint vnum numero. nam propter ablationem formæ non manet idem secundum substantiam: propter ablationem autem dispositionum ex materia principaliter non manet idem quo ad indiuiduationem, & vnitatem numeralem: uerum enimuero ad indiuiduationem compositi concurrit etiam agens, vt inquit Philosophus 12. Met. 27. sed vt causa extrinseca, & conditio necessario requisita, quatenus in materia accidentium complexionem introducit, quibus materia redditur indiuidua, quæ postea ipsius compositi causa indiuiduationis efficitur, & hanc Arist. in hoc problemate, & non aliam arbitror extitisse sententiam, quicquid alij comminiscantur Philosophi, sed vt vacua mens ab omni ambiguitate reddatur, Zimaræ rationes nunc dissoluamus.

Zimaræ rationum solutio. Cap. 12.

ERAT *prima ratio ad primam conclusionem, principia per se entitatis compositi, sunt per se principia unitatis ipsius, materia & forma sunt huiusmodi, ergo &c. quicquid sit de conclusione in se, ratio non concludit propositum: nam intentio est probare quod*

materia

materia & forma sint per se principia indiuiduationis, & vnitatis numeralis. ratio autem probat, quòd sint principia per se vnitatis quæ conuertitur cum ente, ut patet ex probatione maioris: inquit.n. principia per se entitatis sunt per se principia unitatis, quoniam ens & vnum idem sunt. ratio igitur concludit, quòd sint per se principia unitatis, quæ eadem est cum essentia rei, nõ autem vnitatis numeralis, quæ est ali quod essentiæ super additum, de qua disputatio est. præterea concedamus rationẽ concludere de unitate numerali. ratio probat, quòd sola forma sit causa per se unitatis numeralis, non autem materia. quoniam materia non est causa per se essendi compositi, ut superius ostensum est. unde minor illa quò ad eam partem, in qua dicit, materia est causa per se essendi, falsa est. erat præterea prima ratio ad secundam conclusionem, illud est prima ratio indiuiduationis, à quo per prius res habet hoc eße, & unum esse. sed per prius indiuiduum isthæc habet à forma, ergo &c. ad hãc respõdetur negando minorem. ad probationem dico, quòd Arist. non intelligit, quòd forma sit substantia per quam est hoc aliquid, idest indiuiduum, & unum numero, sed intelligit quòd sit in actu, quod ostẽdo ex ipsomet contex. nam Philosophus diuisa substãtia in materiã, formã, & compositũ, definiuit materiam dicens, materia est substantia quæ secundũ se non est hoc aliquid, sed potentia. accipit igitur Philosophus nõ esse hoc aliquid pro eo quod non est in actu, sed potentia: mox definiuit formã dicens; forma est substantia per quam est hoc aliquid. accipit Philosophus esse hoc aliquid ut cõtradistinguitur ab eo quod nõ est hoc aliquid; sed accipitur hoc pro eo quòd non est in actu, ergo etc. sed nititur Zimara solutionem istam conuellere in hunc modum. eße in actu, & esse incommunicabile, & unum numero ipsius compositi sunt idem. si igitur forma est prima ratio, ut aliquid sit in actu, erit etiam prima ratio, ut sit unũ numero, respondeo, quòd esse in actu, & esse unum numero sunt idem subiecto. formaliter autem distinguntur, nam eße in actu existentiã dicit, indiuiduum autem & unũ numero esse indiuisum a se, & diuisum ab alio, & proinde non ualet, forma est prima, quinimo præcisa causa ut compositum sit in actu. ergo est prima ratio ut sit unum numero: illud enim præcisè attinet ad formã: hoc uerò primò attinet ad materiam. ad Auerrois authoritatem dico, quod si Auer. intelligit de unitate entis, cõceditur, sed nihil ad rẽ: si uero intelligit de unitate numerali, negatur. Ad secũdam uero cũ dicebatur, cõposita in cõmuni seu species per prius distinguntur per formã, ergo et indiuidua sub illis constituta, igitur &c. respondetur, quod sicut species & composita in cõi distinguntur per formas distinctione specifica, ita etiam indiuidua sub illis naturis communibus

nibus constituta distinguuntur per formas distinctione specifica, non autem numerali, gr. exempli sicut leo, & homo distinctione specifica per formas distinguuntur. similiter hic leo, & hic homo distinctione specifica per formas distinguuntur, non autem distinctione numerali. sed hac distinctione siuè indiuidua diuersarum sint specierum, siuè eiusdem speciei, primò distinguuntur per materiam signatam: secundariò uerò per formam, & proinde indiuidua sub esse singulari, & indiuiduo primò constituuntur per materiam, secundariò verò per formam. Ad probationem illam, actus est qui separat, & qui distinguit. plurimos decepit locus iste, sed intelligitur vt dixi de distinctione specifica. Nunc ad vltimę conclusionis rationem deuenio, & cum dicebatur, quantitas, cæterę que materiæ dispositiones non sunt partes essentiales, nec de intrinseca ratione indiuidui, ergo &c. respondetur, indiuiduum substantiæ bif. considerari posse, vno modo secundum rationem substantiæ, alio modo secundum rationem indiuidui: tunc dico quòd si primo modo considerentur, materiæ dispositiones concurrunt ex accidenti, & sicut conditiones necessariò requisitę ad constitutionem substantiæ, & vt sic ad materialis causæ genus referuntur: quæ enim ex parte materiæ se tenent ad materiam reducuntur, sicut ea quæ se tenent ex parte agentis, ad ipsum agens: si verò indiuidum secundo modo consideretur, huiusmodi accidentia sunt principia per se, & de intrinseca ratione ipsius, & vt sic se tenent ex parte formæ, quia illis positis ponitur substantia composita secundum gradum indiuidui, & singularis: illis sublatis manentibus etiam materia, & forma substantiali, non manet amplius substantia singularis, & indiuidua, ratio itaque solum persuadet, quòd huiusmodi accidentia non sunt principia per se indiuidui quo ad gradum substantiæ, non autem quo ad esse indiuiduum, quæ quidem bonus Zimara confundit. & hic quæ de substātiarum materialium indiuiduationis causa dicenda erant, terminum habeant. nunc reliquum est, vt illud exequamur quod secundo loco polliciti sumus.



DE PRINCIPIO INDIVIDVATIONIS SVBSTANTIARVM IMMATERIALIVM,

Opinio Scoti. Cap. I.

CVM priore tractationis parte de substantiæ materialis indiuiduationis causa superque satis locuti simus, nunc mentē altius extollamus. & abstractæ immaterialisque substantię indiuiduationis causam diligenter consideremus, quod erat secundum à nobis in ordine propositum. qua in re discutienda eundem quoque seruabimus ordinem, quo antea vsi sumus: primo enim aliorum opiniones expendemus: deinde quæ nostra sit sententia in medium afferemus. Scotus. 2. sent. lib. dist. 3. q. 7. voluit substantiarum separatarum causam indiuiduationis dissimilem atque diuersam fore: dixit enim, quòd prima intelligentia ratione suæ infinitatis seipsa est indiuidua, & hæc, cæteræ verò intelligentię non seipsis sunt indiuiduæ, sed per aliquod essentiæ superadditum, vt per hęcceitatem, & materiam illam totius, quæ secunda pars conclusionis ita probatur, quod de se est indiuiduum, & singulare sub ratione vniuersali intelligi nequit, quia nihil intelligi potest sub ratione opposita suæ naturæ, secundæ intelligentiæ sub ratione uniuersali concipi possunt: igitur non sunt ex se singulares, & indiuiduæ, sed per aliquod additum. cum autem hoc non possit esse materia ex qua, nec aliquod accidens, erit igitur hæccheitas, & differentia indiuidualis, tametsi opinio ista quo ad primam partem uerissima sit, attamen quo ad alteram partem de alijs intelligentijs falsa est, & ab Aristotele aliena, nec in præsentia probabo hęccheitatem & materiam illam totius secundum Aristotelē non dari, quoniam id superius ostensum fuit, sed solum ostendam secundas intelligentias per differentiam indiuidualem ipsis superadditam minime indiuiduari: hoc autem itá probatur. si secundæ intelligentię essent indiuiduæ per differentiam indiuidualem superadditam quiditati: igitur essent compositę ex quiditate, & differentia contrahente, &

 deter-

determinante quiditatem ad eße singulare. consequens est falsum: igitur & antecedens. probatur falsitas consequentis, quoniam Philosophus 12. Met. 30. determinauit substantias illas mouentes æternas esse actus puros, atque à compositione liberas, & immunes. Cæterum Scotus huic rationi ita respondere videtur, quòd substantiæ separatæ loco citato ab Arist. dicuntur actus puri, & à compositione solutæ, non quidem simpliciter, ità ut omnem compositionis gradum excludant, sed liberæ dicuntur à compositione rei, & rei, & per negationem huius compositionis actus puri dicuntur: admittunt tamen compositionem ex quiditate, & differentia indiuiduali, quæ non est cõpositio rei, & rei, sed realitatis, & realitatis, quam tamen à se abijcit omnino prima intelligẽtia, & propterea ipsa simpliciter dicitur actus purus, & ab omni compositionis gradu libera, & soluta. Sed ista solutio nulla est, quod facile demõstrabo; si illud prius accipiam, quòd substantia separata de qua loquitur Philosophus in tex. 30. quãuè probat esse actũ purũ, liberamq; a materia, & à potentia accipitur communiter, & pro substantia abstracta in genere, & non solum in 30. verum etiam in contex. 41. eodem modo accipitur, quòd ex eo patere potest, quoniam cum Philosophus in tex. 30. probasset substãtiã illã motricẽ æternam esse actũ purum, & à materia solutam, & in 14. eße impartibilem, in 42. contex. inquirit vtrũ sit una, uel plures: & si plures, quot sint. in 43. autem determinat tot esse substãtias mouentes æternas, actus puros, & impartibiles, quot sunt orbes: igitur substãtia separata de qua ante 43. Philosophus demõstrauit eße actũ purũ in 30. & impartibilẽ in 41. est substantia separata in cõmuni ad omnes substantias separatas, quę numerãtur secundũ numerũ orbiũ. insuper Philosophus in text. 29. posita diuisione substantiæ in substantiam sensibilem, quarum altera est æterna, reliqua uerò corruptibilis, et caduca, & in substantiam insensibilem, & immobilem, de insensibili substantia tractare proposuit: cũ autem hanc ex motus æternitate demonstrasset, mox in contex. 30. esse actum purum, eamque à potentia solutã eße probauit. postea in 41. facto Epilogo eam substantiam, quam acceperat in Epilogo impartibilẽ esse demonstrauit: inquit enim, quòd quidem igitur est substantia alia sempiterna & immobilis separata à sensibilibus, manifestũ est ex dictis, & hanc non contingit aliquam magnitudinẽ habere. considera illam dictionem (Hanc) certum est enim illam referri ad eam substantiam immobilem, & separatam, quam acceperat in Epilogo, ex quo progressu sic argumentor. de illa substantia Philosophus probauit esse actum purũ, & impartibilitatem, de qua proposuit agere in 29. & quam epilogauit in 41. sed in 29. de ea substantia insensibili,

&

& immobili agere proposuit, quę est membrum condiuidens substantiam, & est membrum contradistinctum à substantia naturali, & in 41. epilogauit de eadem substantia separata, & à sensibilibus contradistincta, vt patet ex uerbis epilogi nuper citatis: igitur Philosophus probauit in 30. esse actum purum, & in 41. impartibilitatem de substantia sempiterna immobili à substantijs sensibilibus contradistincta. sed hæc est substãtia separata in communi, prout est aggregatum ex omnibus intelligentijs: igitur substantia separata in 30. & in 41. supponit communiter, & pro aggregato ex omnibus intelligentijs, quod erat probandũ, ex quo illud obiter patere velim, quòd tota (vt aiunt) aberrant via Arist. interpretes arbitrati demonstrationẽ 41. 12. Met. qua demonstratur impartibilitas, & demonstrationem 78. 8. Phis. quæ cum illa eadẽ est, esse de prima intelligentia, & de Deo optimo, cum tamen demõstratio vtrobique sit de substantia abstracta communiter accepta, ut probatum est, ad quam solum peruenit Arist. in 8. Phis. nec Deum opt. & primum motorem simpliciter cognouit Arist. nisi in 12. Met. à context. 41. infra substantiarum separatarum pluralitate inuenta, quo iacto principio, cũ Philosophus in 30. concludit, quòd substãtia separata sit actus purus, aut intelligit quòd sit actus purus simpliciter, & libera à cõpositione simpliciter & rei, & rei, & realitatis, & realitatis: aut intelligit, quod solum sit libera à compositione rei, & rei, sed nõ realitatis, & realitatis: si primum, ergo quælibet intelligentia libera est a compositione simpliciter, & consequenter in nulla intelligentia illa differentia indiuidualis adinuenitur: si secundum dicatur, cũ ibi sermo sit de substantia separata in genere, ut etiam Deus opt. comprehenditur, ergo nulla substãtia separata libera est a cõpositione realitatis, & realitatis, & ita neque Deus opt. ab hac compositione immunis erit, cuius oppositum tenet ipse, quare alterũ duorũ dicendum erit, aut quòd omnis intelligentia sit ab omni compositione soluta, aut quòd in Deo opt. sit compositio ex quiditate, & differentia contrahente. quod cum dici minimè possit, primum necessario affirmandum erit: scio Scotũ ab hac ratione ita euasurum, q Philosophus in tex. 30. loquitur de substantia abstracta in genere, ibiq; probat quòd sit actus purus, & libera a compositione non quidem simpliciter, sed solum rei, & rei: hanc enim solum in eo contex. a diuinis mẽtibus remouere in animo erat, quoniam autem in eo contex. a prima intelligentia non reiecerat compositionẽ ex quiditate & differentia indiuiduali, sed solũ rei, & rei, ne quis crederet primã intelligentiam simpliciorem non habere naturam, quam cæteræ habeant intelligentiæ, ideò in cõtex. 49. eiusdem 12. remouet a primo motore solũ, & non ab alijs intelligen-

ligentijs differentiam indiuidualem, cum inquit. Primus motor non habet materiam, ergo vnus tum ratione, tum numero, & per materiam, vt inquit ipse, in q.6. Philosophus intelligit differentiam indiuidualem, quæ materia totius nuncupatur. sed non est solutio hæc digna uiro peripatetico, sed eo, qui ex seipso omnia confingit, & comminiscitur. ostendo ego Philosophum per materiam intelligere materiam partis, et hanc negare à primo motore, quod vt conspicuum fiat, Aristotelis rationem accipio, quæ ità se habet. Quæ sunt specie unum, & numero multa, materiam habent: primus motor non habet materiam, ergo primus motor non est plurificatus. tunc si per materiam Philosophus intelligit illam, per quam sunt numero plura, sed hæc est materia partis, ut superius millies probatum fuit: igitur per materiam Philosophus intelligit materiam partis, & non materiam totius. præterea considero minorem propositionem illius discursus, quæ est, primus motor non habet materiam, & quæro, aut per materiam intelligit materiam partis, aut materiam totius: si primum, habetur propositum: si secundum, hoc erat probandum, nec dicere potest hoc esse probatum in 30. quoniam cum ibi probetur non habere materiam de substantia separata in genere, sequitur vt omnis substantia separata careat materia totius. dicet fortaßè Arist. probare minorem in eo context. 49. cum inquit, [actus enim est,] hoc vtique uerum est, sed tunc quæro, ly actus quo Arist. vtitur pro medio termino, aut supponit pro eodem quem concluserat in 30. de substantia separata in genere, aut pro alio: si pro eodem, cum ibi actus non inferat secundum ipsum carentiam materiæ totius in substantijs separatis, sed solum carentiam materiæ partis: igitur actus acceptus pro medio termino in 94. non infert in primo motore carentiam materiæ totius, sed solum carentiam materiæ partis: si uerò non supponit pro eodem, sed pro actu simpliciter vt omnis compositionis gradum excludit & rei, & rei, & realitatis & realitatis, tunc Arist. peteret. hoc enim probandum erat. ea propter dicendum est, à primo motore Arist. remouere materiam partis, quam reiecerant in 30. à substantia separata in genere, & actus, quo utitur pro medio termino pro eodem supponit cum eo quem concluserat in 30. de eadem substantia separata, ex quo sequitur, quòd sicut actus purus qui affirmatur de primo motore omnem prorsus realem compositionem excludit. ità etiam actus purus qui affirmatur in 30. de aggregato ex omnibus intelligentijs omnem realem compositionem depellit, & consequenter in secundis intelligentijs nulla differentia indiuidualis per quam indiuiduentur, adinuenitur, & dicat quicquid velit Scotus.

Secunda opinio,& eius reprobatio. Cap.2.


NON desuerunt alij, qui dixerunt substantias separatas indiuiduas, & singulares esse per carentiam materiæ, hac ratione forsasse moti, quoniam Philosophus 12. Met. 49. ex carentia materiæ probauit primum motorem esse unum numero tãtum, sic arguens. Primus motor non habet materiam. igitur primus motor est vnus tantum. quare substantiarum separatarum indiuiduationis causa erit negatio, & carentia materiæ, sed nec ista opinio recta est. quoniã vt habetur ex Arist. septimo Met. 41. & 3. de Anima 9. in separatis à materia idem est quiditas, & indiuiduum: sicut igitur quiditas substantiarum separatarum non est per carentiam materiæ, igitur neque indiuiduum, quod idem est cum ipsarum quiditate: præterea est, Aristotelis authoritas 8. Met. ultimo, vbi inquit, quæ neque sensibilem, neque intelligibilem materiam habent, sicut sunt substantiæ separatæ, seipsis sunt ens, & unum, neque alia est assignanda causa suæ vnitatis à sua essentia, & licet huiusmodi authoritas intelligatur de vnitate entis, tamen quia in illis non distinguitur vnum numero ab vno secundum rationem, & entis, cum non distinguatur in illis quiditas & indiuiduum, quinimmo ipsemet Aristoteles significauit in illo contex. 49. cum dixit, primus motor est vnus tum ratione, tum numero: iccircò sicut seipsis sunt vnum vnitate entis, ita etiam seipsis sunt unum numero, & indiuiduæ. non autem per negationem, & carentiem materiæ. Insuper indiuiduum dicit eße indiuisum à se, & diuisum à quolibet alio, tunc sic, quo una intelligentia est diuisa, atque diuersa à qualibet alia, ex eo est indiuidua, & numero vna, sed non est diuersa à qualibet alia per carentiam materiæ: igitur per hanc non est indiuidua, & una numero. probatur minor, quoniam carentia materiæ, est quędam negatio, hæc autem non potest eße primum distinctiuum inter duo positiua, siquidem distinctio inter duo positiua est realis, & positiua: effectus autem realis, & positiuus reducitur in causam realem, & positiuam. unde negatio qua negatur unum positiuum ab alio, neceßario fundatur super aliquod positiuum, per quod distinguitur ab alio positiuo, vt ideo Socrates non est lapis, quia est homo.

Dilucidatio. Cap. 3.

NOS autem cum Aristot. propositam difficultatem determinantes, dicimus, quòd vnaquęque substantia separata seipsa est indiuidua, & una numero, nec indiuiduationis, & unitatis earum alia est assignanda causa, quàm suamet essentia, cuius conclusionis ueritas iam satis patet ex dictis: nam cum substantia separata non sit indiuidua per hæccheitatem, aut per quippiam aliud suæ superadditum quiditati, quoniam tale non reperitur illis, per carentiam materiæ: erit igitur indiuidua seipsa, cuius opinionis fuit etiam Auer. in epithom. Met. tracta. 2. cap. pen. ubi hæc habet: ergo si aliquæ res dantur, quæ neque sensibilem neque intelligibilem materiam habeant, non sunt compositæ, sed actus puri, & causa vnitatis earũ nihil aliud est nisi suamet essentia. eiusdem etiam sentẽtię fuit Beatus Doctor 2. sent. dist. 3. quęstio. prima arti. secundo, ubi sic inquit, Incommunicabilitas, quæ idem est cum indiuiduatione, est in homine, ex eo quod natura sua recepta est in fundamento materiæ, & per materiam determinatur, sed intelligentia ex se ipsa indiuidua est, ex qua determinatione illud colligitur, quòd causa indiuiduationis & vnitatis numeralis substãtiarum materialium, & substantiarum separatarum maximo discrimine seiunguntur. causa enim unitatis numeralis substantiarum materialium est materia: signata substãtiarum uerò separatarum est forma, & quiditas abstracta. & propterea vnitas numeralis substantiarum materialium est unitas materialis, & principium numeri materialis: unitas uerò numeralis substantiarum separatarum est unitas formalis, & principium numeri formalis, & transcendentis, vt etiam declarauit lucidus interpres Themistius primo de Anima cap. 27. dicens, numerus qui ad incorporea pertinet, non constat ex ijs vnitatibus, quæ mortali, corruptibilique tribuuntur, & numerum illum tanquam ex formis collectum formalem seu specificum appellant. quibus ita constitutis, nunc rationes in oppositum persoluamus: & ad primam Scoti rationem nos dicimus, quòd id quod ex se indiuiduum est, intelligi non potest sub ratione uniuersali sumpta ex parte rei: unde cum substantiæ separatæ ex seipsis indiuiduæ sint sub ratione uniuersali sumpta ex parte ipsarum intelligi minimè possent, sed si intelliguntur sub ratione vniuersali, hoc est ex parte intellectus nostri ipsius concipientis sub modo uniuersali secundum similitudinem ad ista inferiora. etenim cum ab intellectu nostra per ista sensibilia intelligantur, simplices cum sint, modo tamen composito, & indiuiduæ cum sint,

modo

modo tamen vniuersali intelliguntur. Ad aliam uerò secundæ opinionis ita respondemus, quod carentia materiæ qua Aristo. utitur pro medio termino ad probandum unitatē primi mouentis non est prima ratio vnitatis, & indiuiduationis ipsius, sed est veluti signum, & id quòd necessario consequitur causam principalem. nam eo quia primus motor est talis naturæ, quod ex se incommunicabilis est, ideò ad ipsum sequitur negatio materiæ, & quantitatis, & non econtra, quia careat materia, ideo sit incommunicabilis, & unus. sic igitur explicata est difficillima hæc quæstio de substantiarum materialium, deque substantiarum separatarum indiuiduationis principio, longè quidem secus atque ab alijs hactenus factum sit, in qua si veritatem aperui (vt opinor) Deo Optimo habeantur gratiæ: sin minus rogo istos fratres nostros, vt ipsi suam scribant opinionem, suasque afferant dubitationes.



DE INDIVIDVATIONIS PRINCIPIO CONTRA SCOTI defensionem peripatetica disputatio.



VM præteritis abhinc annis perdifficilem illam difficultatem de naturæ indiuiduatione pertractassem, inter cæteras opiniones, quæ ab Aristot. sententia mihi dissentire videbantur; Doctoris subtilis opinionem reieci, qui substantiam materialem, & immaterialem; prima excepta, per hecheitatem, quam materiam totius appellauit, vnam numero, indiuiduamque fieri existimauit. cæterum ex eius familia quidam fuerunt, qui uel ut cæteris iusiurandum magis seruare uiderentur, eius sententiam tueri, & à rationibus, quæ contra eius sententiam à nobis allatæ fuerunt, vindicare conati sunt: decreuerā sanè causam hanc amplius agere nolle, cum iam satis Scoti sententiam ab Aristotele quàm longissime recedere me ostendisse putarem. Sed cum nostrarum dilucidationum secundum volumen hoc tempore ædendum eßet, iterum eandem causam agere necessitatem me cogere animaduerti, ne forte cum ob aliam causam id facere renuißem, & ipsi, & qui eiusdem sunt opnionis arbitrarentur Scoti opinionem à rationibus nostris vsque adeo defensam fuisse, ut nihil aut contra Scotum, aut contra ipsorum defensionem dicendum superesset. vt autem ab hoc negotio breuiter me expediam, disputatio hæc ad tria potissimum capita redigetur. considerabo primum, an detur materia totius, quam posuit Scotus. secundo, an Aristotelis loca, quibus statuit vnum numero per materiam esse, de materia totius, an de materia partis intelligantur. postremo, an substantiæ abstractæ per differentiam superadditam indiuiduæ sint, & singulares.

An

An detur materia totius.

QVI Scoti sententiam tuentur dari materiam totius hunc in modum probare conati sunt. ex Aristotelis sententia datur forma totius, igitur ex eiusdem sententia datur materia totius, consequentia ex eo patet: quoniam posito uno relatiuorum ponitur, & alterum. iam uerò materia, & forma relatiua sunt, ut legitur secundo physico. contextu 26. igitur posita forma totius materiam quoque totius ponere operæpretium est. dari autem formam totius primo ex Aristotelis authoritate probant primo cęl. contex. 92. ubi inquit, quod in omnibus siue per artem, siue per naturam ex materia, & forma constantibus, aliud est forma secundum se considerata, & aliud forma cum materia. hoc autem declarans ait cęlum forma est secundum seipsam considerata. hoc autem cęlum forma est cum materia. ex his autem ità ratiocinantur, uniuersale rerum materialium constat ex materia, & forma: cęlum vt contradistinguitur ab hoc cęlo vniuersale est. igitur constat ex materia, & forma. cum autem cęlum forma sit secundum se considerata. igitur forma secundum se ex materia constat, & forma: hæc autem non est forma partis, igitur erit forma totius, quod ex eodem loco, ita confirmant. sicuti cęlum significat formam, pari ratione carò formam significat. iam uerò caro non significat formam partis, ut patet ex tertio de anima contextu 9. ubi philosophus inquit, quòd in quibusdam aliud est caro, & aliud carni esse, nomine carnis intelligit compositum ex materia, & forma: sicut ea uoce carni esse formam tantum intelligit: igitur caro significat formam totius, alioquin si primo cęli caro significaret formam partis, cum 3. de anima significet compositum ex materia, & forma, philosophus à seipso dissentiret. id tandem persuadent ex Aristotelis authoritate 2. physic. contex. 31. ubi declarans quæ ad formam redigantur, inquit, harum causarum aliæ sunt ut subiectum ex quo, ut partes: alię uerò ut quod quid est. & totum, & compositio. iam uerò cum totum forma dicatur, profectò forma partis dici non potest, cum totum non sit pars. erit igitur forma totius, sed cum forma, & materia relatiua sint, quorum posito uno ponitur & alterum: sicut igitur ex Aristotelis sententia datur forma totius, ità ex eiusdem sententia datur materia totius.

Sententia hæc quò ad vtraque reijcitur.

SENTENTIA hæc & ab Aristotele, & à veritate penitus abhorret. & si paribus viribus vtendum est, ostendo primum formam totius ex Aristotelis sententia non dari, ex quo manifestum fiet, neque materiam totius ex eiusdem sententia admittendam esse, mox directo probationis genere ostendam totius materiam dari non posse. sed quoddam Scoti figmentum extitisse, quò ad primum ut studiosi intelligant id, de quo futura est oratio, animaduertendum est formam totius ex Scoti sententia nil aliud esse, nisi aggregatum ex materia, & forma, quod sanè est tota quidditas rei, & quoniam rei quidditas forma est, id circò aggregatum ex materia, & forma, totius forma nuncupatur. forma autem substantialis, quæ est altera pars compositi, ut anima tota quidditas non est: sed pars quidditatis: pariter materia pars quidditatis est, & ex utraque tota rei quidditas consurgit, quæ rem in esse constituit, quam formam totius appellant. ostendam itaque aggregatum ex materia, & forma totam rei quidditatem non esse, ac proindè formam totius admittendam non esse, idque in primis ostendo ex definitione formæ ab Aristotele tradita 2. physici contextu 28. quæ huiusmodi est. forma est quod quid est rei. cum autem definitio, & definitum conuertantur, igitur quod quid est rei ea forma est, quæ ab Arist. definitur. iamuerò forma, quæ definitur non est aggregatum ex materia, & forma, sed forma quæ est diuersum causæ genus à materia: siquidem cum philosophus statuißet declarare, quæ et quot causæ sint, materiamque definiuisset inquiens, subiectum esse, ex quo aliquid fit, posteà formam definiuit, ut est alterum causæ genus. itaque quod quid est rei, forma est à materia contradistincta: hæc autem est forma partis: igitur quidditas rei est forma partis, non autem forma totius, quæ est aggregatum ex materia, & forma. Nam si forma totius, quæ materiam, & formam simul complectitur esset quod quid est rei, formæ definitio eo loci ab Aristotele allata amplior, vniuersaliorque esset, quam definitum. siquidem forma partis, quæ ibi definitur est quod quid est rei; sed non econtra omne quod quid est rei esset forma partis, cum ex ipsorum sententia aggregatum ex materia, & forma sit quod quid est: quod tamen non est forma partis. quamobrem si continuè, congrueque formæ definitio tradita esse debet, forma partis solum est quod quid est. & ecōtra quod quid est solum est forma partis, non autem forma totius, quod ex

eodem contextu facilè confirmari potest. philosophus sub finem sic inquit: & partes, quæ in definitione ponuntur formæ sunt, ex quibus verbis hic discursus depromitur, illud quod est pars definitionis, est solum quod quid est rei, sed forma partis tantum est pars definitionis, igitur forma partis solum est quod quid est rei, non autem forma totius. minor ex illis Aristotelis uerbis probatur. Nam partes definitionis illa forma esse dicuntur, quæ ibi ab Aristotele definita fuit. inquit enim [forma est quod quid est, & genera & partes, quæ in definitione ponuntur formæ sunt] sed forma ibi definita est formæ partis, vt dictum est, igitur partes definitionis sunt tantum forma partis, vt genus, & differentia: enimuerò genus, vt eodem contextu philosophus inquit) forma est, quæ ibi definitur. ex quo etiam loco colligitur, vniuersale non esse compositum ex materia, & forma, vt dicunt ipsi. siquidem genus forma est ibi definita, sed hæc est forma partis. igitur genus, & vniuersale est forma partis. quem locum exponens Auerroes inquit, genus est forma vniuersalis. itaque tùm ex formæ definitione, tum ex alijs verbis eiusdem contextus nemo est, qui non uideat totàm rei quidditatem esse formam partis. non autem formam totius, ac proinde formam hanc inanem esse, & nullo modo admittendam. Quod tandem hac ratione confirmari potest. illud est tota quidditas rei, quod rem ipsam constituit in esse specifico, a quoùe totum esse rei depẽdet. sed id est solũ forma partis. igitur hæc est tota quidditas rei, non autem forma totius, & aggregatum ex materia, & forma. maior propositio, quoniam ab ipsis vltro conceditur ostensione non eget. Nam esse rei quidditatem est rem ipsam constituere in esse specifico, ab soluereque totum esse rei. minor autem contextu 11. secundi physico. facile probari potest. vbi philosophus inquit, quòd sicut in artefactis quamuis adsit materia scamni ut lignum, & non adsit forma scamni, nihil prorsus est scamni, ità & in naturalibus sese habet, quòd posita materia & non adsit forma, nihil est carnis, aut hominis, sed posita forma, statim ponitur nomen esse, & definitio carnis. igitur solum forma partis totum esse rei absoluit, & in esse specifico rem ipsam constituit, quod profectò & ipsa ratio persuadet. nam illud adæquata, totalisque causa alicuius rei esse dicitur. qua posita ponitur res, quoùe sublato, quouis alio remanente res aufertur. iam uerò posita forma statim ponitur totum esse rei, ipsaque sublata, quamuis etiam supersit materia, ut in interitu contingit, nihil prorsus remanet esse rei. igitur forma partis est adæquata, totalisque causa ipsius esse rei, ac proindè forma partis tantum est tota quidditas rei. quòd si materia

ria causa partialis esset, ut aiunt, esse rei, parsue quidditatis, profectò in interitu rei cum remaneat materia, remaneret aliquid esse rei, quod sanè non euenit, vt ostensum est. quam veritatem magis illustres, fidelesque Aristotelis interpretes cognouerunt. vt Alexander primo suæ parafrasis de Anima cap. 2. Auerroes, & Themistius. Enimuerò Themistius 2. de anima super contextu 2. ibi traditam ab Aristotele formæ definitionem exponens, sic inquit, hoc discrimine distinguntur materia, & forma, quòd à forma res habent vt sint: à materia uerò ut fiant: quod sanè utriusque definitio ostendit. Nam materia ità ab Aristotele definitur. materia subiectum est ex quo aliquid fit, quæ definitio materiæ arguit causalitatem, forma uero ita describitur, forma est quod quid est rei ut, 2. physico. contextu 28. & hoc pacto forma dicitur esse substantia, per quam est hoc aliquid, ut 2. de anima contextu 2. definitur, nec unquàm materia per eße ab Aristotele definitur, sed semper per fieri, ut ostenderet materiam in ortu rerum naturalium nullam aliam habere causalitatem, nisi secundum fieri: ex quibus statim colla bitur corrolarium, quod inferunt isti, dicentes materiam partis esse ens quidditatiuum, & ad rei quidditatem attinere, quod tam falsum est, quam quod falsissimum. sed cum materia, & forma relatiua sint: igitur si ex Aristotelis sententia forma totius non datur, neque ex eiusdem sententia materia totius admittenda est. nunc autem directo magis probandi genere ostendo materiam totius non dari. nec illam unquam Aristotelem excogitasse. Nam, ut aliàs dicebam, materia hæc totius cum contrahat speciem ad indiuiduum rationem actus habet et differentię. iam uero nusquam legitur Aristotelem asseruisse materiã actũ, eße. sed ubicunque de materia locutus est semper materiã in potentia esse asseruit, ac proindè naturam contrahibilis habere: quamobrẽ aut hoc commentitium quoddam & monstruosum materia genus est, aut Aristotelis negligentiæ nota est accusandus: quod certè dici non potest. Sed isti pro Scoto ita respondet Aristotelem quandoque de hac materia locutum fuisse, utpote 10. metaf. cont. 25. ubi rationem reddens cur masculus, & fęmina specie non distinguuntur, inquit. quoniam non per formam: sed per materiam distinguuntur. iamuerò nomine materiæ aiunt, materiam partis intelligere nequit. quoniam hæc potentia est: potentia uero distinctionis causa eße non potest. igitur nomine materiæ intelligit materiam totius. quæ actus est, differentiæque & contrahentis naturam habet. Sed hi aut Aristotelem non intelligunt, aut totum illum contextum non perlegerunt: siquidem philosophus eo loci, cum inquit marem, & fęminam per materiam inter se differre, no

mine

mine materiæ intelligit materiam partis. quoniam seipsum declarans quonam pacto per materiam distinguantur, ita scribit ad verbum,[Nã & si carnes, & oßa, ex quibus hic, & hic est, diuersa sint, attamen diuersa specie non sunt indiuidua, neque mas, & fęmina. quoniam in ratione non est contrarietas] quare nomine materiæ, per quam mas, & fęmina distinguntur carnes & ossa intelligit. sed hæc sunt materia partis, vt unicuique patet, quod etiam explicatius declarauit in fine contextus. inquiens, quòd mas, & fęmina penes masculinum, & fęmininũ inter se differunt. & licet, ait, hæc animalis passiones sint, non tamen secundum substantiam sunt, vtpotè secundum formam substantialem, sed secundum materiam, & corpus. declarans adhuc quomodo ex materia hæ passiones oriantur, itá scribit, [quoniam idem sperma prout aliquam passionem passum est, aut fęmina aut mas sit) hæc Aristoteles. ex quibus uerbis hic discursus colligitur, mas, & fęmina oriuntur, & inter se distinguntur ex diuersa spermatis dispositione, & temperamento, quod masculinũ, & fęmininum, ut passiones insequuntur. sed sperma est materia partis, & subiectum, ex quo, igitur nomine materiæ: per quam Arist. ait marẽ, & fęminã inter se distingui: non intelligit materiã totius, sed materiã partis. In quo etiã sensu Arist. accipit 7. metaph. contextu 28. cũ dixit: Socrates, & Callias propter materiam, ut carnes, & oßa inter se distinguuntur. Nec quicquã officit, quod in contrarium asserunt ipsi nomine materiæ, Arist. materiã partis intelligere non poße. quoniam cum hæc potentia sit, distinctionis causa esse non potest. siquidem Arist. materiam præcisè & solitariè non capit, prout ab omni accidente secreta est, sed eam capit vt signata est, & quibusdam dispositionibus affecta, quæ materia secunda est. quod eo loci ipsemet Arist. declarauit, cùm dicit. (Quoniam sperma aliquam passionẽ paßum est. propterea hoc mas, & illud fęmina generatur) quibus uerbis ostendit non ex spermate præcisè sumpto, sed vt uariè disponitur, diuersoque temperamento afficitur, huius discriminis maris, & fęminæ causam esse. quo etiam pacto accepit materiam Auerro. primo cęli nonagesimoquinto, cum inquit, omne sensibile est sensibile per materiam, non præcisè sumptam, sed qualitatibus affectam: sicut etiam dici solet, materiam diuisionis causam esse, non præcisè sumptam, sed quantitate insignitam, quamobrem hic unus Arist. locus ad quem, ut ad Sacram Anchoram pauperes isti confugiunt, ad ostendendum aliquando Arist. de materia totius fuisse locutum, nihil quicquam ipsis fauet, quinimmò se Arist. non intelligere apertissimè ostendunt. Secundo materiam totius non dari hac ratione ostendi potest. Nam aut est substantia, aut accidens,

dens, quæ enim sub entis uniuersitate continentur alterum istorum duorum subterfugere non possunt: substantia quidem esse non potest. quoniam cum per hanc secundum Scotum indiuidua eiusdem speciei distinguantur: igitur indiuidua sub eadem specie secundum substantiam differunt: quod tamen Arist. secundo post. libro contextu uigesimo inficias iuit, inquiens, sub eadem specie differentiam secundum substantiam nō reperiri: si autem accidens esse dicitur, aut igitur erit quantitas, aut qualitas, aut relatio, at relatio esse non potest, quoniam indiuidua substantię per relationem neque constituuntur, inter sese distinguitur, neque quantitas, aut qualitas secundum ipsum esse potest. primo: quoniam secū dum ipsum materia totius, seù hecheitas, quædā realitas est, ut eius uerbis utar, formæ, materiæ, & compositi. Iamuerò quantitas non est realitas formæ, neque materiæ, uel compositi. neque qualitas formæ substā tialis, aut aliorum duorum realitas dici potest. secundo quoniam secundū Scotum materia indiuidua est per propriam materiam totius, & hechei tatem. pariter forma, & compositum, ità ut unicus cuiusque sit propria materia totius. iam uerò formæ non est propria quantitas, aut qualitas, neque materiæ quantitas, aut qualitas propria est diuersa à quantitate, & qualitate formæ. aut compositi, sed una est communis quantitas, & qualitas materiæ, formæ, & compositi. quamobrem cum materia totius neque substantia, neque accidens sit, nihil profectò erit, sed quoddam commentitium, nouumque materiæ genus, quod Scotus sibi effinxit, quibus ità constitutis nunc rationibus in oppositum occurrendum est.

Solutiones rationum probantium est dari formam totius.

ET *ad primam, quæ ex primo cęli desumitur contextu 92. dicimus, quod si locus ille Arist. accuratius perpendatur: tantum abest, ut ex eo probetur dari formā totius, ut potius eius oppositum colligatur. quod ut unicuique pateat totam Arist. rationem in manum accipio, quę huiusmodi est. In omnibus siue per naturā, siue per artem ex materia, & forma constantibus: aliud est forma secundum se, & aliud forma cū materia. Sed mundus est corpus naturale: igitur in mundo aliud est forma secundum se, & aliud forma mundi cum materia. considero primū, maiorem illam propositionem cum inquit, in omnibus siue per naturam siue per artem aliud est forma secundum se, & aliud est forma cum materia, in qua vult ità sese habere in naturalibus, sicut in artefactis. iam uerò in artefactis forma secundum se est forma partis excludens materiam partis, quod ex uerbis Arist. facilè patet. quoniam inquit, ueluti*

sphæræ

sphera aliud est forma, & aliud aurea, aut ænea sphæra, & circuli aliud est forma secundum se, & aliud circulus æneus, aut ligneus. Sphæræ namque aut circuli assignantes non aurum, aut æs, in ratione dicemus, ex quibus uerbis quis quis est, qui non uideat in sphæra, & circulo formam secundum se esse formam partis excludentem materiam partis, quam includit alterum membrum dicens: aliud est forma cum materia, vt sphæra aurea, aut lignea. certum est enim, quòd lignum, & aurum sunt materia partis, non materiæ totius, seu hæccheitas: igitur & in naturalibus ex materia, & forma constantibus forma secundum se est forma partis materiam partis excludens, quæ in altero membro includitur, cum dicitur, & aliud est forma cum materia non secus, ac in artefactis perpendo secundo conclusionem, cum inquit, igitur in mundo aliud est formæ secundum se, & aliud forma mundi cum materia porrò accipitur forma mundi secundum se, prout contradistinguitur à forma mundi cum materia, sed hæc est forma coniuncta cum materia partis. quoniam materia mundi, vt statuit philosophus eodem libro cont. 96. omne corpus sensibile, & naturale, quod tota mūdi materia ab Arist. appellatur, per quam dicitur esse vnus numero tantum, vt inquit in cont. 92. his uerbis, mundus ideo est numero vnus, & non plures. quoniam constat ex tota materia. hęc autem est omne corpus sensibile, & naturale. igitur mundi forma secundum se est simplex forma partis excludēs materiā partis, quamobrē nomine formæ, secundū se, simplex forma partis accipitur, & noīe materię nō materia totius, vt aiunt, sed materia partis ab Arist. intelligitur. Ad rationē autem cum dicebatur, formæ secundum se dicitur cęlum, uel circulus: cęlum autem est uniuersale quod compositum est ex materia & forma, soluitur, cęlum, & circulum significare formam partis secundū seipsum, vt probatum est. quæ, vt inquit Auerroes eò loci est subiectum, & ratio vniuersalitatis, neq; illud verum est, quòd uniuersale cōpositum sit ex materia, & forma, ut antea ex 2. phy. cont. 28. ostensum fuit, ubi scribitur, ꝙ forma contra distincta à materia est, quod quid est. & huiusmodi forma genus est, quare uniuersale simplex forma est. licet connotet materiā. Enimuerò animal quod genus est, forma partis est uniuersaliter concepta, connotans tamen carnes, & ossa, ad confirmationem autem cum dicebatur, sicut cęlū forma est secundum se, pariter, & caro forma erit secundū se ipsam considerata: sed caro ex tertio de anima cōt. 9. est quid cōpositū ex materia et forma: igitur forma secundū se quid compositum ex materia, & forma. respondeō quòd sicuti cęlum

 significat

significat formam partis secundum se; ità & caro uniuersaliter concepta, quam 3. de anima contx. 9. nomine [Carni esse] Aristoteles appellauit. unde idem uoluit Aristot. primo cę.cont. 92. & 93. de anima cont. 9. cum dixit. aliud esse carnem, & carni esse. enimuerò [carni esse] uniuersale intellexit, & formam partis secundum se, per carnem uerò formam cum materia, & singulare. ut patet ex cont. 10. ubi soluens philosophus dubitationem motam in cont. 9. an caro, & carni esse cognoscantur à diuersis uirtutibus: uel ab eadem uirtute diuersimodi sese habente, inquit: sensitiuo calidum, & frigidum cognoscitur, alio uerò ut intellectu siue circunflexus, siuè ut recta linea sese habens cognoscitur carni esse. quare carnem quam appellat calidum, frigidum à sensu cognosci affirmat, ac proinde nomine carnis singulare intellexit, non itaque Arist. sibi pugnantia dicit. quoniam primo cęli caro uniuersaliter concepta accipitur, quæ carni esse 3. dè anima appellatur. tertiò uero de anima caro, ut singulare contradistinctum à carni esse, accipitur: & si isti Scoti defensores locum hunc tertij de anima accuratè perpendant, locus iste potius ipsorum refragatur opinioni. siquidem philosophus inquit, quòd in quibusdam idem est caro, & carni esse, ut quidditas. & habens quidditatem, ut substantijs abstractis. in quibusdam uerò, ut in habentibus materiam, ut seipsum declarauit philosophus 7. metaf. contextu 41. quidditas, & habens quidditatem distinguntur: sed cum habens quidditatem materiam habeat, igitur materia non attinet ad quidditatem, ac proinde forma, totius, aggregatumque ex materia, & forma tota rei quidditas esse non potest. alioquin & in conceptis cum materia idem esset quidditas, & habens quidditatem, non secus ac in substantijs à materia separatis. Nec ultima ratio quicquam officit. quoniam licet totum ab Aristotele 2. physico. contextu 31. forma dicatur, per totum, formam totius non intellexit, sed totum integrale. Nam sicuti partes integrale. Nam sicuti partes integrantes, ut caput, manus, & brachia, respectu totius materiæ rationem habent; ità totum integrale cum sit absolutio, & consumatio, quædam partium formæ rationem habet, sicut etiam declarauit Auerroes 7. metaf. com. 35. inquiens, respectu partium ad totum est respectus materiæ ad formam: respectus uero totius ad partes est respectus formæ ad materiam: certum est autem, quod huiusmodi comparatio non fit inter totum essentiale, & partes essentiales, utpotè materia, & forma: quoniam forma respectu totius compositi rationem materiæ, & subiecti, ex quo, interdum etiam forma, quæ est altera pars

compositi

compositi totum ab Aristote. appellatur, ut primo de ortu, & interitu contextu 23. cum dixit. mutationem substantialem esse mutationem secundum totum, hoc est secundum formam substantialem. quoniam a forma substantiali totum esse rei dependet. eaue sublata totum esse rei aufertur: sed cum iam satis de re hac digressus sim, nunc secundum aggredior.

An Aristotelis loca, quibus statuit unum numero per materiam esse, de materia totius intelligantur, an de materia partis.

PORRO, *qui Scoti opinionem defendendi onus subire ausi sunt: dixerunt omnia Aristot. loca, quibus statuit vnum numero per materiam esse, de materia totius, & inani illa hecceitate intelligenda esse, quorum sententia vsque adeò ab Aristot. abhorret, ut nihil magis. siquidem, ut aliàs dicebam 5. metaf. cont. 12. ab Arist. scribitur: vnum numero illud esse, cuius materia est una, diuersaque numero, quorum materiæ sunt diuersæ; quamobrem materia illa causa est unius numero, cuius diuersitas causa est diuersitatis secundum numerum, sed hæc est materia tantum, ex qua, & materia partis: igitur causa vnius numero est materia partis, ut eo contextu decreuit Aristo. minor ita probatur. Numerus oritur ex diuisione continui, loquor nunc de numero materiali, vt contradistinguitur à numero specifico, & formali: nam prout continuum diuiditur, ità numerus oritur, & augetur: sed vt continuum, vt in re existit, est materia quantitate affecta: igitur numerus oritur ex diuisione materiæ quantæ, & ex consequenti pluralitas, diuersitasque numeralis ex diuersitate, & pluralitate materiæ partis proficiscitur, quod sanè considerans Aristoteles tertio metaf. cap. 3. asseruit: quod omnis multitudo, & diuersitas aut est rerum differentium secundum formam, & speciem: aut est rerum differentium secundum quantitatem; sicut est diuersitas numeralis, a quo accepit Auerroes primo physico. com. 6. eapropter Aristoteles sua ipsius prosequens decreta 7. metaf. contex. 28. asseruit Socratem, & Calliam propter materiam diuersos esse, sicut sunt, inquit carnes, & ossa. Itaque cum diuisio seu diuersitas numeralis sit propter materiam partis: igitur & vnitas numeralis est ex vnitate materiæ partis, quò fit ut illa Aristot. authoritas 5. metaf. cont. 12. de materia partis intelligenda sit. Quòd si hi boni uiri,*

qui Scotum tueri ausi sunt, undè numerus oriatur considerassent. sciuissent etiam undè unum in numero originem ducat. Considero secundò Aristotelis rationem primo cęli contex. 93. qua probauit mundum esse numero vnum. ea autem est. mundus est numero unus: quoniam ex tota constat materia, iam uerò tota materia mundi, ut Aristoteles ipse declarauit in contex. 96. est omne corpus sensibile, & naturale, hoc autem est materia partis, ex qua consurgit, & compaginatur. igitur mundus est unus numero per materiam partis, quod si unum numero est per materiam totius, & per hecheitatem tanquam per causam propriam, tunc Aristoteles assignasset non causã, cum unitatis numeralis mundi materiam partis, ut causam assignasset. cum tamen hæc unitatis numeralis causa non sit, sed materia totius, ut inquit Scotus, & eo magis, ut eò loci animaduertit Auerroes, illa Aristotelis ratio est demonstratio propter quid, quæ per causam propriam largiri debet. confirmat id nimis euidenter exemplum, quo ad rem hanc illustrandam usus est Aristoteles in contex. 94. ubi inquit, quod si ex omnibus carnibus, & ossibus, una tantum fieret caro, & unum os, unus tantum eßet numero homo, & non plures: quoniam tantum una esset eius materia, & non plures, quamobrem unus homo numero est: quoniam una numero caro est, pluresque numero homines: quoniam plures carnes sunt, pluraque numero oßa, certum est autem, quod caro, et ossa sunt materia, ex qua, & materia partis, igitur unitas numeralis pariter, & diuersitas proficiscitur ex materia partis, unde conferant isti Scoti defensores locum hunc cum context. 28. septimi metaph. cum inquit, Socrates, & Callias propter materiam, ut carnes, & oßa diuersi sunt, an intelligatur de materia partis, aut de materia totius. sed hi rationem hanc ex primo de cęlo, ne subodorare quidem voluerunt, cum ex ea sese explicare non possent. cum igitur in omnibus locis, ut causam unitatis numeralis Aristoteles materiam partis assignet, igitur definitio unius numero quinto metaph. allata de materia partis intelligenda est. & mirum profectò esset, si materia totius hecheitasùe vnitatis numeralis causa esset, eam Arist. reticuißet, semperque materiam partis unitatis numeralis, ut causam propriam adduxisset. aut igitur materia totius unitatis numeralis causa non est, aut Aristot. vbique non causam pro causa assignasset, quod minimè dici debet.

An in substantijs separatis excepta prima materia totius reperiatur, per quam vnaquęque sit indiuidua, & numero vna.


ARBITRATI sunt magni isti Scoti defensores, in quamuis intelligentia excepta prima, materiam totius adinueniri, per quam vnaquæque una numero est. quæ quidem sententia, & ab Aristotele, & ab ipsa rei natura penitus abhorret. ab Aristotele quidem quoniam 12. metaph. contex. 30. decretum fuit, quòd substantia abstracta in genere, prout etiam Deum opt. complectitur, sit actus purus, & à compositione soluta. iam uerò aut intelligit, quòd soluta sit ab omni compositione simpliciter, aut solum à compositione materiæ, & formæ, non autem à compositione quidditatis, & differentiæ indiuidualis, & materiæ totius. si primum propositum habetur, intelligentiam omnem ab omni compositione reali immunem esse, si secundum dicatur: igitur prima intelligentia, quæ sub illius propositionis subiecto continetur, à compositione solum materiæ, & formæ immunis erit: non autem à compositione quidditatis, & materiæ totius, quod tamen ex Scoti etiam sententia falsum est.. Sed qui Scotum defendunt, respondent, Aristotelem eo loci de substantia abstracta in genere ostendisse solum carentiam cõpositionis materiæ, ex qua, & formæ, ad quam solum ex motus æternitate peruenire potuit. quod autem prima intelligentia libera sit, atque soluta à compositione ex quidditate & differentia indiuiduali, materiaque totius, id per aliud medium a metaphysico ostensum est. sed hæc responsio quàm rudis, quamùe inanis sit, ex eo ostendi potest: quoniam si in contextu 30. vbi loquitur de substãtia abstracta in genere, ab ea non omnem gradum compositionis repellit, sed solum compositionem ex forma, & materia ex qua. quòd uerò prima intelligentia compositione careat ex quidditate, & materia totius, id alibi à metaphysico ostensum fuit, id præsertim erit in contex. 49. sed in eo contextu à prima intelligentia remouet solum materiã ex qua, ut patet ex demonstratione allatã in eo cõtextu, quæ huiusmodi est. si essent plures primi motores numero, tunc esset materialis: quoniam quæ sunt specie vnum, & numero plura materiam habent. iam verò primus motor materiam non habet: igitur primus motor est unus numero tantum, & non plures. in qua sanè demonstratione materiã illã accipit, per quã sub eadẽ specie sũt numero plura; sed hæc est materia partis, & mate-

materia ex qua: quoniam ut superius dictum fuit, numerus, seu multitudo numeralis oritur ex diuisione continui, & ex consequenti ex diuisione materiæ quantę, quæ est materia ex qua: igitur diuersitas numeralis ex materia, ex qua originem ducit, hinc est quòd Aristoteles vbique multitudinem numeralem ad materiam ex qua reducit, ut primo cęli, cum inquit, si mundus ex parte materiæ constaret, plures essent, a quo accipiens Auerroes in prima contra Algazelem disputatione asseruit, materiam secundum philosophos multitudinis numeralis causam esse, quamobrem contextu illo 49. non materiam totius, sed materiam ex qua à primo mouente relegauit. Præterea ut aliàs dicebam, cum Aristoteles inquit, primum mouens materiam non habet, aut per materiam intelligit materiam ex qua, aut materiam totius: si primum, habetur propositum, si secundum, tunc Aristoteles peteret principium: hoc enim probandum erat, cum sit occultum, atque ignotum. Sed Scoti defensores respondent Aristotelem quidem intelligere de materia totius: ad instantiam autem dicunt, id minimè ab ipso probandum fuisse: quoniam demonstratio ad per se ignota erigitur, non autem ad ea, quæ sunt per se nota. iam verò ex notitia nominis Dei, primique principij conspicuum est, euidensque ipsum ab omni materia solutum esse, omnique ex parte simplicissimum: quoniam si materiam totius haberet, tum non esset absolutè primum. Sed hæc responsio nulla est: quoniam ex hoc, quòd Deus optimus primus est, non constat, neque deduci potest, ipsum à materia totius indiuidualisque differentia solutum esse: quoniam cum antecedenti stat oppositum consequentis, quòd primus sit, materiamque totius secum iunctam habeat. siquidem materia totius ex Scoti sententia est modus quidam insequēs rem ipsam. iam uerò modus insequens rei primitatem non aufert. etenim si materia totius, indiuidualisque differentia pars esset, quæ cum Dei eßentia ipsum constituere, profectò primus non esset: quoniam partes toto priores sunt, vnde ex hoc, quòd primus est, deducitur non habere materiam ex qua: quoniam partes totum præcedunt. Sed materia totius, quæ modus est insequens, reique superadditus primitatem non tollit, sicut risibile: quoniam insequens est rationalitatem huius primitatem non aufert. non enim posterius prioris rationē aufert, proinde alio modo ab Arist. probandum erat primum mouens materiam totius non habere, ac proinde omni ex parte simplicissimum eße, unde isti si authorem, quem defendunt, non intelligunt, nō uideo certè quomodo Arist. in quo satis parum uersati sunt, intelligere queant, tan-

tandem ut rem hanc ad exitum perducamus, ex ipsa rei natura ostenditur, nullam intelligentiam, per materiam totius, indiuidualemque differentiam singularem, & numero unam esse: quoniam cum dicitur intelligentia est numero vna, aut accipitur vnum numerò, ut est passio entis, quod contradistinguitur à multitudine. ens enim in vnum, & multa diuiditur, quæ sunt passiones entis: idem enim est, ut inquit Arist. 4. metaf. contextu; homo, ens homo, & unus homo, uel accipitur unum numero ut est principium numeri de prædicamento quantitatis: si primo modo sumuntur, cum ab eodem pendeat subiectum, & passio: igitur quo intelligentia est formaliter ens, eadem est formaliter una, iam uerò unaquęque seipsa, & non alio superaddito est formaliter ens, igitur seipsa est formaliter vna, & non alio superaddito, quod sanè considerans magnus ille Arist. 8. metaph. context. 15. sic inquit, quæ neque sensibilē, neque intelligibilem materiam habent. ut intelligentię, seipsis, & non alio, (audiat Scotus) sunt ens, & unum, si nerò secundum dicatur, cum principium, & id, quod ex principio pendet in eodem sint prædicamento, igitur cùm numerus sit in prædicamento quantitatis, igitur & vnum numero, quod est principium numeri erit in prædicamento quantitatis. itaque si quęlibet intelligentia est vna numero, prout unum numero est principium numeri de prædicamento quantitatis: igitur in qualibet intelligentia erit quantitas, & ex consequentia materia, ex qua sine qua ipsa quantitas esse non potest. quamobrem cum alterum istorum vitari non possit, necessariò dicendum est, aut quamlibet intelligentiam ex seipsa numero unam esse, aut in qualibet intelligentia quantitatem, & materiam partis adinueniri. quod cum dici minimè possit, primum igitur necessariò asserendum est. Quamobrem rectè à nobis in tractatu de principio indiuiduationis conra Scotum statutum fuit, quamlibet intelligentiam ex seipsa singularem esse, & numero unam, sicuti ex seipsa est formaliter ens. atque unum numero, quod est in substantijs separatis esse vnum numero, quod est principium numeri transcendentis, quod ab uno secundum speciem non distinguitur, cum uero numero in materialibus principium est numeri materialis de prædicamento quantitatis, & proinde illud formam, hoc verò materiam, & quantitatem cum alijs accidentibus insequitur: quod Aristoteles ipse significauit 3. metaph. capite 3. inquiens multitudinem aut rerum esse differentium secundum formam, aut rerum differentium secundum quantitatem, & materiam, ex quibus omnibus unicuique iam satis

tis


tis patere arbitror Scoti sententiam de materia totius, deque indiuiduationis principio à vero penitus abhorrere, solutionesue, quæ a quibusdam ob eius salutem, rationibus nostris allatæ sunt, ne vllum quidem momentum habere, eiusque defensioni nihil quicquam prodesse; quo fit, ut ducem magis strenuum, melioremque defensorem, & in ipsius doctrina, Aristotelisque philosophia magis versatum Scotus requirat.



DISPV-

DISPVTATIONIS DE PVTREDINE.

CAPVT PRIMVM.



INCIDIT nuper in manus disputatio de putredine Thomæ Erasti uiri alioquin doctissimi, in qua putredinis naturam, differentias, pariter & causas multo verius, magisque ad Aristot. quàm hactenus ab aliquo Arist. interpræte factum fuerit, se explicasse affirmat, cuius quidem sententiam de re hac lubenter perlegi, & licet de putredine paucis ab hinc annis primo nostrarum dilucidationum volumine ità pertractassem, vt eundem lapidem voluere amplius non esse existimarem, tamen quia quæ ab hoc doctissimo viro de putredine scripta sunt, vt plurimum nostræ sententiæ aduersantur, nec Arist. decretis, (vt ipse arbitratur) satis consentanea sunt, ea propter vt nostra magis confirmetur sententia, quæuè de putredine quarto met. lib. ab Arist. tradita sunt, magis atque magis illustrentur, ad eosdem veluti carceres redire, iterumque de putredine differere coactus sum, nec propterea quispiam putet me eadem repetiturum, quæ alibi explicata fuerunt, nisi aliqua interdum tangere, aut sub odorare potius necessitas cogat, neque vereor consilium hoc meum quempiam vitio daturum, cum non inanis gloriæ causa, aut contradicendi studio, vt cum doctissimo viro pugnam inire voluerim, sed publicæ vtilitatis causa tantum prouinciam hanc aggressus sum, illud enim mihi semper propositum fuit, quantum poßum, veritatem docere, bonorumque studia iuuare, cæterum quia in re difficili, & perobscura aliqua methodo opus est. quò ea quæ tractanda sunt faciliora, conspicuaque magis reddantur, ea propter in disputatione hac

ità progrediar, putredinis naturam tractabo primum, methodumque eam inueniendi, subindè putredinis modum considerabo. expendam tertio ordinem qui in mixtorum putredine à Natura seruantur. tandem putredinis differentias seù species inuestigabo.

De methodo inueniendi naturam putredinis. Caput secundum.

VT putredinis naturam promptius aßequi ualeamus, non alia certè methodo utendum est, quàm ea qua libro quarto meteorum Aristoteles usus fuit, ea autem est, mixtorum generationi contrarium maximè patens, atque commune putredinem eße, quæ sanè usque adeò opportuna est, ut alia reperiri, aut excogitari non poßit, quæ ad huius notitiam perducere queat, quo circa mixtorum generationis natura primum spectanda est, quoniam ea cognita putredinis natura quæ generationi opposita est, statim conspicua & manifesta fiet. rectum enim (ut aiunt) sui, & obliqui iudicium facit, contrariarumque mutationum contrariæ sunt rationes, & modi, porrò mixtorum generatio, ut eo libro describitur, patientium qualitatum transmutatio est, ab agentibus qualitatibus, ut à calore et frigore illis dominantibus profecta. quæ sanè generationis definitio generationi dumtaxat competit mixtorum ut mixta sunt, cum eo libro Aristotelis propositum sit, ut ipsemet declarauit in contex. 2. de mixtorum affectionibus pertractare, prout à primis elemētorum qualitatibus, ut duæ agentes sunt, duæ uerò patientes, proficiscuntur, ac proindè de mixtorum affectionib. disserere prout mixta sunt, & licet hoc ipso contextu dixerit se de generatione uerba facturum, quæ animalibus. & plātis uniuersisq; ipsorum partibus ineſt, eius tamen sententia de his prout mixta sunt, intelligi debet. de generatione enim uiuentium ut uiuentia sunt, libro de respirat. disseruit, eamque ità definiuit, generatio est prima participatio Animæ uegetalis à calido naturali, & uita est eius permansio. quò fit ut generatio quarto meteorum definita animantibus conueniat prout mixta sunt. Quā sanè definitionem doctiſsimus Erastus perpendens, inquit, quod mixtorum generatio nil aliud est, mixtio, & elementorum unio, sensumq; definitionis explicans, ait, generationem eſſe mixti productionem, idest mutationem ex elementis non mixtis, qua mixtum generatur, ut suæ tractationis legitur pagina. 17. Hinc putredinis naturam hunc in modum deduxit. nam cum mixtorū generationi putredo opposita sit, oppositorūq; opposita sint rationes, igitur sicuti mixtorū generatio mixtio est elementorūq; unio, ita ex aduerso

aduerso putredo, quæ naturalis mixtorum corruptio est, dissolutio in quatuor elemẽta. Cæterũ in foribus (ut aiunt) doctißimus Erastus claudicare aggreditur, siquidẽ à ueritate, Aristotelisq; sententia penitus abhorret, mixtorũ generationem mixtionem esse. quod ita ostendo, quę differẽtes habentes definitiones re idem esse nõ possunt. iam uero mixtio, generatioq; mixtorũ longè diuersas habent definitiones, nam mixtio ut primo de ortu & interitu ab Aristotele definitur, est miscibilium alteratorũ unio, generatio uerò mixtorũ, ut quarto meteorum legitur, patiẽtium qualitatũ transmutatio est ab agẽtibus qualitatibus super illas dominãtibus, igitur mixtio, & generatio idem esse non possunt. præterea & fortius ex ipsomet Aristotele confirmari potest, primo de ortu & interitu cap. de mixtione, vbi mixtionis naturam exploraturus, primum miscibilium conditiones declarauit, ex quibus duæ prę ertim sunt, prima quidẽ est, miscibilia inuicem agentia & patientia eße, quod etiam 2. lib. cont. 48. indicare visus est, vbi inquit, elementa in mixtione reprimi, atque secundum exuberantias primarum qualitatũ retundi, ita vt adquãdã tẽperiem amicabilemq; societatem rediguntur. quod cum absque mutua actione & passione fieri non possit, ea propter elementa in mixtione ipsorum qualitatibus inuicem agentia & patientia esse debent. hinc sequitur in mixtione elementorũ qualitates secundum primas ipsarum operationes concurrere. primas earum operationes appello, calefacere, frigefacere, humectare & exiccare. nam cum per mutuam ipsarum actionẽ frangi, ad temperiemq; reduci debeant. id aũt haud fieri possit, nisi secundum primas earum operationes, nõ enim frigus caloris æstum retundit, nisi quia refrigerat. & econtra calor frigiditatis excessum non remittit, nisi quia excalefacit. igitur in mixtione primæ elementorum qualitates secundum primas ipsarum operationes concurrunt. quoniã uerò elementa in mixtione inuicem agentia et patientia aliquam inter se proportionem habere debẽt, idcirco secundam conditionẽ proponens declarat quã in mixtione proportionem inter se habeant, statuitq; vnum alteri simpliciter non dominari, neque inter se parem agendi potentiam habere, sed quodãmodo inquit, uiribus inuicem proportionata esse, itá ut unum elementum alteri quoquomodo dominetur. quibus uerbis ostendit in mixtione proportionem unius elementi, & vnius qualitatis ad alteram sibi oppositam referri. quamobrẽ mixtio est omnium elemẽtorum unio, in qua elementa, eorumq; qualitates inuicem agunt & patiuntur, secundumvè primas eorum operationes concurrunt, atq; proportio secundũ uires dominiumq; vnius qualitatis ad alteram sibi oppositam comparatur. Mixtorumuè generatio diuersimodè sese hẽt, hæc enim elementorũ omnium

unio non est, sed unio, congruaque terminatio humidi cum sicco, ut ex ipsa generationis definitione satis constat, enimuerò generatio, ut ab Arist. describitur transmutatio est unioq; patientium qualitatum ab agentibus qualitatibus, quod etiam paulopost declarauit his uerbis, [ex his enim facta erant, & terminatum fuit humidum sicco dominātibus actiuis [neq; in generatione ipsa omnes qualitates agunt & patiuntur. Sed duæ tantum agūt, ut calor & frigus, duæ uerò ut subiectum materia patiutur, ut siccitas, & humor, ut etiam eadē definitio generationis euidenter ostendit, quod etiam in 2. contex. Aristoteles ipse confirmat inquiens, se de affectionibus mixtorum pertractaturum, prout à primis elementorum qualitatibus proficiscuntur ut duæ agentes sunt, duæ uerò patiētes. opera autem istarum qualitatum sunt, generatio, putredo, concoctio, & id genus alia de quibus ibi habetur oratio, igitur in generatione mixtorum duæ tātum qualitates agunt, duæ uero patiuntur, neque in generatione secundum primas eas operationes concurrunt, sed secūdum posteriores, ut congregare, terminare, & terminari, ut nuper allata Aristotelis uerba præseferunt, cum inquit. & terminatum fuit humidum sicco operantibus actiuis: quod etiam indicauit paulo superius in definitione generationis, cum inquit, cum uerò calor & frigus perfectè nō dominantur, fit molynsis, iam uerò ut legitur infra cap. de coctione, Molynsis est interminata humiditas, igitur pfecta generatio est terminata, & cōsistens humiditas, neque in generatione secundum proportionē, & dominium comparatio fit unius qualitatis ad alteram sibi oppositam, ut caloris ad frigus, aut humiditatis ad siccitatem, sed vnius oppositionis qualitatum, vt caloris & frigiditatis ad alteram oppositionē, vt ad humiditatem, & siccitatem. vt etiam eadem generationis definitio confirmat, est enim generatio, inquit, trāsmutatio passiuarum ab agentibus calore, scilicet, & frigore supra passiuas proportionē habentibus,] quæ oīa etiam doctissimus Erastus, ((tanta est vis veritatis,) quasi nolēs cogitur confiteri, nam non longè ab initio suæ tractationis iaciens fundamēta inquit, Arist. in 4. met. de affectionibus mixtorum differere, prout ab elementorum qualitatibus prodeunt, vt duæ sunt agentes, duæ verò patientes, cum aūt eo lib. de mixtorū generatione agat, fatetur igitur Erastus in generatione mixtorum non oēs elementorū qualitates inuicē agere et pati, sed duas agētes, duas uerò patiētes esse, paulo inferius autē declarans qūo mixtio fiat, inquit, in mixtione oēs qualitates primas inuicē agere & pati, quamobrē cum ex Arist. ipsiusq; Erasti sn̄ia, tàm dispar, tamq; dissimilis inter vtramq; reperiatur conditio, fieri certè nequit, vt mixtio, generatioq; mixtorū eandē subeāt naturā, & quoniā ipse nō solū

ex Arist.sñia, sed etiam ex ipsa rei euidẽtia ueritatẽ ostẽdere pollicetur, idipsum, & ego ex rei euidentia ostendo, nã licet absoluta perfectaq; fuerit omniũ elementorum mixtio & unio, & secundum exuberantias primarũ qualitatũ repreßa, nõ propterea statim productio, atq; generatio est, quod ità probatur, nã cũ mixta terminata sint, ex solo humido, quod interminatum est, & ex solo sicco quod cõtinuitatẽ non habet, oriri possunt, igitur ex permixtione, conuenientiq; terminatione humidi cũ sicco generãtur, igitur præter omnium elemẽtorum unionẽ, primarumq; qualitatum represſionem, atque temperiẽ, unio, conueniensq; terminatio humidi cũ sicco neceßariò requiritur, qua existẽte mixti terminati generatio, atque productio statim est, quamobrem non solum mixtio, generatio mixtorũ non est, sed nec proxima dispositio ad illam, quod sanè diuinus Arist. secum animo uoluens primo mixtionẽ definiuit, animaduertens autem præter hanc paſſiuarum qualitatum unionem, cõsistentiamq; neceßariam esse, idcircò posterius generationem per huiusmodi paſſiuarũ transmutationẽ ab agẽtibus factã, definiuit, qua sanè posita statim generatio est, ea propter multo uerius dicendũ est, quòd mixtio neque mixtorum generatio est, neque proxima ad generationem dispositio ut antea ostensum fuit, sed mixtorũ generatio est patiẽtium qualitatum transmutatio ab agentibus qualitatibus secundum posteriores ipsarum operationes concurrẽtibus, supra patientes proportionem, dominiumq; habentibus, quæ sanè generationis definitio formalis non est, enimuerò formalis eius definitio, est productio substantiæ mixti, quæ secundũ totum mutatio primo libro de gener. contex. 23. ab Arist. appellatur, quę ueluti cõmune genus est generationi mixtorũ, & elementorũ utraque enim hoc habet cõmune, quod secundũ totum mutatio est, sed definitio hęc causalis est, ut sensus sit, generatio, mixtiq; productio per transmutationẽ patientiũ qualitatum ab agentibus qualitatibus efficitur, quæ ueluti differẽtiæ locũ subit, per quã ab elementorũ generatione distinguitur, quę per paſſiuarũ qualitatum trãsmutationẽ ab agẽtibus nõ efficitur, ut patet de generatione ignis, quò fit, ut generatio ab Arist. non pro termino, sed pro alteratione pręcedẽte, & pro uia iuncta termino definita sit, qua generationis definitione sic explicata, hinc natura, putredinisq; definitio facile intelligi potest, nã cum putredo mixtorum generationi opposita sit, oppositorum autẽ, oppositæ sint rationes, igitur sicuti generatio est mixti productio per unionem humidi cum sicco ex prædominio agentium qualitatum & pręsertim caloris, ità ex opposito putredo, est mixti corruptio per dißolutionem humidi a sicco, propter defectum caloris sic enim effectus effectui, & definitio definitioni aduersatur.

Quomodo

Quomodo primarum qualitatum duæ sunt agentes, duæ verò patientes, nec non de vsu frigiditatis in generatione mixtorum. Caput tertium.

EX definitione generationis in qua duæ qualitates ponuntur ut agentes, duæ verò vt patientes, dubitauit Erastus, quonã pacto, duæ primarum qualitatum sint agentes, duæ uerò patientes, cum ex Aristotele, reiq; euidentia omnes agentes, omnesq; patientes sint. nam sicuti calidum agit in frigidum, & econtra, ità siccum agit in humidum, & hoc in siccum, quinimmo nisi omnes agerẽt & paterentur, inter elementa mutua generatio minimè reperiretur. Nodum hũc tribus modis doctissimus dissoluit Erastus, primo quidem communem solutionem probat, omnes qualitates primas agentes, & patientes esse, cęterum quia non omnes parem in agendo efficaciam habent, sed caliditas & frigiditas maiores, siccitas autem, & humiditas hebetiorem, atque magis obscuram, ut nihil, aut certè quàm minimum agere uideantur, ea propter caliditas & frigiditas agentes dicuntur, siccitas autem, & humiditas patientes, non quia nullo modo agunt, sed quoniam minimum agunt, ità ut potius patientes quàm agentes esse uideantur. cum itàq; philosophus ait, duas agentes esse, siccitatem autem, & humiditatem patientes, non intelligit absolutè, ità ut nihil agant, sed comparatiuè si cum calore & frigore conferantur. Secundo respondet, caliditatem & frigiditatem agentes qualitates ab Arist. appellari, quoniam extra sua subiecta in aliena corpora absque substantiæ translatione actionem suã communicant. ignis enim caliditatem absque suæ substantiæ translatione in res distantes promouet, dum continuè proxima sibi corpora excalefacit. Siccitas autem, & humiditas patientes dicuntur, quoniam extra sua subiecta in aliena corpora actionem suam minimè communicant absque suæ substantiæ transitione, enimuerò res siccę uicina corpora nullo pacto exiccant, nisi partes aliquę ab illis translatę cum corporibus permisceantur. Tertiam tandem affert solutionem, quòd respectu generationis mixtorum, mutuæq; generationis elementorum omnes agentes, & omnes patientes sunt: respectu verò generationis rerum meteorologicarum duæ agentes sunt, ut calor & frigus, duę uerò patientes, ut siccitas & humor. & solutionem concludens hæc scribit ad uerbum (summa est, si ad mixta, eorumq; generationem respicias, etiamq; ad mutuam generationem elementorum omnes tùm agunt, tùm patiuntur.

tur. Si autem ad ortum meteororum respicias, & humiditatem aquã, siccitatemque terram appellari excogites, materię, patientisq; rationem habent, hæc ille,) sed ubi solutiones abundant malum. Porrò nulla solutio à doctissimo homine allata Aristoteli consentanea est, non quidem prima, quoniam cum philosophus quarto meteorum contex. 1. duas illas accepisset propositiones, quarum prima fuit, quatuor esse qualitates primas quę sunt principia elementorum, altera uerò, quòd primarum qualitatum duæ sunt agentes, duæ uerò patientes, secundum hanc propositionem & inductione, & ipsarum qualitatum definitione probauit, inductione quidem, quoniam calor & frigus terminant, uniunt, indurant, & liquefaciunt, siccitas autem, & humiditas terminantur, & uniuntur. ipsarum uerò definitione, quoniam calor, & frigus per congregare & terminare definiuntur, calidum enim est, quod homogenea congregat, & etherogenea secernit. Frigidum autem & homogenea, & etherogenea congregat, humidum autem, & siccum per terminari definiuntur. humidum enim est, quod proprio termino interminatum est. alieno autem terminatur. siccum uerò quod proprio termino cohibetur, & terminatur. iam uerò calor & frigus terminant, & non terminantur, humidum autem, & siccum terminantur, & non terminant, pariter calor, & frigus definiuntur per terminare quod est agere, nõ autem, per terminari, quod est pati. humidum autem, & siccum definiuntur per terminari quod est pati, non autem, per terminare quod est agere, igitur calor & frigus sunt qualitates agentes, & non patientes, ecõtra uerò siccitas & humiditas sunt patientes tantum, & non agentes, simpliciter itàq;, non autem comparatiuè siccitas & humiditas patientes esse dicuntur, eadem ratione secunda responsio reijcitur, nam longè diuersa est ratio, quam assignat Erastus ab ea quæ ab Aristotele allata est, inquit enim ipse calorem & frigiditatem agentes dici, quoniam extra sua subiecta actionem suam communicant. Siccitatem uerò & humiditatem patientes nuncupari, quoniam extra sua subiecta absque substantiæ translatione actionem suam non expandunt. Aristoteles autem, inquit, calorem & frigiditatem ob eam causam agentes qualitates dici, quoniam terminant, & per terminare definiuntur, quod est agere, siccitatem uerò & humiditatem patientes appellari, quoniam terminantur, & per terminari, quod pati est, definiuntur. cum itàq; causa ab Erasto assignata cum ratione Aristotelis non consentiat, eius secunda responsio ut falsa, & Aristoteli non consentanea etiam reijcienda est, minimè omnium tertia solutio probanda est. siquidem & Arist.

& sibi

& sibi ipsi pugnantia dicit, Aristot. quidem, quoniam quarto libro meteorum mixtorum generationem quæ non ex duplici halitu oriuntur, sed quę plantis, animalibus, uniuersisq; ipsorum partibus ut inquit in contextu. 2. & tamen in ea inquit, duas ut agentes, duas verò ut patientes qualitates conuenire, ut generationis definitionem legentibus liquido constat, secundo sibi met aduersatur, quoniam suæ tractationis fundamenta, iaciens non longè ab initio, inquit, Aristotelem in eo libro de mixtorum affectionibus pertractare, prout opera sunt primarum qualitatum ut duæ sunt agentes, duæ verò patientes, quarè non respectu meteorum, ut ait, sed etiam respectu generationis mixtorum perfectorum duæ ut agentes, & duę ut patientes conueniunt, in huius dubitationis solutione mihi longius immorandum non est, cum aliàs eam cumulatissimè pertractarim, resolutè itaq; dicendum est, qualitates primas, secundum priores ipsarum operationes, ut calefacere, frigefacere, humectare, & exiccare, omnes agentes, & patientes esse, nam sicuti calidum calefacit frigidum, & hoc frigefacit calidum, ità humidum humectat siccum, & hoc humidum exiccat. Secundum autem, posteriores earum operationes duæ quidem solùm agentes sunt, ut calor, & frigus, duæ uerò patientes tantum, ut siccitas, & humiditas, quoniam hæ terminantur, non terminant, illæ verò terminant, & uniunt, & quoniam in mixtorum generatione secundum has præcipuè operationes concurrunt, ut eo loci Aristoteles his uerbis declarauit, (ex his enim facta erant, & terminatum fuit humidum sicco, operantibus actiuis) idcircò in generatione mixtorum duæ ut agentes, duæ verò ut patientes conuenire dicuntur, & hæc est germana, ueraq; huius problematis resolutio, quò ad secundum verò difficultatem, de vsu frigiditatis in generatione mixtorum iuxta communem sententiam respondet Erastus, frigiditatem in generatione mixtorum hunc usum habere ut contemperet, refrenetq; excessum & urentem illam uim caloris, ne uehementius agat, quàm mixti naturæ conueniat, sed hac in re communem quoque errorē insequitur. siquidem frigiditas in generatione mixtorum hunc usum minimè habet, quod facilè ostendi potest, nam si frigiditas in generatione mixtorum concurrit ut calorem attemperet, igitur in generatione frigiditas ad ipsam caliditatem refertur quæ à frigiditate attemperatur. iam uerò in generatione ipsa non ad caliditatem, sed ad patientes qualitates ut ad humidum & siccum refertur, ut generationis definitio demonstrat, quæ passiuarum qualitatum transmutatio est ab agentibus qualitatibus ut a calore & frigore illis dominantibus, quid clarius? quamobrem

mobrem in generatione frigiditas hunc usum non habet ut in caliditatem sibi contrariam agat, ipsamque frangat, sed ut patientes qualitates disponat, implicant profectò ista duo, frigiditatem in generatione mixtorum conuenire, ut caliditatem contemperet, & frigiditatem in generatione ad caliditatem non referri ut qualitatem agentem, sed ad passiuas qualitates ut dictum est, ea propter resolutè dicendum est, frigiditatem in generatione mixtorum non hunc, sed duplicem alium usum habere. Vnus est, ut terminet humidum cum sicco, eisque cõsistentiam tribuat, vt declarauit contex. 3. cum dixit, ex his enim facta erant, terminatumque humidum cum sicco operantibus actiuis) quod etiam in definitione generationis indicauit, inquiens (generãt autem calidũ et frigidum cum uincunt passiuas, si autem non uincunt, fit molinsis,) certum est autem, quòd molinsis, ut legitur cap. de coctione, est interminata humiditas, igitur passiuis qualitatibus calidum & frigidum dominari debent, ut illas perfectè terminare possint, quò fit, ut frigiditas non ex accidenti, sed per se in generatione concurrat. nam cum in generatione concurrat, ut terminat humidum cum sicco. huiusmodi autem munere non secus ac calor in generatione fungatur, per se igitur frigiditas in generatione efficientiam habet. Alter frigiditatis usus est, vt calorem intrinsecus retineat, ne exterius euaporet, prout mixti partes densat, & in vnum compingit, quòd uerò calor & frigus uicissim sese attemperent, suosque remittant excessus, id in generatione non habent, sed in mixtione quæ generationẽ antecedit, ut antea ostensum fuit. Nec quempiam perturbare uelim peruulgatam illam propositionem, (frigiditatem per se non ingredi Naturæ opus. (siquidem in generatione mixtorum propositio ista locum duntaxat habet respectu formę introducendæ, respectu cuius nullam efficientiam habet, sed hoc caloris solum officium est: frigus autem, respectu materiæ per se concurrit, prout patientes qualitates, quæ ueluti materiæ sunt, disponit, & terminat, sed cum satis naturam putredinis inueniendi methodus explicata sit, nunc putredinis naturam persequamur.

DE NATVRA PVTREDINIS.

Putredo passiuarum qualitatum dominium est supra Agentes, propter Ambiens. Cap. IIII.

GRauis profectò, studiosisque omnibus maximè digna res est: quæ modo excutienda proponitur, q̃ non ità cõmuniter est animaduer-

sa ea autem, est, An præsens putredinis definitio quæ ab Arist. scribitur quarto meteorum, contex. 3. reipsa eadem sit, aut potius re distinguatur ab illa putredinis definitione, quæ ab Aristotele scribitur in contex. 6. quæ huiusmodi est, (putredo, est corruptio caloris proprij, & naturalis in unoquoque humido ab aliena caliditate, quæ ambientis est.) doctissimus Erastus *suum de re hac iudicium promens, inquit, priorem putredinis definitionem 3. contex. allatam, eandem non esse, sed amplo satis discrimine à posteriore putredinis definitione distingui, quæ tradita fuit in contex. 6. siquidem prior putredinis definitio illius est, quæ mixtorum generationi opponitur, quæuè naturalis mixtorum corruptio est, posterior uerò, illius putredinis definitio est, quæ mixtorum generationi non opponitur, sed quæ corruptio est secundum patrem, uiolenta, atque morbosa, cuiuè elementa, uno excepto igne, subiecta sunt, de qua paulo superius Arist. mentionem fecerat, nam cùm naturalis putredinis definitionem attulisset, animaduertens aliam potredinis speciem adinueniri, quæ corruptio est secundum partem, recessusq; à propria natura, ut eius natura conspicua redderetur, ipsius quinetiam propriam tradidit definitionem, ità ut hæ duæ putredinis definitiones non unius, sed diuersarum sint putredinis specierum. quam sententiam pluribus probare contendit, & primo in hunc modum, si utraque definitio naturalis putredinis est, eiusuè quæ mixtorum generationi opponitur, frustra philosophus posteriorem putredinis definitionem attulisset, satis enim erat priorem tradidisse, quæ cum posteriore eadem est. Secundo, utriusque definitionis idem sensus non est. in priore enim dicitur, esse dominium patientium qualitatum supra agentes: in posteriore uerò, calorem naturalem ab externo calore disperdi, atque corrumpi. quæ cum diuersum sensum habeant, idem profectò esse non possunt. accedit, quòd Arist. rem se maximè indignam egisset, nam putredinem naturalem bis definiuisset, alteram uerò putredinis speciem quæ propriè ab ipso putredo appellatur, minimè descripsisset, cuius tamen natura quinetiam explicanda erat. postremò, coronidis uice, hoc etiam addit, nunquam, & nusquam Aristotelem dixisse, naturalem putredinem fieri ab externo calore, non enim naturalis corruptio esset. siquidem quòd ab externa & uiolenta causa destruitur, secundum naturam non interit, quamobrem diuersæ putredinis definitiones erunt, prior sanè putredinis naturalis, posterior uerò illius quę corruptio secundum partem appellatur.*

Erasti sententia reijcitur. Cap. V.

TAmetsi doctissimi huius uiri sententia ijs rationibus suffulta sit, multa tamen sunt, quæ ipsam ab Aristotele penitus dissentire demonstrant, ex quibus illud primum est. Si posterior putredinis definitio illius speciei putredinis est, quæ corruptio est secundum partem, tunc Aristoteles (ut aiunt) in foribus, & sub ipsum definitionis initium aberraret, cum inquit, (putredo, corruptio est caloris proprij & naturalis) consecutio ità deducitur, definitio, si decenter tradita est, cuilibet contento sub definito competere debet. iam vero si huiusmodi definitio illius putredinis est, quę corruptio est secundum partem, cum sub hac elementorum putredo contineatur, ut paulo superius Aristoteles his uerbis declarauit, (at qui proprie putrescunt quæ secundum partem corrumpuntur, unde omnia elemēta putrescunt, excepto igne, &c.) igitur huiusmodi putredinis definitio elementorum etiam putredini conuenire debet, alioquin uitiosa esset. iam vero elementorum putredini minimè conuenit, siquidem putredo aquæ, & terræ non est corruptio caloris propij & naturalis, cum proprio calore expertes sint, ut omnibus compertum est. puto ab Erasto huic rationi hunc in modum satisfactum iri, quod licet in his elementis prout pura sunt calor naturalis & proprius non reperiatur, ut tamen putrescunt adinuenitur: cum autem putrescant prout impura sunt, alienisq; corporibus, & qualitatibus permixta, hoc pacto in his elementis calor naturalis reperitur, ac proindè putredo etiam elementorum naturalis, proprijq; caloris corruptio dici potest. sed hæc responsio nulla est, neque certè ex hoc laqueo doctissimus Erastus acri ingenio suo sese explicare potest. nam licet uerum sit, quod terra, & aqua vt sui puritatem seruant, non putrescant, sed prout impura sunt, & a propria natura dimouentur, ut eo loci Aristoteles declarauit, atque in his ut impura sunt, calor reperiatur, uerum tamen non est, quod huiusmodi putredinis definitio, huic elementorum putredini aliquo pacto conueniat, quoniam putredo quæ ab Aristotele describitur, est corruptio caloris proprij, & naturalis a calore ambientis per exitum et egressum caloris naturalis, ut philosophus in quit, [exeunte enim calore secum attrahit humidum] iam uero exitus & egressus naturalis caloris defectus est & diminutio ipsius, igitur putredo est corruptio & diminutio caloris. iam uero putredo terræ, & aquæ nō est corruptio & diminutio caloris, quinimmo tantum abest, ut propter di-

minutionem defectumq; caloris putrescant, ut potius à putredine liberentur, ad propriam naturam reuertantur. igitur huiusmodi putredinis definitio putredini elementorum non competit, quamobrem posterior putredinis definitio aut non est illius speciei putredinis quæ est corruptio secundum partem, aut definitio uitiosa est, cum non competat cuilibet contento sub definito. cum autem id minimè dici debeat, primum itàq; asserendum est. præterea, putredo quæ posteriore definitione describitur, fit per receßum caloris, dissolutionemq; humidi à sicco, terminaturq; in pulueres & terram, ut eò loci philosophus declarauit, inquiens, (exeunte enim calore secum egreditur humidum, undè quę putrescunt primum humida fiunt, deinde sicca, & tandem puluis, et terra,) nam calore naturali labefactato, & per exitum diminuto, qui antea humidum cum sicco retinebat, humidum à sicco disiungitur, quò fit ut corpora continuè aridiora fiant, & tandem puluis & terra. iam verò putredo quæ corruptio est secundum partem uniuersaliter non fit per dissolutionem humidi à sicco, ut patet in putredine aquæ, & terræ, quinimmo tantum abest ut cum in his humidum à sico dissoluitur, putrescant, ut potius à putredine liberentur, & ad puritatem, propriamq; naturam reuertantur, porrò terra cum humore, alienisq; corporibus permiscetur, impura redditur, & à propria eius natura dimouetur. cum uerò à sicco humor diuellitur, ad puritatem, naturalemq; statum reuertitur, non enim quempiam tam malè sanę mentis esse arbitror, ut affirmare audeat, cum terra puluis efficitur, humidumq; à sicco diuellitur, ipsam putrescere, pariter & Aqua alioquin frigida & humida cum sicco, alijsq; uaporibus commiscetur impura redditur. cum autem a sicco humidum secernitur, tantum abest vt putrescat, ut potius ad suam naturam reuertatur, vt in stagnantibus aquis satis conspicuũ est, neque certè illud uidemus, cum Aer, & Aqua putrescunt, in puluerem & terram reduci, quamobrem putredo secundum partem, non ea est quę posteriore putredinis definitione describitur, cum ea quæ sub huiusmodi putredinis definitione continentur putredini secundum partem uniuersaliter minimè conueniant. quinimmo si huiusmodi definitio penitius consideretur, nemo est qui apertissimè non uideat, definitionem hanc naturali putredini solum, quævè mixtorum generationi opponitur, conuenire. nam sicuti mixtorum generatio fit per unionem humidi cum sicco dominante calore, ita ex aduerso putredo ei opposita fit per dissolutionem humidi a sicco non amplius dominante calore. cum autem putredo posterius ab Aristotele definita ita sese habeat, fit enim non dominante amplius

plus calore, quod indicat, cum inquit, (putredo est caloris naturalis corruptio ipso exterius exeunte) certum autem est in exitu ipsum disperdi, nec amplius dominari. fieri autem per dissolutionem humidi a sicco, indicat, cum inquit, (exeunte calore suum etiam egreditur humidum.) certum autem est, quòd humidum cum exterius euocatur a sicco diuellitur atque dissoluitur, ex qua dissolutione illud consequitur quod addit, quę putrent continuè aridiora fieri, in pulueremque conuerti. igitur ea putredinis definitio eius putredinis speciei est, quæ naturalis est, generationique opposita, non autem, eius que corruptio est secundum partem, Accedit, quòd si hec putredinis definitio illius est quæ corruptio est secundum partem, quę elementis communis est. prior uerò putredinis naturalis quæ mixtorum generationi opponitur, profectò Aristoteles rem se maximè indignam peregisset, quoniam putredinem illam de qua agere proposuit, quę ue ad illius operis institutum propriè spectat, non solùm adumbratè, & obscurè, quinimmo imperfectè admodum definiuisset, neque causas, neque ipsius modum declarans. illam verò de qua agere non instituit, neque ad opus illud propriè attinet, apertius, exactèq; magis declarasset, quod tamen minimè dici debet, cum ratio ipsa, doctrinæque necessitas persuadere uideantur, ut illa magis exactè explicatiusque tractari debeant, quæ docenda proponuntur, ad institutumque magis spectant, quod consequitur ita deducitur, quoniam philosophus quarto illo meteorum suam intentionem proponens, de ijs mixtorum affectionibus agendum proponit, quæ a primis qualitatibus proficiscuntur, ut duæ agentes sunt, duæ verò patientes. quæ autem hæ sint dinumerans, inquit, ut sunt generatio eique opposita naturalis corruptio, quæ putredò nuncupatur. de ea itaque putredine tractare proponit, quæ mixtorum generationi opponitur. iam verò si prior definitio naturalis putredinis est, quę mixtorum generationi opposita est. posterior verò morbosæ, quæ corruptio est secundum partem, elementisq; communis; cum prior definitio obscura sit, & imperfecta, obscura quidem, quoniam inquit, esse dominium passiuarum supra agentes, propter ambiens. imperfecta uerò, quoniam omnes eius causas non declarat. nam ex Erasti sententia huiusmodi putredo fit a principio interno, vt a calore naturali, vt a causa præcipua, ab ambiente verò, vt a causa secundaria, & quasi ex accidenti. cùm autem Aristoteles primam causam non explicarit, sed secundariam quæ ambientis caliditas est, igitur non omnes eius causas declarauit. Neq; etiam modũ explicasset,

quomodo

quomodo huiusmodi putredo fiat, non enim satis fuit dixisse, quòd huiusmodi putredo dominium passiuarum sit supra agentes, propter ambiẽs, sed declarare opereprecium erat, quomodo huiusmodi dominium passiuarum supra agentes efficiatur. Cum uero posterior putredinis definitio explicatius, exacteque magis tradita sit, ut pote quæ naturam putredinis, omnesque causas declarat, nec non etiam modum quò fiat, propter exitum scilicet caloris una cum humido, ac proinde propter dissolutionem humidi a sicco, igitur putredinem de qua Aristoteles agere non instituit, multo clarius multoque perfectius definiuißet, quàm quæ tractanda proposita fuit, quod cum falsum sit, asserere quin etiam falsum est eam definitionem illius putredinis esse, quæ est corruptio secundum partem.

Opinio propria, qua prior putredinis definitio explicatur. eiusque unitas cum posteriore definitione ostenditur. Cap. VI.

E*A propter multo uerius dicendum est, posteriorem putredinis definitionem naturalis putredinis tantum esse quæ mixtorum generationi opposita est; quæ si rem ipsam, non uerborum superficiem perpendamus, à priore putredinis definitione neque re, neque sensu diuersa est. quam Aristoteles ita describit. [Putredo est dominium patientium qualitatem supra agentes propter Ambiens) quod ut facilius ostendam, totam Aristotel. sententiam eo loci in manum accipio, quę ita se habet, (ex his enim facta erant, & terminatum fuit humidum sicco, operantibus actiuis, hæ autem operantur, & terminant, cum dominantur, ut superius declarauit his uerbis (generant autem calidum & frigidum cum dominantur,) putredo autem fit cum dominantur passiuæ agentibus propter Ambiens) quibus uerbis ostendit, quòd sicuti mixtorum generatio fit actiuis qualitatibus dominantibus, & prę sertim calore passiuis uictis & terminatis: ità ex aduerso putredo, & naturalis mixtorum, corruptio fit non dominante calore, cuius defectu passiuæ qualitates super ipsum dominari incipiunt, ità ut eius uiribus non amplius regantur, & terminentur. sic enim oppositarum mutationum oppositę sunt rationes, & modi, ex quo sequitur, quod cum in putredine passiuæ qualitates dominentur, quoniam calor nõ amplius sicut antea dominatur. sed deficit atque corrumpitur profectò putredo nil aliud erit nisi defectus & corruptio caloris, ad quam dominium passiuarum*

siuarum qualitatum insequitur. huiusmodi autem dominiũ passiuarum, inquit, fit propter Ambiens non quidem proximè & immediatè, sed remotè, prout Ambientis caliditas naturalem calorem corrumpit: cuius corruptionem illarum dominium insequitur, nam quicquid est causa causæ, est etiam causa causati, cum autem Ambientis caliditas causa sit corruptionis caloris naturalis, hæc autem dominij passiuarum causa sit, Ambientis caliditas passiuarum qualitatam dominij causa etiam esse dicitur, omnesuè causæ quæ ad naturalis caloris defectum concurrunt, ad passiuarum quoque exuberantiam et dominium facere dicuntur, quã obrem prior naturalis putredinis definitio huiusmodi erit. putredo est naturalis caloris corruptio quam dominium passiuarum insequitur, ab ambientis calore profecta, & cum eadem præcise sit posterior putredinis definitio ab Aristotele allata, cum inquit, (putredo corruptio est caloris naturalis in unoquoque humido ab ambientis caliditate) igitur hę duæ definitiones re & sensu minimè distinguntur. Sed id discriminis tantum inter utramque reperitur. quòd prior putredinis definitio strictim cõcifeque ab Aristotele tradita est. posterior uerò explicatius, uberiusque allata fuit, quod sanè magnus Aristoteles animaduertens posteriorem naturalis putredinis definitionem, que explicitè magis naturam, causos modumque putredinis declararet, in medium afferre optimũ fore dijudicauit. præterea posteriorẽ putredinis definitionẽ à priore re. ac sensu minime distingui ea omnia ostendunt, quæ in posteriore definitione ab Aristotele explicantur, ut genus, causæ, modus, & accidentia. nam posterior definitio ea est, putredo, est corruptio caloris naturalis à calore ambientis, corrumpitur autem à calore ambientis per ipsius exitum, & egreßum, cum quo etiam egreditur, humidum, ex quo sequitur, quòd ea quæ putrent, primò fiant humida, deinde sicca, ac proinde humidum à sicco dissoluatur. enimuerò egrediente humore, sicco autem remanente, neceßario humor a sicco diuellitur, quamobrem integra posterioris putredinis definitionis ea erit, putredo, naturalis caloris corruptio est a calore ambientis per exitum unà cum humido, ac proindè per dissolutionem humidi a sicco. Iam uerò & prior putredinis definitio naturalis caloris corruptio est, quoniam cum putredo, quæ ibi descri bitur generationi mixtorum opponatur, sicut generatio fit dominante calore, ità ex aduerso putredo fit deficiente calore, quamobrem putredo est corruptio caloris, & licet Aristotel. eò loci id explicitè non dixerit, sed duntaxat putredinem esse dominium passiuarum, id tamen latenter indicauit, quoniam dominium passiuarum inopiam defectumque

caloris præsupponit, ut antea dictum fuit, caloris autem corruptio fit à calore ambientis, quod Aristoteles indicauit, cum dixit, (fit autem propter ambiens) quod uerò fiat per exitum & egressum caloris una cum humido, id etiã eo loci declarauit his uerbis (quæ putrescunt primo fiunt humida, deinde sicca) igitur in naturali putredine fit naturalis caloris corruptio per exitum ipsius una cum humido, ac proindè per dissolutionem humidi a sicco. Quamobrem & prior putredinis definitio est caloris naturalis corruptio a calore ambientis per ipsius egressum una cum humido, dissolutionemque humidi a sicco, et ex consequenti posterior putredinis definitio a priore re, ac sensu minimè distinguitur, et sicuti prior definitio naturalis putredinis est, pariter & quæ posterius tradita est: quam sanè priorem putredinis definitionem si doctissimus Erastus non ita in superficie uerborum, sed intimius perpendisset posteriorem putredinis definitionem re, ac sensu à priore distingui, non ita facilè enunciasset. Quæ uerò aduersus ueritatem hanc ab ipso obijciuntur, facilem explicationem habent. & ad primum quidem dicimus, post priorem traditam putredinis definitionem nõ frustrà Aristotelẽ alteram, seù rectius, eandem definitionem tradidisse, quoniam cum prior definitio, cõcisè, strictimque ac proindè obscurè tradita fuisset, eadem repetenda erat quę uberius, explicitèque magis eiusdem putredinis naturam, & causas declararet, neque illud uerum est quod secundo addit, utriusque definitionis eundem sensum non esse, quoniam licèt uerborum superficie eundem sensum habere non uideantur, re tamen utriusque idem sensus est. idẽ enim est dicere, putredo est dominiũ passiuarũ qualitatum propter Ambiẽs, ac si dixeris, putredo est naturalis caloris corruptio in humido ab ambiẽtis caliditate, ut antea ostensum fuit. Nec tertia ratio ullum ullum negocium facit, cum inquit, Aristotelem naturalem putredinem bis definiuisse, eam uerò quæ propria est & usitata, minimè explicasse. Nam licet verum sit, naturalem putredinem Aristotelem ob causam nuper allatam bis definiuisse, non propterea putredinem illam, quam propriam appellat Erastus, seù quæ competit elementis silentio prætermisit. Sed illam quidem in tex. 5. definiuit, ut suo capite demonstrabo. Ad id uerò quod postremo, coronidis uice addit, Aristotelem nusquam, nunquam uè dixisse naturalis putredinis causam esse peregrinum externumque calorem, sed fieri a calore interno per humidi consuptionem, fallitur, me herclè, quoniam Aristoteles primum putredinem describens, inquit, esse dominium passiuarum qualitatum propter Ambiens (certum est autem, ex ipsius etiam sententia, hanc naturalis putredinis definitionem esse,

igitur

igitur quandoq; Arist. nec longiore quidem uerborum interuallo à posteriore putredinis definitione, naturalis putredinis causam externum calorem esse asseruit, quinimmo nunquam Aristoteles dixit naturalem putredinem quę mixtorum generationi opponitur, ab interno calore proficisci per humidi consumptionem, nisi doctissimus Erastus naturalem corruptionem uiuentium, cum naturali mixtorũ corruptione ut mixta sunt, confundere velit, quod plurimos satis imprudenter facere animaduerte, quod si interna caliditas putredinis naturalis propria causa est, profectò in eius definitione ponenda erat, cum in definitionibus rerum causas habentium causę propriæ ponẽdę sint, eoq; magis quòd in eius definitione ambiẽtis caliditatem posuit, que causa secundaria est, communis etiã putredini posterius definitæ. quæ ex ipsius sententia putredo est secundum partem, igitur multò magis propria, princepsq; illius causa ponenda erat, nisi fortassè doctissimus Erastus nouum aliquod apud Aristot. dogma inuenerit, quo statuat, communem causam in definitionibus rerum ponendã, propriam verò prætermittendam esse. Ad confirmationem autem cum inquit, quòd id quod ab externa causa corrumpitur non naturaliter, sed ui, & præter naturam corrumpitur, gratis ab ipso propositio hæc vniuersalis assumitur, siquidem non omnis corruptio quę ab externa causa inducitur uiolenta est, & præter naturam putredo .n. quæ generationi opponitur in Ambiens ut in præcipuam causam ab Arist. refertur, cum inquit, putredo est dominium patientium qualitatum supra agentes propter Ambiens) & tamen huiusmodi putredo ipso etiam authore Erasto naturalis est, non autem violenta, neq; illud confugere potest, vt dicat huiusmodi putredinem ab interno rei principio ut ab interna caliditate humidum consumente præcipuè fieri à qua habet ut naturalis existat. Quoniam naturalem mixtorum corruptionẽ putredinem uocatam, per actionem internæ caliditatis in humidum minimè fieri inferius apertissimè demonstrabo, sed facile Vir doctissimus aduersus id quod dictum est, ità sese opponet. Nam libro de respirat. c. 7. Aristoteles corruptionem uiuentium diuidens in naturalem, & uiolentam eam inquit, naturalem esse, quę ab interno rei principio proficiscitur, illam verò violẽtam quæ ab externa causa inducitur, igitur & mixtorum putredo eodem modo sese habere debet, alioquin, si mixtorum putredo ab externo principio prodire potest, naturalisq; est, pariter & uiuẽtiũ corruptio tametsi ab externa causa indicatur, naturalis esse poterit, non aũt uiolenta. præterea, cõbustio, quoniã ab externa causa pendet. uiolẽta mixti corruptio eo libro ab Arist. dicitur igitur et putredo si

externam quoque causam habeat, uiolenta corruptio erit, alioquin combustio, non secus ac putredo naturalis dicenda erit, tametsi ab externa causa proficiscatur, profectò hæc probabilitatem aliquam habere uidentur, facilè tamen dissolui possunt, et ad primam instantiam dicimus, Animantia à Natura suę uitæ, naturalisque durationis periodum quandam, certumque terminum habuisse, in quam à primordijs usque generationis persistere possint. quem sanè terminum si attingăt, naturaliter interire dicuntur, quasi totum cursum, secundum Naturę ordinem peragrarint, unde huiusmodi corruptio. 5. phis. contex. 52. fatalis etiam ab Aristotele appellatur, soliusque Naturæ opus dicitur, ac proinde naturalis nuncupatur, quam sine mærore ac tristitia fieri libro de resp. ab Aristotele proditum est. quòd si antè legitimum illum terminum ab aliqua externa causa, ut morbo, uel igne, uel nimio circunstantis Aeris fulgore animantia interire cogantur uiolenter, præterque Naturæ ordinem interire dicuntur, ac si huiusmodi corruptio neque Naturæ opus sit, neque naturale uitæ periodum attigerit. Quoniam uerò mixta ut mixta sunt, periodum hanc à Natura sortita minime sunt. non enim quispiam affirmabit, Cadaueri, quod Animantis reliquiæ sunt, Naturam, periodum, suęque durationis certum terminum tribuisse, ea propter cum quo uis tempore corrumpi possit, eius corruptio tametsi ab externo principio proficiscatur naturalis esse potest, dummodo secundum modum mixto conuenientem efficiatur. Ad secundam autem dicimus, non eandem esse conditionem putredinis, & combustionis. siquidem hæc ab externo tantum fit principio, ab igne scilicet comburĕte: putredo uerò non solùm ab externo fit Ambientis calore, sed etiam ab interna frigiditate, ea propter combustio uiolenta corruptio ab Aristotele dicitur putredo uerò secundum naturam, uel multo melius dicendum puto, quòd cum philosophus statuit combustionem, corruptionem uiolentam esse, putredinem uerò naturalem, non respexit ad hoc, ut vna fieret à principio externo: altera verò ab interno. sed voluit putredinem naturalem esse, quoniam competit mixto ut mixtum est, & secundum eius naturalem dispositionem, siquidem cum mixtum genitum sit per unionem humidi cum sicco dominante calore, aptum natum est corrumpi per dissolutionem humidi a sicco eficiente calore. unumquodque enim naturaliter in ea dissoluitur, ex quibus componitur. combustio uerò uiolenta est, & præter naturam, quoniam fit secundum habilitatem & propensionem mixti ut mixtum est. si quidem mixtū inclinationem non habet ut corrumpatur per conuersionem in naturam alterius agentis. Sed cum iam satis ostensum

sum sit posteriorem putredinis definitionem a priore minimè distingui, nunc definitionem ipsam perpendo.

Putredo, corruptio est caloris proprij, & naturalis, in unoquoque humido, ab aliena ambientis caliditate, & ab interna frigiditate. Cap. VII.

QVamuis hæc putredinis definitio per se ipsam satis obscura, inuoluta que semper fuerit, eius tamen interpretes, medicique præsertim, eam vsque adeò adumbrarunt, eorumque ambagibus implicarunt, vt studiosi cum putredinis naturam, modum, & differentias se intelligere arbitrentur, penitus ignorent. quò fit, vt in ea explicanda summo studio, summaque diligentia opus sit. & licet aliàs definitionem eandē, primo dilucidationum libro fuerim interpretatus, non propterea turbetur quispiam, quoniam quæ alibi explicata fuere, vix summis labiis attingam. & quoniã in definitione hac tres præcipuæ partes reperiuntur, quarũ prima est, (putredo est corruptio caloris proprij, & naturalis in vnoquoque humido) altera uero, (ab externa fit caliditate, quæ ambientis est,) postrema (fit ab interna frigiditate,) ideò tres istas partes distinctè accuratè uè considerabo. Quò ad primum spectat, illud anteà considerandum est qua methodo, & via prima hæc pars definitionis ab Aristotele inuenta sit. porrò si definitio hæc illius putredinis esset, quæ corruptio est secundum partem, quæuè elementis communis est, nulla methodo, nullauè ratione ostensa esset. quod tamen maxime oportunum erat, cum prima hæc pars ambigua sit, maximeque de ueritate suspecta. siquidem non in omnibus elementis quæ putrescunt, calor proprius, & naturalis adinuenitur. præterea satis reconditum est, an elementorum putredo, sit corruptio caloris naturalis, & proprij in vnoquoque humido, quò fit ut maximè culpandus esset Aristoteles, qui primã hãc partē definitionis aliqua ratione non cõprobarit, maximeque de fecerunt doctissimus Erastus cæteriuè qui cum eo eiusdem extitere sententiæ, quippe qui asserentes definitionem hanc eius putredinis esse quæ corruptio est secundum partem, elementorumque peculiaris, non declararint vndè prima hæc pars definitionis ab Aristotele deducta sit, neque dici potest, ex eo deduci. quoniam, huiusmodi putredo mixtorum generationi opposita est. si quidem hæc putredinis species mixtorum generationi minimè aduersatur, vt etiam vltrò concedit Erastus,

cuius rei argumentum est, definitionem hanc non illius, sed naturalis putredinis esse, ut antea ostensum fuit. Cuius quidem prior particula ex eo deducitur principio quod anteà acceperat Aristoteles, uidelicet generationi mixtorum naturalem putredinem quàm latissimè sese opponere, deducitur autem in hunc modum, generatio mixtorum fit dominante calore naturali, igitur ex aduerso putredo, naturalisque mixtorum corruptio fit non dominante naturali calore, igitur putredo corruptio est & defectus naturalis, caloris, huiusmodi autem caloris corruptio, defectio est et imminutio caloris nō solū, ut naturalis, ut arbitratur Erastus, sed etiam ut calor, & secundum gradum, quod ex ipsa putredinis definitione ostenditur declarans enim philosophus, quonam pacto fiat huiusmodi caloris corruptio à calore ambientis per exitum inquit, & egressum caloris uerba hæc sunt, exeūte enim calore secum quoque humidum trahit) iam uerò per exitum calor non solum ut naturalis, sed etiam ut calor & secundum gradum imminuitur, igitur putredo est caloris corruptio non solum ut naturalis, sed etiam ut calor, quod etiam confirmat pars postrema definitionis, cum inquit, putredo est caloris naturalis corruptio ab interna frigiditate. certum est autem calorem à frigiditate secundum gradum frangi atque corrumpi, igitur putredo est corruptio diminutioque caloris secundum gradum, nō me latet doctissimum Erastum per internam frigiditatem non exponere frigiditatem realem quæ calori opponitur, sed priuationem caloris, quæ frigiditas dici potest, sed expositionem hanc falsam esse in expositione ultimæ partis demonstrabo, sed quid per calorē proprium & naturalē intelligat, non satis constat, recentiores nonnulli dixerunt his duabus uocibus nil aliud Aristotelem intelligere nisi calorem innatum, et implantatum, naturali autem, proprium adiecisse, ut distingueret calorem innatum ab influente, sicut etiam paulo post fecit in definitione concoctionis, calor enim influens inquiunt, & ipse naturalis est, quoniam a natura factus est, sed communis est, non autem proprius. quoniam a corde per omnes corporis partes dispensatur ad fouendum calorem innatum, sed hæc expositio minimè consistere potest, nam licet concedi possit Aristotelem per hæc duo calorem innatum intelligere, illud tamē nullo pacto uerè dicitur, proprium adiecisse ad differentiam caloris influentis, ut ostenderet putredinem huius corruptionem non esse, ut potè qui communis est, sed innati qui proprius existit ratio autem, ea est, quoniam Aristoteles in quarto libro meteorum de mixtorum affectionibus agit ut mixta sunt, non autem quo animata sunt, de generatione enim & corruptione horum ut animata sunt,

in libris de animaliqus pertractauit, ubi & generationem, & ipsorum interitum definiuit, & hoc studiosi præ oculis maximè habere debent, ut omnem confusionem aufugiant, iam uerò in mixtis ut mixta sunt duplex hæc caloris differētia nō reperitur innatus scilicet et influens à corde promanans per omnes corporis partes, nemo sanè affirmare audebit in cadauere, in extincta planta, in mineralibus ipsis, quæ etiam putredine afficiuntur calorem influentem ad sustinendum innatum adinueniri, igitur Aristoteles proprium non adiecit ad ostendendum putredinem corruptionem non esse caloris influentis. Accedit, quòd si propter eam causam Aristoteles proprium addidisset, opus quidem non erat his duplicatis vocibus vti, sed dixiße sibi satis erat, (putredo, est corruptio caloris proprij,) uam cum calor naturalis proprium non inferat, vt aiunt ipsi, quoniam influens naturalis quidem est, non tamen proprius, sed proprius naturalem inferat, igitur vnico termino vti satis erat, eoq; magis quòd in definitione putredinis proprius naturalis præponitur, ex quo sequitur, illud etiam falsum esse in definitione coctionis, cum inquit, (Concoctio perfectio est à calore naturali: ex proprio &c.) ob eandem causam naturali proprium addidiße, nam cum in quarto meteorum, vt ante à dictum fuit, de affectionibus mixtorum agat, vt mixta sunt, igitur de concoctione agit, vt est paßio mixti, vt mixtum est, in quo cum calor influens non reperiatur, igitur non ob eam causam vt aiunt, naturali proprius adiectus fuit, ea propter multo verius dicendum puto à methodo. iam proposita nihil prorsus recedens per hæc duo internum insitumque mixtorum calorem Aristotelem intellexiße. cæterum his duabus vocibus vsum fuisse, non vt caloris naturam exprimeret, sed modum tantum ipsius, enim verò calor in generatione mixtorum duobus modis sese habere debet. primo enim supra humidum & siccum dominari debet, secus non generaret; neque humidum cum sicco perfectè terminaret, vt in definitione generationis declarauit, sed quoniam calor nō pari mensura, æqualiuè portione in omnibus mixtis, eorumq; partibus dominatur, siquidem non omnia mixta parem caloris mensuram sibi præscribunt, sed multo diuersam, prout multiplex est diuersaque mixtorum natura, ea propter calor in quolibet mixto non solum dominans, sed etiam mixto commensuratus esse debet. iam uerò, vt dominās est supra humidum naturalis dicitur, vt in fine capitis de putredine Aristot. ipse indicauit, inquiens, (segregata enim caliditas naturalis existens facit constare quæ segregata sunt) quibus verbis caliditatē mixti putrescentis quę dissoluitur, naturalē appellat prout facit cōstare, hoc

est

est, pro ut vnit & copulat humidum, quod in putredine dissoluitur, cum ipso sicco, pro illorum animalium ortu, quæ in putredine oriuntur, iam verò caliditas vnit humidum cum sicco, pro vt illis dominatur, igitur calor, naturalis dicitur, pro vt passiuis qualitatibus dominatur, quod etiam cap. de coctione repetiuit, nam cum dixisset, quòd coctio à naturali calore absoluitur, declarans autem cap. de maturatione quid per naturalem calorem intelligat, inquit. calor autem naturalis dicitur cum proportionem supra humidum habet, vt ipsum terminare queat. proprius autem dicitur, vt huic, & illi mixto commensuratus est. nam prout secundum talem mensuram reperitur in hoc mixto, secundum quam non reperitur in alio, profectò huic mixto proprius esse dicitur, quamobrem horum uerborum hic sensus erit, putredo, est corruptio caloris naturalis, & proprij, idest dominanti, & mixto proportionati. quæ expositio ex eadem radice dependet. nam cum putredo mixtorum generationi opponatur, sicuti mixtorum generatio fit, cum calor dominans est supra humidum, & naturæ mixti commensuratus, ac proindè vt naturalis, & proprius, ita ex aduerso putredo fit cum non amplius humido dominatur, neque mixto proportionatus est, vt potè cum corrumpitur calor naturalis & proprius. sic enim affectus affectui contrariatur. cur autem in definitione putredinis proprium naturali præmiserit, in definitione autem, coctionis e contra naturalem proprio, quod summa animaduersione dignum est, & à paucis animaduersum, priore dilucidationum libro explicatum fuit. interim illam partem perpendo, cum inquit, (in unoquoq; humido,) recentiores quidam medici viri alioquin doctissimi partem hanc exponentes, inquiunt, quòd cum humidum triplex sit, elementare, quod etiam complexionale dicitur, alimentarium, & excrementitium, Aristoteles cum dixit, in unoquoq; humido, triplex hoc humidi genus complexus est, ut in hoc triplici humido putredinem fieri indicaret. cæterum sententia hec ab Aristotele penitus abhorret, quoniam, ut anteà dictum fuit, Aristoteles in quarto meteorũ de mixtorum affectionibus agit ut mixta sunt. iam verò in mixtis quà mixta sunt triplex hoc humidum non reperitur. non enim in cadauere, putrescibili ligno, atq; in mineralibus humidum alimentarium adinuenitur. Accedit, quòd ex ipsorum sententia definitio hæc illius putredinis est, quæ est corruptio secundum partem, elementisq; communis. certum est autem, quòd in elementis triplex hoc humidum non reperitur, quis enim, obsecro, affirmare audebit, in elementis quæ putredine afficiuntur. humidum alimentarium adinueniri? quamobrem per vnumquodq;

quodq; humidum triplex hoc humidi genus Aristoteles non intellexit. resolutè itaq; dicendum est, per unumquodq; humidum quod elementare est Aristotelem tantum intellexiße, quod sanè duplex est, unum aeris, & alterum Aquæ. quam veritatem principium illud persuadet, quod nuper acceptum fuit, in quarto meteorum ab Arist. affectiones mixtorum pertractari, prout mixta sunt. iam uerò in his humidum dun taxat elementare vt Aeris & Aquæ adinuenitur. igitur per vnum quodq; humidum quod elementare est, solum intellexit, idq; methodus illa nobis ab Aristotele proposita apertissimè ostendit. nam putredo mix torum generationi opposita est. iam vero mixtorum generatio vt mixta sunt, fit propter dominium caloris supra humidum elementare Aeris, & Aquæ, quod vna cum sicco terminatur. igitur ex aduerso putredo ei opposita fit propter defectum dominij caloris circa idem humidũ elementare Aeris, & Aquæ. sic enim contrariorum contrariæ sunt definitiones, quamobrem putredo corruptio est caloris proprij & naturalis in vnoquoq; humido elementari, quod amplius à calore terminari, nõ potest, qua in re studiosos monitos esse velim, Aristotelem non dixiße putredinem esse corruptionẽ caloris ab humido, neq; ob defectum humidi, neq; corruptionem caloris cum humido, sed in vnoquoq; humido, non dixit quidem ab humido, quoniam in interitu mixti vt mixtum est, de quo agitur quarto meteorum, non corrumpitur calor per suffocationem ab humido, sed hic corruptionis modus caloris in animalibus reperitur, in quibus calor ab humido obruitur, & per suffocationem corrumpitur: neq; dixit ob defectum humidi, quoniam in naturali mixtorum interitu, qui putredo dicitur, calor non corrumpitur ob humidi defectum, sed potius caloris corruptio humidi inopiam, & dissolutionem præcedit, vt philosophus inquit eò loci, (exeunte enim calore, ac proindè per exitum deficiente secum diffluit, humidumq; euaporat,) quod etiam ipsa rei natura docet, nam cum calor mixti vniat, terminetq; humidum cum sicco, haud fieri potest, vt humidum dißoluatur à sicco, nisi prius calor mixti deficiat, & corrumpatur. porrò hic caloris intereundi modus ob humidi defectũ in viuentibus sicut & prior adinuenitur, neq; dicitur corruptio caloris cum humido, quoniam in violenta mixti corruptione, quæ combustio est, vt legitur quarto illo meteorum, calor cum humido corrumpitur, siquidem ab igne vrente humidum accenditur atq; consumitur: nec non & in putredine morbosa quæ similis est exustioni ex nimio æstu calorisq; ardore, vt in æstuantibus febribus contingit, humidũ ipsum corrumpitur, sed in putredine quæ naturalis est mixtorum corru

ptio

ptio non corrumpitur calor una cum humido, sed humidum diffluit, & a sicco dissoluitur, ac proindè dixit, putredinem esse corruptionem caloris in humido, a quo autem fiat huiusmodi caloris corruptio his verbis declarauit.

Corruptio caloris fit ab externa caliditate quæ ambientis est. Cap. VIII.

QVæ sanè causa his medijs, & signis ab Aristotele inuenta fuit, quæ posterius ab ipso allata fuerit, primo quidem ex anni temporibus, & locis, porrò ipsa rei euidentia ostendit, frigidioribus anni tēporibus, pariter & locis mixta difficile putrescere, contra verò temporibus, calidisq; locis facilè putrefieri, quod cum non ob aliam causam contingat, nisi quia in his ambientis calor maximè viget, igitur putredo est corruptio caloris à calore ambientis, id etiam alijs sequētibus signis persuadet, quæ breuitatis causa prætermitto, sed quid per calorem ambientis Aristoteles intelligat, non cōuenit apud omnes, putauit Erastus, cuius etiam sententiæ medici ferè omnes extare uidentur, per calorem ambientis calorem omnem Aristotelem intelligere qui proprius non est rei quæ putrescit, sicut sunt calor Aeris, Aquæ nec non & terræ, pariter & fulginosi uapores qui in corpore continentur, quippè qui proprium calorem inquiant, atque immutant, sed expositio hæc non satis Aristoteli consentire videtur, siquidem philosophus cò loci ostēdens corruptionem caloris in putredine ab ambientis calore proficisci, solum de Aere, & Aqua mentionem fecerit, igitur sub ambientis caliditate Aeris et Aquę tantum caliditas continetur, quod si pręter horum duorum caliditatem, & terræ caliditas, fumosorumq; halituum vt effectrix causa concurrat, Aristoteles integram, vniuersalemq; causam non explicasset, cum præter caliditatem ambientis Aeris, & Aquæ cui corruptionem caloris acceptam refert, aliorum etiam corporum caliditas concurrat, præterea si halitus, fulginosiq; vapores sub ambientis caliditate vt causa continerentur, statim prima pars definitionis collaberetur, siquidem putredo dicitur esse corruptio caloris per exitum, & egressum, calor autem, per exitum diminuitur, & remittitur, à fuliginosis autem uaporibus intra corpus conclusis calor intenditur, & plus iustò augetur, igitur si ab his putredo promanaret, putredo intensio caloris esset, non autem defectus, & diminutio, ac proindè prima pars per secunda destrueretur, scio doctissimum Erastum huic rationi respon-

surum,

surum, ut alias dicere consueuit, quod putredo est intensio caloris, & est defectus eiusdem, nec ista duo pugnãt inter se, nam putredo est defectus, & corruptio caloris, ut naturalis est, eiusdem uero intensio ut calor est: quamobrem licet putredo a fuliginosis uaporibus proficiscatur, calorque intendatur, non propterea prima pars definitionis destruitur, responsi- hæc reiecta superius fuit, nam cum putredo sit caloris corruptio per exitum ipsius, in exitu non solum corrumpitur ut naturalis, sed etiam ut calor, & quo magis exterius euocatur, eo magis secundum quantitatem imminuitur, ut in corporibus nostris liquido constat, in quibus per estatem meatibus reseratis, cum calor naturalis exterius educitur secũdum gradum imminuitur, ita ut quandoque animalia propter nimiam caloris exhalationem per exitum ad interitum deducãtur, itaque cum putredo sit caloris corruptio non solum ut naturalis, sed etiam ut calor igitur putredo nõ potest esse intensio caloris ut calor est, quod ex eò facilè confirmari potest, quoniam cum putredo sit caloris corruptio ab interna frigiditate, certum est ab hac calorem ut calor est, & secundum gradum frãgi, atque remitti quò fit ut putredo non sit caloris intensio ut calor est, & proinde sub ambientis caliditate fuliginosos uapores minimè contineri. Sed dubitauit Erastus si putredo ab ambientis Aeris, & Aquæ caliditate proficisci potest, cur, à caliditate terræ eadem ratione induci non potest? Miror doctissimum, summique iudicij hominem, huius rei causam non animaduertisse, causa ex ipsa putredinis definitione elicitur, cuius officium est difficultates occurrentes repellere, nam cum putredo sit naturalis caloris corruptio per exitum ipsius à calore ambienits, igitur calor ambiens uias, meatusq; putrescentis corporis laxare, aperireque debet, ut naturali calori ad exitum aditus patefiat, cum autem caliditas inexistens terræ cum sicco coniuncta sit, uias, meatusque potius occludit, quò minus calor naturalis mixti extra educi possit, ea propter terræ caliditas putredinem inuehere non potest, sicut etiam neq; caliditas ignis in putredine partes habet, tùm ob id, tùm etiã quia putredo fit per dissolutionem humidi à sicco, à calore autem ignis humidum accẽditur, atq; absumitur, ea propter exustionem potius quàm putredinem inducit. Vndè diuinus Aristoteles isthæc animaduertens sub ambientis caliditate hæc duo minimè complexus est. neq; in putredine efficientiam ullam habere uoluit, quoniam uero Aer, & Aqua, cum calida & humida sint, (Aqua tamen calida ex accidenti à calore solis) uim habent laxandi, aperiendique ac proinde calorem mixti exterius educẽdi, idcircò sub nomine Ambientis hæc duo tantum cõplexus est, ijsq. duobus tantũ

 putredi-

putredinis causam acceptam refert, cæterum hic ea oboritur dubitatio, cum corruptio, omnisq; actio a contrario fiat, calor autem calori non aduersetur, quonam pacto calor mixti a calore ambientis corrumpi potest; duplicem huic dubitationi doctissimus Erastus solutionem tradit. prima est, calorem mixti à calore ambientis corrumpi, non quia calor ambientis agat, in calorem mixti, sed quoniam in subiectũ caloris agit, ad cuius interitum mixti calor etiam corrumpitur, sed hæc responsio Aristotelem contra se habet, si quidem eo loci philosophus inquit, quod in putredine prius deficit calor quàm humidum, quoniã non dissoluitur ac deficit humidum, nisi exeunte ac proindè deficiente calore. Altera solutio est; calorem mixti à calore ambientis corrumpi per actionem huius in illum. ad instantiam autem, cum dicebatur, calorem calori minimè sese opponere; respondet, quòd licet calor ambientis calori ipsius mixti ut calor non opponatur, tamen ut talis, uel tantus hoc est, ut dispar est dissimilisque secundum gradum ei opponitur, dissimilitudo enim quædam oppositio est, quæ ad actionem satis esse uidetur, sed nec secunda hæc responsio Aristoteli consentanea est, si quidem dissimilitudo secundum gradum ad actionem non satis est, sed dissimilitudo requiritur secundum formam, & speciem, ut primo de ortu & interitu ab Aristotele cap. de actione & passione proditum est, ubi declarans quomodo agens & patiens similia esse debent, inquit, similia esse genere, dissimilia uerò specie, & hoc utitur ratiocinio, similia genere, & dissimilia specie sunt contraria, Agens & patiens sunt similia genere, & dissimilia specie. igitur agens, & patiens sunt contraria, quod etiam ut inquit reciprocat, contraria sunt similia, genere, & dissimilia specie, agens, & patiens sunt contraria, igitur sunt dissimilia genere, & dissimilia specie, licet ergo calor ambientis secundum gradum dissimilis sit calori mixti, cum tamen forma dissimilis non sit, in ipsum actionem suam exercere non potest, secus itaque dicendum est, corruptionem, actionemque omnem per se à contrario fieri, ex accidenti autem a simili. iam uerò calor mixti in putredine a calore ambientis hebetatur et imminuitur, non quidẽ perse, sed ex accidẽti, ꝑ exitũ & egressum ipsius, ut eò loci ab Arist. proditũ ẽ.

An præter externam ambientis caliditatem, alia sit effectrix putredinis causa, & quæ sit. Cap. IX.

ARistoteles, cum sub initium quarti meteorum de primarum qualitatum effectibus, ut duæ sunt agentes, duæ uerò patientes differere insti-

re instituisset, de illis primum se dicturum proposuit, quæ ratione frigiditatis, & caliditatis mixtis contingunt, inter quas generationem, & putredinem quæ corruptio est illi opposita, dinumerauit, quò fit ut generatio & putredo opera frigiditatis & caliditatis efficiantur, & ex consequenti in putredine non solum externa caliditas, sed etiam frigiditas efficientiam habeat, sed quoniam frigiditas duplex est, alia externa, alia uerò interna, & inexistens mixto, quæ frigiditas sit putredinis causa considerandum est non defuerunt ex philosophis & medicis qui dicere ausi sunt externam frigiditatem effectricem putredinis causam esse. Sed hi ab Aristotele allatam de putredine definitionem oscitãter admodum perlegisse uidentur, si quidem philosophus putredinis definitæ causas concludens inquit, (Quare putredo communis affectio est externæ caliditatis, & internæ frigiditatis,) præterea si externa frigiditas putredinis causa esset, tunc pugnaret causa cum putredinis modo ab Aristotele assignato, Quoniam putredo, est corruptio caloris naturalis per exitum ipsius una cum humido, externa uerò frigiditas intrinsecus naturalem calorem repellit, egreßumque prohibet, cum externa frigiditas denset, corporisque meatus occludat, quamobrem si Aristoteles definitæ putredinis externam frigiditatem, ut aiunt, effectricem causam esse uoluißet, profectò causam cum modo putredinis repugnantem assignasset, quod certè nullus sanę mentis homo dicere audebit: erit itaque præter externam caliditatem, alia putredinis causa frigiditas interna, quam sanè Aristoteles eò loci hunc in modum deduxit. putredo, corruptio est defectusque caloris naturalis. sed ad caloris naturalis defectum interna frigiditas intenditur, & augetur, quoniam quò magis unum contrarium imminuitur, eo magis alterum contrarium intenditur, & supra illud vires acquirit. iam vero interna frigiditas adaucta, supraque calorem mixti potentior facta, in ipsum agit, ipsumque quousque frangit, & corrũpit, vt amplius humidum cum sicco retinere non possit, igitur putredo est naturalis caloris corruptio non solum à caliditate externa, sed etiam à frigiditate interna, putauit doctissimus Erastus Aristotelem nomine frigiditatis, realem frigiditatem non intelligere quæ caliditati opposita est, sed driuationem caloris, enim verò defectus, priuatioque caloris frigiditas dici potest, sententia hæc consistere minimè potest, & primum Aristotelis progressum perpendo: inquit enim, putredo est defectus, corruptioque caloris, declarans autem, à quo huiusmodi corruptio fiat, ab externa, inquit, caliditate, & ab interna frigiditate. iam verò externa caliditas, & interna frigiditas in eadem serie, eodemq; ordine causæ ab

Aristotele reponuntur, sicut itaq; externa caliditas ponitur in genere causæ efficiētis, pariter et interna frigiditas, si ergo interna frigiditatis, ut idem est quod priuatio caloris accipitur, idem erit quod sit, & causa efficiens à qua depēdet, sensusq; erit iste, putredo, priuatio est defectusq; caloris naturalis ab externa caliditate, & ab interna frigiditate, sed cū hæc nil aliud sit, nisi priuatio caloris naturalis, & proprij, igitur priuatio caloris a priuatione, ut ab effectrice causa dependet, qui quidē sensus an sit Arist. dignus, aliorum sit iudicium, præterea Aristot. sub initium quarti meteorū, ut etiam concedit Erastus de affectibus primarū qualitatū ut duæ agentes sunt, & duæ patientes tractare instituit, & primo de ijs disserere quæ ratione caloris et frigiditatis mixtis cōtingunt, inter quas putredo ipsa connumeratur, igitur putredo conuenit mixtis ratione caloris & frigiditatis, quæ est qualitas realis caliditati opposita, cum autem, ex Arist. sententia, putredo ab externa caliditate, & ab interna frigiditate originem ducat, igitur interna frigiditas priuatio caloris non est, sed frigiditas positiua quæ caliditati opposita est, quamobrem resolutè statuendum est, putredinem ab his duabus causis proficisci, ab externa caliditate, & ab interna frigiditate reali & positiua, cū his obstructionē quoq; concurrere existimauit Erastus, sed dij immortales quò modo in re clarissima doctissimi uiri turpiter hallucinātur, nam si obstructio putredinis definitæ causa esset, tunc ediametro causa pugnaret cum modo putredinis ab Arist. assignato, enim verò putredo ab Arist. definita, est corruptio caloris naturalis per exitum & egressum ipsius, obstructio prohibet exitum calorisq; egressum, igitur obstructio huius putredinis causa esse non potest. Vndè Erasti partes, & quorundam aliorum esse uidebantur, declarare (si tamē eam partē definitionis animaduerterunt) quonam pacto hæc duo putredini definitæ accomodari possint, obstructionem putredinis causam esse, & putredinem per exitū caloris corruptionem esse, cum obstructio exitum caloris prohibeat, hic vero obstructionem e, medio tollat, ex quo inuinctum certè argumentum desummi potest, putredinem hanc ab Arist. definitam eam non esse quę morbosa est, & ex qua putridæ nascuntur febres, ut ait Erastus, cū morbosa putredo ex obstructione quidem oriatur putredo autē, hæc quæ ab Arist. definita est, per exitum caloris fiat, omnemq; obstructionē repellat, solum itàque definita putredo externæ ambientis caliditati, & internę frigiditati vt causis accepta referri debet. Cæterū licet hæ duæ qualitates putredinis agentes causæ sint, ordine tamen inter se differunt, & agēdi modo, ordine quidā, quoniā externa ambientis caliditas est in or-

dine

dine prima quę naturalem mixti calorem imminuit, atque corrumpit, interna verò frigiditas posterior est, & ordine secunda, siquidem externæ caliditatis actionem præsuppouit, & non nisi aliqua ex parte à caliditate ambientis dissipato calore mixti, in ipsum agit, atque corrumpit, ut eo loci ab Arist. proditum est, differunt quinetiam agendi modo, siquidem externa caliditas ex accidenti mixti calorem corrumpit, utpotè per exitum, & egressum ipsius, interna uerò frigiditas per se eundem frangit, & corrumpit, quoniam contrarium per se in contrarium agit, illudq; per se corrumpit. Hinc illud colligi debet, putredinem, naturalēq; mixtorum interitum non omnino ab intrinseco, neque penitus ab extrinseco, sed partim ab intrinseco, partimuè ab intrinseco proficisci, undè maximo discriminis interuallo à naturali uiuentium corruptione distinguitur, quoniam hæc ab interno principio solum proficiscitur, neque à contrario inducitur, ut libro de respiratione Aristoteles testatum reliquit. cæterum, circa ea quæ dicta sunt, ea oboritur dubitatio, nam cum ex Aristotele quarto meteorum non solùm calor, sed etiam frigus uim terminandi habeat humidum cum sicco, igitur in putredine cum interna frigiditas dominetur, easdemq; retineat vires, licet naturalis mixti caliditas deficiat, adhuc unio, terminatioq; humidi cum sicco seruari deberet, ac proindè mixtum consistere, Nodus hic ità dissoluitur, quòd licet calor, & frigus terminandi vim habeant humidum cum sicco, magis præcipuè tamen huiusmodi uis calori quàm frigori insita est, quò fit, ut in putredine licet interna frigiditas dominetur, suumq; retineat robur, quia tamen calor naturalis dissoluitur & corrumpitur, quippè qui præcipua potestatem habet terminandi; retinendiq; humidum cum sicco, ea propter humidum à sicco dißoluitur, mixtumq; putrescit, ità ut vires internæ frigiditatis etiam dominantis absque dominio caloris ad retinendum humidum cum sicco satis esse non possint. Quibus omnibus sic explicatis, illud minimè reticendum puto, Galenum 11. methodi capitulo 8. putredinem quoque his verbis definiuisset, (putredo, est mutatio ad corruptionem totius substantiæ putrescētis ab aliena ambientis caliditate,) quæ sanè definitio ab hac putredinis definitione minimè distinguitur, quæ ab Aristotele tradita est, sicut etiam in hoc rectè sentit Erastus, Quo fit, ut quemadmodum hæc Aristotelis definitio naturalis putredinis est, non autem morbosa, & quæ corruptio est secundum partem, ita etiam Galeni definitio eiusdem putredinis existat, quod et Galeni uerba satis apertè indicare uideantur cum inquit, (putredo corruptio est totius substantiæ putrescentis,) ab eo itaq; definitur putre-

do quæ totius substantiæ est. hæc autem uniuersalis, ut eius uerbis vtar, putredo est, igitur putredinis definitio à Galeno tradita non morbosæ, & particularis, sed naturalis, non secus ac Aristotelis definitio censeri debet. quamobrem illud non satis verè dictū arbitror, quod paulo post aßerit pagina 44. Galenum, medicosq; ipsos de naturali putredine, quæ naturalis est, mixtorum interitus ne verbum quidem pertractasse. Nam dicat, obsecro, si Aristoteles in quarto meteorum libro, vbi de generatione mixtorum, eorundemq; naturali interitu, qui putredo nuncupatur, differere tantum instituit, morbosam tamen putredinem, quæ vè corruptio est secundum partem, quæ neq; ad naturalem philosophum spectat, neq; de ipsa pertractare instituit, docere vt neceßarium dijudicauit, ut inter banc, & naturalem putredinem differentia intelligeretur, cur etiā medicis, & Galeno de morbosa putredine dißerentibus, opus non fuit, concisis saltem uerbis, naturalem putredinem edocere, ut huius ab ea, quæ morbosa est, differentiam explicarent, non secus ac ab Aristotele factum est, liceat mihi hoc in loco eodem ratiocinio vti, quo ipse vsus
„ est pagina. 46. vbi hæc scribit, Rem sanè indignam se fecisset Ari-
„ stoteles, si impropriè putredinem quæ naturalis est mixtorum inte-
„ ritus, à se solo sic nominatam putredinem bis definiuisset, propriè
„ verò dictam, quæ sanè morbosa est & violenta omnibus notam non
„ semel quidem definire aggressus fuisset, pariter dixerim ego, rem cer
„ tè indignam feciſset Galenus, si tàm crebrò morbosam putredinem docuißet. Alteram uerò putredinis differentiam quæ naturalis est, ne semel quidem summis labijs attigißet. Cæterum dubitauit Erastus, si utraq; putredinis definitio eadem est, cur verbis adeò disparibus rem unam & eandem Galenus & Aristoteles expresserunt, Respondens
„ autem, pagina 43. hęc scribit ad uerbum, suspicor in causa hoc fuis-
„ se, quòd Galenus studuit clarius eloqui, quæ suo more Aristoteles breuius dixerat atque obscurius. Sed hęc responsio mihi non admodum probatur, quoniam si utranque definitionem spectemus, latior, dilucidaq; magis videtur Aristotelis, quàm definitio Galeni. siquidem Aristotelis definitiò causas omnes putredinis declarat externam scilicet Ambientis caliditatem, & internam frigiditatem. modum quinetiam explicat, quo ab Ambientis caliditate putredo inducatur, quæ certè Gal. non agit: non enim omnes putredinis causas declarat, sed solum inquit, putredinem substantiæ putrescentis corruptionem propter ambiens, nec modum explicat, quo peregrinus calor putredinem inducat, ea propter arbitror ego ob aliam causam disparibus nominibus Arist. & Galenum

eandem

tandem putredinem expressisse, Aristotelem quidem per corruptionem caloris, Galenum verò per corruptionem substantię putrescentis, siquidem Aristoteles vt medium, & pro alteratione vt aiunt, præcedente, putredinem definiuit, vt potè quæ per naturalis caloris interitum efficiatur. sicut etiam paulo superius mixtorum generationem per dominium caloris supra qualitates patientes descripsit. ut itaq; putredinis definitio generationis definitioni opponeretur per caloris defectũ putredo ab ipso definienda erat. Galenus verò putredinem formaliter, & ut terminum definiuit. quoniam verò putredo formaliter ipsius substantiæ, non autem caloris propria passio est, idcirco Galenus putredinem per substãtiæ corruptionem expressit. & hæc (ni fallor) vera causa est, cur eiusdem putredinis dissimilem ambo tradiderint definitionem, non autem quia vnus clarius, Alter verò Aristoteles obscurius loqui studuerit, ut inquit ipse, certò scio, doctissimum Erastum statim nobis ità sese opponere, Aristotelem non secus ac Galenum putredinem formaliter, & per substantię corruptionem definire. quoniam cum inquit, putredinem naturalis caloris corruptionem esse, nomine caloris non nudam simplicemq; qualitatem intelligit, sed totum temperamentum, compositumquè, quod Galenus (inquit) totam substãtiam appellauit. cuius uerba pagi- »na 55. & 56. huiusmodi sunt. qua propter grauiter errat, qui per cali- »ditatẽ putat Arist. simplicem, patibilemq; qualitatem intellexisset. non enim putredo caloris & qualitatis passio est, sed mixti vt mixtum est, sed ab Aristotel. sententia profectò abhorret. siquidem Aristoteles vult putredinem illius caloris corruptionem esse, qui in generatione vincit, humidoque dominatur. iam verò calor qui in generatione dominatur, quinè generationis est author simplex qualitas est, & in tertia qualitatis specie collocatur. igitur & putredo, quæ fit eodem non amplius dominante calore, humidumque terminante, est corruptio caloris qui simplex qualitas est. minor propositio ex Aristotelis progreßu facilè ostẽdi potest. nam cùm philosophus in contex. primo quarti meteorum duas illas accepißet hypoteses, quarum prima fuit quatuor esse qualitates primas, quæ sunt principia elementorum. Altera uerò, primarum qualitatum duas agentes eße, duas verò patientes. in contex. 2. suam proponens intentionem, inquit, de effectibus istarum primarum qualitatũ agendum eße, ut duę agentes duæ, verò patientes sunt. effectus autem declarans qui, à primis his qualitatibus proficiscuntur, inquit, vt generatio, huic opposita putredo, pariter & concoctio &c. generatio itaque est effectus illius caloris, qui est principium elementi. hic autem est simplex

plex & patibilis qualitas, cum autem putredo fiat eodem calore non amplius dominante, igitur putredo est corruptio caloris qui patibilis simplex vè qualitas est, cum autem philosophus inquit, (putredo est corruptio caloris) propositio non est formaliter intelligenda, ita ut putredo sit caloris affectio, quoniam putredo formaliter est corruptio substantiæ, & mixti, ut mixtum est, sed causaliter, intelligi debet, uidelicet putredo fit per interitum & corruptionem caloris, non secus ac, cum dicitur, generatio est mutatio patientium qualitatum, calorisque dominium, causaliter, & antecedenter ab Arist. intelligitur.

Quid sit putredo propriè dicta quæuè, elementis contingit. Cap. X.

QVoniam doctissimus Erastus putauit, si iam exposita putredinis definitio illius sit, quæ naturalis est, quæ uè mixtorum generationi opponitur, eam bis Aristotelem definiuisse, illam uerò quæ propriè dicitur, quæ uè competit elementis ne uerbo quidem attigisse, quod rationi non satis consentire uidetur, quoniam cum hæc putredo propria sit, & (ut inquit) usitata magis, eius certè natura explicanda erat, ea propter me operepræcium facturum existimaui si demonstrauero, Aristotelem tametsi naturalis putredinis naturam perfectè declarare studuerit, non propterea illam, quæ propriè dicitur, cuiuè obnoxia sunt elementa, silentio prætermisisse, porrò si Aristotelem diligenter expendamus, huiusmodi putredinis naturam eodem libro contex. 5. his uerbis indicauit, cū inquit, (Atqui propriè putrescunt, cum secundum partem corrumpuntur, et a propria natura recedunt,) ita ut putredo propriè dicta, nil aliud sit nisi corruptio secundum partem, recessusque a propria rei natura, & quoniam elementa, (uno dempto igne) a propria ipsorum natura recedere possunt, ideo infert omnia elementa (præter ignem, hoc putredinis genere putrescere posse, neque dici potest definitionem hanc eandem esse cum definitione putredinis quæ superiore capite exposita fuit, siquidem illius putredinis definitio est corruptio caloris naturalis, & proprij in unoquoque humido &c.) iam uero putredo hæc quæ competit elementis non est corruptio caloris naturalis & proprij, tum quia in aqua, & terra, quæ putrescunt calor naturalis & proprius non reperitur, & licet quispiam dixerit in his ut impura, & cum alijs permixta sunt calorem adinueniri, nō tamē in illis calor est naturalis, et proprius, & præterea, quouis etiam admisso, tantum abest ut per recessum, calorisque corruptionem

ptionem terra & Aqua putrescant, & a propria natura recedant, ne potius ad sui puritatem, propriamque naturam reuertantur, igitur huius putredinis definitio eadem non est cum illa, & ex consequenti, neque putredo propriè dicta quæ hic ab Arist. definitur, cũ illa eandẽ subit naturã, ex quo ẽt illud cõsequitur definitionẽ hanc non eum sensum habere quẽ putauit Alexander, q. s. putredo propriè dicta, corruptio sit secundũ partẽ, recessusque a propria natura, i. a naturali calore, cuius corruptio secundũ partẽ interitus quidã eße dicitur, cũ neq; terra, neq; aqua naturalẽ habeant calorẽ, cuius interitu putrescant, neque ẽt hmõi caloris interitus terræ & Aquæ putredo dici possit, ut nuper ostẽsum est: sed quid sit corruptio secundũ partem, quid uè recessus a propria natura, nõ satis cõstat, censuit doctissimus Erastus, quòd huiusmodi corruptio alteratio non sit, seù qualiscunque recessus a natura, sed est uera corruptio, talis inquam, ut res quæ hanc passę sunt, in integrum prioremque statum nullo pacto redire possint, vt eius verba pagina 32. apertissimè ostendunt. calefacta enim inquit, refrigerari, admixtionem rerum peregrinarum adulterata repurgari possunt, quod sanè ex Aristotelis uerbis persuadere conatur, qui eo loci apertè scribit, putredinem hanc de illis propriè efferri quæ corrumpuntur, non de illis quæ alterantur solum, & nequis vocem illam, (corrumpi) alio detorqueret, adictionem illorum verborum, (& a propria natura recedunt,) satis equidem cauit, quid enim aliud est à propria natura recedere, quàm corrumpi? hæc Erastus. cæterum sententia hæc, quæ magis uerborum superficie, quam Aristotelis consilio inniti uidetur, mihi nullo pacto probatur siquidem philosophus inquit, quòd putredo ipsis competit elementis (igne excepto) quoniam à propria natura recedunt. nam cui competit definitio, eidem competit definitum. iam verò cum ait, quod elementa putrescunt, cum a propria natura recedunt, aut intelligit, quod eorum naturales qualitates vna cum forma, (si præter has, elementis alia forma inest) corrumpantur, ac proindè a propria natura recedant in aliamque commutentur, ita ut ad priorem amplius redire non possint, aut intelligit, quòd a propria natura recedunt, quoniam cum alijs permiscentur, & ex simplicibus mixta, & ex puris, impura, & adulterata reddantur, ac proindè a naturali ipsorum statu dimoueantur: aut intelligit, quòd a propria natura recedũt, quoniam ex mixtis, atq; impuris simplicia, & ex aliarum rerum permixtione repurgata, puriora reddantur, alter modus excogitari non potest. primo quidem modo intelligi nequit, quoniam ignis a putredine non exciperetur, sed sicut cætera elementa putredine inquinari

possett, quoniam naturales qualitates ignis ut caliditas, & siccitas, corrumpi, & ab eo auferri possunt, non secus ac in cæteris elementis, ac proindè a propria natura recederet, itá ut ad illã nullo pacto redire posset, & ex consequenti putredine corriperetur, à qua tamen ipsum immunem esse uoluit, neque tertio modo intelligi debet, quoniam cum ex rerum peregrinarum mixtione liberantur, & ad puritatem reuertuntur, tantum abest, ut à propria natura recedant, ut ad eorum naturam et statum reuertantur, & à putredine uindicentur. secundo igitur modo necessario intelligi debet, quòd à propria natura recedunt, quoniã alijs cum rebus permiscentur, impuraque redduntur, itá ut non amplius eam simplicitatis, puritatisque conditionem seruent, quam anteà habebant, sed hic planè recessus solùm alteratio est, adulterataq; solum elemẽti natura ex aliarum rerum per mixtione, à qua in integrum prioremque statum redigi possunt, cuius rei argumentum sunt aquæ stagnantes, quæ putrescentes, & a sua natura dimotę ex uaporum commixtione per illorum consumptionem beneficio ignis a putredine liberantur, & ad naturalem statum reuertuntur. quamobrem corruptio secundum partem, receßusque a propria natura, non uera corruptio est, sed alteratio tantũ. quod etiam ex eo confirmari facile potest, quoniam philosophus hoc ipso contextu rationem assignans cur cætera elementa putrescant, ignis uerò putredine corripi non possit, causa, inquit, ea est, quoniam cætera elementa sunt materia ignis, hic uerò aliorum elemẽtorum materia non est. iam uerò aut philosophus intelligit, quòd cætera elemẽta sunt materia ignis, quoniam actioni ignis subijciuntur, & ab eo secundum substãtiam transmutantur, ignis uero aliorum elementorum materia non sit, quoniam ab alijs secundum substantiam non transmutatur, aut intelligit, quod cætera elementa sunt materia ignis, quoniam patiuntur, admittuntque permixtionem ignis, corporumque calidorum, ex qua sanè permixtione impura, adulterataque efficiuntur, ignis uero aliorum materia esse non posſit, quoniam aliorum permixtionem non patitur, sed suæ actionis uehementia omnia dissipat, atq; consumit, primo quidem modo intelligere nõ potest, quoniam sicut cætera elementa secundum substantiam ab igne corrumpuntur, ita ignis a cæteris elementis secundum substantiam perditur, atque corrumpitur, cum inter elementa reciproca generatio & corruptio reperiatur, quamobrem ignis non secus ac cætera elementa putredine corripi posset, quod tamen ipse inficiatur. igitur intelligit secũdo modo, & quoniam huiusmodi permixtio cum igne, alienaque materia alteratio solum est, itaque corrruptio secundum partem, receßusque a

propria

propria natura alteratio tantum intelligi debet. Neque ratio Erasti aduersus hoc aliquod momentum habet. nam licet putredo hæc ab Aristotele corruptio appelletur, non tamen ut uera corruptio accipitur, sed ut alteratio quædam in accidentibus facta, prout neque eorum simplicitatem, neque puras seruant qualitates, sed ex aliorum rerum permixtione adulteratas, ratione cuius secundum partem, corrumpi, & a natura simplicis elementi, ad naturam quodāmodo rei mixtæ mutari dicuntur. ac proinde a naturali ipsorū conditione ac tēperamēto dimoueri, porro, ut Arist. p Arist. interpretemur, primo de ortu & interitu, contex. 13. alterationem, mutationemque secundum accidentia corruptionem secūdum partem appellauit, sicuti eodē libro cont. 23. uerā corruptionē ab alteratione distinctam mutationem secundum totum nuncupauit. ex cuius sanè definitionis explicatione consequitur huiusce putredinis modum maximo distare interuallo a putredinis modo superius expositæ. enimuero hæc fit per commixtionem humidi cum sicco pariter & calidi, quod Aristoteles indicauit inquiens, (cætera elementa putrescunt, quoniam sunt materia ignis,) hoc est ignis permixtionē perpetiuntur, illa uero fit per recessum calidi, dissolutionemque humidi a sicco, quod philosophus indicauit his uerbis, [exeunte enim calore secum diffluit humidum, undè quæ putrescunt arida fiunt, puluis & terra,] & licet utraque discessus quidam sit a propria natura, illud tamen discriminis est, quòd elementorum putredo discessus est, a simplici ad mixtum, quoniam elementa cum putrent, ex simplicibus, purisque quo quo modo mixta, & impura efficiuntur, prior uerò putredo quæ coruptio est caloris naturalis in humido, recessus est a mixto ad simplex, quoniam mixta quæ huiusmodi putredine afficiuntur in elementa dissoluuntur, ut ex uerbis Aristotelis nuper allatis facilè intelligi potest. accedit, quòd huiusmodi elementorum putredo discesßus est mutatioque secundum calidum & frigidum, atque humidum, & siccum, dum enim putrescit terra ad calidum et humidum alteratur, sic enim a propria natura recedit. Aqua uero ad calidum & siccum, sic enim materia ignis est, & a propria natura dimouetur, prior uero putredo solum discessus est a calido & humido frigidū, & siccum, quod ex eius definitione liquido constat. nam putredo illa est defectus caloris per exitū ipsius, defectus autem, caloris, inquit Arist. frigiditas est, realis, & positiua, ut antea demonstraui, igitur huiusmodi putredo fit per excessum a calido ad frigidum, fit quinetiam per recessum ab humido ad siccum, ut patet ex eodem loco, nam exeunte calore humidum diffluit, atque recedit, unde corpora quæ putrent sicca fiunt,

puluis,& terra.igitur putredo hæc recessus tantum est a calido & humido,ad frigidum & siccum.Hæc elementorum putredo succis & humoribus quinetiam communis est,ex quibus putridæ febres oriuntur,enimuerò horum putredo, quæ morbosa dicitur, nil aliud est nisi alteratio quædam,recessusque à propria ipsorum natura, & temperamento: non enim dum humores putrescunt omnino intereunt,sed secundum partem,prout alterantur,& à naturali statu dimouentur,à quo sanè interitu & putredine, si citò remedia adhibeātur,liberari possunt, fit autem, horum putredo per alienæ materiæ cōmixtionem, ut per commixtionē unius humoris cum altero, ratione cuius à propria natura & temperamento dimouetur:nec non per caloris intensionem,cum enim calor plus iusto adaugetur, igneusq; efficitur,humorum morbosa oritur putredo, ita ut putredo hęc exustioni potius quàm putredini similis esse uideatur. nam dicant obsecro, Erastus cæterique medici, qui mordicus tueri uolunt,studiososque publicè docent humores in animalibus eodem putredinis genere putrefieri, quæ superiori capite exposita fuit, nonne humores,quò diutius putrescunt,tandem incinerantur? quod sanè argumentū est, in humorum putredine humidum ipsum accendi,atque aduri, & ex consequenti calorem in humorem humidum agere, ipsumque comburere,non secus ac in combustione usu uenit, putredo uerò quæ paulo superius ab Aristotele definita fuit, quæ corrruptio est caloris naturalis in humido, per exitū caloris fiat pariter & humidi à corpore quod putrescit, ut philosophus inquit,nō autem per actionem caloris in humidum, neque per humidi adustionem,cum in hac putredine nulla adustio, nullaque prorsus spectetur incineratio,sed dissolutio tantum in puluerem & terram,itaque nullo pacto succorum,humorumq; putredo cū putredine ab Aristotele definita eandem pōtest subire naturam,quinimmo inter se satis amplo discrimine distare uidētur.primo quidem ratione agētes, quoniam morbosa putredo fit à calore igneo & sicco,cum putrida febris in humoribus accēsa per conuersionem caloris ad igneum efficiatur,putredo uero quæ ab Arist.definitur,fiat à calido humido corporis meatus aperiente,quibus calor mixti vnà cum humido exterius euocatur,differūt secundo ratione termini,quoniam morbosæ putredinis terminus incineratio est,quæ certè non est putredinis ab Arist. definitæ, sed puluis & terra, in quibus ne uestigium quidem incinerationis conspicitur, differunt tertio ratione modi, quoniam humorum putredo fit per humidi accensionem a vehementia caloris intensi, ac proindè per actionem caloris in humidum, quæ uerò ab Arist. definitur fit per dissolutionem humidi a sicco,

di a sicco,

di a sicco, per humidi egressum vnà cum ipso calore, ita vt morbosa humorumque putredo, sit caloris corruptio cum humipo exustionique potius similis quàm putredini, hæc verò sit corruptio caloris in humido, ut in definitione putredinis ab Aristotele dictum fuit: præterea morbosa hæc putredo pugnantem habet modum, cum modo putredinis superiori capite definitæ: morbosa enim putredo fit per reconcentrationem caloris prohibitãque respirationem, ex obstructione, externaque frigiditate: illa uerò per defectum caloris, per exitum egreßumque eiusdem, nimiamque ob ambiens euaporationem, atque a frigiditate interna. Quamobrem, vt huic capiti fastigium imponamus, putredo propriè dicta quæ elementis, nec non animalium humoribus communis est, corruptio est secundum partem, utpotè alteratio quædam discessusque a proprio ipsorum temperamento. An verò putredo hæc (propriè) hoc est verè dicatur putredo, altera uerò impropriè, ut putat Erastus, aut propriè accipiatur, hoc est peculiariter, prout est quidam peculiaris putredinis modus elementorum mihi curę non est, dummodo ipsa rei seruetur natura.

De modo naturalis putredinis.
Cap. XI.

T*Ametsi de modo putredinis uariæ extēt opiniones, quæ a nobis tractande essent, quia tamen eas priore dilucidationum libro abundè satis animaduerti, hoc in loco unicam tantum Erasti opinionem expendam. putauit doctissimus Erastus putredinem quæ naturalis mixtorum corruptio, quam ipse naturalem putredinem appellat, ab interno principio proficisci, ut potè à naturali calore mixti in humidum propriũ agente, ipsumque consumente, ad cuius consumptionem & ipse calor tādem consumitur, & marcescit, & quoniam Aristotelem videbat, cum naturalem putredinem describeret, ex Erasti etiam sententia, dixisse, putredinem esse dominium patientiũ qualitatum supra agentes propter Ambiens, ac proindè naturalem putredinem ab externo principio proficisci, Respondet, naturalem putredinem ab externo Ambientis calore induci, non tanquam a causa prima, sed ueluti a causa secundaria, & aliquid conferēte. si quidem cum calor naturalis mixti per diuturam actionem in humidum se ipsum fregerit, et imminuerit, tunc ab Aeris calore quantumuis minimo, et temperato facilè uincitur, et corrumpitur. quò*

fit,

fit, ut quę sic intereunt, non Ambientis culpa, sed suo proprio vitio perire dicantur, quoniam licet Ambiens ad putredinem aliquid conferat, præcipua tamen causa non in Ambiente, sed in re ipsa inest. vndè ex Erasti sententia naturalis putredo fit per actionem caloris naturalis mixti in humidum, externo quinetiam Ambientis calore aliquid conferente, ac proindè secundum ipsum à duplici calore vt à causa proficiscitur, ab interno scilicet mixti calore, vt a causa præcipua, & ab Ambientis calore, ut a causa secundaria. sed hęc Erasti sententia neq; Aristoteli, neq; rei naturæ consentanea est, non quidem Aristoteli, siquidē nunquam ab ipso proditum est, putredinem, quæ mixtorum ut mixta sunt naturalis corruptio est, ab interno mixti calore propter humidi defectionem induci. Neq; naturalem putredinem per huiusmodi causam definiuit, quoniam putredinem describens inquit, (putredo est dominium passiuarum supra agentes propter Ambiens) quæ tamen definitio, vt ipse vult, naturalis putredinis propria est, quod tamen ex legibus definitionis sibi necessario faciendum erat, cum definitio ex ijs principijs constituatur, ex quibus res ipsa dependet: & quod argumenti uires magis adauget, illud est, quòd Aristoteles putredinem definiens, ipsam per secundariam, posterioremq; causam definiuit: nam inquit, putredo est dominium passiuarum supra agentes propter Ambiens. iam verò secundum ipsum (Ambiens) secundaria causa est, igitur multò magis putredo per causam propriam, magisq; præcipuam definienda erat. non enim animo consequi potest in rei definitione secundariam, adiuuantem uè causam poni, propriam uerò atq; præcipuam prætermitti: quamobrem; aut hęc naturalis putredinis definitio uitiosa erit, indecenterq; tradita, aut putredinem per actionem caloris naturalis in humidum nequaquam fieri: cum autem primum minimè dici debeat, secundum itaq; asserendum erit: præterea modus putredinis ab Erasto assignatus è diametro pugnat cum definitione putredinis, nam putredo naturalis (ut etiam ipse concedit) est dominium patientium qualitatum supra agentes, & supra calorem. igitur in putredine humidum exuberat, & dominatur, calor autem uincitur & diminuitur. ergo calor non deficit ob inopiam, humidiq; defectum, pugnant enim hæc duo inter se, calorem naturalem in putredine deficere ad humidi defectum, ut ait Erastus, & calorem deficere, & humidum prædominari: quo fit si naturalis putredinis definitio seruari debet, ut in putredine prius deficiat & hebetetur calor, & postea humidum dissipetur. quod paulo post, vt sui ipsius interpres sit Aristoteles, eandem explicatius repetens definitionem declarauit his

uit his uerbis, putredo est corruptio caloris naturalis & proprij per exitum, exeunte autem, ac proindè deficiente diffluit ac dissoluitur humidum: itaq; tantum abest ut Aristoteles uelit in naturali putredine calorem deficere ad defectum humidi, ut potius decernat humidum disperdi ad defectum caloris. hunc vè vt causam presupponat, quod sane præter Aristotelem, & ipsa rei natura ostendit, putredo namq; naturalis mixtorum generationi opponitur. iam uerò mixtorum generatio vnio est consistentiaq; humidi cum sicco propter dominium caloris, tamdiù uè huiusmodi vnio seruatur, quamdiù caloris dominium consistit. igitur ex aduerso putredo est dissolutio humidi a sicco propter defectum dominij eiusdem caloris. quotiescunq; enim aliquis effectus ab aliqua causa producitur, & conseruatur, nunquam e medio tollitur effectus, nisi prius causa auferatur. cum itaq; vnio humidi cum sicco. esseq; ipsius mixti conseruetur ex prædominio caloris supra humidum & siccum, igitur nunquā huiusmodi vnio dißoluetur, mixtumq; putrescet, nisi prius caloris dominium auferatur, ac proinde deficiat, & corrumpatur. quamobrem tùm ex Aristotele, tùm ex ipsa rei natura in naturali putredine calor non deficit ad humidi defectum, sed potius e contra hoc dissipatur ad defectum caloris, & ex consequenti naturalis putredo non fit per actionem caloris naturalis in humidū, ad cuius cōsumptionem ipse quin etiam corrumpatur: preterea si naturalis putredo in hunc modum fiat, nulla profectò Ambientis caliditatis necessitas erit, ac proinde Aristoteles in definitione naturalis putredinis Ambientis, caliditatem, ut causam supernacaneam adiecisset, cum dixit, putredo est dominium passiuarum propter Ambiens. consecutio ex eo deducitur, quoniam si calor naturalis mixti propter continuam ipsius in humidum actionem, ad humidi defectum se ipsum quoq; atterit, & consumit, igitur per diuturnā actionem ad eam imbecillitatem, remissionis uè gradum se deducet, ut amplius humidum cum sicco retinere non possit, mixtumq; illicò putrescat, & corrumpatur: quamobrem nulla Ambientis necessitas erit, illudq; in definitione putredinis temere ut causam Aristoteles adiecisset: præterea, estò etiam ambientis caliditatem in naturali putredine aliquas partes habere, deficit Clarissimus Erastus in putredinis causis innumerandis, siquidem præter externam Ambientis caliditatem frigiditas etiam in putredine efficientiam habet, quod ex eo facile ostēdi potest, nam cum philosophus quarto meteorum contex. 2. de mixtorum affectionibus ut mixta sunt se dicturum instituisset, prout a qualitatibus primis, ut duæ agentes sunt, duæ patientes originem ducunt, de

ijs

ijs affectionibus se primum tractaturum proposuit, quę rōne caloris & frigiditatis mixtis contingunt: inter quas, inquit, sunt generatio & putredo ei opposita, itaq; putredo est passio mixti a calore & frigiditate permanens, ac proinde non solum caliditas, sed etiam frigiditas naturalis putredinis effectrix causa est, & profectò id mihi non leuem admirationis causam prębet, quòd aliquando doctissimus Erastus propositionē illam animaduertit, ut pote Aristotelem de ijs mixtorum affectionibus tractare pollicitum esse, quæ mixtis accidunt ratione caloris, & frigiditatis, & postea illius quasi oblitus, in statuendis naturalis putredinis causis frigiditatem prætermisit. quam etiam ut sui ipsius interpretem faciamus, paulo post explicatius putredinem definiens una cum externa ambientis caliditate efficienter cōcurrere declarauit, inquiens, (putredo, est communis effectus externæ caliditatis, & internæ frigiditatis) & licet eò confugere possit Erastus, ut dicat, Aristotelem ibi non naturalem, sed morbosam uiolentamq; putredinem definire, aut internam frigiditatem non accipere pro qualitate reali quæ caliditati opponitur, sed pro priuatione caloris naturalis, nullo tamen pacto Aristotelis propositum uitare poterit, cum dixit, se de ijs mixtorum affectibus pertractaturum, quæ ratione caliditatis & frigiditatis, ut duæ agentes qualitates sunt, mixtis contingunt, quæ sunt generatio, & ei opposita putredo. igitur naturalis putredo effectus communis est externæ caliditatis, & internæ frigiditatis.

De modo putredinis opinio propria. Cap. XII.

EA propter multo uerius dicendum est putredinem, quæ naturalis est mixtorum corruptio, prout mixta sunt, fieri per corruptionem caloris naturalis ipsorum mixtorum. Nam uiuentiū, naturalisque mixtorum corruptio hoc commune habent, quod utraque fit per corruptionem caloris. nam sicuti uiuentia calore conseruantur, eodemq; extincto intereāt, ita & mixta ut mixta sunt, calore cōsistunt, eodemq; sublato putrescunt, & corrumpuntur, quomodo autē huiusmodi caloris corruptio in putredine fiat, tametsi uaria de re hac fuit philosophorum & medicorum sententia, quæ alio loco à nobis expensa fuit: nunc breuiter dicendum est, fieri ab externa ambientis caliditate, ut repetita oratione quarto meteorum bis Aristoteles declarauit. et primam & secundam afferens putredinis definitionem, ab ambientis quidem caliditate efficitur, non quidem per actionem huius in humidum, ita ut ex-

terna ambientis caliditas mixti humidum dissoluat, ad cuius dissolutionem mixti calor postea deficiat, & dissoluatur, quoniam ut antea ostensum est, humidum potius deficit ad defectum caloris: neque huiusmodi caloris naturalis corruptio fit a calore ambientis per actionem huius in illum, quoniam actio & passio fit inter illa quæ contraria sunt, genere quidem similia, specie uero & forma diuersa sunt, vt primo de gener. decretum fuit, quæ sanè contrarietas inter calorem mixti, & illum qui ambientis est non reperitur, sed fit ab ambientis, caliditate per exitum & egressum caloris, naturalis ab internis ad externas mixti corporis partes, in quo sane egressu deficit, & imminuitur. porrò ambientis caliditas in mixtum corpus agens ipsum excalefacit, & quoniam proprium calidi est rarefacere, ipsum rarefacit, corporisque meatus aperit, atque recludit, quibus ita reclusis internus mixti calor exterius euocatur, atque egreditur, quo deficit, & imminuitur, quod philosophus declarauit, inquiens, [putredo est caloris corruptio à calore ambientis per exitum, quo exeunte secum attrahit humidum.] calore autem magna ex parte ità dissipato interna frigiditas quasi intensior facta, & supra calorem vires adepta, in ipsum agit, & usque adeò labefactatur, ut amplius humidum cum sicco retinere non possit, quod etiam eò loci philosophus declarauit his verbis. (& quoniam caloris indigentia frigiditas est, idcircò putredo etiam fit ab interna frigiditate.) Mixti calore ita diminuto, atque corrupto patientes qualitates, ut humidum, & siccum inuicem dissoluuntur, mixtumque putrefit, in pulueremque redigitur. Quo fit, vt duæ tantum naturalis putredinis effectrices causæ sint, una similis, & altera cõtraria, una externa, & altera interna, Ambientis scilicet caliditas, & interna frigiditas, neque ad putredinem inducendam, de ea semper loquor, quæ mixtorum generatiooni opposita est. Quod si quærat, quid causæ est, quòd cum externa frigiditas ita calori mixti sese opponat, sicuti et interna frigiditas, naturalis putredo nõ ita fit ab externa, sicut ab interna frigiditate, causa ea est, quoniã naturalis putredo fit per exitum et egressum caloris, quoniã verò externa frigiditas prohibet egressum caloris, idcircò in putredine naturali partes nõ habet, quinimmo mixta a putredine arcet, tametsi in putredine morbosa efficiẽtiam habeat, ex quibus omnibus facile intelligi potest, quam amplum inter modum naturalis corruptionis uiuẽtium, & mixtorum ut mixta sunt, discrimen reperiatur. Nam uiuẽtium naturalis corruptio) quæ in animalibus senectus in stirpibus uero Auan-

sis, seu ariditas appellatur,) fit per actionem caloris naturalis humidum consumentis, ad cuius consumptionem & ipse quoque marcescit, propter impotentiam respirandi: nam cum resiccatis animalium partibus respirationi inseruientibus calor perspiratum non habet, unde intensior factus in humidum agit, ipsumq; consumit, ad cuius consumptionem & ipsum quoque labi necessum est, ut libro de respirat. cap. ab Aristotele proditum est. Vnde in hac uiuentium corruptione caloris corruptio humidi defectum præsupponit, undq; cum humido corrumpitur, neque ad huiusmodi corruptionem aut externa caliditas ullam efficientiam habet, ut loco nuper citato ab Aristotele scribitur. Naturalis uerò mixtorum corruptio, putredo nuncupata, non per actionem caloris naturalis in humidum fit, sed ab externa caliditate, & interna frigiditate, neque caloris corruptio fit propter humidi defectum, sed potius econtra humidi defectus caloris defectum & inopiã præsupponit. Vnde qui differentiam hanc, quæ alioquin maxima est, inter naturalem corruptionem uiuentium & mixtorum ut mixta sunt, non animaduertunt, seipsos, & alios infinitis ambagibus implicant, atque inuoluunt. et licet doctissimus Erastus suæ disputationis pagina 52. arbitretur naturalem animalium mortem atque interitum, ad numeralem mixtorum corruptionem & putredinem transferri posse, huic ue persimilem esse, mea tamen sententia fallitur, quoniam, si quartum librum meteorum, in quo de naturali animalium corruptione differitur, studiosi perlegerint, diuersam utriusque rationem, ualdeq; discrepantem utriusque modum ab Aristotele assignatum esse animaduertent, nec aliud quidpiam habere commune, nisi quòd utraque fit per naturalis corruptionis interitum. quæ Aristotelis loca si recentiores nonnulli philosophi & medici alioquin clarissimi animaduertissent, hanc Erasti sententiam insecuti minimè fuißent.

De ordine Naturæ in naturali mixtorum putredine, Cap. XIII.

QVONIAM ordine quodam in naturali mixtorum putredine Natura progreditur, eapropter ordinem hunc explicare, studiosisque ob oculos ponere operæprecium esse arbitror. Cæterum quia ad hunc ordinem explicandum, non secus ac ad putredinis naturam cognoscendam aptissima methodus illa est, quam nobis quarto meteorum reliquit Aristoteles, uidelicet, mixtorum generationi contrarium

trarium maximè patiens atque commune putredinem esse, ea propter ordinem qui in mixtorum generatione adinuenitur, declarare oportet, ex quo posteà ordo in mixtorum putredine intelligitur. porrò in generatione mixtorum tria hæc insunt, quæ ordine quodam sese consequuntur. primo quidem est, dominium agentium qualitatum, calorisq; præsertim supra qualitates patientes, ut humidum & siccum: quod philosophus contex. 3. declarauit his uerbis, (generant autem calidum, & frigidum cum dominantur,) quod etiam, paulo post repetiuit, inquiens, (ex his enim facta erant, & terminatum fuit humidum sicco dominantibus actiuis.) secundum in ordine est terminatio, unioq; humidi cum sicco, ut nuper allata Aristotelis uerba apertissimè ostendunt, & præter Aristotelem ipsa rei natura docet: nam cum mixtum ex humido solo generari non possit, cum fluxile, & interminatum sit, neque ex sicco solo, quoniam continuitatem non habet, igitur generatur ex permixtione humidi cum sicco, prout conuenientem quandam consistentiam habent. quoniam uerò huiusmodi permixtio, consistentiaq; humidi cum sicco, non fit nisi à calore & frigore dominantibus, quæ terminandi uim habent. igitur vnio, terminatioq; humidi cum sicco, caloris & frigoris dominium & causam præsupponit. Patientium harum qualitatum unionem, terminationemq; ut dispositionem proximam sequitur tertio generatio substantiæ mixti, quæ sicuti est intentione prima, ità est executione postrema. Natura enim primo substantiæ mixti productionem intendit. sed quoniam hæc absque consistentia patientium qualitatum fieri nequit, idcirco ijs consistentiam elargitur. hæc autem cum à prædominio caloris proficiscatur, hinc Natura exorditur ad consistentiam patientium qualitatũ, & ab hac ad mixti productionem, ut ad scopum, ultimumq; finem progreditur. Tria hæc eodem ordine sese consequentia in mixtorum putredine reperiuntur, tametsi multo disparem dissimilemq; habeant conditionem & modum. primo enim in putredine est corruptio caloris naturalis & proprij. nam sicuti generatio fit primum propter dominium caloris, ità putredo incipit primum à defectu & imbecillitate caloris, ex qua humidi à sicco dissolutio proficiscitur. sicuti enim ex prædominio caloris vnio patientium qualitatum consequitur, ità ex aduerso ex eiusdem defectu earundem patientium qualitatum sequitur dissolutio, quam tertio loco mixti corruptio consequitur. nam sicuti unio patientium qualitatum proxima est dispositio ad productionem mixti, ità earundem dissolutio immediata dispositio est ad eiusdem mixti corruptio-

ruptionem: putredo itaq; à defectu caloris exorditur ad dissolutionem passiuarum qualitatum, ab hac ad mixti corruptionem quæ propriè putredo est; & ad ultimum terminum proficiscitur: cæterum cum caloris corruptio a duplici causa dependeat, ut ab externa caliditate, & ab interna frigiditate, inter has etiam ordo adinuenitur, primum enim est actio externæ caliditatis, secundo uerò actio est internæ frigiditatis, quæ quidem in calorem non agit, nisi aliqua ex parte dissipato naturali calore ab externa caliditate, ut ante a ostensum est. Quamobrem quinque sunt, quæ in mixtorum putredine reperiuntur, quæ ordinem inter se habent. primum, est actio externæ caliditatis, secundum in ordine actio internæ frigiditatis, quæ quidem ad naturalis caloris corruptionem conspirant, tertium est naturalis caloris corruptio, quartum dissolutio humidi a sicco, postremum in ordine est mixti corruptio, quæ ex his omnibus ueluti ex causis dependet, & hæc de ordine in mixtorum putredine, quæ profectò digna sunt, ut a studiosis omnibus intelligantur.

De speciebus putredinis, deq; earum differentijs quibus inuicem distinguntur. Cap. XIIII.

VT proposita de putredine disputatio tandem ad exitum perducatur, eaq; omnia explicentur, quę ad exactam ipsius notitiam facere uidentur, de ipsius speciebus nunc oratio habenda est, quibus sanè cognitis, diligenterq; explicatis omnis de putredine auferetur confusio, quę certè non exigua est, cum disertissimi uiri confusè satis de putredine loquantur, nec quæ cuiusq; sunt propria obseruent, sed quæ alterius sunt, alteri adscribunt: porrò duæ putredinis species quarto meteorum ab Aristotele constitutæ sunt, vna, quæ mixtorum generationi opponitur, quæ naturalis est mixtorum interitus, altera uerò quæ corruptio secundum partem, recessusque à propria natura ab Aristotele nuncupatur, quæ ab Erasto *morbosa, violentaq; appellatur; quas putredinis species doctissimus* Erastus *perpendens, inquit, utramq; putredinem quædam habere communia, quibus conueniunt, quædam uerò quibus inuicem distinguuntur: communia quidem habere dicuntur, quoniam in eo ambæ conueniunt, quòd sunt corruptiones natiui calori, deindè quòd ambæ sunt corruptiones, non autem alterationes, sed nec unum, nec alterum dictum uerum est, quoniam putredo quę est corruptio secundum partem, ut eo quarto meteorum*

scribit

scribit Aristoteles elementis communis est, iam uerò non in omnibus elementis quæ putrescunt, ut terra, & aqua, si ea ut pura accipias, calor non reperitur, si uerò ut impura, & alijs commixta assummas, calor ipsarum non est proprius & naturalis, quinimmo si ipsis ut impura sunt calorem naturalem ad scribas, tantum abest ut caloris corruptio sit illarum putredo, ut potius caloris corruptio reditus sit ad propriam illarum naturam: Neque alterum dictum uerum est, in eo conuenire, quòd ambæ corruptiones, non autem alterationes sunt, nam licet verum sit, quòd naturalis putredo quæ mixtorum generationi opponitur uerè corruptio sit, putredo tamen quæ corruptio est secundum partem corruptio non est, sed alteratio tantum, ut antea à nobis proprio capite ostensum fuit, perpendes postea illa quibus inuicem distinguuntur, hæc scribit ad uerbum, differunt autem longe pluribus, ut patet ex dictis, sed & nunc repetam, ut magis inculcem, cum hac in parte præcipuè ab omnibus ferè erretur, hæc ille: & primo quidem, inquit, differunt, quòd naturalis putredo ab interno rei cuiusque principio oritur, non minus quàm senectus, unde naturalis dicta est, at quæ secundum partem corruptio est, ab externa, uiolenta, morbidaq; causa inducitur: differunt præterea, quòd naturalis non prius fit, quam res suæ periodi, siuè durationis naturalis terminum attingat, undè non quouis tempore fit: quæ uerò corruptio est secundum partem, quouis tempore fit, anteq; legitimum illum vitæ seù durationis terminum incidit: præter id tertio distinguuntur, quòd naturalis putredo mixtioni simpliciter opposita est, quæ verò secundum partem mixtioni cuiuslibet rei particulariter aduersatur. Adde quòd in naturali putredine nihil generatur, cum fiat mixti in elementa solutio, in ea verò quæ est secundum partem animalia plurima oriuntur, longè plures inter utramq; putredinis speciem persequitur differentias, quas breuitatis causa prætermitto. Magnifici semper huius doctissimi hominis ingenium, atquæ doctrinam, quam primum eius monumenta perlegere agressus sum, sed hac in parte non possum non uehementer admirari, à tam graui hominis iudicio isthæc prodijsse: profectò differentiæ, quæ inter has duas putredinis species ab ipso allatæ sunt, ab Aristotelis sententiam penitus abhorrent, Prima quidem uera non est, quoniam ut anteà ostensum fuit, naturalis putredo ab interno rei principio minimè oritur, uidelicet per actionem caloris in humidum, sed ab externa ambientis caliditate ut à præcipua causa proficiscitur,


quò

quò sit, falsum etiam illud esse quod postea infert, naturalem putredinē solius naturæ effectum esse, ab interna ui indicatur. illam uerò quæ est secundum partem, externum quoque aerem indicare posse: secunda quoque differentia, quoniam a priore dependet, statim & ipsa collabitur. nā si naturalis putredo ab interno mixti calore per actionem huius in humidum fieret, procul dubio non prius putredo induceretur, quam res suę periodi finem & terminum attigisset, non secus ac mors naturalibus in animalibus. sed quoniam primum ab Aristotele dissentit, pariter & secundum: præterea ipsam rei euidentiam apertissimè contra se habet. cernimus enim si per æstatem intereat animal, quod uix demortuum cadauerque factum si sub dio ponatur, putredine corripi statim incipit, breuique temporis tractu secundum vires ambientis caloris, dissoluitur, in pulueresque redigitur. quamobrem naturalis mixtorum putredo periodum non habet, sed quouis tempore fieri potest, prout ab extrinseco ambientis calore facilius & difficilius uinci potest. Puto ego Erastum non inficias iturum animantis demortui, & cadaueris naturalem putredinē esse, cum mixtorum generationi opponatur, & si hæc naturalis non est, quæ nam obsecro erit naturalis putredo, quæ generationi opponitur? porrò affirmare non audebit naturalem corruptionem viuētium putredinē esse, quoniam id esset confundere corruptionem viuentium vt viuentia sunt, & mixtorum ut mixta. cum diuersa sit vtriusque ratio, sicuti diuersa est ratio viuentium, & mixtorum vt mixta sunt, naturalis quidem viuentium correptio quæ mors naturalis dicitur, et senectus, non quouis tempore fit, sed suæ periodi finem & terminum habet, quoniam hæc solius Naturæ opus est, & ab interna ui tantum proficiscitur, externa causa non concurrente, ut libro de respir. ab Arist. proditum est. naturalis autem mixtorum corruptio ut mixta sunt, secus sese habet: accedit, quòd naturalis uiuentium corruptio, ut senectus in animalibus, & auansis in plantis in putredinem uia est, ut 4. meteorum sub initium Arist. declarauit. Minus tertia differentia probari potest: primo enim falsum est, naturalem putredinem mixtioni communiter aduersari, ut superius ostensum est: Secundo falsum est putredinem quæ corruptio est secūdum partem particulari mixtioni sese opponere, quoniam putredo, quæ est corruptio secundum partem elementis communis est. iam uerò elementorum putredo nulli opponitur, mixtioni, quoniā cū id quod mixtioni opponitur, dissolutio sit in ea ex quibus mixtio consurgit, sit putredo secūdum partem quæ elementorum est, mixtioni particulari opposita esset, igitur elementorum putredo dissolutio esset in ea, ex quibus permixta

sunt,

sunt, quod nullus planè in philosophia, & medicina uel mediocriter uersatus affirmare auderet. quoniam ut quarto meteorum Aristot. declarauit, elementa putrescunt cum ex parte corrumpuntur, & à propria natura recedunt. iam uerò elementa a propria natura recedunt, cum impura fiunt, alijsque commiscentur. per dissolutionem uerò mixtioni oppositam tantum abest ut putrescant, ut potius ad propriam naturam, & statum reuertantur. dissolutio enim in stagnantibus Aquis à uaporibus sibi commixtis reditus illarum est ad propriam naturam, sicuti è contra cum alienis uaporibus Aquarum permixtio recessus est a propria illarum natura. itaque elementorum putredo parciculari mixtioni opposita non est. quinimo permixtio quædam dici debet. & cum elementorum putredo ea sit quæ corruptio est secundum partem, igitur sicuti elementorum putredo mixtioni opposita non est, ita neque illa quæ secundum partem corruptio ab Aristotele nũcupatur. Quid ergo dicendum? fateor ego duas esse putredinis species, ut etiam eo libro Aristoteles testatum reliquit, quę illud cõmune habent, in quo conueniunt, quòd ambæ ab Ambientis calore fiunt: differenter tamen ut paulo inferius declarabitur. cõueniunt secundo, quòd sicuti in putrefactis secundum partem animalia oriuntur, ut ex putrescente terra, & Aqua, ita etiam in naturali putredine cadaueris, & animantis demortui. plurima autem sunt quibus inuicem distinguuntur. primò quidem, quoniam naturalis putredo uerè corruptio est, cum mixtorum generationi opponatur, per corruptionem caloris natiui: putredo uerò quæ corruptio est, secundum partem alteratio solum est, recessusque a proprio temperamento secundum calidum, frigidum, humidum, et siccum, differunt secundo, quoniam naturalis putredo fit per dissolutionem humidi a sicco una cum calore humidum deferente propter Ambiens. putredo verò quæ corruptio est secundum partem, fit ab eodem per commixtionem cum aliena materia calidi, humidi, & sicci. siquidem elementa hac putredinis specie corripiuntur, quoniam sunt materia ignis, hoc est, quoniam permixtionem ignis calidique patiuntur, vt Aristoteles inquit: id præterea discriminis est, quod naturalis putredo fit per exitum caloris: putredo verò secundum partem, quæ etiam morbosa est, fit per prohibitam trãspirationẽ & reconcentrationem caloris, ac proinde putredo secundum partem fit per intensionem caloris: Adde quod naturalis putredo minimè fit ab externa frigiditate, quoniam impedit caloris naturalis egressum. putredo uerò secundum partem ab externa frigiditate inducitur. poßem et alias differentias in medium afferre. sed ne omnia curiosè nimis persequi videar, hæc mihi satis esse arbitror,

tror, atque hic terminum habeant, quę cum doctissimo Erasto mihi de putredine proposita fuere, quæ si cum his, quæ priore nostrarũ dilucidationum volumine conectantur, usque adeò perfecta, numerisque omnibus absoluta erit de putredine tractatio, ut nihil amplius ad eius notitiam desiderari poße confidam. Qua in re si ueritatem assecutus minimè fuero, doctissimo Erasto saltem occasionem dabo, ut rem hanc penitus recogitans, graui iudicio suo ueritatem exploret, & ad studiosorum vtilitatem in lucem proponat, quod certè mihi gratissimum erit, quòd modestè, eleganterque se facturum confido, ut grauissimum senem, doctissimumque philosophum & medicum decet, qui doctrina solum, absque conuicijs & maledictis de re litteraria dißerere debet.



ADERASTI

RESPONSIONEM

ARCHANGELI MERCENARII

Secunda de Putredine Disputatio.



Ecreueram equidem, Erasti viri Clarissimi, huic postremæ aduersum me disputationi minimè respondere, tùm quia nunquàm in futurum mecum esset altercaturus, tùm quia mihi satis esse videbatur, ex vi meæ disputationis adductum, apertissimè confessum esse, putredinis Naturam se anteà non percepisse, Quam tamen ipso statim suæ primæ disputationis initio se perfectè nouisse, alijsque se perfectè explicaturum enunciauit. Sed cum nonnullos esse intelligam, eosque viros non indoctos, qui se eius partes suscepturos profiteantur, nuper ad hanc disputationem de integro animum induxi, Qua quidem in re ità me geram, ute neque defensionem meam, neque philosophi officium deserere vnquam videri possim, Atque eius errata ea ratione patefaciam, ut eos qui eius extremam responsionem tantopere extollunt, maximè pudeat in eamopinionem contra veritatis studium accessisse. Sed uereor, ne paulo prolixior futura sit hæc ipsa disputatio. Nam cum me ad minimas quasque rationes dissoluendas prouocauerit non potero quibusdam non esse molestior, dum leuissimis eius argumentis respondeo, Cuius rei culpam, si quempiam fortè offenderit, in eum iustius referre debebit, qui me ad has angustias deduxerit, Ego uerò, quantum in me erit, operam dabo vt cum minimo legentium omnium fastidio id efficiam, orationisque prolixitas summa vtilitate condensetur, nunc rem ipsam agredior.

In primum Erasti Caput, Animaduersio.

Erastus suæ responsionis capite primo, antea quàm ea quæ aduersus ipsum à nobis allata fuerunt, expendere aggrediatur, non nullas iacit hypoteses, quarum prima est, Aristotelem quarto meteo. duas tantum putredinis species statuiße, alteram quidem naturalem, quæ simplici mixtorum generationi opposita est, reliquam verò secundum partem, & uiolentam .prior quidem nil aliud est, inquit, nisi naturalis corruptionis finis, & terminus, ut senectutis in animalibus, & ariditatis in plantis, (posterior verò, naturalis, proprijq; caloris corruptio in humido à calore ambientis,) Quæ penes id etiam inter se discrepant, quoniam quę naturali putredine intereunt in elementa dissoluuntur, quæ uerò posteriore corrumpuntur, in elementa non reuertuntur, sed in alia mixta permutantur, ac proindè in priore putredinis specie animalia non innascuntur, sicut in posteriore. illud tamen commune inter se habent, quòd utraq; corruptio est secundum substantiam, & affectio mixti ut mixtum est. hæc summatim Erastus c. primo.

Cæterum, doctissimus uir in ipso statim limine disputationis aberrat. si quidem inter omnia eius pronunciata illud duntaxat ueritatem habet, duas tantum ab Aristotele 4. Meteo. putredinis species traditas eße, Naturalem s. & secundum partem, cui elementa obnoxia sunt: cætera autem falsa sunt omnia, & ab Arist. prorsus aliena. principio quidem, putredinem quę est corruptio naturalis caloris in humido, cum ea quę est secundum partem turpiter confundit: cum tamen maximè inter se discrepant. si quidem putredo secundum partem quæ elementorum peculiaris est, non fit per dissolutionem in elementa 'ut ipsa rei euidentia ostendit. non enim cum Aer, Aqua, terraq; putrescunt, in terram elementaq; dissoluuntur, quod etiam ultro concedit Erastus. iam uerò putredo quæ corruptio est caloris in humido in terram, & elementa dissoluit, ut ex eius definitione patet, cuius uerba hæc sunt (putredo est corruptio caloris in humido a calore ambientis, exeunte enim calore cum humido, ideo quæ putrescunt, primum humida fiunt, mox arida, tandem in pulueres & terram dißoluuntur,) igitur putredo hæc cum ea quæ est secundum partem re eadem esse non potest. aut igitur putredo posterius definita cum naturali putredine eadem erit, aut tres & non duas putredinis species esse fateri necessario cogi-

cogitur, An Erastus cùm de Natura, deque putredinis differentijs disserit, Arist. non perlegit.

Ridiculum præterea & illud est, inter Naturalem putredinem, eam ue quę posterius definita est, illud discriminis esse, quod Naturalis in elementa dissoluit, posterior uero nequaquam, cum & hęc non secus ac quæ naturalis ab ipso dicitur, per dissolutionem in elementa fiat, ut ex nuper citatis verbis facilè constat. hinc & illud consequitur sicuti in putredine posterius definita, dissolutio in elementa, animalium ortum non impedit, in ea enim animalia innascuntur, vt in fine illius capitis Aristoteles affirmat: ita in naturali putredine dissolutio in elementa haud impediet, quin & in ea animalia oriri possint, vt falso opinatur Erastus.

Neq; illud verè dicitur, putredinem secundum partem secundum substantiam verè corruptionem eße, vt suo loco opportune magis demonstrabitur, interim, vt a natura putredinis exordiamur, illud perpendo, An ea sit naturalis putredinis definitio, quam ex Aristotele tradidit Erastus. (Putredo est finis & terminus corruptionis naturalis, ut senectutis in animalibus & ariditatis, vel auansis in plantis,) tametsi Erastus ad decrepitam vsq; ætatem constanter sustinuerit eam naturalis putredinis definitionē esse, quæ ab Arist. 4. Meteo. scribitur co tex. 3. (Putredo est dominiũ passiuarum qualitatum supra agentes propter Ambiens,) attamen ex disputatione mea sententiam mutauit, paginaq; 35. libere confessus est, se ad eam vsq; ætatem in errore extitisse, asseruitq; naturalem putredinem nil aliud eße, nisi naturalis corruptionis finem, & terminum, vt dictum est, Aristotelis verbis fortè persuasus qui asseruit, senectutem in animalibus, & ariditate in plãtis ad putredinem uiam quandam eße.

Vtinam Erastus priorem sententiam suam in meliorem cõmutasset, grauissimi enim senis, eruditissimiq; uiri iudicium ostendisset, sed in multo deteriorem, suam sententiam commutauit: Porro hæc, quam assignauit naturalis putredinis definitio non est, nec vt definitio ab Aristotele unquam potuit assignari; primumq. argumentum ex natura petitur definitionis: porro definitio rei essentiam explicare debet, reiq. causas patefacere, ex quibus res ipsa dependet. quod si non præstet definitio dici non potest. oratio enim quę opus suum non præstat, oratio dici nequit, ut 3. Rhetor. cap. 2. ab Arist. proditum est. iam verò definitio hæc, (putredo finis est terminusque mortis, seu naturalis corruptionis uiuentium,) putredinis eßentiam non declarat,

neq; eius causas à quibus dependet, patefacit, sed consecutionem quan dam, tantùm explicat, terminum videlicet esse, quiduè consequens natu ralem animatorum interitum, non secus ac si diceretur, augmenta- tio finis est, terminusq; nutritionis, igitur aut definitio non est, aut in- congruè contrauè leges definitionis tradita, quod de Aristotele cogitan dum non est.

Secundo Naturalis putredo est affectio mixti vt mixtum est, om- nibusq; mixtis communis, non secus ac generatio simplex, cui latissi- mè sese opponit, igitur eius definitio naturali omnium mixtorum putre dini conuenire debet, iam verò definitio hæc non omnium mixtorum putredini communis est, vt potè putredini metallorum, si quidem naturalis horum putredò mortis naturalisquæ uiuentium interitus finis, terminusque non est. Vnde latius patet definitum quàm defini- tio, uerum quidem est dicere, finis est terminusq; naturalis corruptio- nis viuentium, igitur naturalis putredo est, sed non commeat, natura- lis enim metallorum putredo, finis non est terminus vè senectutis, mortisque naturalis in animantibus, itaquæ naturalis putredinis de- finitio dici non potest, explicans Erastus definitionem hanc inquit, (quare nil est aliud hæc putredo nisi mixti dissolutio in quatuor ele- menta) Sed neque explicatione hac sese tuetur Erastus, quoniam neq; hæc, putredinis definitio esse potest, tùm quia modum non expli- cat quo hæc resolutio fiat, an per egreßum caloris, aut per consum- ptionem humoris, neque causas declarat à quibus dependeat, quod tamen opus, erat, Definitio enim non solum Quia est, sed etiam pro- pter Quid, & causam explicare oportet vt 2. de anima contex. 12. ab Aristoteles scribitur, tum quia definitio hæc ità ieiunè prolata alteri competit à definitio, ut potè combustioni, quæ & mixti in quatuor e- lementa dissolutio est, ex Aristotelis itaq; decreto quid aliud adijce- re opus erat, quo propria putredinis definitio fieret, & cum defini- tio conuerteretur, Quæ sanè incomoda definitio illa non patitur, quam dereliquit Erastus, videlicet) putredo est dominium paßiuarum su- pra agentes, propter Ambiens) cum, & Quia, & propter Quid ex- plicet, nec combustioni communis sit, Quam Domino Erastus utinam tenuisset, Nè, tam magni nominis homo studiosis omnibus definitionis leges se non intelligere ità aperte ostendisset, Ab hæc, illud silentio præterire nolo, si ea esset putredinis definitio, Aristoteles explica- tius, multoq; diligentius posteriorem putredinem explicasset, quæ secundum ipsum uiolenta est, quam naturalem putredinem de qua

præ-

præcipuum eius erat institutum, siquidem in explicanda posteriore putredine, causas, modum, accidentiaque declarauit, (putredo enim inquit est caloris naturalis corruptio in humido ab aliena ambientis caliditate, exeunte enim calore secum humorem trahit, quo circà quæ putrent humida primum fiunt, mox arida, tandem in terram, elementaque dissoluuntur,) non enim hanc per dissolutionem solum in elementa definiuit, vt neque par erat, sed causas, pariter & modum explicauit, quæ in naturalis putredinis definitione prætermittenda non erant, si eius natura perfectè explicanda erat, quamobrem studiosi nouam hanc definitionem ab Erasto propositam omnino reijciant, & illam quam ipse dereliquit, persequantur.

In secundum Erasti Caput Animaduersio.

Q*VONIAM naturalis putredo simplici mixtorum generationi maximè patens contrarium est, ex cuius explicatione uia, aditusque patesit ad putredinis naturam intelligendam, ea propter de ea primum 4. meteorum Aristot. pertractauit, nobisque de eadem hoc capite disserendum proponitur, totaque difficultas in eo potissimũ consistit. An mixtorum generatio a mixtione distinguatur, aut potius cum ea eadem sit,* Erastus *secundo capite suæ responsionis iterum atque iterum affirmat, mixtionem, mixtique generationem non differre, sed unam, eandemque rem prorsus significare, & licet earum definitiones verbis euarient, eundem tamen sensum habent, remque eandem significant, quod sanè multis persuadere tentat, & primo hac argumentandi forma, Quid enim quæso aliud est mixtio, quam mixti alicuius generatio? Aut quid significat res aliquas inuicem misceri, quàm ex eis mixtum fieri? Quid miscere est, nisi mixtum ex non mixtis efficere? ego profectò ut maximè uelim discrimen hic fingere mihi nullum valeo, Addit, An non coctio idem est, quod cocti generatio? nec aliud sanguificatio quàm sanguinis generatio, neque in arte elaboratis compositio est aliud quã compositi generatio, ut edificatio nil est aliud quàm ædificij cõstructio, his æquidem pulchris rationibus rem suam persuadet Erastus.*

Cæterum sententia hæc ab Aristotele reique Natura quàm longissime abest, siquidem mixtio, simplexque mixtorum generatio diuersas, maximeque discrepantes conditiones, & proprietatem habent, igitur eadem esse non possint, quod assumitur, ità probatur. Nam

mixtio

mixtio est elementorum vnio per actionem vnius qualitatis ad alteram sibi oppositam, vt pri. de ortu & interitu cap. de mixtione & 2. libro contex. 48. Aristoteles declarauit, inquiens elementa in mixtione non omnino corrumpi, nec penitus integra asseruari, sed secundum exuberantias tãtum primarum qualitatum retundi, per mutuam actionem vnius contrariæ qualitatis in alteram, ut caloris in frigus, & humoris in siccitatem. cæterum quia se inuicem non reprimunt nisi per primas earum operationes, ut calefacere, frigefacere, humectare, & resiccare. non enim calor frigoris excessum reprimit, nisi quia excalefacit, neque frigus caloris æstum refrenat, nisi quia frigefacit, idcirco in mixtione secundum primas earum operationes concurrunt. quoniam uero vna supra alteram proportionem quandam habere debet, ne vna alterã corrumpat, sed per actionem mutuam se vicissim attemperent, idcirco vnam qualitatem in mixtione qualitati sibi oppositæ quoquomodo viribus exæquari, eodem cap. de mixt. ab Arist. decretum fuit, quamobrem mixtio est elementorum vnio, per actionem unius qualitatis in alteram sibi oppositam, secundum primas earum operationes, pro vt vna alteri sibi oppositæ qualitati secundum vires est proportionata. Simplex autem generatio mixtorum multò dissimiles ab his conditiones habet. primum quidem non fit per actionem unius qualitatis in alteram sibi oppositam, sed per actionem duarum qualitatum agentium, ut caloris & frigoris, in humidum & siccum, ut ex ipsa generationis definitio liquido constat, quæ ita habet [simplex mixtorum generatio patientium qualitatum transmutatio est à calore & frigore his dominantibus]. quod etiam paulò infrà his uerbis declarauit, [& terminatum fuit humidum sicco operantibus actiuis.] Neque mixtorum generatio ex primis qualitatibus constituitur; secundum primas, sed secundum posteriores earum operationes uidelicet, quo ad terminare, & terminari, ut eodem loco docuit Arist. Mixtorum inquit, generatio primarum qualitatum effectus est, prout terminant, ut calor & frigus, duæ uerò terminantur, ut siccitas, & humor, proportione pariter consistit non unius qualitatis ad alteram sibi oppositam, ut in mixtione ait, sed duarum qualitatum agẽtium, ut caloris & frigoris ad humidum et siccum; vt ad materiam. cuius verba hæc sunt, [generant autem calidum & frigidum cum ad humidum et siccum proportionem habeant, illisque dominentur, secus fiet Molynsis & inquinatio. An igitur in mixtione, & generatione mixtorum Arist. inter primas qualitates similem statuit proportionem, vt ait Erastus: porro in mixtione inter unam qualitatem & alteram sibi oppositam,

tam,

tam, quæ se inuicem frangere debent proportionem constituit in mixtorum uero generatione inter duas agentes, vt calidum & frigidũ, ad humidum & siccum; vt illa terminet, hæc vero terminentur, proportionem ponit. itaque mixtio, mixtorumque generatio cum tàm diuersas discrepantesque habeant conditiones, maximè inter se distinctæ sunt, earumque definitiones sicuti uerbis euariant, ità sensum diuersum habent.

Sed mirum est quomodo huic rationi occurrat Dom. meus Erastus. p. n. xi, sic inquit (si in generatione mixti non omnia elementa vniuntur, quem vsum præstat generationi mixtio? Quì etiam uerum dixerit Aristoteles, omnia mixta per generationem orta ex quatuor elementis composita esse?) Quibus verbis nil aliud vult Erastus, nisi in ratione nostra falsum assumi, videlicet in generatione mixtorum non omnia elementa vniri, propter illa quæ ipse deducit. Sed uim rationis nostræ non intellexit: non enim uis rationis in eo consistit, mixtionem à generatione mixtorum differre, quoniam in generatione mixtorum elementa non uniantur, aut unita sint. quis enim id inficiabitur? sed quoniã tres illas habent conditiones maximè discrepantes, vt eandem subire naturam minimè possint, præterea si dixi, in generatione mixtorum non omnia elementa uniri, non ita in superficie mea sententia intelligenda erat, vt nullo pacto in generatione mixti elementa uniantur, sed volui, in generatione mixti, non ità sicut it mixtione uniri, in hac enim elementa uniuntur per repressionem attemperationemque primarum qualitatum, & per diuisionem ad minima. & hæc vera est elementorum unio, qua quælibet mixti pars permixta est. in generatione autem, mixti elementa uniuntur secundum terminationem, & consistentiam, prout terminationem quandam acquirunt, prout mixti ratio exposcit, tametsi id ad humidum et siccum præsertim referri debeat, ut eo loco philosophus docet. sed huiusmodi unio, priorem quæ in mixtione efficitur, præsupponit.

Obseruat subinde Erastus. p. 12. conditiones illas quæ inter mixtionẽ & generationem mixti dinumeratę fuere, cuius uerba hæc sunt, (tantũdem firmitatis habet altera sumptio, qua affirmat in generatione non comparari omnes inter se qualitates, sed binas cum binis tantum cõferri. Si enim omnia mixta perfecta ex elementis omnibus constant, nec talia esse potuerunt absque mutua omnium qualitatum actione et passione: quid uetat, immò quomodo necessarium non est, ut sicuti omnes pro sua natura inuicem agunt & patiuntur, ità etiam mutuò comparentur? solidè igitur &c.) hæc Erastus. Quibus uerbis nil aliud vult, nisi falsum esse id quòd à nobis in ratione assumptum est, uidelicet in generatione

ratione mixti non omnes inuicem agere & pati, nec vnam ad alteram qualitatem oppositam comparari, Ratio est inquit, quoniam cum omnes qualitates secundum naturam inuicem agant, & patiantur, igitur inuicem comparari possunt.

Vix equidem animo consequi poßum à viro grauissimo tam leuia, non dicam inepta prodijsse, nam licet uerum sit, mixta perfecta ex elemētis omnibus constare, primasuè qualitates sua natura inuicem agere, et pati, posseque inuicem comparari, potest ne subindè inferri consequentia ista, primæ qualitates possunt omnes inuicem comparari, igitur in generatione mixtorum omnes inuicem comparantur? oppositum sanè declarauit Aristoteles in definitione generationis mixtorum, Quid ergo ad Aristotelem, non enim satis est dicere, qualitates primæ possunt omnes inuicem comparari. Sed huic obiecto oportet occurrere, ab Arist. in definitione generationis non vna qualitas ad alteram oppositam comparatur, sed duæ agentes duabus patientibus conferuntur.

Amplius nostra hæc sententia ex ipsa rei Natura confirmari potest, siquidem in generatione mixti tria concurrunt, primum substantiæ mixti productio, generatio enim ad substantiam mutatio est, cæterum quia mixtum perfectum quod produci debet, terminatum est, ideò eius generatio per terminationem, consistentiamque fieri debet, quoniam verò quæ terminari apta sunt, humidum, & siccum esse dicuntur, idcirco mixti productio per humidi & sicci terminationem efficitur, sed cum terminatio à calore & frigore, quæ terminandi, & congregandi vim habent, proficiscantur, ideò in ortu mixtorum calor, et frigus, vt quę terminant, & humidum & siccum, ut quæ terminantur, neceßariò concurrere debeant verum, quia mixta perfecta ex elementis omnibus coalescunt per mutuam actionem & passionem probe attemperatis, ea propter ad mixtorum generationem elementorum alteratio, primarumvè qualitatum repreßio & attemperatio neceßaria est, certum est autem. quòd tria hæc realiter distinguuntur non enim substantiæ mixti productio, consistentia humidique & sicci terminatio est, neque hæc cum vnione elemētorumque alteratione quæ in repressione graduum suarum qualitatum consistit, cum autem generatio mixti in humidi cum sicco terminatione consistat, ut 4. meteo. contex. 3. his verbis philosophus declarauit, [generatio fit, cum terminatum fuerit humidum sicco operantibus actiuis] Mixtio verò in vnione cùm alteratione elemētorum, repreßioneque suarum qualitatum tanquàm differentia formali consistat, posita enim vnione miscibilium tantum non propterea ponitur mixtio, sed potius iux

ta

ta positio, sed postea miscibilium alteratione ponitur mixtio, illaque sublata statim mixtio aufertur, igitur sicuti terminatio humidi cum sicco ab unione alterationeque elementorũ secundum exuberantiam graduũ suarum qualitatum re ipsa distinguitur, ita mixtorum generatio a mixtione reipsa distinguitur.

Sed, ut hic ordo operantis Naturæ in generatione mixtorum magis aperiatur, quem non satis se percepisse p. 15 fatetur Erastus, ex finis notione, id breuiter explicabo. porrò primus generantis Naturæ Scopus est substantiæ mixti productio. hoc autem cum terminatum sit, per terminationem quandam rerum ex quibus consurgit, producitur. cum autẽ ex elementis coalescere minimè possit, nisi alterata, probeque fuerint attemperata, ideo alteratio atque attemperatio elementorum, quæ ipsorum propriè unio, mixtioq; est, necessariò requiritur. cum autem elementorum attemperatio absque actione & passione fieri non possit, utraq; necessaria est: sed cum actio & passio absque contactu fieri nequeant, tandem & contactus necessariò concurrit. quoniam verò quod in intensione postremum est, in executione primum existit, ideò in generatione mixtorum primò concurrit contactus elementorum. sed hic vera unio elementorum non est, sed potius iuxta quædam positio, contactum actio & passio sequitur elementorum. Hanc eorundem consequitur alteratio & attemperatio; quæ propriè ipsorum unio est, atque permixtio, connectitur huic patientium qualitatum ut humidi, & sicci terminatio, & cõsistentia, quam immediate, ut dispositionem proximam substantiæ mixti productio insequitur, quæ est primus Naturæ scopus & institutum. Quem sanè Naturæ ordinem Diuinus Aristoteles animaduertens in lib. de ortu & interitu, eundem ordinem insecutus primum egit de contactu, mox de actione & passione, tertio de mixtione, tandem 4. met. de gener. mixtorũ ut mixta sunt, quæ patientiũ qualitatũ ab agentib. Aris. definitur, cui substantiæ mixti productio, ut terminus, coniuncta est.

Sed aduersus ordinem hunc nostrum p. 15. ita sese opponit Erastus, Natura simul permiscet, & terminat, ut rectè loquitur Arist. igitur mixtio elementorumque attemperatio, patientium qualitatum terminationem non antecedit. At nodus hic facilè diluitur. Natura enim simul tempore miscet, & terminat, non secundum naturam, sed prius natura illud, hoc uerò posterius Natura agit, cũ simultate n. tẽporis naturę ordo adinuenitur. Homo nãq; et risibilitas simul tẽpore oriuntur. Homo tamẽ est risibilitate natura prior, cũ aũt dixi ẽgo mixtionẽ passiuarũ qualitatũ terminationẽ pire, id nõ secũdũ tẽporis, sed Natura intelligẽdũ est.

Sed an fortè putauit Erastus, quoniã simul tempore fiunt, mixtionem et terminationem ac proinde mixtionem, generationẽque mixti idem esse? non arbitror, Homo enim & risibilitas simul tempore oriuntur, non tamen et unum et idem sunt. Illa autem propositio quæ 4. metaf. scribitur, Quæ simul oriuntur, & occidunt reipsa sunt vnum & idẽ, de his quæ simul natura fiunt, & intereunt, intelligenda est.

Vt autem singula dicta mea diligenter se expendisse ostenderet, duas adhuc aduersus me dubitationes proponit, prima aduersus illud est, quod antea dictum fuit, Qualitates primas non secundũ primas, sed secundum posteriores operationes, vt terminare, & terminari, in generatione mixtorum concurrere, propositum autem sic urget, posteriores operationes absque primis exerceri minimè possunt, non enim calor citrà calefactionem terminare, aut densare quicquam absque frigefactione, non ergo consentaneè dicitur, Qualitates primas in generatione mixtorum non secundum primas, sed posteriores solùm operationes concurrere.

Obijcit & illud secundo loco p. 16. mihi ipsi non constare satis, sed pugnanter proferre sententias, siquidem secundo cap. prioris meæ disputationis aßerui, generationis mixtorum formalem definitionem eam esse, quæ primo de ortu & interitu contex. 23. ab Arist. allata fuit, quæ ità habet, [generatio, mutatio est secundum totum &c.] quæ ueluti quoddã commune genus est generationis elementorum atque mixtorum. utraque enim hoc commune habet, quòd mutatio est secundum totum. Dixi postea, quòd etiam non semel in dilucidationibus nostris sancitum fuit in generatione mixtorum, elementa, eorumque qualitates non prorsus interire. sed exceßum ipsarum tãtum ad mediocritatem redigi, sed pugnant hæc, inquit Erastus. mixtorum generationem mutationem esse secundum totum, in eaque elementa, eorumue qualitates, non interire, porrò si manent, mixtorum generatio secundum totum mutatio non est, & si generatio ità se habet, elementa in generatione mixti actu manere non possunt, hæc ille. Sed arduum mihi quidem non est, vtranque accusationem repellere, & ad primam quidem fateor, qualitates primas in generatione mixtorum non secundum primas, sed secundum posteriores operationes concurrere, non ità tamen (ut Erastus visus est credere,) ut in generatione mixtorum posteriores operationes, vt terminare, congregareque citrà primas, ut citrà calefactionem, frigefactionem fieri queant; id enim nunquàm somniaui, nec quisquàm uel rudis in philosophia affirmare auderet; sed secundum posteriores operationes concurrere dicuntur, prout secundum operationes istas. primò itaque præcipuè

 ad

ad generationem concurrunt, atque ex his mixtorum generatio proximè constituitur. secundum primas autem operationes ex accidenti, & tanquàm ex causa sine qua non ad eandem generationem concurrunt, prout posteriores absque ijs absolui non possunt, quod ex Aristotele ostẽditur. 4. Meteo. contex. 3. ubi sic inquit (generatio fit cum terminatum est humidum sicco, operantibus actiuis, non enim dixit, cum excalefactum, aut frigefactũ erit, cõtra uerò putredo fit, cum humidum ipsum redditur interminatum, idemque eiusdem authoritas confirmat, 3. de animal. ortu cap. xi. ubi docet mixtorum generationem per concoctionem fieri. iam uerò concoctio, ut 4. Meteo. legitur, terminatio est, humidique consistentia à calore profecta, sicuti ex aduerso inconcoctio humidi interminatio est. & licet in coctione humidi terminatio absque calefactione fieri non possit, attamen coctio non in calefactione, sed in terminatione consistit: neque per illam, sed per hanc ab Aristot. definitur. quamobrem licet mixtorum generatio, quæ per coctionem efficitur, a calore proficiscatur, non secundum rationem calefacientis, sed terminantis promanat, & ideò, licet qualitates primæ in generatione mixtorum calefaciant, & frigefaciant, terminent & uniant, secundum illa tamen secundariò & ex accidenti, secundum posteriora uerò primò atque præcipuè concurrunt, & hoc pacto mea sententia intelligi debet, quam neque bonum senem Erastum inficias iturum confido, nunc aliam perpendo.

Aequè facilem & altera accusatio explicationem habet: primo quidem, non solum me, sed Aristotelem quoque, & ipsummet Erastum obiectio urget. si quidem Aristoteles, & ipse asserit, generationem mutationem esse secundum totum, cùm eam ita definiat, secundoque de ortu contex. 48. statuit elementa eorumque qualitates in generatione mixtorum non prorsus interire, sed secundum excessum remitti, quare & Aristoteles mecum pugnantia dicit. Non negabit puto Erastus illam generationis definitionem loco citato, cum autem, & ipse teneat in generatione mixtorum elementa, & eorum qualitates non interire, sed tantum remitti, igitur & ipse ijsdem premitur angustiis, generationem esse mutationem secundum totum, & in generatione mixtorum elementa, & qualitates non interire, sed prò ipsius, Aristotelisque salute fortasse dicet, definitionem illam generationis, non esse generationis mixtorum & elementorum, sed elementorum tantum, in qua fit mutatio duntaxat secundum totum, generatio autem mixtorum, cum ei huiusmodi definitio non conueniat, non est mutatio secundum totum, at apertissime falli-

tur, si quidem eò loci eam generationem Aristoteles definiuit, de qua cõtex. primo illius libri agere instituit. At de generatione omnium quæ natura oriuntur, & intereunt, se tractaturum proposuit, igitur & omnium quæ generantur generationem definiuit clarius, in cõtex 4. sed nõ solum de generatione elementorum, sed etiam de generatione mixtorum se tractaturũ affirmat, igitur in contex. 23. & elementorum & mixtorum generationem definiuit, secus ab instituto longissimè abesset, quãobrem & mixtorum generatio secundum totum mutatio est, hæc sibi ex pendenda erant, nec ità facilè meam sententiam admirari. Dico autem ego nullam quidem repugnantiam esse si probè Aristotelis sententia intelligatur. In generatione quidem mixtorum elementa, eorumue qualitates attemperatè manent (generatioque mixtorum mutatio est secundum totum) sed nomine (totius) non intelligit Aristoteles, ut omnia quæ ad generationem concurrunt intereant, ut ipsemet declarauit in contex. 24. ubi inquit, non omnia in generatione corrumpi, quoniam si fuerit aliquod accidens commune rei corruptæ, reique generandæ, non oportet corrumpi, sed oportet, ait, formam substantialem rei specificam interire, (quoniam si non, uidelicet corrumpatur generatio, alteratio erit,) Sed nomine (totius) formam substãtialem intelligit, quæ terminus generationis est, quæ totum etiam 2. Phis. contex. 31. ab Arist. appellatur, cum ab ea totum esse rei proficiscatur modo hæc duo Theoremata non pugnant, generatio mixtorum est mutatio secundum formam substantialem, & in generatione mixti elementorum qualitates attemperatæ ut materiam disponentes actu supersunt, & manent. Sed circa mea iam satis digressus ad Erasti rationes me confero.

Sicuti Erasti rationes ad probandum mixtionem à generatione mixti non differre, propriæ authoritati suffultæ sunt, ità quoque facilè diluuntur, & ad priores, cum inquit, Quid quæso aliud est mixtio, quàm mixti generatio? aut quid res aliquas inuicem misceri, quam ex eis mixtum fieri? mihi videtur Erastum, ut aiunt, principium petere. uult enim probare mixtionem à generatione mixti reipsa non differre, & tamen id supponit, inquiens, Nil aliud est mixtio, quàm mixti generatio, atque res inuicem misceri quam mixtum generari. An est id erudito homine dignum? Ad id autem quod addit, coctio idem est quod generatio cocti, igitur mixtio idem est quod generatio mixti. consecutio nulla est, quoniam coctio est perfectio ex oppositis passiuis ut scribitur 4. Met. 1. humidique terminatio, in qua cocti generatio consistit. At mixtio ratio non est in qua mixti generatio

consistat,

cōsistat, sed terminatio patientiū qualitatum ut anteà dictū fuit. Nec illud urget, sanguificatio idē est quod sanguinis generatio. igitur et mixtio nō est aliud quam mixti generatio, si quidē sanguificatio nil aliud est, quā chili in sanguinē cōmutatio, mixtio uerò nec in mixtum mutatio est, neq. ad illā proxima dispositio. Neq. ab artefactis desūpta ratio vllā vim qēt, si quidem in rebus arte compositis, cōpositio est ueluti ipsorum forma, ut 2. Phis. legitur contex. 31. quod de mixtione non ità sese habet.

In Tertium Erasti Caput, Animaduersio.

QVæ ab Erasto tertio capite pertractantur ad duo præsertim, problemata redigi possunt, primum est, quonam pacto qualitates primæ in generatione mixtorum duæ agentes, duæ uerò patientes ab Arist. dicantur, cum omnes agere uicissimq. pati compertum sit. sicut enim calor in frigus agit, & contra, ità humor in siccitatē agit, & e conuerso. Alterū est, de usu frigiditatis in generatione mixtorū. Quò ad primum spectat, priore sua disputatione illud persoluens statuit, qualitates primas omnes tùm agentes, tùm patientes esse. cum autem ab Aristotele dictum est, duas agentes esse, duas uè patientes, id comparatè, & respectiue intelligendum fore. nam licet siccitas et humor agēdi ui præditæ sint. si tamen cum caliditatē & frigiditate conferantur, cum nō eam agendi efficaciam habeant, patientes potius quàm agentes esse dicuntur. Responsione uerò nuper contra nos ædita eandem persequens opinionem, eamque magis explicans, unum adiecit, quod certè maximum est, Qualitates primas non solum quò ad operationes primas, sed etiam secundum posteriores, ut terminare, & terminari, omnes agentes & patientes eße, quoniam uerò caliditās & frigiditas terminandi uim habent longè maiorem quam siccitas & humiditas, propterea illæ terminantes & agentes, hæ uerò terminabiles, & patientes dicuntur, quam sententiam pluribus persuadere conatur, primumque calorem, & frigus se inuicem terminare, & terminari ita ostendit.

Cuique compertū est, calorem nòn terminare nisi calefaciendo, cum in calore qualitates diuersas effingere non liceat, quarum altera calefaciat, alterane terminet, sed uno calore utrumque absoluitur. igitur cum calor in frigiditatem agit, dum calefacit, simul etiam frigiditatem terminat, & econtra, cum frigiditas frigefaciendo terminet, igitur cum in calorem agit, simul frigefacit, caloremq. terminat, quò fit, concludit Erastus, ut calor, non solùm excalefaciendo in suum contrariū agat, sed etiā illud terminet, & etiam à frigore terminetur, Quod etiam ex Arist. confir-

confirmat 4. meteo. cap. 5. ubi frigiditatem patientibus magis simile facit, inquiens [frigus autem. maximè passiuum. patitur autem, à calido., id autem inquit Erastus non secundum primas, sed posteriores operationes, ut quò ad terminari, ab Arist. intelligitur, & si efficiens dicitur frigus, id comparatione humidi & sicci intelligi debet, illud denique addit, nullibi Aristotelem harum qualitatum operationes ità separasse. cum enim caliditetem definit, non dicit eam calefacere & cogere, sed ipsam calefactionem dicit esse terminationem, & alibi similium collectionem, par ratio est aliarum. Huc etiam pertinet Aristotelis authoritas 4. de ortu animal. Cap. 3. ubi ait, omne agens, ab eo in quod agit, si communis sit amborum materia, uicissim pati, quod non resistendo tantum, sed in contrarijs agentibus a contraria actione fieri certum est.

Humiditatem autem, & siccitatem non solum pati & terminari, sed etiam agere & terminare quibusdam etiam Aristotelis authoritatibus persuadet. primo quidem ex 4. meteorum cap. 4. ubi philosophus hæc habet, [cum autem humidum facilè, siccum autem difficile terminetur, simile quid inter se patiuntur, quod cibus, & condimentum, humidum n. sicco causa terminationis est, & alterum alterò, ueluti gluten. cum itaq; hæc inter se patiantur, necessum est, ut etiam agant mutuò. hanc actionem similem quodamodo esse ait, condimento & cibis, itemque glutini, palamque ait humidum terminare siccum, id autem actionem significat, & si siccum ab humido terminatum est, quòmodo hoc non aliquid egit, illud autem passum est.

Hoc etiam ex uerbis Aristotelis confirmat eodem libr. capit. primo, cum inquit, (putredo fit cum patientes qualitates uincunt agentes propter Ambiens,) iam uerò si patientes qualitates ut humidum & siccum agentes uincunt in opere terminandi ab ambiente adiutæ, aliquid certè agunt. Idem comprobant eiusdem uerba 2. de gener. contex. 49. quę ità habent, Aquam in mixtis ineße oportet, quoniam absque ea terra cohærere, continuitatemque habere non potest, nam si humidum à sicco terreno eximatur, in pulueres statim dilabitur, & econtra terra continet, aquamuè terminat. quamobrem humidum & siccum non solum patientes, sed etiam agentes & terminantes sunt, tametsi ipsorum actio tam euidens non sit, atque est in agentibus qualitatibus, ut caliditate, & frigiditate, undè illa propositio, primarum qualitatum duæ sunt agentes, duæ uerò patientes, non simpliciter, sed comparatè intelligenda sit, quod ipsemet Arist. 4. meteo. cap. 5. indicasse uidetur,

tur, cum ait (diximus aut humidi corpus aquam, sicci autem terram, hæc enim inter humida & sicca maximè patiuntur, ex quibus uerbis facilè intelligitur Aristotelem comparate loqui, cum inquit, Humidum, & siccum qualitates patientes esse. Hæc Erastus circa primum problema.

Tametsi putarit Erastus quæ ab ipso decreta sunt, usque adeò firma, ueraque esse, ut a nemine in dubium uocari possint, mihi tamen usque adeò leuia, quin immò falsa esse uidentur, ut citra laborem omnem reijciantur, quod nunc facere aggredior, primumq; ostendo, caliditatem & frigiditatem quò ad posteriores operationes duntaxat agentes & terminantes eße, nulloq; modo patientes uel ex se inuicem, uel ab humido & sicco terminabiles esse, ut inquit ipse. &.n. philosophus 4. meteorum contex. primo cum inductione, sensuumq; fide caliditatem, & frigiditatem congregantes terminantesque esse ostendisset, idem ex earum definitionibus demonstrauit. siquidem rei Natura, atque conditio ex eius definitione ostenditur. nam calidum, & frigidum per cõgregare, & terminare definiuntur, iam uerò per terminare solùm definiuntur, non autem, per terminari, igitur duntaxat agentes terminantesque sunt, non autem terminabiles, & patientes, enim uerò si propterea ab Arist. calidum & frigidum agentes qualitates, & terminantes dicuntur, quoniam per terminare definiuntur, igitur cum per terminare solum definiantur, non autem, per terminari, proculdubio agentes solùm sunt, & terminantes, non autem patientes, & terminabiles, qua etiam ratione priore disputatione usus sum, quam p. 18. adducit Erastus, sed ei non respondet, sed uice responsionis probat omnes qualitates tùm agere, tùm pati, cuius uerba hæc sunt, (primas quatuor elementorum qualitates omnes agere & pati, nullamque ex eis esse, quę uel agat solum, uel patiatur solum, quia cunctis philosophis confessum est, nulla hic ostensione opus habet). Sed cùm id ab Arist. confessum non sit, ut allata ratio persuadet, ex eademuè eius sententia euertatur, cur ergo illam subterfugit, & non dissoluit?

Præterea doctus iste uir definitionis leges ignorare uidetur, quas tamen in reprehensore inter cętera diuinus ille Socrates desiderabat. Definitio enim alteri a definito conuenire non debet. Iam uerò loco citato humidum, & siccum per terminari & pati ab Arist. definiuntur, igitur huiusmodi definitio alteri ab humido & sicco conuenire non potest, quare calido & frigido terminari minime competit, & econtra calidum, & frigidum per terminare definiuntur, igitur huiusmodi definitio alte-

ria

ri a calido & frigido conuenire non potest, ergo terminare non competit humido, & sicco, quinimmo cum huiusmodi definitiones dentur per opposita, si quidem calidum, & frigidum definiuntur per terminare, humidum autem, & siccum per terminari, igitur calidum, & frigidū, humidum & siccum oppositas habent rationes.

Tertio illud adijcio, si calidum terminat frigidum, vt ait Erastus, aut hoc est in elementis, aut in generatione mixtorum, uel in concoctione. primum quidem ipsum affirmare non puto, quoniam cum ignis calor in Aquæ frigidum agit, tantum abest, ut ipsum terminet, & vniat, ut potius ipsum disperdat, & disgreget, neq; secundum dici potest, quoniam philosophus in generatione mixtorum nunquam comparat calidum frigido, neque econtra, sed utrumq; humido, & sicco, in definitione enim sic inquit, [generatio vnio, terminatioq; est passiuarum a calore, & frigore terminantibus illa] & paulo post addit, [& terminatum fuit humidum sicco opperantibus actiuis] quod etiam in concoctione, cæterisque mixtorum affectionibus semper facit, mirumque certe esset si calidum & frigidum inuicem terminantur. Aristotelem in toto quarto meteorum, ubi præcipue qualitates primas secundum huiusmodi operationes considerat, nunquam secundum opus terminandi calidum & frigidum inuicem comparasse, sed & unum & alterum semper humido, & sicco.

Postremo Erastus modum ignorare uidetur, quo terminant calor, & frigus. Nam ut 4. meteo. cap. de coagul ab Arist. scribitur Calor terminat, uel quia humidum resoluit, euaporareque facit, aut humidum cum sicco rarefaciendo, permiscet. calor namque rarefaciendo uiam, aditumque humido patefacit, ut omnes mixti partes permeare queat, ac proindè cum sicco optimè permisceri, ex qua permixtione humidum terminatur, consistentiamvè acquirit. huiusmodique terminatio per actionem efficitur. igitur calor quò ad opus terminandi solùm circa humidum & siccum uersatur, non autem circa frigidum; & huc pertinet illa propositio, quæ eodem libro ab Arist. scribitur, uidelicet calidum exiccando terminare, pariter & frigus. siquidem frigus per humidi cōpressionem terminationem inducit. humidi autem compressio exiccatio quedam est. iam uerò exiccatio ipsius humidi est, non autem, calidi & frigidi, igitur calidum & frigidum seinuicem non terminant, sed ambo, humidum & siccum, ex quo factum est, ut Arist. nunquam quò ad terminandi opus calidum frigido comparauerit, sed calidum humido & sicco, atque illa nuncupauerit agentes, hæc uerò materiam, & patien-

tientes, quarè siuè definitionem primarum quatitatum spectemus, siuè terminandi modum, duæ tantum qualitates vt calor, & frigus, sunt agentes, duæ verò, quò ad posteriores s. operationes, ut siccitas & humiditas solùm patientes sunt, ac proindè illa propositio non comparatè, sed simpliciter intelligenda est, quibus constitutis, eius rationes perpendamus.

Et ad primam, cum inquit, (calidum calefaciendo terminat) sumptio ista duplicem sensum habere potest. primus est, calidum calefaciendo, simul, & immediatè quinetiam terminare, in quo sensu Erastum propositionem hanc accepisse visus est, sed hic ab Arist. reiq; natura prorsus abhorret. siquidem ignis calor cum in Aquæ frigidum agit, calefacit, non tamen calefaciendo simul terminat, in mixtis. præterea corporibus, in quibus calor uerè terminat, calefaciendo, non simul immediateq; terminat, sed immediatè rarefacit, attenuat, humidumq. euaporare facit, vel per rarefactionem attenuationem: humidum cū sicco permiscet, ex quibus tandem terminatio promanat, ut ex modo terminationis a calido superius assignato facilè constat: quamobrem cum terminatio per humidi euaporationem fiat, quæ exiccatio quædam est, igitur calidum nō calefaciendo, sed potius humidum resoluendo, exiccandouè terminat. Alter sensus est, calidum calefaciendo terminare, remote & mediate, prout terminatio fieri nequit, nisi aliquādo calefactio antecesserit, et hic uerissimus est, sed inter calefactionem & terminationem multa quidem intermedia sunt, vt rarefactio, attenuatio, humidi euaporatio, quam tandem sequitur consistentia, & terminatio, quò fit, ut quamuis calor calefaciendo in frigidum agat, non tamen ipsum terminat, cum terminare calefactionem immediate non consequatur. quod etiam de frigore dicendum est, cum in calidum agit, illud non terminare, quoniam terminatio frigefactioni non immediatè connectitur. Hinc propositio illa, quæ probationis loco accipitur, cum ait, Calor non secundum diuersas facultates hæc agit, sed per eandem, igitur calefaciendo simul etiam & terminat, sua sponte collabitur. primo quidem non ualet, calor per vnā facultatē calefacit, & terminat, igitur dum calefacit, simul etiam, & terminat: præterea licet calefactio & terminatio ad eandem facultatem utpote ad caliditatem tamquam ad radicē redigantur, tamē quoquomodo secundū diuersas facultates immediate fieri dicuntur. calefactio enim ot a caliditate immediate promanat, terminatio uerò ex humidi superflui resolutione, à diuersis facultatib. pēdere nō iniuria dici pōt caliditas enim à seipsa ut humidū resoluēs est, quoquomodo et ratiōe diuersa dicēda est.

Ad secundam uerò quæ ex 4. meteo. cap. 5. desumitur suspicor ego Erastum aut mihi cæterisque studiosis imponere decipereque voluisse, aut integram Aristotelis sententiam non perlegisse, uerba Aristotelis hæc sunt,[quo circà frigus magis passiuum existit. in his enim est, quādo terram & aquam frigiditatem habere supponimus,]quibus verbis solutionem euidenter ostēdit,non enim frigus patiens esse inquit, quia & ipsum passiua qualitas sit,sed quoniam,in his elementis reperitur quæ maximè passiua sunt, vt terra, & Aqua,ita ut ex his uerbis Aristotelis distinctio hæc elici possit frigus,patiens bif.dici posse,uno modo formaliter,itā vt uim habeat ut patiatur, & terminetur, alio autem modo, ratione subiecti,in quo inest, primo quidem modo agens, & terminans solummodo est,non secus ac calor.secūdo uerò modo patiens dici potest, & hoc pacto Aristoteles intellexit.nam rationē adijciens inquit,[frigus passiuum est, quoniam in his reperitur elementis ut terra, & Aqua, quæ maximè passiua sunt [mitto, patiens dici posse respectu caloris, qui inter cætera elementa maximam uim habet agendi,sed prior solutio uerbis Aristotelis magis consentanea est.

Neque illud rectè dicitur,quod tertio loco addit,has operationes nunquam Aristotelem distinxisse. eas profectò ipsa rei Natura distinxit, nonne calor ignis aquam excalefacit, & tamen ipsam non terminat: quod si secundum esse diuelli possunt,igitur reipsa distinctæ sunt,easdemque disiunxit Aristoteles; cum ad calefactionem nec inmediatè consequi terminationem, similiumque collectionem ab ipso decretum fuerit, ut anteà dictum est. Ad probationem autem,aio,calorem Aristotelem per terminationem,similiumque collectionem definiuisse, non quia hæc cum calefactione eandem subeant naturam,sed quoniam finem ipsum respexit. nam cum calor. 4.libro meteo.ut generationis mixtorum, concoctionisuè effector consideretur,quæ per terminationem, similiumque collectionem efficiuntur,calor per huiusmodi operationes definiri debebat,nec aliter poterat ab Aristotele definiri. siquidem causa quæ in ordine ad aliquem effectum consideratur, ita definiri, considerariuè debet, prout ad illius effectus productionem concurrit.

Aequè facilis est responsio ad rationem de humido & sicco, quæ ex uerbis Aristotelis 4.meteo.deprompta est.Nam licet humidum aliquo pacto terminet siccum,& econtra,non tamen per actionem sed per mixtionem duntaxat unius cum altero id efficiunt. quod Aristotelis uerba eo loci apertissimè ostendunt,quæ ita habent,[humidum & siccum haud aliter sese habent, quam obsonium, & condimenta. humidum enim sicco

causa

causa est ut terminetur, & alterum alteri ueluti gluten, & colla existit. sicut & Empedocles in naturalibus asseruit, farinam aqua agglutinans, iam uerò farina terminat aquam, non per aliquam actionem, sed solùm per mixtionem cum aqua, igitur humidum & siccum inuicem terminantur non per actionem aliquam, sed per commixtionem duntaxat; & propterea agentes qualitates minimè dicuntur, calor autem & frigus quoniam per actionem terminant, humidum resiccando, & resoluendo agentes qualitates iure optimo ab Arist. appellantur, eodemque modo Aristotelis locus 2. de gener. contex. 49. intelligi debet.

Nec verba illa Aristotelis 4. Meteo. contex. 3. sibi quicque fauent, quoniam cum philosophus inquit (in putredine qualitates patientes, agentibus dominari propter Ambiens.) non intelligit, nec intelligere potest, patientes qualitates ut humidum & siccum, calori & frigori dominari, ita ut illa, in hæc aliquid agant, quoniam non secundum primas earum operationes si quidem humidum non humectat calidum, neque siccum idem calidum exiccat, eoque magis quòd huiusmodi actio fit ratione contrarietatis, quæ inter humidum & calidum, & inter hoc & siccum non reperitur. Neque secundum posteriores operationes humidũ & siccum in calore agunt, quoniam neminem nisi Erastum, dicturum puto, humidum & siccum terminare calorem, & frigus, Nam cum terminatio quædam exiccatio sit, ut 4. Meteo. scribitur, fiatque aut per euaporationem humidi, aut per eiusdem compressionem, profectò humidum non exiccat, neque ex calore & frigore humidum uel euaporat, uel comprimit, pariter & siccum, nullo pacto igitur humidum & siccum in calorem & frigiditatem agunt. Undè consequentia ista ab Erasto probanda erat (patientes qualitates ut siccum & humidum, calori & frigori dominantur, igitur in hæc necessariò agunt) At germanus illorum verborum intellectus hic est. In mixtorum putredine propter Ambiens mixti calore aliqua ex parte debilitato, patientes qualitates humidum sanè & siccum illi dominantur, quoniam non amplius ab illo terminantur, Nec amplius uiribus eius reguntur, sed suo iuri ueluti derelicta inuicem dissoluuntur, ac proindè putredo inducitur: quod sanè Aristotelem intellexisse eo loci eius uerba commonstrant; inquit enim generatio mixtorum fit, cum terminatum fuerit humidũ sicco operãtibus actiuis, e conuerso autem, putredo fit, cum patientes agentibus dominantur, ità ut ab illis non amplius terminentur.

Maximè omnium infirma est ultima ratio ex eodem 4. mete. desumpta cap. 5. siquidem eo loci humidum & siccum ab Arist. calido & fri-

gido non comparantur, sed humidum Aquæ, & siccum terræ humido, aeris, & sicco ignis, cuius uerba eiusmodi sunt[quòd itaque patitur, humidum & siccum aut ex vtrisque conflatum existit, atque aquam, humidi, & terram sicci, corpus esse statuimus, quæ inter humida & sicca maximè passiua sunt.]quibus uerbis, quis est qui non uideat humidum & siccum, calido & frigido Arist. non comparare, sed humidum Aquæ, siccum uè terræ, humido Aeris, & sicco ignis? nam cum in generatione mixtorum humidum & siccum pati terminarique debeant, id autem magis humido Aquæ, & sicco terræ, quàm humido Aeris, & sicco ignis conueniat; quæ ibi ipsorum tenuitatem non ità facilè terminari queunt, ea propter in generatione mixtorum humidum Aquæ, & siccum terræ inter humida & sicca magisque terminabilia eße ab Arist. decretum fuit. Quamobrem non possum ego non maximè admirari, cum tàm aperta sint Aristotelis uerba, ex his Erastum elicere, humidũ et & siccum. respectu caloris & frigiditatis patientes qualitates dici, cum non ad illas, sed ad humidum & siccum Aeris, & ignis ab Arist. comparentur. sed quoniam de re hac iam satis digressus uideor, ad usum frigiditatis me confero.

De usu frigiditatis in generatione mixtorum.

Frigus in generatione mixtorum nullum alium habere usum ostinatè tuetur Erastus, nisi vt caloris feruorem, atque excessum refrenet, & moderetur, quòd ex eo persuadet, quoniam 4. meteo. cap. 5 philosophus scriptum reliquit, frigus actiuum esse generansque ex accidenti, igitur frigus in generatione mixtorum ex accidenti concurrit, prout caloris ferociam remittit. indè concludit in communem omnium sententiam concedere, quæ nulla firma ratione confirmari possit, si uerborum lepor et apparatus ueritatem eruditis hominibus persuaderet, profectò Erasti sententia hac in re, sicut et alijs in rebus maximam efficaciam haberet. sed An res ità sese habeat, perpendamus, si in generatione mixtorum frigus cõcurrit, ut caloris excessum attemperet, igitur in generatione mixtarum vna qualitas actiua, actioque unius ad alteram sibi oppositam comparatur. iam uerò in generatione mixtorum neq; calor ad frigus. atque hoc ad calorem comparatur, sed ambo ad patientes qualitates ad humidum, & siccum conferuntur, ut generationis definitio crebrò repetita euidenter ostendit, quæ huiusmodi est. generatio est transmutatio passiuarum à calore & frigore illis dominantibus] &

paulo

paulo infrà, terminatum fuit hmidum sicco operantibus actiuis,] cogor hanc Aristotelis definitionem non semel repetere, ut huius hominis error, communisuè hac de re sententia coarguatur, quamobrem cum frigus nõ ad qualitatem sibi oppositam, & ad calorem in generatione comparetur, sed ad humidum & siccum igitur in generatione mixtorum nõ respectu caloris, sed respectu passiuarum concurrit. sed cum Vir iste ex hoc laqueo sese explicare non poßet. p. 12. ad uerbum ita respondet, si omnia mixta perfecta ex omnibus elementis constant, nec talia absque mutua actione & passione primarum qualitatum fieri poßunt, quid uetat; immo quomodo necessarium non est, vt sicuti omnes sua natura inuicem agunt & patiuntur, ita etiam inuicem comparentur? Sed num ratione respõdet? possunt qualitates primæ ut calor & frigus inuicem comparari, igitur in mixti generatione inuicem comparantur, sed quid ad generationis definitionem in qua inuicem non comparantur? præterea si ea quæ in definitione ponuntur, non contingenter, sed necessario ponuntur, igitur cum generationis definitio ab Arist. tradita sit, non per comparationem unius qualitatis ad alteram sibi oppositam, sed per cõparationem duarum agentium ut caloris, & frigoris ad duas patientes ut humidum, & siccum, igitur tradita generationis definitio id uetat, necessariumque esse persuadet, quin in generatione mixtorum qualitates contrariæ inuicem comparentur, & una in alteram sibi oppositã agat, & operetur.

Si lubet & illud adde, Mixtorum generatio per concoctionem efficitur, ut ab Ari. scribitur. 3. de ortu animal. c. xi. quod nec inficiatur Erastus p. 24. ubi hæc habet, [omnis certè generatio mixtorum est velutì quædam concoctio,] iam uero concoctionis natura in terminatione humidi consistit, ut 4. meteo. cap. proprio habetur: non autem in actione frigoris ad reprimendum calorem. igitur & generatio mixtorum non in actione frigidi in calidũ aut ecõtra, sed in actione utriusq; in humidum consistit. Quamobrẽ frigiditatis usus in generatione mixtorũ nõ est, ut calorẽ attemperet, ut cõmunis est error, sed ut humidum cum sicco terminet, & quoniam frigus; non secùs ac calor per se terminat, & unit, ideò & frigus per se in generatione mixtorum concurrit. Hinc Erastus, & sectatores facilè intelligere possunt, An tutius in communem sententiã sit quiescendum, an in sententiam nostrã concedere, quam semper putabo uerã, quousq; rationes nuper allatæ nõ dissoluantur. Nũc, qualis sit eius ratio, consideremus, frigus, ex Aristotele inquit, est agens & generans per accidens. Dixi alias, quod repeto & nunc, frigus respectu sub-

stantiæ

stantiæ mixti per se non concurrere, nihiluè conferre, sed id ad calorem tantum acceptum referri debere, quippe qui utrumque præstat, humidum s. cum sicco terminat, mixtique substantiam producit, & hunc in modum illa Aristotelis authoritas, uidelicet [frigiditas mixtorum generationem per se non ingreditur] intelligi debet, & quoniam frigus ad non esse substantiæ potius agere uidetur, ea propter calor generans, frigus autem, corrumpens ab Arist. cæterisque appellatur, sed de re hac iam satis dictum puto.

In Quartum Erasti Caput.

CApite hoc quarto nihil animaduersione dignum Erastus proponit, sed duo tantum enunciat, quorum altero Me, altero uerò seipsum accusat. Me quidem eo crimine coarguit, quòd cum nouem ipse prima disputatione p. 45. attulerit argumenta ad probandum priorē putredinis definitionem à posteriore reipsa differre, quatuor tantum a me fuerint dissoluta, cætera uerò silentio præterierim: quod qua ratione a me factum fuerit, causam inquit, non admodum obscuram habere uidetur, quasi eo consilio cætera fuerint prætermissa, quia aut nullam, aut maximè difficilem explicationem haberent. fateor quidem nouem argumenta ab ipso prolata fuisse, non sinè maxima mea admiratione, tàm magnam argumentorum syluam à grauissimo sene philosophicis medicisque dogmatibus tamdiu uersato, allatam fuisse. Cui uel unum, uel duo tantum argumenta ad aliquid ostendendum esse debebant, quæ uim demonstrantem haberent, ex quibus ea tantum elegi, quæ mihi maiorem probabilitatem habere uidebantur: cætera uerò ut leuiora, quæue nullam firmitatem haberent, atque ex aliorum solutionibus collaberentur, lubens silentio prætermisi.

Seipsum postea accusat, quod toto suæ uitæ curriculo eam naturalis putredinis definitionem esse existimarit, quæ scribitur contex. 3. (putredo est dominium patientium qualitatum supra Agentes, propter Ambiens.) postea verò ui disputationis meæ nouerit eam putredinis definitionem non esse, sed illam, (putredo est extremum & finis corruptionis naturalis,) quinimmò sibi non parum dolere, mihi errandi occasionem dedisse, ut suæ nimium credens authoritati definitionem illā receperim, totamque meam de putredine disputationem hoc errore coinquinauerim; laudo sanè doctissimi senis ingenuum animum ad correctionem ità paratum, sed doleo uehementer, ueram putredinis naturalis defini-

definitionem quam ad decrepitam usque ætatem retinuit, dereliquisse, alteramque admisisse, quæ naturalis putredinis definitio non est, ut superius ostensum fuit, neque vllam mihi certe errandi occasionem dedit, si illam, ut ueram putredinis definitionem probaui, quoniam teneo, eamque tenebo naturalis putredinis definitionem esse, neque ab ea quæ secundo loco ab Arist. allata fuit, reipsa distingui. Quis nostrum ergo grauius errauit? Sed his missis, ad v. caput deuenio.

In Quintum Erasti Caput animaduersio.

QVoniam non leuis inter Nos controuersia est, An prior putredinis definitio eadem sit cum ea quæ posterius ab Aristot. allata fuit, quę est corruptio caloris proprij & naturalis in humido, priore disputatione mea rationibus quibusdam Erasti sententiam reieci, qui vnam ab altera plurimum inter se differre existimauit, quibus quinto hoc capite nititur satisfacere. ut autem paucis rem perstringam, rationes nostras, eiusque solutiones sygillatim proponam, & vnã quamque eius responsionem breuiter expendam. prima ratio nostra eiusmodi erat, posterior putredinis definitio quæ est corruptio naturalis caloris, & proprij, putredini secundum partem accomodari non potest. igitur huiusmodi definitio est putredinis naturalis, quæ generationi opponitur, cum duæ tantum, ut & ipse fatetur, sint putredinis species, quod assumitur, ex eo patet. quoniam putredo secundum partem elementis communis est igne dempto. iam uerò terra & Aqua naturalem propriumque calorem sortita non sunt, igitur propter naturalis proprijque caloris interitum putrescere non possunt.

Cui sanè rationi ità satisfacit Erastus, quòd licet terra, & Aqua ut pura, simpliciaque sunt, naturalem, propriumuè calorem non habeant, tamen ut mixta sunt proprium calorem habent, per cuius interitum putrescunt, non enim elementa ut simplicia sunt, sed ut mixta putredine inquinantur. Sed hæc responsio nulla est, quoniam tantum abest, ut terra & Aqua cum mixta sunt per corruptionem caloris putrescant, ut potius ad propriam ipsarum naturã reuertantur. Nam cum putredo elementorum, authore Erasto, eadem sit cum putredine quæ est corruptio caloris naturalis in humido. hæc autem fiat per dissolutionem in terram, & elementa, vt eodem definitionis contex. Aristoteles declarauit. igitur si terra, & Aqua per caloris naturalis interitum ut mixta putrescunt, in terram, & aquam dissoluuntur. igitur terra putre-
scen-

scens in terram, & Aqua putrescens in Aquam dissoluitur, ac proin-dè in propriam reuertuntur naturam, sed hæc implicant, elementa impura & mixta per caloris interitum putrefieri, & ad propriam naturam reuerti, unde cum p. 26. ait, [scire velim quæ necessitas nos cogat putare, elementa impure & mixta per putredinem secundum partem suæ puritati continuò reddi? putredinis huius proprium est, res putrescentes in elementa non semper dissoluere,] Huius rei necessitas ex ipsa putredinis definitione dependet, quæ, ut dixi, per dissolutionē fit in terram, & elementa, quod cum ipse negat, Aristotelem negat, cuius uerba quæ ipsamet putredinis definitione ponuntur, non perlegisse non possum non maximè admirari.

Secunda ratio nostra ità habet, Putredo secundum partem quæ elementis etiam communis est, non fit per dissolutionem in elementa, non enim Aer, aqua, & terra, cum putrent in elementa dissoluuntur, ut rei euidentia fidem facit, An putredo quæ est corruptio proprij caloris in humido fit per dissolutionem in elementa, ut Arist. ait, igitur huius putredinis definitio putredini secundum partem non conuenit; erit igitur naturalis putredinis definitio, Nostræ huic rationi p. 29. ità sese opponit Erastus*, putredinem posterius definitam non semper fieri per dissolutionem in elementa, sed aliquando sit, & aliquando non, ac proinde putredinem naturalem non esse, quæ semper in elementa dissoluit, sed potius putredinem esse secundum partem, quæ etiam non perpetuò dissoluit in elementa. Nec unquam ait, p. 28. à me probatum iri, per putredinem, quam posteriore loco definiuit Aristoteles omnia perpetuò in puluerem, & terram dissolui, quinimmo contrarium ex Aristotele persuadere conatur.*

Sed responsio hæc non secus ac prior leuissima est, primò quidem nō uerè dicitur putredinem secundum partem quandoque sic, & quandoque non per dissolutionem fieri in elementa, quoniam cum hæc elementorum peculiaris sit, ut Aristoteles ait in contex. v. elementorum putredo nunquam fit per dissolutionem in elemēta, ut ipsa rei euidentia ostendit, quis uidit unquam putrescentem Aerem in terram & aquam dissolui, aut putrescentem Aquam in terram redire? Sed fortè dicet Erastus, quod tametsi putredo secundum partem ratione elementorum putrescentium non dissoluat in elementa, tamen secundum alia mixta quibus communis est, in elementa dissoluit. at in Angiportum se recipit non peruium, quoniam cum unius putredinis secundum speciem una sit causa, unusque modus secundum speciem, putredo uerò secundum partem,

tem, quæ eadem est cum ea, quæ est corruptio caloris, ut ait, communis sit & elementis, cæterisque mixtis quid causæ est, quod putrescentia elementa non dissoluit, in puluerem & terram, sicuti cætera mixta. Quæ enim vna putredinis specie intereunt, eandem causam, eundemque intereundi modum habere debent, facilè quidem est os aperire, sed huius discriminis causa explicanda erat.

Turpiter prætereà labitur cum inquit, putredinem posterius definitam quæ est corruptio caloris naturalis in humido, non fieri semper per dißolutionem in elementa, sed aliquando sic, & aliquando non, vt cum putrescentia in alia mixta tantum conuertit, quoniam vnius putredinis secundum speciem contrariæ proprietates & modi esse non poßunt, vnius.n. speciei vnica tantũ est proprietas secundum speciẽ igitur putredini definitæ dissoluere, & non dißoluere in elementa conuenire non potest. Adde, si vterque modus competit putredini definitæ, cur Aristoteles ea ipsa definitione statuit fieri per dissolutionem in elementa, cum hoc, ut ait, Erastus sit sibi contingens, eiusque oppositum sibi conuenire possit? Quæ enim indifferenter alicui conueniunt, non magis vnum, quàm alterum ei adaptari debet.

Sed fortius, huiusmodi putredo perpetuò fit per exitum caloris naturalis vna cum humido, igitur perpetuò fit per dissolutionem humidi à sicco, atque in elementa ex illo enim assignato modo id infert Aristoteles, sic inquiens, [fit enim exeunte calore una, cum humido, igitur quæ putrẽt primò fiunt humida, mox arida, denique in puluerem, et terram dißoluũtur.] Quod aßumitur, ita ostendo, nullum alium Aristoteles assignauit putredinis modum quam per exitum caloris una cum humido, igitur hic proprius eius modus existit, ac proindè ei perpetuo conueniens. Illud quinetiam maximè confirmat, putredo hæc aut fit per consumptionem humidi a calore interno, aut fit per exitum caloris naturalis a calore externo. si primo, igitur ßcuti putredo naturalis secundum Erastum quæ fit per humidi consumptionem a calore interno perpetuò fit per dissolutionem in elementa, ut p. 3. ipse fatetur, igitur hęc perpetuo in elemẽta dissoluet. si secundo, igitur perpetuo eandem habebit conditionem, exeũte enim calore una cum humido, a sicco terrestri dissoluitur, ac proindè quod putrescit in terram dißoluitur, quamobrem quoquo sese uertat Erastus præcipitia ante se habet.

Denique ut huius uiri doctrina quam sit magnifaciẽda, aperiatur, rationẽ hanc adijcere volui. porrò uir iste definitionis leges ignorare prorsus uidetur, si quidem proprietates quæ ex aliqua definitione inferun-

tur, eßentiales ac proindè neceßariæ sunt. quoniam cum definitionis munus sit & rei eßentiam, & causas proprietatum explicare, certum est, non explicare causas communium accidentium, sed illorum quę propria atque essentialia sunt, cum definitio per causas proprias tradatur, quæ non communes affectiones, sed proprias essentialesque declarant, quarum causæ sunt. iam uerò ex posteriore putredinis definitione hanc Aristoteles infert putredinis proprietatem, per dissolutionem fieri in terram & elementa, igitur proprietas hæc est ipsi essentialis & necessaria, ac proinde sibi perpetuò inexistens.

Quæ uerò aduersus ueritatem hanc ab ipso asseruntur, huc pertinēt, multa enim sunt quæ putrescunt, quæ tamen in elementa non dißoluuntur, sed in alia mixta uertuntur. ex caseo enim putrefactisque carnibus & fructibus ut nos ipsi oculi, reique euidentia docent, animalia innascuntur, & tamen illa in elementa non dissoluuntur. id prætereà Aristotelis uerba confirmant, quæ post traditam putredinis definitionem leguntur, quibus statuit in putredine definita animalia generari, iam uerò cum ex putrefactis rebus dicit Aristoteles animalia generari, aut de naturali, aut uiolenta putredine intelligit, non primo, quoniam cū hæc in elementa dissoluat, in ea animalia innasci non poßunt, si quidem ex dißolutis iam elementis nihil quicqudm oriri potest, de uiolenta ergo intelligit, sed cum in hac animalia generentur, igitur hæc in elementa non dissoluit, secus neque in hac animalia oriri possent.

Sed hæc citrà laborem dißolui possunt, & ad primum dicimus, ex caseo putrescentibusque carnibus animalia innasci. Illud autem falsum est in horum putredine humidum a sicco non dirimi, in terramque dissolutionem non fieri, quoniam licet in putredine imperfecta huiusmodi dissolutio in terram non insit, nec esse possit, quoniam hæc perfectam humidi à sicco secretionem præsupponit, hæc uerò perfectam humidi unà cū calido a putrescente corpore euaporationem, tamen in consumata putredine in puluerem dissolutio inest, aperteque conspicitur, & quis obsecro negare unquam poterit, fructus, carnesque demortuas cum perfecte putrefactę fuerint, in puluereș redactas non esse? sed cum animalia oriuntur, nō in consummata putredine, dissolutisque iam elementis innascuntur, sed in inchoata putredine, egressu uidelicet humidi cum calido huiusmodi animalium generatio efficitur. Un. autem Erastus, cum dixit ex putrefactis carnibus & fructibus mixta generari, in puluerem autem dissolutionem minimè fieri, imperfectam tantum, non autem perfectam consumatamve putredinem respexisse videtur.

Non secus & ratio altera dissoluitur, cum enim quærit de qua putredine Aristoteles intelligat, cum inquit, Animalia in putredine generari, absque ulla hæsitatione affirmo, de naturali putredine ipsum intelligere. Ad instantiam cum inquit, naturalis putredo dissoluit in elementa, igitur in ipsa animalia generari non possunt, consequentia negatur, quoniam ut anteà ostensum est, hæc duo simul consistere possunt, nec unum alteri sese opponit, & cum addit, ex solo puluere, solutisq. elementis nihil generari posse, probatio seipsam iugulat, in consumata quidem putredine, cum dissolutio iam facta est in puluerem, & elementa nihil certe generari potest, in progressu tamen, ut in exitu humidi vna cum calido animalia generantur, calor enim egrediens propter Ambiens dominans portioni humiditatis & siccitatis utramque unit, & terminat, ex quibus vnitis à portione caloris dominantis animalcula procreantur. quod Aristoteles in fine capitis de putredine his verbis indicauit, [segregata caliditas naturalis existens, facit constare segregata] hoc est caliditas quæ in putredine dissoluitur, Naturalis existens, .i. proportionem habens supra portionem humidi & sicci, illa unit, ex quibus sic unitis animalia generat. Quamobrem rationes nostræ quibus ostendebam posteriorem putredinem ab Arist. definitam à naturali minimè distingui, suas adhuc quinimò maiores retinent uires, & ab Erasto solutæ minime sunt, quas tamen leues, inanesque fore adiudicauit, cæteras verò eius responsiones duabus sequentibus rationibus meis, quoniam idem habent momentum, & ex his quæ nuper dicta sunt reijci facile possunt, lubens silentio prætermitto.

An elementa in mixto perficiantur aut potius cum à mixto corpore dissoluuntur.

ILlud hoc loco minime reticendum esse existimaui, quod eodē capite scribit p. 28 elementa in generatione mixtorum perfici, cum autem in mixtorum interitu dissoluuntur, imperfectiora reddi, quod ea ratione persuadet: nam finis rerum perfectio existit, mixtorum generatio elementorum finis est, quoniam siue à Deo, siue à Natura producta sunt elementa propter generationem mixtorum; igitur in generatione mixtorum perficiuntur potius, quam imperfectiora reddantur, quinimmo cum a mixto dissoluuntur imperfectiora euadunt, hæc ille. Hanc Erasti sententiam minime quidem perpenderem, cum non satis proposito nostro conuenire videatur. uerum quia sententiam nostram valde ab-

surdam esse existimauit loco nuper citato, & infra, cum dixi, elementa cum à mixtione liberantur perfectiora reddi, sicut econtra, cum alijs commiscentur, imperfecta euadere,, ea propter tùm ob ueritatis, tum ob meæ opinionis patrocinium ea breuiter expendere decreui.

Principio eius sententiam a ueritate abhorrere, ità ostenditur, Quæ a naturali suo statu recedunt, imperfectiora redduntur, iamuerò elementa in generatione mixtorum a naturali suo statu recedunt, igitur imperfectiora euadunt, minor ex eo fidem sumit, elementa in generatione secundum proprias qualitates quibus conseruantur, remittuntur, & alterantur, & ut quibusdam placuit, secundum formas etiam substãtiales nec non ex puris impura fiunt. & cum suis contrarijs commiscentur, ut 2. de gener. ab Arist. scribitur contex. 48. iamuerò quæ secundũ proprias qualitates, propriamq; temperiem alterantur, aut remittuntur, a naturali statu dimouentur, & imperfecta redduntur, quod & Aristot. uerba commonstrant 8. phis. contex. 54. ubi causam reddens quarè motus secundùm locum est alteratione, cæterisque speciebus motus perfectior, causa inquit, ea est, quoniam motus secundum locum nihil quicquã abijcit à substantia rei, alteratio autem, aliquid abijcit, & remouet, elementorum prætereà Natura est, ut pura, simpliciaq. sint, penes quòd à mixtis corporibus distinguntur, igitur cum ex puris impura, & ex simplicibus mixta fiunt, ab eorum natura recedunt, ac proindè imperfectiora euadunt, & econuerso cum ex mixtis dissoluuntur, cum ex impuris pura, ex mixtisque simplicia reddantur, ad suam naturam reuertuntur, quid multis opus? Quod uiolenter, & præter naturam competit alicui, eius perfectio esse non potest, iam verò elementa in mixto uiolenter insunt & præter naturam, cum sint extra proprium locum in quo secundũ naturam requiescunt, igitur quies existentiaq. elementorum in mixto ipsorum perfectio esse non potest. Nec quempiam sanæ mentis hominẽ dicturum arbitror, Rem ordinari, propendereq. in aliquid ut in finem in quo imminuitur, & quasi ad interitum paratur, neque competit ei secũdum naturam, finis enim aliorum optimum esse uoluit, ut 2. phis. contex. 23. docuit Aristoteles cum autem elementa in mixto imminuantur, & quasi ad interitum parentur, mixtum quid optimum non est, neque finis, & ex consequenti neq. perfectio elementorum. Quò fit ut illud quod ab Erasto assumitur, minimè uerum sit, mixtorum generationem elementorum finem esse. Neque illud rectè dicitur, elementa siuè a Deo, siuè a Natura propter mixtorum generationem producta esse, non enim propter hanc, sed propter uniuersi integritatem producta sunt, in

quæ suis detenta sedibus & loco, à quo dimoueri non appetunt, suam perfectionem habent.

In sextum Erasti Caput animaduersio.

QVæ sexto hoc capite ab Erasto tractantur, duo potissimum sunt, primum duo argumenta mea, quæ inter duas illas putredinis definitiones haud ullum esse discrimen ostendebant, dissoluere, eneruareq. student, subindè respõsa, quæ suis rationibus a me allata fuere, pro uiribus oppugnat, cæterum quia rationes meæ eandem ferè uim cum illis habere uidentur, quæ priore capite allatæ fuerunt, & ab ipso pariter eodem modo solutæ, circa illas minimè immorabor, cũ iam satis fuerint oppugnatæ. Sed quibus accusationibus solutiones meas repellat, considerabo. Quatuor rationibus præsertim quæ maius momentum habere uidebantur, probare nixus fuit prima disputatione sua, priorem putredinis definitionem a posteriore diuersam esse.

Prima eius ratio talis erat, si prior putredinis definitio cum posteriore eadem esset, frustra Arist. posteriorem eiusdem definitionem attulisset, Dixi, non frustra id Aristotelem peregisse, sed ut exactius, expliciteq; magis naturam, causasque, & modũ putredinis declararet, quod prius allata definitio minimè præstitisse uidebatur, Sed leui quadam incursione sese opponit Erastus, Nam prior definitio clarissima admodum erat, ut in ea nihil desiderari posset, poteratq. uno, uel altero addito uerbulo illustrari, ita ut opus non esset definitionem eandem iterum afferre, inficior sanè priorem illam definitionem clarissimã esse, neq. n. in ea oẽs putredinis causæ explicantur, quæ tamen in posteriore ponũtur, Neque in priore proxima causa explicatur, unde patientium qualitatum dominium oriatur, quæ tamen in posteriore explicatur, cum inquit, [putredo est naturalis caloris corruptio ad quam passiuarum qualitatum dominium statim consequitur. neq. in priore putredinis modus explicatur quamobrem neque conspicua erat, neq. uno addito uerbulo ut ait, poterat, illustrari, præsertim, si ea esset putredinis definitio quam ipse deinceps profitetur, uidelicet (putredo est finis & ultimum corruptionis naturalis,) Nũm obsecro conspicua est definitio ista? Idcircò eandem uberius tradere operæprecium fuit, quę exactè naturam putredinis, causas omnes, causarumque ueritatem, nec non & modum explicaret, quæ strictim, conciseque prius tradita fuit, prout ex oppositione generationis colligi poterat, Nam cum philosophus in tex. 3. dixisset,

(in

[in generatione ex his facta erant, & terminatum fuit humidum sicco operantibus actiuis.] Hinc putredinem ei oppositam ueluti adumbrauit, inquiens. putredo autē fit, cùm passiuè dominantur actiuis propter Ambiens.]

Altera eius ratio huiusmodi erat. Prior putredinis definitio neque verbis neque sensu cum posteriore conuenit igitur cum illa, eadem re esse nō potest. Hanc ità reieci, priorem putredinis definitionem tametsi uerborum superficie, cum posteriore dissideat, re tamen ac sensu cum ea maximè conuenire, ut priore disputatione ostensum fuit. sed cum uir clarissimus huius rei ueritatem me attigiße videret, nec aduersus eam quicquam obijcere posset, liberè fassus est [Dominium passiuarum] supra agentes propter Ambiens] naturalis putredinis definitionem non esse. & hac in re ipsum deceptum fuisse, sed naturalis putredinis definitionē illam esse, (putredo finis est atq; extremum corruptionis naturalis) quæ cum nihil quicquam cum posteriore simile habeat, ab ea distinguitur. Sed hac quoque in re maximè fallitur, quoniam ut superius ostensum fuit, aut hæc putredinis naturalis definitio non est, aut esto ipsam esse, neque ab ea quam ipse reliquit, neque a posteriore reipsa ac sensu diuersa est. Hinc satis clarè nouisse potuit, in eo consilio quædam eius argumenta præterierim, quia apud me explicationem non haberent, cum solutiones meæ sibi contradicere, & de definitione in definitionem turpiter pertransire coegerint.

Tertiæ autem rationis solutio, eiusdemque accusatio, quoniam ad caput 10. magis attinere videtur, usque ad illum locum differetur, & ut ipsi quoque placet, inibi expendetur. Ad quartam igitur accedimus, cui maximè inniti videtur. ea autem erat, naturalis putredo non fit a principio externo. putredo posterius definita ab externo principio proficiscitur, igitur cum illa re eadem esse non potest, maior Propositio ità ostenditur, inter mutationem naturalem, & violentā hoc discriminis est, q naturalis ab interno, violenta verò ab externo principio pēdet, ut 7. phis. contex. 10. Arist. testatum reliquit: igitur putredo quæ naturalis est, ab externo agente prodire non potest. Adde inquit, Aristotelem nusquàm dixisse naturalem putredinem ab externo proficisci, neque animo consequi potest; putredinem naturalem esse, & ab externa causa induci.

Priore mea disputatione dixi, maiorem illam propositionem falsam esse, si quidem philosophus 4. meteo. contex. 3. asseruit, naturalem putredinem de qua ibi loquitur ab externo ambientis calore proficisci, sed

quo-

quoniam contra sese opponit Erastus, Aristotelem noluisse naturalem putredinem ab externo calore, ut à præcipua causa proficisci, quoniam naturalis non esset, sed ut a causa adiuuante, & veluti causa sine qua non, propterea rem hanc nunc clarius declaro, atque iterum dico maiorem illam propositionem falsam esse, & ad probationem, differentia illa quam ipse inter mutationem naturalem & violentam assignat cautè intelligenda est. Si quidem naturalis uiolentaq; mutatio penes id inter se non distinguntur, quia naturalis mutatio ab interno, uiolenta uerò ab externo principio proficiscatur. Nam & naturalis mutatio ab externo principio fieri potest, ut docuit Arist. 8. phis. contex. 27. ubi, quæ ab extrinseco mouentur diuisit in ea quæ secundum naturam, & violenter mouentur, quamobrem naturalis mutatio ab externo principio prodire potest, quod & ipsa rei euidentia ostendit. Nam si lapis ab externo agente deorsum moueatur, profectò huiusmodi lapidis motus naturalis est, & tamen ab externa causa promanat. proindè non rectè ista propositio enunciatur, nisi ab his qui uel parum in philosophia versati sunt, mutatio quæ ab externo principio proficiscitur, uiolenta est, quoniam cum subiecto stat oppositum prædicati, ut ex Aristotele nuper ostensum est. quod sanè magnus Aristoteles animaduertens, 3. ethic. cap. 3. motum uiolentum ita definiuit, Motus violentus est qui fit a mouente externo, non conferente uim passo, non enim solum dixit, qui fit à mouente externo, recordatus eorum quæ scripsit 8. phis. contex. 27. sed adiecit particulam illam, non conferente vim passo. i. qui contra mobilis propensionem efficitur, sic enim definitio & definitum inter se cõmeãt, & hoc pacto Aristotelis authoritas 7 phis. contex. 10. intelligi debet, vt suipsius Aristotelem interprætem faciamus. quamobrem cum naturalis mutatio ab externo principio fieri possit, igitur & naturalis putredo ab externa causa & quidem præcipua pendere potest. sed licet ab externa causa inducatur, non propterea uiolenta est, quoniam paßum vt potè mixtum quod putrescit vim confert, & ad huiusmodi mutationem inclinationem habet. siquidem mixtum aptum est dißolui in ea ex quibus concretum est, & sicuti per vnionem aut elementorum, aut patientium qualitatum ortum est, ita etiam aptum natum est corrumpi per dißolutionem in elementa, aut humidi a sicco.

Vndè illud certè æquo animo ferre non poßum, quod posteà addit Erastus. Putredinem posterius definitam propterea uiolentam esse, quoniam ab externa causa, ut ab alieno ambientis calore inducitur. An valet consequentia ista, putredo posterius definita fit ab agente externo, igi-

no, igitur uiolentā? non ne legit quandoque locum illum Aristotelis 8. phis.contex.27.ubi scribit. quædam ab externo mutari principio secun dum naturam tamen mutari, fortè dicet, putredinem posterius definitam ab externo prodire principio nullam paßo uim conferente, ac proin dè uiolentam esse. sed neque ad id confugere potest, quoniam, ut etiam ipse concedit, putredo est passio mixti secundum quòd mixtum est, igitur competit mixto secundum propriam naturam mixti, quod.n. competit alicui secundum quod ipsum, competit ei secundū propriam eius naturam. itaque putredo secundum naturalem mixti inclinationem, ac proindè naturalis erit, præter id quod dictum antea fuit, mixtum aptum esse in ea dissolui, ex quibus concretum fuit, ex quo sequitur à studiosis omnibus, vt maximè falsam diuisionem illam reijciendam eße, cum inquit, Mixtorum putredinem aliam naturalem, aliam verò uiolentam esse, cū omnis mixtorum putredo naturalis sit, ac proindè eiusdem sententiam penitus explodendam eße, cum ait, tres esse mixtorum inanimorum corruptionis species, altera, quæ dicitur naturalis putredo. alia verò quæ dicitur putredo præter naturam, atque tertia, quæ dicitur combustio, ita vt duæ sint violentæ, & vna naturalis, cum tamen Aristotel. 4.meteo.contex.3.duas tantum mixtorum inanimatorum statuerit corruptionis species, quarum vna naturalis est, quæ putredo dicitur, altera verò violenta, quæ combustio est.

Ad confirmationem autem cum dicebat, nusquam Aristotel. asseruisse naturalem putredinem ab externo principio proficisci. Miror, nonne in contex.3.de naturali putredine loquens, statuit, eam fieri cum patientes qualitates agentibus dominantur propter ambiens? & licet affirmet Erastus causam hanc non vt præcipuam, sed vt adiuuantem, & veluti causam sine qua non, Aristotelem assignare, tamen cum præter hanc putredinis causam aliam non assignet, præcipua putredinis causa censenda est, nisi in maius incommodum confugere velit, præcipuam causam Aristotelem silentio inuoluisse, & secundariam causamuè sine qua non in medium attulisse.

Sed aduersus ea quæ dicta sunt statim sese opponit Erastus, & primo quidem, si naturalis putredo ab externo principio proficiscitur, secundum mixti propensionem, igitur putredo partim erit naturalis, & partim violenta, vt enim secundum mixti inclinationem efficitur, naturalis erit, prout verò a causa externa inducitur violenta erit, causa enim externa mutans, aut corrumpens naturalis non est, quæ verò talis non est, effectum naturalem producere non potest. Secundo, si putredo naturalis

ralis

ralis est propter dissolutionem humidi a sicco, igitur combustio non secùs ac putredo, naturalis erit. si quidem & in combustione dissolutio fit humidi a sicco, & in quatuor elementa. quarè secretio humidi a sicco, neque uiolentam corruptionem facit, sed huius secretionis causa. Quid enim? Si comprimendo succus ex aliqua re exprimatur, ita quod humidum a sicco separetur, an statim corruptio naturalis erit? postremo, si mixtarum putredo causa promanat. igitur mixtum aut in uacuo positū, aut in loco, in quo ab ambientis actione sit tutum, non corrumpetur, neque putrescet. immortale igitur erit, quod sub finem primi de cælo Aristoteli aduersatur, vbi statuit, omne corruptibile necessario aliquando corruptum iri.

Sed isthæc leuia sunt, facilemque explicationem habent, & ad primum consecutio illa negatur: ad probationem autem dicimus, quod licet naturalis mixtorum putredo ab externa causa fiat, non propterea ex parte uiolenta est, quoniam externa causa uiolentiam non inducit, sed absolutè naturalis existit propter mixti habilitatem, quam ad huiusmodi corruptionem habet, cum autem addit, (causa externa mutans, aut corrumpens naturalis non est) propositio ueritatem habet, cum externa causa contra passi inclinationem agit, & mutat. nam cum contra rei inclinationem agat, contra rei naturam agere dicitur, ac proindè præter naturalis existit. At si secundum patientis inclinationem naturæ agat, Naturalis esse dicitur, naturalemque effectum inducere potest. solutionem hanc ex Arist. colligo 9. phis. 27. vbi statuit ab externo agente quædam moueri secundum naturam, & quædam contra naturam, ac proindè externam causam respectu aliquorum naturalem, respectu uero aliorum præter naturalem causam esse, quod non aliunde contingit quam propter diuersam patientis dispositionem, ut dictum est.

Ad secundum, fateor quidem ego mixtorum putredinem naturalem esse propter dissolutionem humidi a sicco, ac proindè in elementa, ad quam mixtum propēsionem habet. nam cum ex unione patientium qualitatum, aut elementorum mixtum genitum sit, ex dissolutione eorūdem aptùm natum est, corrumpi. cùm autem ait, in combustione non secus rē ipsam sese habere, fallitur, siquidem in combustione humidum non dissoluitur a sicco, sed ab igne absumitur, cuius rei illud est argumentum, quoniam in combustione animalia, sicut in putredine, non generantur, quia humidum totum ab igne absumitur, in putredine uero propriè a sicco diuellitur, quoniā una cum calore mixti effluit, exteriusq; euocatur,

Esto, praeterea in combustione humidi a sicco, in elementaque dissolutionem fieri, dispari tamen ac longè dissimili modo, ac in putredine efficitur, porrò in putredine absolutè fit dissolutio humidi a sicco, in elem~etaque, absque conuersione rei quę putrescit, in naturam corrumpentis, in combustione uerò dißolutio fit per conuersionem rei quæ comburitur in naturam corrumpentis, quoniam uerò mixtum propensionem non habet, ut in naturam alterius conuertatur, sed duntaxat in ea dissoluatur ex quibus genitum fuit, propterea putredo naturalis est, combustio uerò nequaquam, Sed illud certè ridiculum est, quod postea enunciat, dissolutionem humidi a sicco terrestri naturalem corruptionem haud efficere, quoniam cum succus ab herba exprimitur, humidum a sicco dissoluitur, nec propterea huiusmodi dissolutio naturalē corruptionem facit, Num, cum ab herba succus exprimitur, humidum à sicco dissoluitur? certè non quoniam ut 2. de gener. scribitur contex. 49. cum humidum à sicco terrestri diuellitur, statim in puluerem dilabitur, sed huiusmodi herbæ expressio dissolutio est partis crassioris mixti in partes tenuiores, succus enim qui exprimitur, quid mixtum est, sed si pars crassior à qua facta est expressio subindè putrescat, ita ut humidum à sicco dissoluatur, in puluereſque redigatur; putredo naturaliſque interitus existit, & huiusmodi secretio humidi a sicco quæ in puluerem, & terram terminatur, absque conuersione in naturam corrumpentis, putredinem, naturalemque mixti corruptionem facit.

Neque id quod postremo loco affertur, propositum urget, totū enim argumentum concedo, si mixtum uidelicet, aut in uacuo, aut in loco, in quo ab ambientis actione tutum existeret, nunquam corrumperetur, Ad instantiam autem aio, propositionem aliquam perse, absoluteq; ueram esse, quæ ex euentu, & ex hypotesi redditur falsa est, enimuerò propositio ista, Homo non uolat perse, & absolutè uera est, ex hypotesi tamen falsa est, enimuerò si homo haberet alas, homo uolaret, quod etiā animaduertit Auer. 6 phis. com. 15. iamuerò propositio hæc, [omne corruptibile neceßariò aliquando corrumpetur,] simpliciter, & perse uerissima est, ex accidenti tamen & ex hypotesi redditur falsa, ut si mixtum ponatur in uacuo in quo ab ambiente inquinari non possit, nunquam corrumperetur, Res tamen in corporibus animatis econtra sese habet, quoniam cum ab intrinseco corrumpantur per humidi consumptionem a calore innato ipsum depascente, etiam si ponerentur in uacuo sublataquàuis externa causa adhuc naturàli interitu corrumperentur, & hæc de hoc cap. satis.

In Septimum Erasti Caput Animaduersio.

Septimo capite prioris meæ disputationis posteriorem putredinis definitionem expendi, in ea ue plurima quæ explicatione opus habere uidebantur, declaraui primò quidem, quid nomine caloris naturalis, & proprij ab Aristotele intelligatur. Quidvè per unumquodque humidum significetur, qua in re medicorum quorundam sententiam reieci, qui triplex humidum elementarium, excrementosum, & Alimentarium exposuerunt, quoniam cum putredo sit affectio mixti ut mixtum est, certum est enim in mixto ut mixtum est humidum alimentarium nō inueniri, quis enim in metallis, aut in cadauere putrescentibus humidum alimentarium imaginabitur? Sed humidum elementorum ut Aeris, & Aquæ tantum Aristoteles intellexit, Quæ cum contra Erastum facere non viderētur, silentio prætermisit, Illud autē animaduertit, quod æquo animo ferre non potuit, Me in naturali putredine statuisse naturalem calorem non imminui atque deficere ad absumptionem humidi. sed potius ècontra humidum dissolui ad dissolutionem caloris, Aristotelis uerbis persuasus, quæ eo loci ità habent, [exeūte enim calore naturali secum „ euocatur, atque effluit humidum,] At pugnat hoc (inquit) expresse „ cum Natura ipsa, ut Aristotelis doctrinam taceam, qui enim potest, „ mixtorum calor seipsum exterere, & dissoluere, nisi humidum, in quo inest, & quo veluti pabulo nutritur, paulatim consumpserit? Nostræ aūt rationi occurrens, sic inquit, Nec probat quicquam, quòd humidum una „ cum calore expirare dixerit Aristoteles ac proindè humidum deficere „ ad defectum caloris, quia non de naturali, sed de violenta putredine „ intellexit, uerum non hunc tantum errorem, sed plures alios inuexit „ nihil aliud magis in disputationem hanc, quam indiligens, parumque „ accurata utriusque putredinis distinctio, hæc Ille, sed nec eius ratio urget, neque solutio satisfacit, nō quidē ratio urget quoniā supponit in naturali putredine calorem a seipso dissolui quod absq; humidi absumptione ab eodem calore fieri nequit, Id autem falsum est, quoniam in natura putredine calor neque ex seipso, neque ex humidi absumptione, sed ab externo ambientis calore disperditur cuius rei illud certissimam fidem facit, quoniam philosophus 4. Meteo. contex. 3. de naturali putredine loquiens, sic inquit, putredo fit cum passiuæ qualitates supra agentes dominantur; ac proindè cum humidum supra calorem dominatur, quæ uerba, tametsi secundum Erastum post mutatam sententiam

 quid

quid sit naturalis putredo non explicent, tēpus tamē declarāt quo putredo naturalis efficitur, illud satis est de naturali putredine Aristotelem loqui, iam uerò si in naturali putredine calor deficit ad inopiam humidi que defectum, igitur prius absumitur: continuè deficit humidum, ad cuius absumptionem deficit calor, itaque in naturali putredine humidū calori non dominatur, aut Arist. ait, qui ergo meus Erastus hæc duo seruabit, in naturali putredine calorem dissolui ad humidi defectum, in eademque humidum supra calorem dominari, cur ergo Aristotelis doctrinam reiicuit, si suæ fauebat opinioni? Neque eius solutio satisfacit, nam si in putredine posterius definita, caloris naturalis defectus humidi defectum antecedit, ut ipse concedit, cum hæc, re ipsa a naturali putredine non distinguatur ut superius ostensum fuit, igitur in naturali putredine calor ad humidi defectum non dissoluitur, sed potius econtra humidi defectus caloris inopiam consequitur, sed multo clarius ia uerba illa eodem contex. 3. nuper allata commostrant. nam si in putredine naturali humidum supra calorem dominatur igitur & in naturali putredine humidum caloris inopiam præsupponit. uerè itaque sancitū fuit a nobis siuè priori, siuè posteriori putredine ab Arist. definita caloris naturalis defectum non ob pabuli, humidiq; absumpti penuriam euenire, sed potius eam præcedere, uter autem nostrum diligentius, accurateuè magis prioris, posteriusque definitæ putredinis definitionem obseruauerit, ex scriptis nostris studiosi uiri intelligere facile poterunt.

In octauum Erasti Caput Animaduersio.

SI singula, quæ ab Erasto octauo hoc capite pertractantur, eadem orationis serie persequi uellem, prolixa quidem, & confusa animis nostra hæc esset oratio, quæ duo cūm maxime abhorreant, omnia quæ ab ipso tractantur, ad quadam theoremata redigere optimum esse dyudicaui. primum est, circa putredinis causam, Arist. nomine Ambientis caloris, non solum Aeris, & Aquæ, uerum etiam aeres, fumososque halitus in corpore retentos, nec non terræ calorem intellexisse,

Alterum est, in putredine posterius definita, calorem non imminui, sed potius intendi, & augeri,

Tertium illud est; naturalem mixti calorem, ab ambientis calore pati, uel quia est dissimilis secundum gradum, uel quia ambientis

calor

calor sibi præripit humidumque absumit, ad cuius absumptionem mixti quoque calor absumitur, & hæc sunt quibus tota Erasti sententia hoc capite complectitur, quæ an uera sint Aristotelique consentanea breuiter considerabo.

Porrò primum Erasti Theorema ab Aristotele abhorret, si quidem philosophus tradita putredinis definitione, explicans quid nomine ambientes intelligat, Aeris & Aquæ solum mentionem fecit. quòd si præter hæc duo, & fumosos halitus, terræque caliditatem intelligeret, uniuersalem, adequatamuè causa non declarasset, quinimmo neque suo Aristoteles instituto satisfecisset. nam cum illa particula, [aliena ambiẽtis caliditas] ambigua esset, eam explicare instituit, eam autem declarans Aeris & Aquæ caliditatem sequenti contex. intelligendam esse pronunciauit. quòd si præter hæc duo, alia quoque significet, ut fumosos halitus terræque caliditatem, quæ ab Aristot. non explicantur. igitur particulam illam adhuc ambiguam dereliquisset, quam tamen illustrare decreuit. præterea & fortius, putredo, quæ ibi definitur Erasto etiam authore, est affectio mixti ut mixtum est, iamuero in mixto, ut mixtum est, acres fuliginosique halitus non reperiuntur. non enim in auro, Argento, & ære fuliginosos uapores adinueniri quispiam affirmabit. non enim in his autacris calor, aut materia reperiuntur. ex quibus aeres, fuliginosique uapores generari queant. igitur putredo huiusmodi halitus ut causam non habet, ac proindè sub Ambientis caliitate non continentur.

Cæterum Erastus his quæ dicta sunt itá sese opponit. Nàm licet Aristoteles cap. de putredine fumosarũ exhalationum, terræque caliditatis mentionem non fecerit, alibi tamen & harum mentionẽ fecit, terræ quidẽ caliditatis ut 3. de ortu animal. cap. xi. et libro 5. cap. 4. et 5. insuper non semel scribit Aristoteles in nostris corporibus humores putrescere, At cuius ambientis calore id efici putauit? profectò non Aeris, aut Aqua, uel terræ, sed ob detentas in corporibus exhalationes. sed quid testimonijs, inquit, opus est, ubi sensus controuersiam dirimunt, vnicuique enim compertum est, terram & quæ in ea latent putrefieri, iam uerò quid est hoc quod est hoc quod ambit, caloreque suo insitum eorum calorem corrumpit, Aeris ambientis calor esse non potest, non enim exiguus Aer inclusus id efficere poterit, erit itaque calor ipsius terræ.

Sed hæc certè nullum momentum habent, & ad primum cum inquit,

Ari-

Aristotelem 3. de ortu animal. cap. xi. & libro 5. statuisse a calore terræ putredinem quoque induci, grauiter hallucinatur, si quidem citatis locis nunquam asseruit Aristoteles a calore terræ putredine proficisci, quin immo capite illo 4. quod pro se adducit, hæc Aristoteles scribit ad uerbum, (atque ita humor putrescit calore Aeris ambientis, fit enim putredo quoque a calore, sed non suo, natiuoque, ut alio loco exposuimus. i. 4. libro meteo.) quinimmo ex his uerbis apertè colligitur, cum se citet Aristotelis, in definitione putredinis per ambientis calorē, illum intelligere quem statuit 5. de ortu animal. Cap. 4. at ibi statuit, & exponit Aeris ambientis calorem, eundem igitur in definitione putredinis intelligit, quamobrem locus ille potius contra se facit, quam suæ faueat opinioni, quod si fortè dixerit Erastus, eo loci Aristotelem de uapore terreno mentionem facere, qui fortè in causa fuit erroris Erasti, fateor, sed non propterea philosophus inquit, putredinem fieri à uapore terreno, sed potius ipsum quoque putredine inquinari, uerba hæc sunt, (putredo autem Aquæ & terræ, & aliorum huiusmodi corporum fieri potest, quamobrem terreni etiam uaporis putredinem nouimus, quæ situs uocatur, & enim situs caries est terreni uaporis.)

Ad alteram autem instantiam inficiari non possum, humorum putredinem ex fumosis exhalationibus proficisci, nam & id alias confessus sum, sed huiusmodi putredo longè dispar, ab eaque dissimilis est, quæ 4. Meteorum definitur, quæ dicitur corruptio caloris naturalis in humido &c. illa enim cum ea conuenit quæ elementorum est, quæ recessus est a proprio eorum temperamento, & cum alijs adulterata quædam permixtio, hæc uerò, mixti corruptio est per dissolutionem humidi a sicco propter naturalis caloris impotentiam a calore ambientis, & licet interdum humores in cineres dissoluantur, illa quidem putredo non est, sed potius combustio quædam, putredo enim non in cineres, adustamque terram, sed in simplicem terram tantum resoluit.

Quòd verò humorum putredo ab ea distinguatur, quæ 4. Meteo. definita est, ex ipsomet Arist. 5. de ortu animal. cap. 5. apertissimè demonstrari potest, ibi enim de humorum putredine sermonem habens ex qua canities pilorum inducitur, ostendereque uolens canitiem putredine quadam oriri, non autem, ut quibusdam placuit, ariditatem esse, ita scribit (canitiem quadam putredine fieri, non autem ut quidam putant, ariditatem esse, indicium est, quòd pili, qui uel pileo, uel alio tegmine operiuntur, celerius canescunt, expiratio enim putredinem prohibet, operimentum uerò flatum, expirationemque arcet,) quibus sanè

uerbis

verbis ostendit, expirationem putredinem prohibere, contrà uerò prohibitam expirationem putredinem efficere, & quoniam pilorum operimentum euaporationem arcet, & prohibet, idcircò putredinem inducit, & ex consequenti operimentum in causa est, ut citius pilorum canities oriatur, certum est autem, eo loci philosophum de humorum putredine sermonem habere, iam uerò cùm inquit, (euaporatio putredinem prohibet) aut philosophus intelligit de putredine 4. meteorum definita, quæ est corruptio caloris in humido &c. aut de alia ab hac distincta, non primo, quoniam tantum abest, ut putredo ibi definita per expirationē prohibeatur, vt potius per expirationem efficiatur, vt ex illius definitione liquidò constat, [putredo enim inquit, est corruptio caloris in humido, fit enim exeunte calore, cum quo vna humidum euaporat,] igitur de diuersa putredine intelligit, & cum de humorum putredine loquatur, igitur humorum putredo ab ea longè diuersa est, quæ 4. meteorum fuit definita, hanc enim euaporatio inducit, prohibita uerò euaporatio prohibet, Quæ verò humorum est, ex euaporatione prohibetur, & ex prohibita euaporatione inducitur, minus firma ultima obiectio est, cum enim quærit, a quo terra, & quæ in ea latent putrefiunt, a calore, inquā, aëris ambientis, qui in ea cohibetur, nec non putridis uaporibus qui cū ea commiscentur, hi.n. uitiant eam, & a proprio temperamento eam depellunt, non secùs ac putridis Aquis terræ iacentibus usu uenit, cum autem inquit ipse, terram, quæuè in ea latent a calore eiusdem terræ putrescere, Aristoteli apertissimè sese opponit, qui libro 5. de ortu animal. cap. 4. ità scribit, [fit putredo quæque a calore, sed non suo, natiuoq. hoc autem terræ contingeret, si ipsiusmet calore putredine corriperetur, peregrino itaque alienoque calore, terra, & quæ in ea iacent atque putrescunt nunc ad alterum deuenio.

An in putredine posterius definita naturalis calor intendatur, aut potius remittatur.

VT ratum, maximeque firmum habuit Erastus in putredine posterius ab Arist. definita, mixti calorem non imminui quidem, sed intendi, & augeri, quod multis tentat persuadere, & primo quidem, quoniam, uel ipsi sensus apertissimam fidem faciunt, quæ putrescunt, dū putrescunt, uniuersa calidiora reddi, quinimmò quædam ita in ea incalescunt, ut urentem quandam uim acquirere uideantur, ut in putrefactis stercoribus cernitur. Idque ex Aristotelis authoritate confirmat. 35.

sect. probl. 20. ubi asserit, quod putrescit calidius reddi, quod etiam 4. meteo. cap. xi. explicasse videtur, quinimmo, Galenus, cæterique posteriores medici, putrida calidiora fieri, ut principium quoddam enunciarunt, & nisi, inquit Erastus calor, putredine hac, intenderetur, putredo minimè fieri posset. Sed hæc Erasti sententia ab Aristotele longissimè abest, quod ex ipsamet putredinis definitione ostendi potest, quam ibi habet, [putredo est corruptio caloris naturalis in humido ab ambientis caliditate, fit autem exeunte calore unà cum humido, idcirca quæ putrent, primò humida, mox arida, tandem puluis, & terra,] ex quibus sanè uerbis duplex sumitur argumentum, primum est, huiusmodi putredo fit per exitum, & egressum caloris, sed per exitum calor non intenditur, sed imminuitur, languidiorque continuè redditur. quis enim obsecro affirmare audebit ex corpore calorem egredi, & expirare, & ipsum intendi? huc oportebat Erastum uersari, quo mea præsertim innititur ratio, & isthæc duo in definitione conciliare caloris s. egressum, eiusdemque intensionem quod quousque factum non uidero, eius sententiam minimè probabo, ex eisdem uerbis & alterum suppeditat argumentum, exeunte calore una cum humido, quæ putrescunt continuè arida fiunt, in terramque conuertuntur. igitur huiusmodi effluxus calidique & humidi egressus transitus est, motusque in pulueres & terrā, iam uerò transitus ad terram refrigeratio, & exiccatio est. in his enim terra consistit. igitur quæ putrescunt, dùm putresnunt continuè frigidiora, aridioraque fiunt, ac proinde in putredine calor continuè imminuitur, denique corruptio caloris à frigiditate sibi contraria, remissio & diminutio est. iam uerò in putredine naturalis calor ab interna frigiditate corrumpitur, ut eò loci docuit Aristoteles. igitur in putredine calor languescit, & imminuitur. Non me latet Erastum respondere, per internam frigiditatem Aristotelem non realem frigiditatem calori aduersam, sed diminutum calorem intelligere. uerum quia id falsum esse in explicatione alterius theorematis demonstrabitur, illuc differatur. Interim illud ab ipso libenter scire uelim, quam ob causam p. 45. illud adiecit, (nisi in putredine calor intendatur putredo minimè fieri potest,) Nū calor ab ambiēte adaugeri debet, ut humidum agat, illudue depascat? hoc certè non, nisi secū ipse pugnare uelit, siquidē superiori capite asseruit, putredinē hanc per humidi consumptionē a calido nequaquā fieri, aut potius in putredine calor auctior fieri debet, ut humidi a sicco, & in terrā dissolutio fiat, neq; id certè dici potest, quoniā ad boc ut humidi à sicco dissolutio fiat, tantum abest, ut calor intendatur, ut potius remitti

debeat,

debeat, imperiumque amittat supra passiuas, id enim uel maxime compertum est, humidum, & siccum simul iuncta manere quàm diù calor illis dominatur, contrà uerò humidum à sicco diuelli cum calor remittitur, languidiorque efficitur. quod neque Erastus inficiatur. quamobrem cum neque propter primam, neque propter secundam causam in putredine definita calor intendi debeat, absque ulla ratione id prolatum esse arbitror.

Argumenta uerò quæ ab ipso in oppositum afferuntur, uno flatu omnia dissipari possunt, enimuerò de his solũ concludunt, quæ putredine secundũ partẽ putrefiunt, ut sunt elementa, nec non humores cum ex his exoriuntur febres, et quę ex permixtione putridorũ raporũ inquinãtur, hæc enim cũ putrescunt propter commixtionẽ fumidarum exhalationũ calidiora redduntur. Sed hæc putredo quæ secundum partẽ co. 4. meteo. ab Arist. dicitur, quasi e diametro pugnat cũ putredine quæ est naturalis caloris corruptio in unoquoq; humido, ut proprio cap. inferius demõstrabo. Atq; de his libro problematũ Aristoteles intellexit, ut dubitatio eo loci ab ipso proposita satis apertè ostendit, dubitationẽ enim hanc proponit. (cur Aqua & terra putrescant. Ignis autem, & Aer nequaquàm) quare & solutio de his intelligi debet, quod si quispiã dixerit de ,, omnibus quæ putrescunt Aristotelem intelligere, quoniam inquit; (An ,, omne quod putrescit calidius fit) utitur enim illa dictione, (omne) bifnodus iste dissolui potest. primo Aristotelem uniuersaliter de ijs omnibus intelligere quæ putrescunt putredine secundũ partẽ, quæ recessus est à propria rei natura, fitque per uaporum calidorũ commixtionẽ, potest quinetiã dici, quod etiã si de putredine intelligatur solutio quæ est caloris corruptio in humido, quæuè dissoluit in pulueres, & terram, multo tamen dispar est utrorumque ratio, atque conditio, Quæ.n. secundũ partẽ putrescunt, ut elementa, nec nõ humores, dùm putrescunt in eisque maior calor acquiritur, q̃ uerò secundũ totum putrescunt, ut cadauera, arefactæque plantæ, dùm putrent, minimè calidiora redduntur, quinimmò per exitum caloris, & humidi continuè frigidiora, sicciora que efficiuntur. Sed antequã putrefieri incipiant necessariò secundum extimas eorum partes ab externo ambientis calore excalefieri debent, nam authore philosopho putredo fit naturalis caloris corruptio, per eiusdem caloris egressum, naturalis autem calor egredi expirareque minimè possit, nisi extimæ mixti partes ab ambientis calore relaxentur, & quoquomodo aperiantur. ab eo uerò relaxari minimè possunt, nisi prius excalefiant, quarè quæ secundum totum putrescunt, priusquam

[in generatione ex his facta erant, & terminatum fuit humidum sicco operantibus actiuis.] Hinc putredinem ei oppositam ueluti adumbrauit, inquiens. putredo autē fit, cùm passiuè dominantur actiuis propter Ambiens.]

Altera eius ratio huiusmodi erat. Prior putredinis definitio neque verbis neque sensu cum posteriore conuenit: igitur cum illa, eadem re esse nō potest. Hanc ità reieci, priorem putredinis definitionem tametsi uerborum superficie, cum posteriore dissideat, re tamen ac sensu cum ea maximè conuenire, ut priore disputatione ostensum fuit. sed cum uir clarissimus huius rei ueritatem me attigiße uideret, nec aduersus eam quicquam obijcere posset, liberè fassus est [Dominium passiuarum] supra agentes propter Ambiens] naturalis putredinis definitionem non esse. & hac in re ipsum deceptum fuisse, sed naturalis putredinis definitionē illam esse, (putredo finis est atq; extremum corruptionis naturalis) quæ cum nihil quicquam cum posteriore simile habeat, ab ea distinguitur. sed hac quoque in re maximè fallitur, quoniam ut superius ostensum fuit, aut hæc putredinis naturalis definitio non est, aut esto ipsam esse, neque ab ea quam ipse reliquit, neque a posteriore reipsa ac sensu diuersa est. Hinc satis clarè nouisse potuit, in eo consilio quædam eius argumenta præterierim, quia apud me explicationem non haberent, cum solutiones meæ sibi contradicere, & de definitione in definitionem turpiter pertransire coegerint.

Tertiæ autem rationis solutio, eiusdemque accusatio, quoniam ad caput 10. magis attinere videtur, usque ad illum locum differetur, & ut ipsi quoque placet, inibi expendetur. Ad quartam igitur accedamus, cui maximè inniti videtur. ea autem erat, naturalis putredo non fit a principio externo. putredo posterius definita ab externo principio proficiscitur, igitur cum illa re eadem esse non potest, maior Propositio ità ostenditur, inter mutationem naturalem, & violentā hoc discriminis est, q̄ naturalis ab interno, violenta verò ab externo principio pēdet, vt 7. phis. contex. 10. Arist. testatum reliquit: igitur putredo quæ naturalis est, ab externo agente prodire non potest. Adde inquit, Aristotelem nusquàm dixisse naturalem putredinem ab externo proficisci, neque animo consequi potest; putredinem naturalem esse, & ab externa causa induci.

Priore mea disputatione dixi, maiorem illam propositionem falsam esse, si quidem philosophus 4. meteo. contex. 3. asseruit, naturalem putredinem de qua ibi loquitur ab externo ambientis calore proficisci, sed

quo-

Quoniam contra sese opponit Erastus, Aristotelem uoluisse naturalem putredinem ab externo calore, ut à præcipua causa proficisci, quoniam naturalis non esset, sed ut a causa adiuuante, & ueluti causa sine qua non, propterea rem hanc nunc clarius declaro, atque iterum dico maiorem illam propositionem falsam esse, & ad probationem, differentia illa quam ipse inter mutationem naturalem & violentam assignat cautè intelligenda est. Si quidem naturalis uiolentaq; mutatio penes id inter se non distinguntur, quia naturalis mutatio ab interno, uiolenta uerò ab externo principio proficiscatur. Nam & naturalis mutatio ab externo principio fieri potest, ut docuit Arist. 8. phis. contex. 27. ubi, quæ ab extrinseco mouentur diuisit in ea quæ secundum naturam, & violenter mouentur, quamobrem naturalis mutatio ab externo principio prodire potest, quod & ipsa rei euidentia ostendit. Nam si lapis ab externo agente deorsum moueatur, profectò huiusmodi lapidis motus naturalis est, & tamen ab externa causa promanat. proindè non rectè ista propositio enunciatur, nisi ab his qui uel parum in philosophia versati sunt, mutatio quæ ab externo principio proficiscitur, violenta est, quoniam cum subiecto stat oppositum prædicati, ut ex Aristotele nuper ostensum est. quod sanè magnus Aristoteles animaduertens, 3. ethic. cap. 3. motum uiolentum ita definiuit, Motus violentus est qui fit a mouente externo, non conferente uim passo, non enim solum dixit, qui fit à mouente externo, recordatus eorum quæ scripsit 8. phis. contex. 27. sed adiecit particulam illam, non conferente vim passo. i. qui contra mobilis propensionem efficitur, sic enim definitio & definitum inter se cōmeāt, & hoc pacto Aristotelis authoritas 7 phis. contex. 10. intelligi debet, vt suipsius Aristotelem interpratem faciamus. quamobrem cum naturalis mutatio ab externo principio fieri possit, igitur & naturalis putredo ab externa causa & quidem præcipua pendere potest. sed licet ab externa causa inducatur, non propterea uiolenta est, quoniam passum vt potè mixtum quod putrescit vim confert, & ad huiusmodi mutationem inclinationem habet. siquidem mixtum aptum est dissolui in ea ex quibus concretum est, & sicuti per vnionem aut elementorum, aut patientium qualitatum ortum est, ita etiam aptum natum est corrumpi per dissolutionem in elementa, aut humidi a sicco.

Vndè illud certè æquo animo ferre non possum, quod posteà addit Erastus. Putredinem posterius definitam propterea uiolentam esse, quoniam ab externa causa, ut ab alieno ambientis calore inducitur. An valet consequentia ista, putredo posterius definita fit ab agente externo, igi-

no, igi-

no, igitur uiolentā? non ne legit quandoque locum illum Aristotelis 8. phis. contex. 27. ubi scribit, quædam ab externo mutari principio secundum naturam tamen mutari, fortè dicet, putredinem posterius definitam ab externo prodire principio nullam paßo uim conferente, ac proindè uiolentam esse, sed neque ad id confugere potest, quoniam, ut etiam ipse concedit, putredo est passio mixti secundum quòd mixtum est, igitur competit mixto secundum propriam naturam mixti, quod .n. competit alicui secundum quod ipsum, competit ei secundū propriam eius naturam. itaque putredo secundum naturalem mixti inclinationem, ac proindè naturalis erit, præter id quod dictum antea fuit, mixtum aptum esse in ea dissolui, ex quibus concretum fuit, ex quo sequitur à studiosis omnibus, vt maximè falsam diuisionem illam reijciendam eße, cum inquit, Mixtorum putredinem aliam naturalem, aliam verò violentam esse, cū omnis mixtorum putredo naturalis sit, ac proindè eiusdem sententiam penitus explodendam eße, cum ait, tres esse mixtorum inanimorum corruptionis species, altera, quæ dicitur naturalis putredo. alia verò quæ dicitur putredo præter naturam, atque tertia, quæ dicitur combustio, ita vt duæ sint violentæ, & vna naturalis, cum tamen Aristotel. 4. meteo. contex. 3. duas tantum mixtorum inanimatorum statuerit corruptionis species, quarum vna naturalis est, quæ putredo dicitur, altera verò violenta, quæ combustio est.

Ad confirmationem autem cum dicebat, nusquam Aristotel. asseruisse naturalem putredinem ab externo principio proficisci. Miror, nonne in contex. 3. de naturali putredine loquens, statuit, eam fieri cum patientes qualitates agentibus dominantur propter ambiens? & licet affirmet Erastus causam hanc non vt præcipuam, sed vt adiuuantem, & veluti causam sine qua non, Aristotelem assignare, tamen cum præter hanc putredinis causam aliam non assignet, præcipua putredinis causa censenda est, nisi in maius incommodum confugere velit, præcipuam causam Aristotelem silentio inuoluisse, & secundariam causamuè sine qua non in medium attulisse.

Sed aduersus ea quæ dicta sunt statim sese opponit Erastus, & primo quidem, si naturalis putredo ab externo principio proficiscitur, secundum mixti propensionem, igitur putredo partim erit naturalis, & partim violenta, vt enim secundum mixti inclinationem efficitur, naturalis erit, prout verò a causa externa inducitur violenta erit, causa enim externa mutans, aut corrumpens naturalis non est, quæ verò talis non est, effectum naturalem producere non potest. Secundo, si putredo naturalis

ralis est propter dißolutionem humidi a sicco, igitur combustio non secùs ac putredo, naturalis erit. si quidem & in combustione dissolutio fit humidi a sicco, & in quatuor elementa. quarè secretio humidi a sicco, neque uiolentam corruptionem facit, sed huius secretionis causa. Quid enim? Si comprimendo succus ex aliqua re exprimatur, ita quod humidum a sicco separetur, an statim corruptio naturalis erit? postremo, si mixtarum putredo causa promanat. igitur mixtum aut in uacuo positū, aut in loco, in quo ab ambientis actione sit tutum, non corrumpetur, neque putrescet. immortale igitur erit, quod sub finem primi de cælo Aristoteli aduersatur, vbi statuit, omne corruptibile neceßario aliquando corruptum iri.

Sed isthæc leuia sunt, facilemque explicationem habent, & ad primum consecutio illa negatur: ad probationem autem dicimus, quod licet naturalis mixtorum putredo ab externa causa fiat, non propterea ex parte uiolenta est, quoniam externa causa uiolentiam non inducit, sed absolutè naturalis existit propter mixti habilitatem, quam ad huiusmodi corruptionem habet, cum autem addit, (causa externa mutans, aut corrumpens naturalis non est) propositio ueritatem habet, cum externa causa contra passi inclinationem agit, & mutat. nam cum contrà rei inclinationem agat, contra rei naturam agere dicitur, ac proindè præter naturalis existit. At si secundum patientis inclinationem naturalē agat, Naturalis eße dicitur, naturalemque effectum inducere potest. solutionem hanc ex Arist. colligo 9. phis. 27. vbi statuit ab externo agente quædam moueri secundum naturam, & quædam contra naturam, ac proindè externam causam respectu aliquorum naturalem, respectu uero aliorum præter naturalem causam esse, quod non aliunde contingit quam propter diuersam patientis dispositionem, ut dictum est.

Ad secundum, fateor quidem ego mixtorum putredinem naturalem esse propter dissolutionem humidi a sicco, ac proindè in elementa, ad quam mixtum propēsionem habet. nam cum ex unione patientium qualitatum, aut elementorum mixtum genitum sit, ex dissolutione eorūdem aptùm natum est, corrumpi. cùm autem ait, in combustione non secus rē ipsam sese habere, fallitur, siquidem in combustione humidum non dissoluitur a sicco, sed ab igne absumitur, cuius rei illud est argumentum, quoniam in combustione animalia, sicut in putredine, non generantur, quia humidum totum ab igne absumitur, in putredine uero propriè a sicco diuellitur, quoniā una cum calore mixti effluit, exteriusq; euocatur,

Esto,praeterea in combustione humidi a sicco,in elementaque dissolutionem fieri,dispari tamen ac longè dissimili modo,ac in putredine efficitur, porrò in putredine absolutè fit dissolutio humidi a sicco,in elemẽtaque, absque conuersione rei quę putrescit,in naturam corrumpentis,in combustione uerò dissolutio fit per conuersionem rei quae comburitur in naturam corrumpentis, quoniam uerò mixtum propensionem non habet,ut in naturam alterius conuertatur, sed duntaxat in ea dissoluatur ex quibus genitum fuit,propterea putredo naturalis est, combustio uerò nequaquam,Sed illud certè ridiculum est, quod postea enunciat,dissolutionem humidi a sicco terrestri naturalem corruptionem haud efficere, quoniam cum succus ab herba exprimitur,humidum a sicco dissoluitur, nec propterea huiusmodi dissolutio naturalẽ corruptionem facit,Num, cum ab herba succus exprimitur,humidum à sicco dissoluitur? certè non quoniam ut 2.de gener.scribitur contex.49.cum humidum à sicco terrestri diuellitur, statim in puluerem dilabitur; sed huiusmodi herbae expressio dissolutio est partis crassioris mixti in partes tenuiores, succus enim qui exprimitur, quid mixtum est, sed si pars crassior à qua facta est expressio subindè putrescat,ita ut humidum à sicco dissoluatur,in pulueresque redigatur;putredo naturalisque interitus existit, & huiusmodi secretio humidi a sicco quae in puluerem, & terram terminatur,absque conuersione in naturam corrumpentis,putredinem, naturalemque mixti corruptionem facit.

Neque id quod postremo loco affertur,propositum urget, totũ enim argumentum concedo, si mixtum uidelicet, aut in uacuo, aut in loco, in quo ab ambientis actione tutum existeret, nunquam corrumperetur, Ad instantiam autem aio, propositionem aliquam perse, absoluteq; ueram esse,quae ex euentu, & ex hypotesi redditur falsa est, enimuerò propositio ista, Homo non uolat perse, & absolutè uera est,ex hypotesi tamen falsa est, enimuerò si homo haberet alas,homo uolaret,quod etiã animaduertit Auer.6 phis.com.15.iamuerò propositio haec, (omne corruptibile necessariò aliquando corrumpetur,) simpliciter, & perse uerissima est,ex accidenti tamen & ex hypotesi redditur falsa, ut si mixtum ponatur in uacuo in quo ab ambiente inquinari non possit, nunquam corrumperetur, Res tamen in corporibus animatis econtra sese habet, quoniam cum ab intrinseco corrumpantur per humidi consumptionem a calore innato ipsum depascente, etiam si ponerentur in uacuo sublata quauis externa causa adhuc naturali interitu corrumperentur, & haec de hoc cap. satis.

In

In Septimum Erasti Caput Animaduersio.

SEptimo capite prioris meæ disputationis posteriorem putredinis definitionem expendi, in ea ue plurima quæ explicatione opus habere uidebantur, declaraui primò quidem, quid nomine caloris naturalis, & proprij ab Aristotele intelligatur. Quiduè per unumquodque humidum significetur, qua in re medicorum quorundam sententiam reieci, qui triplex humidum elementarium, excrementosum, & Alimentarium exposuerunt, quoniam cum putredo sit affectio mixti ut mixtum est, certum est enim in mixto ut mixtum est humidum alimentarium nō inueniri, quis enim in metallis, aut in cadauere putrescentibus humidum alimentarium imaginabitur? Sed humidum elementorum ut Aeris, & Aquæ tantum Aristoteles intellexit, Quæ cum contra Erastum facere non uideretur, silentio prætermisit, Illud autē animaduertit, quod æquo animo ferre non potuit, Me in naturali putredine statuisse naturalem calorem non imminui atque deficere ad absumptionem humidi. sed potius ècontra humidum dissolui ad dißolutionem caloris, Aristotelis uerbis persuasus, quæ eo loci ità habent, [exeūte enim calore naturali secum, euocatur, atque effluit humidum,] At pugnat hoc (inquit) expresse, cum Natura ipsa, ut Aristotelis doctrinam taceam, qui enim potest, mixtorum calor seipsum exterere, & dissoluere, nisi humidum, in quo inest, & quo veluti pabulo nutritur, paulatim consumpserit? Nostræ aūt rationi occurrens, sic inquit, Nec probat quicquam, quòd humidum una, cum calore expirare dixerit Aristoteles ac proindè humidum deficere ad defectum caloris, quia non de naturali, sed de violenta putredine, intellexit, uerum non hunc tantum errorem, sed plures alios inuexit, nihil aliud magis in disputationem hanc, quam indiligens, parumque, accurata utriusque putredinis distinctio, hæc ille, sed nec eius ratio urget, neque solutio satisfacit, nō quidē ratio urget quoniā supponit in naturali putredine calorem a seipso dissolui quod absq; humidi absumptione ab eodem calore fieri nequit, Id autem falsum est, quoniam in natura putredine calor neque ex seipso, neque ex humidi absumptione, sed ab externo ambientis calore disperditur cuius rei illud certissimam fidem facit, quoniam philosophus 4. Meteo. contex. 3. de naturali putredine loquiens, sic inquit, putredo fit cum passiuæ qualitates supra agentes dominantur; ac proindè cum humidum supra calorem dominatur, quæ uerba, tametsi secundum Erastum post mutatam sententiam

quid sit naturalis putredo non explicent, tēpus tamē declarāt quo putredo naturalis efficitur, illud satis est de naturali putredine Aristotelem loqui, iam uerò si in naturali putredine calor deficit ad inopiam humidi que defectum, igitur prius absumitur: continueuè deficit humidum, ad cuius absumptionem deficit calor, itaque in naturali putredine humidū calori non dominatur, aut Arist. ait, qui ergo meus Erastus hæc duo seruabit, in naturali putredine calorem dissolui ad humidi defectum, in eademque humidum supra calorem dominari, cur ergo Aristotelis doctrinam reticuit, si suæ fauebat opinioni? Neque eius solutio satisfacit, nam si in putredine posterius definita, caloris naturalis defectus humidi defectum antecedit, ut ipse concedit, cum hæc, re ipsa a naturali putredine non distinguatur ut superius ostensum fuit, igitur in naturali putredine calor ad humidi defectum non dissoluitur, sed potius econtra humidi defectus caloris inopiam consequitur, sed multo clarius ia uerba illa eodem contex. 3. nuper allata commostrant. nam si in putredine naturali humidum supra calorem dominatur igitur & in naturali putredine humidum caloris inopiam præsupponit. uerè itaque sancitū fuit a nobis siuè priori, siuè posteriori putredine ab Arist. definita caloris naturalis defectum non ob pabuli, humidiq; absumpti penuriam euenire, sed potius eam præcedere, uter autem nostrum diligentius, accurateuè magis prioris, posteriusque definitæ putredinis definitionem obseruauerit, ex scriptis nostris studiosi uiri intelligere facile poterunt.

In octauum Erasti Caput Animaduersio.

SI singula, quæ ab Erasto octauo hoc capite pertractantur, eadem orationis serie persequi uellem, prolixa quidem, & confusa animis nostra hæc esset oratio, quæ duo cùm maxime abhorreant, omnia quæ ab ipso tractantur, ad quadam theoremata redigere optimum esse dijudicaui. primum est, circa putredinis causam, Arist. nomine Ambientis caloris, non solum Aeris, & Aquæ, uerum etiam aeres, fumososque halitus in corpore retentos, nec non terræ calorem intellexisse,

Alterum est, in putredine posterius definita, calorem non imminui, sed potius intendi, & augeri,

Tertium illud est, naturalem mixti calorem, ab ambientis calore pati, uel quia est dissimilis secundum gradum, uel quia ambientis calor

calor sibi præripit humidumque absumit, ad cuius absumptionem mixti quoque calor absumitur, & hæc sunt quibus tota Erasti sententia hoc capite complectitur, quę an uera sint Aristotelique consentanea breuiter considerabo.

Porrò primum Erasti Theorema ab Aristotele abhorret, si quidem philosophus tradita putredinis definitione, explicans quid nomine ambientes intelligat, Aeris & Aquæ solum mentionem fecit. quòd si præter hæc duo, & fumosos halitus, terræque caliditatem intelligeret, uniuersalem, adequatamuè causa non declarasset, quinimmo neque suo Aristoteles instituto satisfecisset. nam cum illa particula, [aliena ambiētis caliditas] ambigua esset, eam explicare instituit, eam autem declarans Aeris & Aquæ caliditatem sequenti contex. intelligendam esse pronunciauit. quòd si præter hæc duo, alia quoque significet; ut fumosos halitus terræque caliditatem, quæ ab Aristot. non explicantur. igitur particulam illam adhuc ambiguam dereliquisset, quam tamen illustrare decreuit. prætereà & fortius, putredo, quæ ibi definitur Erasto etiam authore, est affectio mixti ut mixtum est, iamuero in mixto, ut mixtum est, acres fuliginosique halitus non reperiuntur. non enim in auro, Argento, & ære fuliginosos uapores adinueniri quispiam affirmabit. non enim in his aut acris calor, aut materia reperiuntur. ex quibus aeres, fuliginosique uapores generari queant. igitur putredo huiusmodi halitus ut causam non habet, ac proindè sub Ambientis caliitate non continentur.

Cæterum Erastus his quæ dicta sunt ità sese opponit. Nàm licet Aristoteles cap. de putredine fumosarū exhalationum, terræque caliditatis mentionem non fecerit, alibi tamen & harum mentionē fecit, terrę quidē caliditatis ut 3. de ortu animal. cap. xi. et libro 5. cap. 4. et 5. insuper
„ non semel scribit Aristoteles in nostris corporibus humores putresce-
„ re, At cuius ambientis calore id efici putauit? profectò non Aeris,
„ aut Aquæ, uel terræ, sed ob detentas in corporibus exhalationes. sed
„ quid testimonijs, inquit, opus est, ubi sensus controuersiam dirimunt,
„ vnicuique enim compertum est, terram & quæ in ea latent putrefie-
„ ri, iam uerò quid est hoc quod est hoc quod ambit, caloreque suo insi-
„ tum eorum calorem corrumpit, Aeris ambientis calor esse non po-
„ test, non enim exiguus Aer inclusus id efficere poterit, erit itaque ca-
„ lor ipsius terræ.

Sed hæc certè nullum momentum habent, & ad primum cum inquit;

Aristotelem 3. de ortu animal. cap. xi. & libro 5. statuisse a calore terræ putredinem quoque induci, grauiter hallucinatur, si quidem citatis locis nunquam asseruit Aristoteles a calore terræ putredine profici sci, quin immo capite illo 4. quod pro se adducit, hæc Aristoteles scribit ad uerbum, (atque ita humor putrescit calore Aeris ambientis, fit enim putredo quæque a calore, sed non suo, natiuoque, ut alio loco exposuimus. i. 4. libro meteo.) quinimmo ex his uerbis apertè colligitur, cum se citet Aristotelis, in definitione putredinis per ambientis calorē, illum intelligere quem statuit 5. de ortu animal. Cap. 4. at ibi statuit, & exponit Aeris ambientis calorem, eundem igitur in definitione putredinis intelligit, quamobrem locus ille potius contra se facit, quam suæ faueat opinioni, quod si fortè dixerit Erastus, eo loci Aristotelem de uapore terreno mentionem facere, qui fortè in causa fuit erroris Erasti, fateor; sed non propterea philosophus inquit, putredinem fieri à uapore terreno, sed potius ipsum quoque putredine inquinari, uerba hæc sunt, (putredo autem. Aquæ & terræ, & aliorum huiusmodi corporum fieri potest, quamobrem terreni etiam uaporis putredinem nouimus, quæ situs uocatur, & enim situs caries est terreni uaporis.)

Ad alteram autem instantiam inficiari non possum, humorum putredinem ex fumosis exhalationibus proficisci, nam & id alias confessus sum, sed huiusmodi putredo longè dispar, ab eaque dissimilis est, quæ 4. Meteorum definitur, quæ dicitur corruptio caloris naturalis in humido &c. illa enim cum ea conuenit quæ elementorum est, quæ recessus est à proprio eorum temperamento, & cum alijs adulterata quædam permixtio, hæc uerò, mixti corruptio est per dissolutionem humidi a sicco propter naturalis caloris impotentiam a calore ambientis, & licet interdum humores in cineres dissoluantur, illa quidem putredo non est, sed potius combustio quædam, putredo enim non in cineres, adustamque terram, sed in simplicem terram tantum resoluit.

Quòd verò humorum putredo ab ea distinguatur, quæ 4. Meteo. definita est, ex ipsomet Arist. 5. de ortu animal. cap. 5. apertissimè demonstrari potest, ibi enim de humorum putredine sermonem habens ex qua canities pilorum inducitur, ostendereque uolens canitiem putredine quadam oriri, non autem, ut quibusdam placuit, ariditatem esse, ità scribit (canitiem quadam putredine fieri, non autem ut quidam putant, ariditatem esse, indicium est, quòd pili, qui uel pileo, uel alio tegmine operiuntur, celerius canescunt, expiratio enim putredinem prohibet, operimentum uerò flatum, expirationemque arcet,) quibus sanè

verbis ostendit, expirationem putredinem prohibere, contrà uerò prohibitam expirationem putredinem efficere, & quoniam pilorum operimentum euaporationem arcet, & prohibet, idcircò putredinem inducit, & ex consequenti operimentum in causa est, ut citius pilorum canities oriatur, certum est autem, eo loci philosophum de humorum putredine sermonem habere, iam uerò cùm inquit, (euaporatio putredinem prohibet) aut philosophus intelligit de putredine 4. meteorum definitâ, quæ est corruptio caloris in humido &c. aut de alia ab hac distincta, non primo, quoniam tantum abest, ut putredo ibi definita per expirationē prohibeatur, vt potius per expirationem efficiatur, vt ex illius definitione liquidò constat, [putredo enim inquit, est corruptio caloris in humido, fit enim exeunte calore, cum quo vna humidum euaporat,] igitur de diuersa putredine intelligit, & cum de humorum putredine loquatur, igitur humorum putredo ab ea longè diuersa est, quæ 4. meteorum fuit definita, hanc enim euaporatio inducit, probibita uerò euaporatio probibet, Quæ verò humorum est, ex euaporatione prohibetur, & ex prohibita euaporatione inducitur, minus firma ultima obiectio est, cum enim quærit, a quo terra, & quæ in ea latent putrefiunt, a calore, inquā, aeris ambientis, qui in ea cohibetur, nec non putridis uaporibus qui cū ea commiscentur, hi n. uitiant eam, & a proprio temperamento eam depellunt, non secùs ac putridis Aquis terræ iacentibus usu uenit, cum autem inquit ipse, terram, quæuè in ea latent a calore eiusdem terræ putrescere, Aristoteli apertissimè sese opponit, qui libro 5. de ortu animal. cap. 4. ità scribit, [fit putredo quæque a calore, sed non suo, natiuoq. hoc autem terrà contingeret, si ipsiusmet calore putredine corriperetur, peregrino itaque alienoque calore, terra, & quæ in ea iacent aque putrescunt nunc ad alterum deuenio.

An in putredine posterius definita naturalis calor intendatur, aut potius remittatur.

VT ratum, maximeque firmum habuit Erastus in putredine posterius ab Arist. definita, mixti calorem non imminui quidem, sed intendi, & augeri, quod multis tentat persuadere, & primo quidem, quoniam, uel ipsi sensus apertissimam fidem faciunt, quæ putrescunt dū putrescunt, uniuersa calidiora reddi, quinimmò quædam ita in ea incalescunt, ut urentem quandam uim acquirere uideantur, ut in putref. stercoribus cernitur. Idque ex Aristotelis authoritate confirmat. 35. sect.

debeat, imperiumque amittat supra passiuas, id enim uel maximè compertum est, humidum, & siccum simul iuncta manere quàm diù calor illis dominatur, contrà uerò humidum à sicco diuelli cum calor remittitur, languidiorque efficitur . quod neque Erastus inficiatur. quamobrem cum neque propter primam, neque propter secundam causam in putredine definita calor intendi debeat, absque ulla ratione id prolatum esse arbitror.

Argumenta uerò quæ ab ipso in oppositum afferuntur, uno flatu omnia dissipari possunt, enimuerò de his solũ concludunt, quæ putredine secundũ partẽ putrefiunt, ut sunt elementa, nec non humores cum ex his exoriuntur febres, et quę ex permixtione putridorũ raporũ inquinãtur, hæc enim cũ putrescunt propter commixtionẽ fumidarum exhalationũ calidiora redduntur. Sed hæc putredo quæ secundum partẽ co.4. meteo. ab Arist. dicitur, quasi e diametro pugnat cũ putredine quæ est naturalis caloris corruptio in unoquoq; humido, ut proprio cap. inferius demõstrabo. Atq; de his libro problematũ Aristoteles intellexit, ut dubitatio eo loci ab ipso proposita satis apertè ostendit, dubitationẽ enim hanc proponit. (cur Aqua & terra putrescant. Ignis autem, & Aer nequaquàm) quare & solutio de his intelligi debet, quod si quispiã dixerit de omnibus quæ putrescunt Aristotelem intelligere, quoniam inquit; An omne quod putrescit calidius fit) utitur enim illa dictione, (omne) bif. nodus iste dissolui potest. primo Aristotelem uniuersaliter de ijs omnibus intelligere quæ putrescunt putredine secundũ partẽ, quæ recessus est à propria rei natura, fitque per uaporum calidorũ commixtionẽ, potest quinetiã dici, quod etiã si de putredine intelligatur solutio quæ est caloris corruptio in humido, quæuè dissoluit in pulueres, & terram, multo tamen dispar est utrorumque ratio, atque conditio, Quæ.n. secundũ partẽ putrescunt, ut elementa, nec nõ humores, dùm putrescunt in eisque maior calor acquiritur, q̃ uerò secundũ totum putrescunt, ut cadauera, arefactæque plantæ, dùm putrent, minimè calidiora redduntur, quinimmo per exitum caloris, & humidi continuè frigidiora, sicciraque efficiuntur. Sed antequã putrefieri incipiant necessariò secundum extimas eorum partes ab externo ambientis calore excalefieri debent, nam authore philosopho putredo fit naturalis caloris corruptio, per eiusdem caloris egressum, naturalis autem calor egredi expirareque minimè possit, nisi extimæ mixti partes ab ambientis calore relaxentur, & quoquomodo aperiantur: ab eo uerò relaxari minimè possint, nisi prius excalefiant, quarè quæ secundum totum putrescunt, priusquàm

putrefieri aggrediantur, necessariò quò ad extimas partes à calore ambientis callidiora efficiuntur, id enim rei necessitas cogit, extimis autem partibus sic reseratis, naturalis mixti calor exterius euocatur, continuèque imminuitur, ac proindè quæ secundum totum putrescunt, dum putrescunt frigidiora redduntur, & hoc pacto Aristotelis sententia si ad putredinem secundum totum etiam transferatur, intelligi debet. huc etiam pertinet Aristotelis authoritas. 4. meteo. car. xi. si rectè intelligatur. cum verò Galenus, cæterique posteriores medici, putrida calidiora fieri pronunciarunt, de humorum putredine intellexisse mihi certè persuadeo, de qua ferè semper orationem habet, quæ adulteratio quædam est, ipsorumque excalefactio, non secùs ac elementorum putredo, quod si de putredine secundum totum intelligant, ipsorum authoritas non admittitur, nisi fortè eo sensu, qui nuper à nobis allatus fuit, nunc ad tertium accedo.

Quomodo mixti calor à calore Ambientis patiatur.

PRiore sua disputatione de putredine Dn. Erastus p. 57. dubitationẽ proposuit, quo nam pactò calor mixti in putredine à calore ambiẽtis patiatur, cum inter contraria, & a contrario omnis actio fiat. iam verò calor calori non aduersatur, cui sanè dubitationi geminam attulit responsionem, atque utramque secunda hac sua disputatione p. 47. repetiuit. prima est, calorem mixti à calore ambientis corrumpi, non quæ ambientis calor agat in calorem mixti, sed quoniam in humidum agit, illudque consumit, ad cuius consumptionem mixti calor interit, atque consumitur. Altera solutio erat, calorem mixti à calore ambientis corrumpi per huius actionem in illum, & licet calor ambientis ut calor est, calori mixti minimè sese opponat, attamen ut talis, uel tantus, idest ut dissimilis est secundum gradum ei opponitur, ac proindè in mixti calorem agere, ipsumque dissipare, & corrumpere potest.

Displicet profectò hac in re Dn. meo Erasto nimium molestum esse, siquidem plurimos eius errores eruditis hominibus nunc patefacere coactus sum. nam & in dubitatione, et in solutionibus tùm à seipso, tum ab Aristotele maximè dissentit. in dubitatione quidem, quoniam dubitatio ab ipso proposita, quomodo calor mixti à calore ambientis patiatur præter rationem, & absque iudicio proposita esse uidetur; Nã cùm superiore pag. aduersus nos statuisset, à calore ambientis calorem mixti ut calor est, non imminui, sed intendi potius & augeri, statim addubitauit, quomodo

modo à calore ambientis pati possit, cum ei non aduersetur, quæro ego de sensu huius dubitationis ab ipso propositæ, an quærit, quonam pacto calor mixti a calore ambientis intendi possit, aut quo pacto ab illo disperdi aut remitti queat, si primo, dubitatio certè irrationabilis est, & locum non habet, siquidem uel apud uulgares notissimum est, simile sibi simili, ut calorem a calore intendi, & augeri, si secundo, supponit igitur calorem mixti a calore ambientis remitti, ambigit verò quonam pacto id fieri queat, cum inter se non opponantur, remissio uero sit ratione contrarij, ac proindè suam statim sententiam euertit, quippiam in dubitatione proposita supponit calorē remitti, cum tamen prius contra Nos statuerit, ipsum a calore ambientis intendi, aut igitur dubitatio irrationabilis est, aut velit nolit nobiscum fateri cogitur, calorem mixti in putredine a calore ambiētis diminui, et dissipari, hęc de dubitatione: nunc primam eius solutionem perpendo.

Prior solutio ipsius est, ambientis calorem mixti putrescentis calorem corrumpere, prout ei pabulum, humidumque subripit quo conseruatur, non secus ac minorem flāmam a maiore estingui docuit Aristoteles, sed in hac solutione Dn. meus & sibi ipsi, & Aristoteli turpiter aduersatur, sibi quidem, quoniam in huius dubitationis solutione affirmat calorem mixti in putredine posterius definita ad humidi consumptionē tabescere, & interire, cuius tamen oppositum superius asseruit p. 42. cuius uerba hæc sunt. (in uiolenta putredine perit calor antè humidum, cum sit caloris in suo humido interitus, at in naturali, calor absumptione humidi sui corrumpitur,) quonam pacto Erastus duo hæc conciliabit, in putredine uiolenta, quæ secundum ipsum, est corruptio caloris in humido calor mixti ad humidi defectum corrumpitur, atque, in putredine violenta calor mixti antè humidi defectum dissoluitur & interit. Aristoteli quinetiam aduersatur, si quidem Aristoteles hac ipsa putredinis definitione modum declarans, quo calor mixti à calore ambientis corrumpatur, sic scribit, [exeunte calore secum quoque attrahit humidum &c.] quibus uerbis nemo est qui non uideat, Aristotelem uelle, calorem mixti non deficere ad humidi defectum, sed potius ècontra dissolui humidum ad defectum caloris, humidū enim ait non egreditur nisi prius exeunte calore, igitur prius non deficit nisi deficiente calore. Sed uide „ obsecro quid ad hanc rationem cōminiscatur Erastus, p. n. 47. sic scri- „ bit, [uerum enim uerò siuè antè, siuè post calorem, humidum defi- „ ciat, rectè tamen cum Aristotele loquitur, qui calorem corrumpi „ dicit, quum per humidi consumptionem corrumpitur.] sed infero ego.

igitur cum Aristotele non loquitur Erastus p. 42. cum inquit, in huius modi putredine calorem mixti ante humidi defectum interire, quoquo itaque sese uertat, præcipitia ante se habet.

Falsa quinetiam est altera eius solutio, cum inquit, quòd licet ambientis calor calori mixti nunc calor minimè opponatur, ut tamen dissimilis est ab illo secundum gradum ei opponitur, ac proindè in ipsum agere, eundemque labefactari potest. Nam dissimilitudo secundum gradum ad actionem satis non est, sed dissimilitudo requiritur secundum speciem, ut primo de gener. cap. de actione, & passione ab Arist. scribitur, ubi declarans, quomodo agens & patiens similia, dissimiliaque esse debent, hoc utitur ratiocinio. Contraria sunt similia genere, & dissimilia specie, Agens & patiens sunt contraria, igitur Agens & patiens sunt similia genere, & dissimilia specie. iam uerò calor Ambientis, calorue mixti specie & forma diuersi minimè sunt. igitur calor Ambientis, tametsi dissimilis sit secundum gradum, in calorem mixti agere non potest.

At probat Erastus inter similia secundum formam, dissimilia uerò secundum gradum actionem exerceri posse. Nam calidũ agit in tepidum & econtra. iam uerò calidum & tepidum similia sunt secundum formã, quoniam ambo calida sunt, dissimilia uerò sunt secundum gradum, igitur ad actionem dissimilitudo secundum gradum tantum satis esse uidetur. Id ipsum nutritionis exemplo patere potest, caro enim si sanguinem conuertere debet, in ipsum agere oportet, qui etiam calidus est, tametsi non eodem modo calidus sit, calidum itaque in calidum agere potest, quod aliquo pacto dissimile est secundum gradum, sed hæc facilè dissoluuntur. Nam cum ex Aristotelis discursu, Agens, & patiens ita sint contraria, ut secundum formam dissimilia sint, cum calidum in tepidum agit, in remissum quidem calorem nõ agit, sed in frigidum, quod cum remisso calore coniunctum est, & econtra, cum tepidum in summe calidum agit, non enim calidum agit, sed frigidum quod tepido inexistit. sic enim medium uni extremorum sese opponit, ratione alterius extremi quod in medio reperitur. tepor enim calido aduersatur ratione alterius extremi utpotè frigidi, quod in tepore existit. vnde turpiter p. 48. labitur Erastus, dum inquit, extremum & medium secundum intensum & remissum inter se contraria esse, naturam enim contrariorum ignorare uidetur. non enim philosophus in metaph. 24. inquit, contraria sunt quæ sub eadem specie distant, sed quæ sub eodem genere inter se dissident, quod etiam primo de ortu & interitu contex. 52. clarius repetiuit, inquiens, (Cõtraria genere similia sunt, forma uerò & specie dissimilia,)

milia;) quamobrem medium & extremum, ut tepidum & summè calidum secundum formam contraria sunt, prout in tepido alterum extremum utpote frigidum continetur, quod à calido forma & specie distinguitur, pariter cum in nutritione caro in sanguinem agit, in sanguinis certe calidam non agit, sed in frigidum, quod caliditati carnis agentis aduersatur, & hoc pacto illud Arist. decretum seruatur, uidelicet Agens, & patiens ità contraria esse, ut similia genere sint, dissimilia uerò secundum formam & speciem.

At inquies, si ità res habet, quo nam pacto igitur calor mixti in putredine a calore ambientis remitti, imminuique potest, cũ inter se non opponantur, nec secundum formam inter se differant, huic obiecto, in ipsa putredinis definitione Aristoteles satisfacit, cum inquit, (putredo est corruptio caloris naturalis in humido ab Ambientis caliditate, exeunte calore una cum humido) porrò Ambiẽtis calor mixti calorem reprimit, atque imminuit, non quia in illum agat, sed quoniam extimas mixti partes excalefaciendo reserat, atque relaxat; quibus reseratis internus mixti calor exterius euocatur, ac proinde sensim, & sensim imminuitur lãguidiorue efficitur. summa est, mixti calorem a calore Ambientis diminui, non per se per actionem ambientis caloris in illum, sed ex accidenti, per eius egressum, ut declaratum est. At statim p. 49. ità se opponit Erastus, si extima mixti corporis superficies calida erit, aut Ambientis calor in ipsam aget, aut non. si in eam nõ aget, igitur eam nõ rarefaciet, ac proinde calorem non euocabit, neque diminuet. si autem in ipsam aget, cum calida iam sit, calidum igitur in calidum, quod tamen gradu dissimile sit, agere poterit. soluitur, mixtum ex calido, frigido, humido & sicco constare, quamlibetue mixti partem mixtam esse. cum itaque inquit, si extima pars aliquo pacto excalefacta fuerit, aut peregrinus calor in ipsam aget aut non, utique aget, uerum non in calidum aget, sed in frigidum quod cum calido coniunctum est, dicitò, si extima mixti pars duntaxat calida ponatur, falsa est hypotesis. nam cum mixti pars mixta sit, frigiditatem etiam necessario includit, pugnant enim hæc, mixti partem mixtã esse, solaque caliditate affectam, vel hoc etiam posito, externus calor in ipsam minime aget, cum conditio, contrarietas sane non adsit, ad actionem necessario requisita. & hæc satis.

In Nonum Erasti Caput Animaduersio.

VT quæ nono hoc capite tractantur, conspicue, distincteque explicentur, uniuersa Erasti sentẽtia, ut in alijs factũ est, ad quadã theo-

remata

remata redigetur. primum theorema est, externam frigiditatem putredinis causam non esse. Alterum est, putredinem ab interna frigiditate minimè proficisci, tertium est, obstructionem inter putredinis causas recensendam esse. postremum illud est, caliditatem naturalem, & propriam in definitione putredinis positam, passibilem qualitatem non esse, hisi noni capitis sententia complectitur uniuersa. circa primum conuenit inter nos, externam frigiditatem putredinis effectricem causam nõ esse, sed de causa inter nos lis, & controuersia est, asserui ego huius rei eam causam esse, quoniam cum putredo sit caloris naturalis corruptio per exitum & egressum eiusdem unà cùm humido, externa verò frigiditas, cum corpora denset, meatusque corporis occludat, caloris, humidique egressum prohibet, ac proindè putredinis causa esse non potest. & ideò sub gelu, frigidisque locis difficilius corpora putrescere paulo inferius Aristoteles declarauit. quod sanè non nisi ad eam causam referri potest, quam in definitione putredinis assignauit, quia uidelicet caloris humidique expiratio impeditur. At causa hæc non placuit Erasto, propterea p. 49. alteram causam attulit, quam multò ueriorem esse affirmauit, ea autem est, quoniam putrescentia omnia, quæ s. putredine posterius definita intereunt, cum putrescunt calidiora reddi, quoniam autem ab externa frigiditate calidiora reddi non possunt, idcircò ab externa frigiditate minimè putrent.

Sed circa plurima aberrat Erastus, primò quidem sibi pugnantia dicit, nam theoremate primo ab externa frigiditate putredinem fieri negat, theoremate autem quarto, putredinem ab obstructione ut à causa fieri concedit iam uerò obstructio ab externa quoque frigiditate efficitur prout corporis meatus occludit, & obstruit, igitur & putredo secundũ ipsum ab externa frigiditate inducitur, quicquid.n. est causa causæ, est etiam causa causati, Secundo circa causam aberrat, cum inquit, in putredine corpora quæ putrescunt, calidiora reddi, ut superius ostensum fuit, circa id tandem aberrat, ab externa frigiditate corpora calidiora reddi non posse; siquidem ab externa frigiditate obstructio efficitur, ex obstructione uerò calor intenditur, corpusque calidius efficitur, igitur ab externa frigiditate corpus calidius reddi potest. Quid? nonne suus Hipocrates primo Aphoris. scriptũ reliquit, Ventres hieme, & vere propter circunstãtis Aeris frigiditatẽ, calidiores reddi? igitur nil uetat, putrescẽtia corpora ab externa frigiditate calidiora effici posse. quamobrẽ in assignãda causa, cur ab externa frigiditate putredo induci nõ possit, uter nostrũ rectius sentiat, æquo animo iudicent studiosi. nũc ad secundũ accedo.

An in-

An interna mixti frigiditas effectrix Putredinis causa sit.

PVtauit Erastus internam mixti frigiditatem quæ caliditati opponitur, nullo pacto putredinis effectricem causam esse, sed caliditati duntaxat referendam, quod sanè pluribus rationibus pag. 53. & 54. probare conatur. primo quidem, si realis internaque frigiditas effectrix putredinis causa esset, temerè Aristoteles eam in definitione prætermisisset, & ac si ad rem non pertineret, prorsus neglexisset, quod de ipso cogitandum non est, cum rei causę in definitione non omittantur, nec ab Arist. qui de rerum definitionibus maximè sollicitus fuit, prætermitti consueuerunt. secundo ità persuadet, omne quod putrescit calidius efficitur, igitur interna frigiditas naturali mixti calori dominari nõ potest. & ex consequenti neque ipsum corrumpere. porrò corrumpens ei quod corrumpitur dominari debet. Accedit, si externus calor maximam naturalis caloris partem dissipare potest, & ad se euocare, igitur & reliquam partem quæ certè minima erit, euincere potest. qui enim totum potuit ad se euocare, magis potuit minorem partem ad se protrahere, nulla itaque in putredine actionis internæ frigiditatis necessitas erit, ac proinde putredinis causa statui minimè debet, insuper, si ab externo calore, & ab interna frigiditate putredo efficeretur, composita esset ex contrarijs affectio. etenim quicquid frigefaciendo calorem perimit, extinguit, quoduè calefaciendo perdit, tabefacit, quarè putredo extinctio esset & tabes, quòd qu-m absurdum sit, probare inquit, non est necesse, ijs & hanc rationem addit, si interna frigiditas putredinis causa est, cum externus calor, internaque frigiditas simul non agant, externus igitur calor prius, interna verò frigiditas posterius aget, iam verò cum externus calor naturalem mixti calorem ita fregit, ut ab interna frigiditate superetur putrefactum ne est mixtum, An non est? si putrefactum iam est, non est igitur frigiditas putredinis causa, sed eam consequitur, si non dum putrefactum est. Sed ab interna frigiditate ad finem perducitur, falsò dixit Aristoteles, Putredinem perfici a calore externo, nam præparatio tantum est, quicquid a calore externo efficitur, ad putredinem quæ e socia frigiditate absoluitur, denique putredo partim naturalis, partimque uiolenta esset, uiolenta quidem, quoniam omnis a frigore profecta caloris corruptio, ex Aristotelis sententia, uiolenta est, Naturalis uero, ut ab externo manat principio. enim uero ut nostra sententia est, licet putredo ab externo proficiscetur principio natura-

tura-

turalis est, ac proinde putredo tùm naturalis, tùm uiolenta esset. Hæc Erastus.

Tametsi Erastus his rationibus suam hanc sententiam persuadere enixus sit, quod uè neque ui, neque rationum momentis efficere ualuit, id numero, argumentorumque multitudine se acturum existimauit, eius tamen sententia ab Aristotele, ipsaque rei natura maximè abhorret, primo, quoniam philosophus 4. meteorum contex. 1. suam intentionem proponens, se de mixtorum affectibus tractaturum proponit, quæ opera sunt primarum qualitatum elementorum ut duæ sunt agentes: ut calor, & frigus, duæ uerò patientes, ut siccitas & humiditas, affectiones uerò declarans, inquit, ut simplex mixtorum generatio, & putredo ei opposita. igitur putredo, mixtique corruptio effectus est omnium primarum qualitatum, ac proindè caliditatis, & frigiditatis quæ realis est, & a calore distincta, cui sanè intentioni, ut se satisfecisse Aristoteles indicaret, generationem mixtorum definiens, ait, [generatio simplex transmutatio est, à primis qualitatibus ut a calore & frigore dominantibus,] itidem de Putredine asseruit, [putredo est communis effectus externæ caliditatis, & internæ frigiditatis] ex quo sanè Aristotelis instituto Erasti inconstantia apertè colligitur, si quidem priore sua disputatione Aristotelis intentionem 4. meteorum exponens, Aristotelem ait, eo libro de mixtorum affectionibus agere, prout a primis elementorum qualitatibus proficiscuntur, ut duæ sunt agentes, ut calor, & frigus, duæque patientes, ut siccitas, & humiditas, ac proindè uult putredinem non solum caloris, sed etiam frigiditatis effectum esse, quod tamen secunda hac disputatione p. 53. apertissimè inficiatur.

Secundo, id ex uerbis Aristotelis facilè ostendi potest, quæ in definitione putredinis scribuntur, quæ huiusmodi sunt, [Quarè ambo utiq; causæ sunt, putredoque communis affectio est & externæ caliditatis, et internæ frigiditatis] cæterum respondet Erastus, Aristotelem nomine frigiditatis realem frigiditatem quæ caliditati opposita est, minimè intelligere, sed remissum mixti calorem qui respectu intensioris, frigus appellari potest. Cui sanè expositioni Aristotelis uerba eo loci fauere uidentur, quæ ità habent, (defectus autem, caloris frigus est,) quibus uerbis etiam usus est cap. de coctione, inquiens, (diminuta autem, coctio ob caloris inopiam fit, caloris autem inopia frigus est,) Sed hæc responsio falsa est, primo quidem, quia remissus mixti calor non est putredinis causa, sed is est qui patitur, & corrumpitur; (putredo enim corruptio est naturalis caloris,] iam uerò frigiditas de qua in ea definitione

finitione philosophus loquitur, non patitur, sed agit, putredinisque, & corruptionis caloris naturalis causa existit, quoniam inquit, quòd inopiā patitur calidi frigiditas est, quare ambo utique putredinis causæ sunt, externa caliditas, & interna frigiditas. igitur nomine frigiditatis non remissus calor, sed positiua realisque frigiditas intelligi debet. Secundo de ex frigiditate intelligit. Aristoteles, quæ putredinis causa est, nam inquit, Quarè ambæ putredinis causæ sunt externa caliditas, et interna frigiditas,) iam uerò frigiditas, quæ est putredinis causa, frigiditas est realis, & a calore contradistincta, ut patet ex contex. 2. ubi philosophus inquit, simplex mixtorum generatio, & putredo, siuè corruptio effectus sunt duarum primarum qualitatum vt agentes sunt, uidelicet caliditatis, & frigiditatis, igitur in definitione putredinis de reali frigiditate intelligitque cum ita conspicua sint, de reali frigiditate p. 53. Aristotelem intelligere fateri tandem coactus fuit, tametsi non ut de parte definitionis de ea Aristoteles sermonē habeat, sed estò, satis mihi est, de reali frigiditate ipsum loqui, atque ut effectricem putredinis causam eam statuere, quod nostrum propositum est. Illa autem propositio, quam suæ putauit expositioni fauere, uidelicet (Defectus caloris frigus est) non formaliter, sed consecutiuè, aut causaliter intelligi debet, ut sensus sit, quoniam putredo est defectus caloris, ad caloris autem defectum dominium sequitur frigoris, uel defectus caloris frigus est, hoc est, defectus caloris a frigore oritur, non secùs ac dici solet, eclypsis est interpositio terræ, cuius sanè expositionis ueritatem, consecutio illa quam statim Aristoteles infert, confirmare uidetur, cum inquit, [Quarè ambo causæ putredinis sunt,] quasi dixerit, defectus caloris a frigore etiam oritur, quarè a ambo, externus, calor, internumque frigus putredinis causę sūt, quo etiam modo eadem propositio cap. de coctione intelligenda est, ex quibus duo inferri possunt, primum, quòd omne quod putrescit, continuè frigidius efficitur, cum præsertim in terram continuè uertatur, Alterū est, partim ab externo partimque ab interno principio proficisci, sed ut omnis ambiguitas repellatur eius rationes expendamus.

Ad primam quidem rationem dicimus, Aristotelem internam frigiditatem in definitione putredinis minime prætermisisse, memor enim eorum quæ 2. contex. proposuerat, se de ijs affectionib. pertractaturū quæ a calore et frigore proficiscuntur, in definitione putredinis vtrāq; causā posuit, inquiens, (Ambo igitur causę sunt, putredoque est communis effectus externæ caliditatis, & internæ frigiditatis] quid .n. aliud est hoc, nisi asserere, putredo est naturalis caloris corruptio

dinem proficisci, Dij boni, quo pacto uir clarissimus, in re manifesta ita turpiter labitur. primo enim sibi ipsi non constat. si quidem p. 53. Aristotelem inquit, in putredinis definitione allata de reali frigiditate loqui, sed iam ut definitionis partem non adhibere, ab Arist. postea dissentit. si quidem ut antea ostensum fuit, cum internam frigiditatem effectricem putredinis causam statuit, realem frigiditatẽ intelligit, quamobrem ipse, Aristotelesque, putredinem ex contrarijs compositam esse, mecum consentiunt.

Ad quintam autem rationem cum ait, aut interna frigiditas cũ externo calore simul agit, aut non &c. respondeo, in principio cum externo calore simul agere: sed alienus calor solum per initia putredinem promouet, interna uerò frigiditas tunc non agit, quoniam per initia ab alieno calore nõ ita fractus imminutusque est calor mixti, ut supra eum interna frigiditas imperium habeat, & dominetur, actio enim cum uictoria agentis dominium exposcit. sed cum fractus, languidusque factus fuerit, ut interna frigiditas illi dominetur, agere tunc incipit, illumque corrumpit, undè in putredine interna frigiditas externi caloris actionẽ præsupponit. Cum autem quærit, si fractum calorem præsupponit, putrefactum ne est mixtum, uel non est? aio, putrefactum quidem nõ esse, sed ad putredinis terminum progreditur. cum autem infert, igitur putredo non ab alieno calore, sed à frigiditate perficietur, quod tamen Aristoteles negat, Nunquàm profectò in tractatione de putredine apud Aristotelem legi, putredinem à calore ambientis perfici, atque absolui. asseruit quidem, putredinem & externæ caliditatis, & internæ frigiditatis communem effectum esse. An uerò ab hac, aut ab illa absoluatur putredo, ne ullum quidem legitur uerbum, sed id, sicut & cætera multa sibi confingit Erastus, quinimmò Aristoteles de hac fortaße interrogatus respondisset, putredinem potius a frigiditate, quam ab alieno calore absolui, siquidem cum mixtorum generatio à calore potius, quàm à frigore absoluatur, rationi consentaneum esse uidetur, corruptionem a frigiditate potius quam à calore absolui, sed esto id Aristotelem dicere bis. instantia dilui potest primo quidem, quòd licet externus calor insitum mixti calorem maxima ex parte dissoluat, interna uerò frigiditas iam remißum corrumpat, putredinemque ad finem usque perducat, non ob id putredo à frigiditate, sed ab externo potius calore perficitur, & absoluitur, siquidem frigiditas interna beneficio, & ueluti externi caloris uirtute supra mixti calorem agendi uirtutem acquirit, illumq; corrumpit. nisi. n. externus calor maxima ex parte naturalem mixti calorẽ

 dissiparet,

dissiparet, interna frigiditas ei non dominaretur, ac proindè ipsum non corrumperet, neque putredinem ad finem deduceret, quò fit, ut putredinis absolutio non internæ frigiditati, sed externo potius calori referenda sit, secundo, & ni fallor verius, respondetur, Alienum calorem non per initia tantum circa mixti calorem su... actionem exercere, & cum interna frigiditas in eundem agere incipit, alieni caloris actio cesset, quasi reliquias naturalis caloris mixti internæ frigiditati debellandas relinquat, sed actionem suam usque ad finem persequitur, calorem que mixti una cum frigiditate corrumpit, quousque mixtum in pulueres, & terram dissoluatur, quò fit, ut alienus calor non solum putredinem promoueat, sed etiam putredinem ad terminum perducat, interna uerò frigiditas. cum iam fractum calorem supponat, eiusdemque externi caloris beneficio suprà calorem uires uires, agendique potestatem acquirat, ea propter absolutio, putredinisq; consumatio alieno calori referenda est.

Postrema tandē ratio nullum certè negocium facit, nā cum ait, si ab interno frigore putredo proficiscatur, partim naturalis, partimq; uiolēta foret, consequentia negatur, ad probationem autem dicimus, uiolentam, naturalemque putredinis rationem, penes internum, externumque principium nequaquam consistere, aut penes caloris, & frigiditatis efficientiam, sed penes propensionem, inclinationemuè mixti quod putrescit, porrò naturalitas motus ex passi quoque inclinatione desumitur, ex Aristotelis sententia 3. ethi. cap. 3. & 8. phis. contex. 27. ubi ait, quæ ab externo mouentur principio quædam secundum Naturam, quædam uerò præter naturam, propter diuersam mobilis dispositionem, nā quę ad motum inclinationem habent, tametsi ab extrinseco moueantur, secundum naturam mouentur, quæ uerò ad motum propensionem non habent, contra naturam cientur, quoniam uerò mixtum, quod putrescit inclinationem habet, ut per putredinem, dissolutionemq; in elementa corrumpatur, ex quibus genitum fuit, ea propter ipsius mixti putredo siuè ab externo calore, siuè a frigore fiat, naturalis existit, & hæc circa Erasti argumenta dicta sint satis, sed si præter hæc, adhuc aliquis hæsitabit, quonam pacto à duabus contrarijs causis, ut à calore & frigore unus effectus, putredo sanè manare possit, cum contrariarum causarum contrarij sint effectus, ut 4. meteorum ab Arist. scribitur, hic primum nostrarum dilucidationum uolumē perlegere poterit, ubi nodus iste plenè dissoluitur.

An

An obstructio putredinis causa sit.

IN re hac minimè immorarer nisi certò scirem Erasti factatores sibi persuadere, eius sentētiam ita ratam, firmamque extitisset, ut improbari minimè putuerit, ac proindè eius dogmatibus magis, atque magis irretiri, ea propter ut omnes intelligant, quam firma eius dogmata fuerint, quamuè solida eius doctrina, hoc etiam theorema expendere operepracium esse diiudicaui, putauit Erastus quod licet interna mixti frigiditas in putredine haud ullam efficientiam habeat, obstructio tamē putredinis causa sit, media fumidarum exhalationum caliditate quæ intrinsecus in corpore continentur, quæ sanè caloris ambientis rationem habent, prout naturalem calorem ambiunt, ipsumque a naturali statu abijciunt, qua in re se ueritatem primum, mox Aristotelis authoritatē secutum esse affirmat, ex ueritate. p. 55. ita ostendit, id oē putredinē promouere potest, quod externum calorem qui putrefacere aptus est, exacerbare, adaugereque potest. iam verò obstructio, prout aeres fuliginososque halitus difflari non patitur, caliditatem intra corpus alienam alit, atque adauget, igitur obstructio putredinis causa censenda est, idipsum quibusdam Aristotelis authoritatibus persuadet, quarum altera legitur, decima sect. probl. 41. ubi rationem reddens, cur aliqua citò, prontèque putrescant, in prohibitam transpirationem causam refert huc etiā pertinet eiusdem authoritas 5. de ortu animal. cap. 5. ubi ait, capillos ouium putrescere si pileo bene tecti sint, quam si perflabiles maneant, quicquid autem perspirationem prohibet, obstructionis rationem habet. Adde, ab obstructione febres quinetiam oriri, & in his crebrò colliquationes cerni, quas putredines eße ipse etiam Aristoteles asseruerat, quę cum ita se habeant, non est, ut ab aliquo in dubium reuocetur, An obstructio putredinis causa esse possit, hæc Erastus.

Vtinam Erastus in re hac diligentius ueritatem, nec nō Aristotelem, atque seipsum tandem animaduertisset, non enim in tam apertos lapsus fuißet errores. primo quidē erat & apertissimè quidem cū inquit, obstructionē per medios aeres fuliginosq; uapores in corpore occlusos putredinis causā esse siquidē putredo eo loci ab Arist. definita, ut ēt ipse fatetur, ē affectio mixti ut mixtū est, mixtisque omnibus cōis, iā uero in mixto ut mixtū est aeres fuliginosiq; uapores non reperiuntur, non. n. in auro, et argēto id genus fumidarū acriūuè exhalationū adinuenitur, igitur obstructio media harum caliditate putredinis causa esse non pōt, sed huius erroris ea cā fuit, ꝙ vir doctus aīalia tātū respexit in quib. fuliginosi uapores reperiūtur ex quorū caliditate, febres humorūq; putredines exo-

riuntur, sed non respexit mixta ut mixta sunt, quorum putredo affectio est.

Adde, si putredo ex obstructione fieret, igitur mixta ex æquo per hiemem & per estatem putrescerent, quod euidentiæ, Aristotelique aduersatur: quippè qui 4. meteo. statuit mixta minus sub gelu, frigidisque locis, quam sub æstu, locisque calidioribus putrefieri. etenim sub gelu maxima obstructio efficitur, (maxima enim frigiditas maximè densat, & obstruit] igitur sub hiemis algore mixta maximè putrefierent, quod a veritate abhorret. quin imò tantum abest, ut per ea tempora mixta maximè putrescant, ut potius a putredine maximè asseruentur, indicio quidem sunt cadauera, demortuæque carnes, quæ si per hiemem sub dio, gelidoque ponantur aere a putredine arceantur: contra uerò si intra domum, tepidioreque ponantur loco ocyus putrescunt, dicat obsecro doctus Erastus, quæ nam huius rei causa est? si putredinis causa obstructio est, cum positis carnibus per hiemem sub gelido aere maxima fiat obstructio, maximè igitur deberent putrescere, cum tamen a putredine potius asseruentur diutiusque persistant.

Sed neque hac in re Aristotelem, ut ait, secutum esse ita ostendo, putredo fit per exitum & egressum naturalis caloris, ut 4 meteo. cap. de putred. scribitur. iam verò obstructio naturalis caloris mixti exitum egressumuè impedit, igitur putredinis causa esse non potest, alioquin posita noua hac Erasti causa putredinis modus ab Arist. explicatus per exitum et egressum caloris omninò collaberetur. Huic rationi p. 57. hũc in modum occurrit, quòd licet obstructio mixtorum putredinis causa sit, non propterea putredinis modus ab Arist. assignatus, per egreßum caloris, e medio aufertur, quia tametsi ex corporis superficie quam fortè circundans frigus densauit, naturalis calor effluere, extraque euocari non posit, tamen ex putrescentibus in corpore humoribus, ut sangui ne, bile, cæterisque humoribus, naturalis calor effluit, & ad fuliginosos uapores egreditur, cum illisuè commiscetur, quarè obstructio quæ putre dinis causa ponitur, putredinis modum non euertit, ab Arist. explicatũ.

Sed hæc responsio inanis est, Nam cum putredo quæ ab Arist. defini tur, sit affectio mixtorum ut mixta sunt, ipso etiam authore Erasto, qui non semel hoc assumit principium, igitur mixtorum putredo ut mixta sunt, fit per exitum & egressum caloris, iam uerò in mixto ut mixtum est, neque sanguis, neque bilis, neque cæteri reperiuntur humores, non enim in metallis putrescentibus sanguinem, cæterosque humores reperiri Erastus affirmare audebit. igitur in hoc mixtorum genere putredo

ex ob-

ex obstrictione per exitum caloris minimè fiet, non quidem ex corporis superficie, quoniam ut ait, ex obstructione partium prohibetur, neque ex sanguine, & ex humoribus ad quos ipse confugit, quoniam in hoc mixtorum genere hos, nec imaginari licet. Vndè igitur erit caloris naturalis rei putrescentis egressus? quamobrem cum obstructione putredinis modus seruari minimè potest. Hinc eruditi uiri facilè intelligere possunt, An argumentum nostrum quod inuictum esse alias affirmaui, iterumq; affirmo, in fumum abierit, an adhuc suas retineat vires, retinebit semper quousque Erasti sectatores eruditiorem solutionem excogitent. Illud quinetiam iudicabunt. An duo illa theoremata inter se pugnantia p. 56. conciliauerit, quæ ipsi obijciebam. Alterum eius erat, putredinem ex obstructione oriri posse, Aristot. alterum, putredinem fieri per exitum, naturalisq; caloris egressum ex eo quod putrefit. Vtque ingenuè fatear, dum rem hanc mecum ipse cogito, Non possum Erastum non uehementer admirari, qui internam frigiditatem, quam vt putredinis causam statuit Arist. reiecit, obstructionem uerò, quam ne quidem somniauit, quæuè putredini contraria est, acerrimè tuetur. Denique sibi ipsi non constat. Nam si obstructio putredinis, ut ait, causa est, cum obstructio, & ab externa frigiditate oriatur, igitur secundum ipsum externa frigiditas putredinis causa erit, quicquid enim est causa causæ est ēt causa causati, quod tamen sub initium noni capitis apertissimè inficiatur, quarè in huius problematis explicatione, neque rei naturam, neque Aristotelem, neque seipsum, satis consuluiße uidetur, Resolutè itaque dicendum est, duas tantum esse putredinis causas, quas Aristoteles 4. meteo. dinumerauit, externam ambientis aeris caliditatem, & internam mixti frigiditatem.

Nec Erasti rationes in oppositum allatæ aliquod momentum habent, nam maior illa propositio quæ prima argumentatione accipitur, id omne, uidelicet, quod calorem internum adaugere potest, putredinem promouere posse, de putredine ab Arist. definita, quæ est caloris naturalis corruptio in humido per caloris egreßum, ueritatem non habet, tùm quia huiusmodi putredo fit per caloris egressum, iam uerò per egressum calor non adaugetur: sed remmittitur potius, & languescit: tùm quia ex eadem Erasto externa frigiditas internum mixti calorem exacuit, atque adauget, non tamen secundum ipsum externa frigiditas huius putredinis causa est, sed de ea putredine propositio ueritatem habet, quæ ab Arist. 4. meteorum corruptio secundum partem, receßusque à proprio temperamento appellatur. sicuti est humorum putredo, ex qua

febres exoriuntur, hęc enim per caloris intensionem efficitur, quæ ex obstructione, externaque frigiditate oriri potest, ac proindè id omne quod calorem exacuere, ad augereque potest, hanc putredinis speciem potest. promouere, sed hęc exustioni potius, quam putredini similis est, unde unam cum altera putredinis specie confundit Erastus, quas qui non distingunt, in nodos dilabuntur inextricabiles, eademque pacto allatæ Arist. authoritates, aliæque omnes quæ ex obstructione putredinem oriri affirmant, de ea solum putredine quæ corruptio est secundum partem, solaue alteratio, intelligi debent.

An caliditas propria que ponitur in definitione putredinis sit patibilis qualitas.

Q*Voniam in definitione putredinis explicanda priore disputatione asserui, naturalem, propriamue caliditatem quæ ponitur in definitione putredinis passibilem qualitatē esse, Erastus huic sententiæ p. 60. itá sese opponit, caliditas quæ passibilis qualitas est, nullius propria, sed communis pluribus extat, sed naturalis caliditas quæ ponitur in definitione putredinis propria est, igitur huiusmodi caliditas passibilis qualitas de tertia specie qualitatis esse non potest, sed in prima inquit, specie qualitatis collocatur, Dij boni, quàm confusa, quamuè repugnans est huius Viri doctrina, disputatione enim primum edita p. 43. & 56. statuit caliditatem naturalem & propriam quæ ponitur in definitione putredinis nil aliud esse quàm temperamentum quod substantia est, ac proindè galenum qui clarius loqui voluit, dixisse, putredinem substantiæ rei putrescentis corruptionem esse, Erasti uerba p. 43. hæc sunt, [quod Aristoteles significauit naturalis, propriæque caliditatis in humido, id nomine substantiæ extulit Galenus,] & paulo post, [didici enim Galenum qui supra temperamentum nullam in mixtis formam agnoscit, totam eorum substantiam temperamentum appellat,] Secunda verò disputatione nuper ædita p. 61. itá scribit ad uerbum, Quarè non in tertia, sed in prima qualitatis specie natiua, propriaque caliditas collocatur,] iam verò si caliditas propria substantia est, quomodo qualitas est primæ speciei qualitatis? & si temperamentum est, ut ait, quomodo non in tertia specie qualitatis collocatur? enimuerò temperamentum ex passibilibus primisue qualitatibus attemperatis consurgit, aut ducere uolueris, primas qualitates esse per actionem & passionem repressas, atque attemperatas, & quodcunque dixeris, tempera-*

ramen-

ramentum ad tertiam speciem qualitatis attinet, principia.n.& affecta ad idem pertinent genus, ostensurus præterea Erastus propriam caliditatem, patibilē qualitatum non esse tertiæ speciei, ex uerbis Aristotelis argumentum desumit, qui in definitione putredinis eam (propriam) appellat, liceat ex eisdem uerbis mihi argumentum desumere, Quod accidens proprium est alicuius, non intenditur, neque remittitur, ut etiam rudioribus compertum est. Sed caliditas propria quæ ponitur in definitione putredinis intenditur, & remittitur, igitur accidens proprium esse non potest, minor propositio ex ipsomet Erasto probatur, quippè qui uerba illa Aristotelis in definitione putredinis exponens, [quoniam quod putrescit inopiam patitur calidi, inopia autem calidi frigus est,] nomine frigoris, nō quod calori opponitur, sed remissum mixti calorem interpretatur, igitur proprius mixti calor remittitur, ac proindè accidens proprium esse non potest, hoc idem uerba illa Aristotelis eodem cōtex. apertè commōstrant, cum inquit, [putredo caloris proprij corruptio est, ipso exeunte una cum humido,] certum est autem per exitum ipsum remitti. Sed quid multis opus est? cum una hæc ratio demonstret caliditatem propriam patibilem qualitatem esse, porro philosophus putredinem definiens in quit, putredo est corruptio caloris naturalis, & proprij. definiens quinetiam paulo post concoctionem ait. concoctio perfectio est a calore naturali, & proprio &c. sicut itaque calor naturalis et proprius in definitione coctionis ab Arist. accipitur, ita etiam in definitione putredinis accipi debet, ijsdem enim vtrobique vtitur terminis, iam uerò in definitione coctionis accipitur ut patibilis qualitas est, igitur & eodem modo in putredinis definitione assumitur, minor, ex Aristotelis instituto euidentiam habet. siquidē philosophus 4. meteo. contex 2. se de ijs mixtorū affectib. eo libro tractaturum proposuit, qui ex primis elementorum qualitatibus proficiscuntur. cum autem eo libro de coctione agat, coctio igitur illius caloris est effectus, qui est qualitas elementi. cum autem coctio à naturali, proprioque calore proficiscatur, igitur naturalis propriusque calor qui coctionis est author, est qualitas elementaris, quæ patibilis qualitas est, ex quo etiam Buccaferrei error coarguitur, qui in eius libri commentario asseruit, nomine caliditatis naturalis & propriæ substantiam uaporosam ex. tenuiori sanguine ortam, Aristotelem intellexisse. etenim cum putredo ab Arist. definiatur, quæ mixti affectio est, ut mixtum est, certum est in mixto, quà mixtum uaporosam substantiam ex tenui sanguine ortam minimè adinueniri, non enim in argento, cæterisque metallorum generibus huiusmodi

substantia adinuenitur. quamobrem propria caliditas quæ in definitione putredinis, coctionisuè ponitur patibilis qualitas est, de tertia specie qualitatis, sed dicitò, putredo est affectio mixti, ac proindè substantiæ, corruptio, non autem, caloris & accidentis, igitur nomine caloris qualitas intelligi nequit. equidem putredo mixti affectio est, substantiæque corruptio, cum autem philosophus ait, putredinem caloris naturalis corruptionem esse, propositio formaliter intelligenda non est, ità ut putredo sit caloris affectio, sed causaliter intelligi debet, uidelicet putredo, mixtique corruptio fit per interitum, & corruptionem caloris, non secùs ac cum dicitur generatio est patientium qualitatum mutatio à calore dominante, non formaliter, sed causaliter intelligitur, quoniam ut anteà dictum est, tàm generatio quam putredo pro alteratione, uiaque iuncta termino definiuntur, nunc eius rationem perpendamus.

Porrò eius ratio per æquiuocationem peccat. Nam proprium aliud est, quod uni conuenio tantum & semper, quod uerè proprium est, & a communi accidente contradistinctum. Alterum uerò proprium dicitur alicui proportionatum, atque commensuratum est, sicut dicimus calorem in gradu summo igni proprium esse, eundemque ut remissus est, certisuè gradibus attemperatus, homini, aut Leoni, carni, aut ossi proprium esse, nec non & Quantitas quæ alioquin accidens commune pluribus existit, prout terminata est, diuersisque terminis præfinita huic & illi formæ propria, idest, proportionata esse dicitur, porrò quantitatis terminus, quo quantitas propria efficitur, naturam quantitatis non euariat, neque ipsam a genere accidentis communis, ad accidens, uerè proprium transfert, sed duntaxat eam huic & illi formæ proportionatam, conuenientemuè reddit. pariter & caliditas quæ patibilis quantitas est, accidensuè commune, suaptè natura indeterminata est ad hunc illũ gradum suscipiendum. cum autem certo graduum internallo, atque mensura circumscribitur, huic & illi formæ propria idest proportionata efficitur. Non enim forma sub qualibet quantitate, qualibetuè qualitatis mensura consistere potest. Sed præfinitam quantitatem, certamuè primarum qualitatum mensuram ad sui generationem, et conseruationem exposcit, quibus ita constitutis, ad rationem formaliter dicimus, Quod uerè proprium est pluribus commune esse non potest, Caliditas quæ patibilis qualitas est, pluribus communis existit. accidens igitur proprium esse non potest, ultrò totum argumentum concedimus. cum autem, addit, at caliditas quæ in putredinis definitione ponitur, propria est, dicitur sanè propria non primo modo, sed prout ad patientes qualitates, mixtumque con-

seruandum

seruandum proportionata est, neque hoc pacto incongruum est, quinimò apprimè necessarium, quod proprium non est, sed indifferens et indeterminatum, proprium fiat, huicuè & illi formæ proportionatum. absurdũ quidem foret, si quod uerè proprium non est, sed commune accidens, in alterum accidentis genus quod uerè proprium est, commutaretur. Quapropter tantum abest, ut ratio uim demonstrantem habeat, ut leuissima potius sit, quin immo fallax, et deceptoria, et si rationes quas de re hac aduersus Clarissimum Comitẽ Montanum Vincentinum se adduxisse gloriatur, consimiles neruos habent, ab eruditissimo uiro ne dum facilè depulsas, quinimò derisas esse, mihi certè persuasum habet, et hæc circa putredinis definitionem dicta sint.

Post hæc accusationem quandam in me subdit, mihi ipsi non satis constare, quia non semel asserui putredinem ab Arist. definitam per exitum fieri naturalis caloris, ab eodemque ex putrescente mixto animalia procreari. contra instat Erastus, si in putredine dolor naturalis egreditur, in Aeremque dispergitur. igitur ab ipso animalia produci non possunt. etenim si calor Animalium effector esse debet, nõ solùm existere, sed etiam patientibus qualitatibus dominari operepretium est: ut eo libro contex. 2. Arist. declarauit. Quamobrem duo hæc (ait) inter se pugnant, calorem in putredine perire, inque Aerem dispergi, ab eoque Animalia generari. Huic & alteram rationem addit, qua ostendit, etiam si calor naturalis putredine maneat, illorum animalium authorem esse non posse: Ratio ita habet, ex re putrescente diuersa secundum speciem animalia innascuntur. Iam vero idem rerum secundum speciem differentium, neque genitor, neque instrumentum esse potest, igitur ex putrescente re, idem calor etiam manens Animalia producere non ualet: hæc ille.

Asserui equidem ego, mixtorum putredinem per naturalis caloris exitum fieri. ab eodemque Animalia, quæ in putredine cernuntur, oriri; nec dicti me pœnitet, sum enim hac in re ad uerbum Aristotelem insecutus, qui 4. meteo. cap. de putredine, duo hæc statuit. primum, (putredinẽ naturalis caloris interitum esse, calore exeunte una cum humido) subindè in fine capitis addit & alterum. inquiens, [dissoluta caliditas in putredine Animalia gignit, cum consistere facit segregata,] Quamobrem cum me coarguit, eiusdem quoque criminis ipsum Aristotelem carpit. Neque ista duo inter se pugnant, ut arbitratur, si quidem Animalia quę ex putrescente mixto exoriuntur, a calore non producuntur, qui in uniuersum egressus est, totusque perijt, cum Agẽs actu adesse oporteat. Sed a calore mixti generantur, cum paulatim externis mixti partibus dif-

fluit, sic enim portioni humidi & sicci dominans, illa unit, & terminat, ex eisque Animalia gignit, quod sanè his uerbis Arist. declarauit, [in putredine Animalia oriūtur, quoniam segregata caliditas Naturalis existens facit constare segregata, utpotè humidum, et siccum. huiusmodi autem caliditas, Naturalis dicitur, non quidem respectu mixti, quoniam ipsum amplius conseruare nequit, sed respectu portionis humidi, & sicci, quibus dominatur, quæuè terminare potest, pro animalium ortu, ut ab eodem ijs uerbis scribitur, cap. de coctione, [tàm diù caliditas naturalis dicitur, dùm in ea suprà humidum ratio inest,] ex uerbis autem Aristotelis paulò superius allatis, & illud elici debet, Internum mixti calorem qui dissoluitur, non autem calorem Ambientis, qui illum perdit, atque dissoluit, huiusmodi animalium effectricem causam esse ut falsò putat Erastus. si quidem Arist. inquit, [segregata caliditas humidum & siccum constare facit pro generatione animalium. iàm uerò segregata caliditas ipsius mixti est, non autem Ambientis, quoniam hęc, nō segregata est, sed segregans, atque dissoluens.

Secunda uerò instantia tametsi hùc non satis pertinere uideatur, quoniam disputatio inter Nos ea non est, An à calore in putredine animalia procreari possint, tamen ne argumentum refugere uidear, respondebo, primumque contra ipsum argumentum retorqueo, Idem Agens rerum secundum speciem differentium genitor, instrumentumque, ut ait, esse non potest, igitur Ambientis calor, qui mixti calorem exigit, perdiditque differentium secundum speciem animalium in putredine effector, instrumentumq; esse non ualet, & quicquid ipse respō derit, (modo rectè respōdeat) ego etiam affirmabo. Dico tamen ex putrescente mixto à calore eiusdem diuersas animantium species procreari posse, prout superioris Agentis instrumētum est. ut enim substantiæ est instrumentum, substantiam producit, ut uerò animatæ substantiæ, animatam quinetiam substantiam parit, ut uerò Agentis instrumentum est, quod uirtute plura diuersaque continet, diuersa denique secūdum speciem efficere potest: Non secus ac calor solis in circumstāte. Nos Aere diffusus ex putrescente limo uaria Animātium genera producit, prout cælestis corporis est instrumentum, quod uirtute plura, secundumuè speciem differentia continet; concurrente aliquo pacto materię diuersitate ut 3. de animal. ortu cap. xi. ab Arist. his uerbis proditum est, [Quamobrem consistunt celeriter, cum calor ille comprehensus est: comprehenditur autem & humoribus corporis incalescentibus, sed differentia nobilioris, ignobiliorisque generis constituendi in comprehensione principij

animalis

animalis est. huius autem rei causam habent & loca, & corpus quod comprehenditur. in mari enim multum portionis terrenæ existit, quo circa ex tali concretione natura testati generis oritur, illa autem propositio quæ ab Erasto assumitur; calorem eundem diuersarum specie formarum neque authorem, neque instrumentum esse, de calore ueritatem habet, qui Agentis est instrumentum, quod essentia, & uirtute unum est. sed si instrumentum Agentis fuerit, quod sit uirtute plura, producendi quinetiam plura uim & potestatem habet, ut de calore solis in Ambiente diffuso dictum est.

An definitio Galeni, cum Aristotelica putredinis definitione eadem sit.

QVoniam Galenus suæ methodi libro xi. cap. 8. putredinem ità definit, (putredo est corruptio totius substantiæ, putrescentis ab aliena caliditate) hinc difficultas orta est, An definitio hæc cũ ea quæ 4. meteo. ab Aristot. scribitur, quæ est corruptio caloris naturalis in humido ab aliena caliditate, eadem sit, ut rem hanc breui oratione cõplectar, tria in hoc problemate enunciauit Erastus, ut proxima disputatione legitur. p. 59. primum est, putredinis definitionem à Galeno traditam ab Aristotelis definitione re diuersam non esse, tametsi dissimilibus uocibus utraque tradita sit. Alterum est, utramq; definitionem eius putredinis esse, quæ morbosa, uiolentaq. est. Tertiũ est, putredinis definitionem ab Arist. allatam eius putredinis esse, quæ contex. V. ab eadẽ corruptio secundum partem nuncupatur, hæc ille.

Cæterum dum theoremata hæc ipse perpendo, illud primum animaduerto, Erastum tam breui uerborum interuallo sibi ipsi pugnãtia dicere. quoniam tertium eius theorema pugnat cum primo. nam cum putredo ab Arist. definita secundum ipsum ea sit quæ est corruptio secundum partem, & propterea ab eodem particularis nuncupata, quæ uerò a Galeno definita fuit, ea sit quæ est corruptio secundum totum, eædem igitur esse non possunt, ut primo theoremate affirmat, etenim corruptio secundum partem, et corruptio non secundum partem, ueluti contrantradicentia sunt, ac proinde naturam eandem subire non possunt. sed fortè dicet Erastus, putredinem ab Aristotele definitam corruptionem quin etiam esse secundum totum, at corruptionem dici secundum partem, prout in ea dissolutio non fit in quatuor elementa, ut in putredine naturali. uerum cum seipsum ita conciliare nititur, Aristoteli aduersatur, si qui-

dem

dem putredo ab Arist. definita in elementa dißoluit, ut ex ipsa definitione liquidò constat, quæ ità habet, [putredo est naturalis caloris corruptio in humido, exeunte calore una cum humido, idcircò quæ putrescunt humida primum fiunt, tandem in puluerem, & terram dißoluũtur,] quid clarius? quamobrem aut huiusmodi putredo ea non est, quæ dicitur corruptio secundum partem, ut ait, ac proinde ultimum theorema falsum erit, aut si ea est, quæ dicitur corruptio secundum partem, ultimum cum primo theoremate pugnat. quoquo igitur sese uertat Erastus, in repugnantia labitur, & in Angiportum se recipit non peruiũ.

Hinc quoque secundum eius collabitur theorema, quo aßerit, unamque Galeni & Aristotelis definitionem eius putredinis esse quæ uiolenta est atque morbosa, Nam tum putredo ab Arist. idefinita totius substantiæ mixti corruptio sit, per dissolutionem in elementa, huiusmodi autem putredo ex ipsius Erasti sententia, naturalis sit, ut legitur cap. pri. p. 3. ubi inter putredinem naturalem, & uiolentam id discriminis esse affirmat, quoniam naturalis, totius substantiæ putrescentis corruptio per dissolutionem in elementa, quæ uerò uiolenta est, atque morbosa per dissolutionem in elementa haud efficitur, quarè putredo ab Aristotele definita, non uiolenta, & morbosa, sed naturalis erit, & cum eadem sit, ut ait, cum ea quæ à Galeno tradita est, igitur utraque definitio naturalis putredinis erit, Adde, putredo hæc, est affectio mixti ut mixtum est, ut etiam ipse concedit, igitur morbosa esse non potest, non enim mixto ut mixtum est, morbosa affectio conuenire ualet, quis enim sanę mentis homo aßerere audebit, aut cadauera, arefactasque plantas, nec non metalla morbosa affectione corripi posse? neminem puto nisi Erastum, quarè cum huiusmodi putredo mixti, quam mixtum est, affectio sit, morbosa igitur uiolentaque esse non potest.

Tandem, si putredo ab Arist. definita uiolenta est, naturali mixtorum putredini, duæ uiolentæ mixtorum corruptiones sese opponerent, ut potè putredo quæ est corruptio naturalis caloris in humido, & combustio, quod sanè ab Aristotele abhorret, quippè qui. 4. meteorum cap. tex. 3. naturali putredini combustionem duntaxat opposuit, quamobrē aut Aristoteles diminutus, aut putredo definita uiolenta, non est, primum quidem dici nequit. Secundum igitur est asserendum. Quinimmo, si ad uiuum rem ipsam resecare uelimus, tres erunt putredinis in uniuersum subiectæ species, quod tamen cap. primo ipse inficiatur, cuius uerba hæc sunt, (ergo duas ab Aristotele 4. meteorum putredinis species quę plurimum inter se discrepent, traditas esse aio,) deducitur consequentis,

quentis,

quentis, quoniam una putredinis species naturalis est, generationiq; mixtorum oposita. Altera uerò uiolenta, que est corruptio caloris naturalis in humido, Tertia, quæ contex. 5. dicitur corruptio secundũ partem, quam ab ea quæ est corruptio caloris in humido re distinctam esse fateri necessariò cogitur, quoniam putredo quæ est corruptio secundum partem, ut primo illo cap. scribit, non fit per dissolutionem in elementa, putredo uerò que est corruptio caloris naturalis in humido, in pulueres, & elementa dissoluit. igitur inter se distinguitur, ac proinde secundum ipsum tres erunt subiectæ putredinis species. Aut si putredo, dixerit, quæ est corruptio secundum partem, ab ea non distinguitur, quæ est caloris naturalis corruptio in humido, igitur sicut hæc, mixta putrescentia in elementa dissoluit, ex definitione ipsius, ità & putredo secundum partẽ fiet per dissolutionem in elementa, quod tamen p. 3. inficias iuit. Hinc obseruent, qui hæc Erasti dogmata insequuntur, quam solidam doctrinã profitentur, publicèque docent.

Ut exacta huius problematis explicatio habeatur, tria & nos theoremata ponimus, primum est, Galeni definitionem ab Aristotelis definitione minimè destingui, neque de re hac inter Nos ulla controuersia est. cæterum illud debitationem habet, si utraque putredinis definitio eadẽ est, cur uocibus adeò dissimilibus in eiusdẽ putredinis definitione usi fuerunt; porrò Galenus per corruptionem totius substantię, Aristoteles uerò per corruptionem caloris putredinem diffiniuit. Id sanè non ea ratione factum fuisse dicendum est, ut inquit Erastus. Quia Galenus clarius, Aristoteles uerò obscurius eloqui uoluit. Quoniã si utriusquę definitionẽ spectemus, Aristotelis definio latior est, uberiusque explicata. enimuerò formam, materiam, effectricemque causam, nec non & modum declarat. Quæ sanè Galeni definitio nõ declarat, sed breuis est atque concisa, ac proindè obscura magis. ita enim habet, [putredo est totius substantię corruptio ab alieno calore, eapropter multò uerius dicendum est Galenum et Aristotelem disparibus uocibus in definione putredinis usos fuisse, quoniam, putredinem diuersimodè acceperunt, Galenus enim pro termino putredinem definiuit, Nam cum putredo sit affectio mixti, putredo, ipsius mixti substantiæque tanquàm termini corruptio est, huiusmodiq; definitio solum, Quia declarat. Aristoteles uerò putredinem accepit pro uia iuncta termino. Nam cùm substantiæ putrescentis corruptio non fiat nisi per corruptionem caloris, ideò putredinem, per caloris naturalis corruptionem definiuit. Quæ sanè Aristotelis definitio miro quodam artificio, & quia, & propter Quid simul declarat, uidelicet pu-

tredo

tredo est substantiæ mixti corruptio, per naturalis caloris interitum à caliditate externa. Hinc perfacile ea soluitur instantia, quam contrà Nos attulit Erastus, asserere nos minimè posse Galeni & Aristotelis definitionem putredinis eandem esse, cum secundum sententiam nostrã, putredo ab Aristotele definita sit caloris corruptio, quæ patibilis qualitas est, quæ autem à Galeno tradita, substantiæ corruptio sit. Nam dixi, uerumque esse aio, corruptionem caloris natiui in Aristotelica definitione qualitatis patibilis corruptionem esse. Nec propterea sequitur Aristotelis definitionem ab ea Galeni re ipsa distingui, si quidem Galenus ut dictum est, putredinem pro termino tantum, Aristoteles uero pro uia iuncta termino putredinem definiuit,

Secundum theorema est, utranq; definitionem eius putredinis esse, quæ naturalis est, simplicique mixtorum generationi opposita, quod tametsi ex ijs quæ dicta sunt, iam satis patere possit, hac tamen ratione ostendi potest, qua alias etiam usus sum, Putredo a Galeno, Arist. que definita, est totam rei putrescentis substantiam corrumpens, igitur utraque est naturalis, cæterum huic rationi p. 59. sese opponens Erastus, inquit, se uim rationis non intelligere, quoniam huiusmodi connexum huic propositioni inniti uidetur, omnem putredinẽ, qua tota rei putrescentis substantia corrumpitur, naturalem esse; quæ sanè propositio uera non est, quoniam quæ combustione intereunt, secundum totum substantiam corrumpuntur, non tamen combustio, naturalis corruptio est. Asserere quidem non audeo eruditum uirum rationis meæ uim non intelligere, sed dixerim potius eam intelligere noluisse, non enim me latet, si propositio ità ieiunè, arideque intelligatur, ut ab ipso accipitur, nullum habere momentum. Sed propositio in hoc sensu accepta fuit, omnis putredo, qua tota rei putrescentis substantia corrumpitur, in elementaq; dissoluitur, nec in corrumpentis naturam conuertitur, naturalis est, sic enim a putredine secundum partem distinguitur, quæ secundum ipsum mixti substantiam in elementa non dissoluit, nec non à combustione seiungitur, quæ tametsi mixti substantiam in elementa dissoluat. in comburentis tamen ignis naturam, mixtum conuertit, sic enim omnis putredo, & ex ipsius sententia, quæ his tribus conditionibus donatur, naturalis est, retroque commeat, iam uerò putredo ab Arist. definita, quæ est caloris corruptio in uno quoque humido, totã rei putrescentis substantiã corrũpit, in pulueres, elementaque dissoluit, ut ex ipsa definitione ostenditur, Neque putrescentem substantiã in Ambientis naturã, à quo putredo efficitur, conuertit, non enim cum cadauer, aut demortua planta putrescunt,

eunt, in ambientem Aerem conuertuntur: igitur huiusmodi putredo naturalis est, & cum hæc, ipsius etiam consensu, eadem sit cum putredine à Galeno definita, utraque igitur definitio eius putredinis est, quæ naturalis extat, non autem uiolenta, atque morbosa, quæ ratio sic intellecta contra ipsum uim demonstrantē habet: Verum quia id Erastus æquo animo ferre non poterat, adhuc sese opponit, ratio ità habet, omnis mutatio quæ ab externo agēte proficiscitur uiolenta est: iam uerò putredo a Galeno, Aristoteleque definita ab externo ambientis calore promaaat, utraque igitur uiolenta censeri debet. qua sanè ratione plurimū inniti uidetur, cum non semel ea fuerit usus. uerum quia ratio hæc superius reiecta fuit, inferiusque reijcietur, lubens prætereo, ne rem eandem iterum atque iterum repetere uidear.

Ex his tertium sequitur Theorema, putredinem quæ ab Aristotele definita est, non eam putredinem esse quæ eo loci corruptio secundū partem appellatur, tùm quia hæc alteratio solum est, neque in elementa dissoluit, illa uerò substantiæ corruptio est, fitq; per dissolutionem in elementa, ut inferius cumulatè magis explicabitur. interim, hac in re unum quod summa est animaduersione dignum, silentio transigendum non est. cur in putredine, naturalique mixtorum interitu in quatuor elementa dissolutio fiat, in animatorum aūt, interitu, id nequaquā eueniat. duplex huius rei causa afferri potest. una est, quia oppositarum mutationum oppositæ sunt rationes & modi. quoniam uerò animantium generatio non in unione elementorum consistit, sed in unione Animæ cum corpore, ut scribit Aristoteles libro de morte & vita, inquiens, (generatio est participatio Animæ a calido naturali, et uita est eius permansio,) igitur opposita ei corruptio, non per dissolutionem elementorum, sed per secretionem Animæ a corpore fieri debet: Mixtorum uerò ut mixta sunt generatio, quoniam in elementorum patientium uè qualitatum unione consistit, ut 4. Meteorum legitur. igitur opposita ei corruptio, quæ putredo dicitur, per dissolutionem in elementa fieri oportet.

Altera causa est, quoniā sicuti elementorum unio, patiētium uè qualitatum terminatio ex dominio caloris fit, & asseruatur, ut loco nuper citato Arist. docet, ita econuerso elementorum, & patientium qualitatum dissolutio ex inopia defectuque caloris efficitur. quoniā uerò in animatorum interitu non omnino deficit calor, sed secundum illos duntaxat numeros & gradus, qui ad Animæ permanentiam, & cum corpore unionem necessarij erant. permanet autem calor ea quidem mensura & gradu, qui ad mixti conseruationem, elementorumq. unionem sufficiēs

est. Mixtum porrò; ut cadauer, quid reliquia sunt, Animantis, non tam mensuram caloris requirit, quam uiuens corpus exposcit, sed inferiori gradu caloris asseruari potest: idcircò Animantia cum intereunt in elementa non dissoluuntur, quoniam uerò in putredine, mixtorumque corruptione naturalis calor propter Ambiens dissipatur, atque corrumpitur, ità ut amplius simul iunctas retinere non potest, quò fit, ut in putredine elementa humidumque & siccum propter caloris defectum, dissoluantur: Qua in re D. Thomæ sententia penitus est aspernanda, qui in mixtorum interitu, in materiam primam, non autem in elementa dissolutionem fieri existimauit: si quidem non Aristotelem solum 4. meteo. sed rei quoque euidentiam habet sibi maximè repugnantem, ipsis enim cernimus oculis, putrescens cadauer, aridamque plantam, in elementa, terramque dissolui, quæ non recenter genita dici potest, sed ea est, quæ in putrescente mixto præ erat, ut 2. nostrarum dilucid. uolumine plenius ostensum est.

In decimum Erasti caput. Animaduersio

QVoniam putredo quædam est, quæ ab Arist. propriè uocatur putredo, cui obnoxia sunt elementa igne excepto, quæ 4. meteo. con tex. 5. corruptio secundum partem dicitur, & à propria natura discessus, de qua inter nos non leuis controuersia est, ea propter de hac decimo hoc capite Erastus orationem habet. Verum quia tria sunt, quæ difficultatem facere uidentur, primum, An propriè uocata putredo eadem sit cum putredine posterius definita, quæ est corruptio caloris in humido, An vtraque uiolenta, denique an utraque secundum substantiã corruptio sit, vir doctissimus tribus theorematibus difficultatem persoluit, suamque sententiam patefacit. ea autem est, propriè uocatam putredinem cum posteriore eandem, esse utramque uiolentam, nec non utramque secundum substantiam corruptionem esse. cæterum primum theorema tum ex Arist. tum ex ipsomet Erasto a ueritate abesse, ita ostenditur, Quæ eandem subeunt naturam, easdem habent proprietates, propriè uocata putredo, ea uè quæ est corruptio caloris in humido, diuersas, discrepantesquè habent proprietates. si quidem putredo, quæ est corruptio. caloris in humido, fit per dissolutionem in terram, & elementa, ut legitur ipso definitionis contex. propriè uocata putredo quæ elementis communis est, non dissoluit in elementa, non enim cum terra putrescit, pariter & Aqua in terram dissoluuntur, quod etiam concedit

Erastus p. 3. igitur utraque putredo eandem naturam subire minimè potest, & licet una hæc ratio ad id demonstrandum satis uideatur, hanc adijcere libet, propriè uocata putredo, ut Aristoteles ait corruptio est secundum partem, putredo uerò posterius definita est corruptio secundū totum, cum mixtum dissoluat in elementa. si itaque cum hac re ipsa eadem est. igitur secundum totum corruptio erit, ac proinde secundum partem, & non secundum partem corruptio erit, satis aperta contradictio est. illud præterea mihi dicat Erastus, aut alter pro ipso, si propriè uocata putredo eadem est cum putredine posterius definita, quæ ipso authore, corruptio est secundum totum, cur Aristoteles Putredinem illam corruptionem secundum partem appellauit? cur ue tam disparibus, dissimilibusque uocibus & terminis utramque descripsit? illam sane corruptionem secundum partem, recessumque a propria natura. Alteram uerò corruptionem naturalis proprijque caloris in humido appellauit, audio quidem ab Erasto vtramque putredinem eandem esse, sed facti causam non audio. Sed ad id quod primo petitum est, fortassè dicet, propriè uocatam putredinem esse quidem corruptionem secundum totum, non secùs ac putredo posterius definita, sed propterea corruptionem secundum partem ab Arist. uocatam esse, quia non dissoluit in elementa. sed si ita res habet, quomodo ergo cùm posteriore eadem erit, quæ in elementa dissoluit? hæc satis de primo.

Quò ad secūdum attinet Thema, fateor quidem propriè uocatam putredinem uiolentam esse, hæc enim quę elementorum peculiaris est, cum recessus sit a propria eorum natura illis uiolenter, præter naturamque conuenit. Atque posterius definita est, Naturalis est, simplicique mixtorum generationi opposita, ut non semel superius rationibus ni fallor, euidentibus demonstratum fuit, ut hoc in loco transferre, & quasi recoquere opus minimè sit. sed instabat Erastus, Aristotelem naturalem putredinem bis definiuisse, quæ uerò propriè dicitur, elementisuè competit, nè uerbo quidem attigisse, quod minimè dici debet, cum eius quoque Natura explicanda foret. Nodum hunc priore disputatione mea dissolui, Aristotelem naturalem putredinem bis quidem definiuisse, aut rectius, eam primum concisè admodum indicasse, posterius uerò, ut par erat eius Naturam, causas, modumque uberius explicasse. Neque propterea propriè uocatam putredinem silentio prætermisisse. Nam tex. 5 eiusdem libri huius putredinis Naturam his uerbis declarauit, propriè uocata putredo, quæ elementorum peculiaris est, corruptio est secundum partem, recessusque a propria natura. Cæterum aduersus id pag. 61. tri-

plici incursione insurgit, probareque nititur, illius putredinis hanc definitionem non esse. prima est, quoniam philosophus non propriè uocatam putredinem esse duo hæc uidelicet corruptionem secundum partem, & discessum à sua natura sed de omnibus hoc nomen enunciari, quod tunc secundum partem intereunt, cum à sua natura discesserint. Secunda eius ratio ad hanc formam redigitur, definitio hæc non conuertitur cum definito, igitur aut illius definitio non est, aut non decenter ab Arist. tradita fuit. quod cum dici non possit, primum igitur est asserendum, quod assumitur ex eo patet, quia huiusmodi definitio cunctis corruptionis generibus accommodari potest. nàm siuè naturali putredine, siuè combustione mixta intereant, a propria sua natura recedũt, igitur latior est definitio, quàm definitum, ac proindè eius definitio dici non potest. Denique, definitio clara, conspicuaue esse debet. At huiusmodi definitio obscura, ambiguaque est; cum de sensu eorum uerborum ne nunc quidem inter Aristotelis expositores conueniat, igitur illius putredinis definitio minimè statui potest. hæc ille.

Sed arduum mihi quidem non est, incursiones hasce repellere. & ad primam dicitur, propriè uocatam putredinem ab Arist. per corruptionem partem, per recessumuè à sua natura descripsiße, non quia reipsa distinguantur, sed quia unum alterius explicatio est. Nam cum illa particula corruptio (secundum partem) propter uariam partis acceptionem ambigua esset, siquidem pars, & pro integrante, & pro eßentiali, atque subiectiua (ut aiũt) parte recipi possit, ut partem, nullo isto modorum se accipere demonstraret, particulam, ut exponentem adiecit, (à propria natura recessus,) ut sensus sit, propriè uocata putredo, corruptio est secundum partem, hoc est, à propria natura, naturalique rei temperamento disceßus. quoniam uerò huiusmodi receßus neque secundum formam substantialem, neque simpliciter corruptio est, siquidem hæc, corruptio secundum totum primo de gener. contex. 23. ab Arist. appellatur. idcircò hæc putredinis species corruptio secundum partem, idest, secundum Quid, prout à corruptione secundum totum, & secundum substantiam contradistinguitur, ab Arist. nuncupatur. quo sanè putredinis genere elementa putrent (igne dempto) cum a naturali temperamento dimouentur. Atque idem est dicere si rem expendamus diligenter, corruptio secundum partem, de ijs enunciatur, cum a sua natura recedunt, ac si dicatur est, propriè uocata putredo, corruptio secundum partem, hoc est, a propria rei natura recessus.

Nec secunda ratio quicquam urget. etenim id quod ipso aßumitur, falsum,

falsum est, definitionem uidelicet cum definito non commeare, id probat, quoniam definitio cunctis corruptionis generibus adaptari potest, Dij boni, indicat uir iste se Aristotelem non perlegisse. Namque naturalis putredo secundum substantiam corruptio est, fitque per dissolutionem in elementa, putredo quinetiam posterius definita, simili modo sese habet, combustio pariter, corruptio est secũdum substantiam per dissolutionem in terram, nec non per rei corruptæ in naturam comburentis conuersionem, corruptio uerò secundum substantiam ab Arist. ubique secundum totum appellatur. propriè uerò uocata putredo, secundum partem corruptio est, neque in elementa dissoluit ex Erasti sententia. quamobrem definitio huius alijs corruptionis generibus adaptari nõ potest. Sed propriè uocatæ putredinis solùm definitio est, atque cum ipsa conuertitur. Mihi persuadeo, dicturum Erastum, huiusmodi putredinis definitio, recessus est a propria natura, hic uerò & alijs mixtorum corruptionis generibus communis est, quoniam quouis modo intereãt, a sua Natura recedunt. Sed in superficie uerborum standũ non est, longè enim dispar, dissimilisque a natura recessus est, in his q̃ naturali putredine, seù cõbustione, intereunt, & in his quæ secundum partem corrumpuntur, illa enim secundum totum a natura recedunt, in oppositumque suæ Naturæ temperamentum, cõmutantur, cum in terram putredine, & in ignis naturã, combustione, conuertuntur, secundum substantiam, & secundumtotum corrumpi dicuntur. Quæ uerò secundum partem, proprieque uocata putredine inficiuntur, non secũdum totum, sed aliqua ex parte a suo naturali temperamento dimouentur: cum quo tamen forma substantialis adhuc consistere ualet, ut ex elementis contingit, quæ hac putredinis specie corripiuntur.

Postrema denique ratio leuissima est. Nam cum inquit; definitio hæc dubia, atque ambigua est, igitur definitio esse non potest, cum definitiones apertas, conspicuasuè esse oporteat. An definitio hæc obscurior est, quam illã putredinis definitio, [Putredo est finis corruptionis naturalis,] quam putredinis naturalis ex Aristotele definitionem esse existimauit, certè non, cum in metallis uix mente concipi queat, quæ nam sit hæc naturalis corruptio, cuius finis est putredo, & tamen secundum ipsum definitio est, prætere a, nonne putredinis definitio posterius allata, Quæ est, [Naturalis caloris corruptio in unoquoque humido ab ambientis calore] ambigua est? cum de uerborum sensu quæ in ea definitione ponuntur, philosophi, & medici adhuc inter se certent. Alij

enim

enim nomine caloris naturalis, substantiam. Alij patibilem qualitatem interpretantur. Alij, nomine Ambientis caloris, Aeris & Aquæ duntaxat intelligunt. Alij uerò non solum hunc, sed quicquid in natum mixti calorem circum ambiunt, ut aeres, fumososq. uapores exponunt, & tamen à numero definitionum minimè reijcitur, quid multis opus? quàm dubia, quàmue obscura est hæc Animæ definitio, [Anima est actus primus corporis naturalis potentia uitam habentis) cum circa eam tam uariæ, tamuè discrepantes sint expositorum sententiæ, & tamen neminem comperi, nisi forte Meum Erastum, qui eam definitionē non esse affirmare ausus sit; præterea hæc definitio satis clarum apertumque sensum habet. Nàm cum dicitur, proprie uocata putredo, corruptio est secundum partem, recessusque a propria rei natura, sensus est, putredo proprie dicta, corruptio est secundum quid, in quodam temperamenti recessu consistens, prout a putredine & corruptione secundum substantiam contradistinguitur, quæ dicitur corruptio secundum totum: illa autem propositio quæ ab ipso affertur, Definitiones dubiæ ambiguæque esse non debent, non ità audienda est, ut uulgaribus, imperitisque hominibus etiam manifestæ sint, studuit enim Aristoteles, ut etiam nouit Erastus, pro maiestate, moderata quadam obscuritate uti. sed intelligitur, ut nullam æquiuocationem retineant, sic enim opus suum non præstant, ac proindè naturam definitionis non habent. nunc tertium Theorema aggredior.

An putredo secundum partem, Alteratio sit, aut substantiæ corruptio, quibusuè accidit, & Quando.

NOn leuis inter Nos de re hac controuersia est, putauit Erastus, quin immo contra, Nos acerrimè defendit, Putredinem, quæ dicitur corruptio secundum partem, substantiæ corruptionem esse, quod multis secunda hac disputatione p. 3. persuadere conatur, & primo sic, imaginarium est, & ab Aristotelis consuetudine alienum, cum de substantiarū corruptione orationem habet, corruptionem pro alteratione accipere, cum autem 4. Meteorum de substantiarum corruptione pertractet, quod sanè in dubium reuocare opus non est, proprièque uocatā putredinem, corruptionem appellet, igitur huiusmodi putredo, non alteratio, sed substantiæ corruptio dici debet, Verba insuper quæ contex. V. scribuntur, id ipsum facilè persuadent, ea autem sunt, omnia elementa putrescere, igne excepto: certum est autem, & ignem alterari, sicut

& cæ-

& cætera elementa, quamobrem si nomine corruptionis alterationem Arist. intelligeret, nec ignis a putredine immunis esset. tertio, non probè Aristoteles putredinem hanc corruptione definiuisset, si duntaxat alterantur res quas corripit, non autem uerè corrumperentur: corruptio enim pro uera corruptione, non pro alteratione accipitur, Accedit, putredo secundum partem fit per exitum caloris una cum humido, At quæ cum proprio humore natiuum calorem amittunt, ut reparari nequeant, non alterantur solum, sed longè grauius patiuntur, secundumsubstantiamque corrumpuntur. igitur & quæ putredine secũdum partem intereunt, non alterantur solum, sed secundum substantiã corrumpuntur. postremo hac utitur ratione, quam solum ait, ita propositum demonstrare, ut certius firmiusuè nihil postulari possit. ex rebus secundum partem putrefactis animalia generantur, sed ex rebus alteratis solum ut ex materia, non autem uerè corruptis animal oriri non potest. igitur quæ secundum partem putrescunt non alterantur solum, sed secundum substantiam corrumpuntur, ac proinde huiusmodi putredo non alteratio, sed uere corruptio est, hæc Erastus. quæ cum decimo hoc capite afferenda essent, capite primo non absque confusione in medium attulit.

Sed hæc Erasti sententia mihi nullo pacto probatur. primo quidem, quoniam corruptio substantiæ mutatio est secundum totum, ut primo de gener. 23. ab Aristotele proditum est, ubi corruptionem substantiæ per mutationem secundum totum definiuit. Iam uero proprie uocata putredo, corruptio secundum partem contex. 6. ab Arist. dicitur, igitur substantiæ corruptio dici non potest. Quod sane & illud clarius persuadere uidetur. Nam cum definitio & definitum conuertantur, uerum est dicere, corruptio substantiæ mutatio est secundum totum, igitur commeat. Mutatio secundum totum, igitur substantiæ corruptio est. quamobrem mutatio quę non fit secundum totum corruptio substantiæ esse non potest. Vndè penes id alterationem a mutatione substantiali eo loci Aristoteles distinguit, quoniam mutatio substantialis, est mutatio secundum totum. Alteratio uerò secundum totum mutatio non est. cum autem propriè uocata putredo, corruptio sit secundum partem, non autẽ secundum totum, non secundum substantiam, sed penes accidentia mutatio dici debet. & hoc est, quod priore mea disputatione intellexi, quod nullo iure carpitur ab Erasto, cum dixi, primo de gener. mutationem secundum partem, si absolutè loquamur, mutationem in Accidentibus Aristotelem intellexisse, quæ a mutatione secundum totum

tium distinguitur, quæ substantiæ generatio, atque corruptio est.

Secundo & principaliter, si putredo secundum partem, secundum substantiam corruptio est, aut eadem est, cum putredine posterius definita, quę est corruptio caloris in humido, aut reipsa distincta, eadem quidem esse non potest, quoniam putredo posterius definita fit per dissolutionem in terram, & elementa, ut ex eius definitione liquidò constat: putredo uerò secundum partem non dissoluit in elementa, ut ipse quoque fatetur p. 3. si uerò diuersa est, tres erunt putredinis species inter se distinctę. Naturalis una, quę secundum ipsum à posteriore distinguitur quę est corruptio caloris in unoquoque humido: & altera, secũdum partem, quæ ab utraque diuersa erit. cuius tamen oppositum scribit, cap. primo p. 3. quamobrem alterum duorum fateri necessariò cogitur, aut tres putredinis species esse secundum substantiam, aut putredinem secundum partem, Alterationem esse, eligat meus Erastus quod sibi magis lubet. Postremo ne hac in re longius morer, eam accipio propositionem, qua contra Nos usus est ad probandum corruptionem esse secundum substantiam, quæ huiusmodi est, [imaginarium est, & ab Aristotelis consuetudine maxime alienum nomine corruptionis pro alteratione uti,] sed si ità est, satis igitur erat nomine tantum corruptionis uti, quæ proprie corruptionem significat. opus ergo non erat, dictionem illam adÿcere [secundum partem] cùm non solum redundantem Aristotelem faciat, sed rem ipsam multo magis obscuram inuolutamque reddat, sine qua multo clarior extitißet, si uoce corruptionis tantum usus fuißet. Cum itaque conditionem illam diminuentem (uidetur secundum partem) addiderit, aliud quàm substantiæ corruptionem intellexisse affirmare oportet.

Ea propter multo uerius dicendum puto, Proprie uocatam putredinem, alterationem Accidentariamue quandam mutationem, tantùm esse, prout recessus quidam est à naturali temperamento. Accidit autem, hæc putredinis species elementis, igne excepto, ut philosophus ait. 4. meteorum contex. 5. communis quoque est, humoribus ipsis prout mortificæ causæ sunt. hi enim prout a naturali eorum temperamento dimouentur, corrumpi secundum partem, putrescereque dicuntur, (prior autem putredo hæc ab Aristotele uocatur, non quia uere putredo sit, uere enim putredo est, quæ mixti ut mixtum est affectio, quæue mixtorum generationi sese opponit. Sed propria dicitur, idest, peculiaris quædam putredinis species, quæ elementorum est, ut uerba illa Aristotelis loco nuper citato hunc sensum habeant, (atque propriæ putrescũt,

elementa &c. idest, elementa peculiari quodam putredinis modo longè dispari ab eo, quo mixta sunt, putrefiunt, cum uidetur secũdum partem, idest secundum quid corrumpuntur, & a naturali eorum temperamento recedunt, sed quando putredo hæc elementis contingat, non conuenit inter Nos. enim uerò elementa tribus modis considerari poßunt, primo, ut simplicia, puraque sunt, secundo ut ex puris impura redduntur, et cum alienis corporibus commiscentur: tertio, ut iam commixta sunt. Erastus contrà Nos acerrime tueri conatus est, elementa, neque primo, neque secũdo modo putrescere, sed cum iam mixta sunt, tunc enim cum corrumpuntur, in aliaque mixta mutantur, putrescere dicuntur. si quidẽ putredo, inquit est affectio mixti ut mixtum est, ac proinde elementa nõ putrescunt, nisi cum actu mixta sunt. Sed fallitur, quoniam omnis putredo quæ est affectio mixti ut mixtum est, fit per dissolutionem in elementa. siquidem unumquodque in ea dissoluitur, ex quibus componitur. iam uerò elementa, cum putrescunt, in elementa non dißoluuntur, ut rei euidentia ostendit, igitur ut mixta sunt, minimè putrescunt, quamobrem elementa tunc putrescere dicuntur, cum ex puris simplicibusque impura fiunt, alienisque uaporibus adulterantur. tunc enim à naturali eorum temperamento dimouentur. cum autem permixta sunt, iam putrefacta sunt, nec amplius putredine inquinãtur. hinc fit, quòd ignis cum nihil quicquàm sibi commisceri permittat cũ ui suæ actionis omnia dissipet, a putredine liber, atque immunis existit. Neque illud ab Erasto uerè dicitur, omnẽ putredinẽ mixti ut mixtum est, affectionẽ esse, id enim de putredine duntaxat uerũ est, quæ est corruptio secundum totũ, quęuè dißoluit in quatuor elementa. Hinc facilè intelligi potest, inter elementorum, mixtorumque putredinem maximũ discrimen existere. primo quidem, quoniam, ea quæ mixtorum est, fit per dissolutionem, trãsitumque à mixto ad simplicia: elemẽtorum uerò p cõmixtionẽ, trãsitumque a simplici ad mixtum, 2. mixtorum putredo, secundũ subſtãtiã, ac proinde secundũ totũ corruptio ẽ. elemẽtorũ uero alteratio solùm ẽ, et corruptio secundum partem, Atque ex his probè ea seruantur omnia, quæ de mixtorum interitu 4. meteo. ab Arist. dicta fuere. primum, duas tantum esse mixtorum inanimorum corruptionis species. Naturalem unam, quæ putredo nuncupatur. Alteram uerò uiolentam quæ combustio dicitur, neque plures, quam hæ duæ contex. 3. ab ipso dinumerantur, Alterum est, duas tantum esse putredinis species, una mixtorum, quæ naturalis ipsorum corruptio est, mixtorumque generationi opposita, quæ modo per dominium passiuarum supra Agẽtes, modo per caloris naturalis

in humido, ab Arist. definita fuit, quæ licet non eisdem exprimantur uerbis, sensum tamen eundem habent. Altera uerò putredinis species elementorum peculiaris est, quæ solùm alteratio est, uiolentaque, cum recessus quidam sit a naturali ipsorum temperamento, Quibus ita constitutis, quam firmitatem habeant eius rationes, consideremus.

Et ad primam quidem dicimus, falsum esse quod in altera propositione accipitur, Aristotelem quarto libro meteo. uniuersaliter agere de putredine quæ est corruptio substantiæ quæuè est affectio mixti ut mixtum est, siquidem elementorum putredo; de qua eodem libro disseritur, neque substantiæ corruptio est, neque affectio mixti ut mixtum est. uerum quidem est ex præcipuo instituto de mixtorum putredine, quæ generationi opponitur, orationem habere, quę substantia corruptio est, quoniam uerò altera quædam putredinis species erat, elementorum peculiaris, eius Natura explicanda erat, ut naturalis putredinis mixtorum essentia conspicua magis fieret, ne uè una pro altera specie, non absque maxima confusione, acciperetur: quamobrem de elementorum putredine quæ alteratio est, quasi ex euentu eo libro Aristoteles pertractauit. Nec officit secunda, si quidem non quælibet elementorum alteratio, ut quæ fit per remissionem alicuius gradus ab opposita qualitate, putredo, dicitur. Sed alteratio elementorũ, quæ fit per cõmixtionẽ uaporũ, putridorumque corporũ quæ uel ex antris, uel ex nõ tumulatis corporibus eleuantur; ex quorum permixtione, & Aer, Aquæuè stagnantes putrescunt, putredo est. Quoniam uerò ignis ijs non commiscetur, sed propter summam agendi uim omnia consumit, & dissipat, propterea inter elementa unus tantum ignis a putredinis labe vindicatur. Ad tertiam autem dicimus, Aristotelem nomine corruptionis absolutè, absque aliqua adiectione substantiæ corruptionem intelligere, sed cum nomine utitur corruptionis cum dictione aliqua utpotè secundum Quid, aut Quadam, uel secundum partem, accidentariam mutationem accipere. cum itaque eo loci corruptionis nomine absolutè minimè utatur, sed cum hac dictione (secundum partem,) ex illo Aristotelis contex. oppositum potius quam propositum colligitur: Citra laborem, quarta ratio quoq; dissoluitur, siquidem illud apertè falsum est, quod affirmat Erastus, quæ putrescunt putredine secundum partem, per calidi, humidique egressum interire, etenim elementa putredine hac intereunt, non tamen per calidi, humidique egressum corrumpuntur, quod ex eo ostendi potest, quoniã in putredine, quæ fit per humidi egreßum, humidum a sicco dissoluitur. At cùm humidum a sicco diuellitur, remanet puluis, et terra, ut Aristo

telos

teles docuit 2. de ortu & interitu contex. 49. nec non in definitione putredinis, ex hoc quod putredo fit exeunte calore una cum humido, deduxit mixta putrescentia, in pulueres, & terram dissolui, quarè, ea quæ per egressum caloris & humoris intereunt, in terram, elemẽtaque dissoluuntur. iam uerò quæ putrescunt putredine secundum partem ut elementa, sunt, in elementa non dissoluuntur. quis enim affirmabit cum terra putrescit, pariter & Aer in pulueres & terram dissolui? quinimmo hoc p. 3. ipsemet affirmauit Erastus, inquiens inter putredinem naturalem & secundum partem id discriminis eße, quod ea quæ secundum partem putrescunt in terram & elementa non dissoluuntur, sicut ea quæ naturali putredine corripiuntur, igitur quæ putredine secundum partem putresiunt, per exitum calidi & humidi minimè corrumpuntur, unde, eodem capite primo breui quidem uerborum interuallo, medium accipit, quod cum altera conclusione pugnat. ad probandum enim putredinem secundum partem corruptionem esse secundum substantiam, ut medium assumit. Quæ putredine secundum partem intereunt, per egressum caloris, & humoris interire, in elementaque dissolui, quod tamen eodem capite, paulo superius inficias iuit. sed utinam, posteaquàm in contradictionem labitur, medium accepisset, quod uim demonstrantem haberet, Tantũdem firmitatis etiam habet postrema ratio, quam inuictam eße affirmat. Nam licet, ex putrefactis secũdum partem animalia innascantur, ut ex putrescente Aqua, & terra, illud tamẽ a ueritate prorsus abhorret, quod addit, ex rebus alteratis solum, ut ex materia, non autem uerè corruptis animal procreari non posse. siquidem mixta omnia ex quatuor elementis ut ex materia oriuntur, non quatenùs secundum substantiam corrupta, sed prout solum alterata sunt, ut 2. de ortu & interitu contex. 48. docuit Aristoteles, ubi statuit in generatione mixtorum elementa non prorsus interire, sed solum alterari, atque iu summitatibus primarum qualitatum remitti. quinimmo p. 16. id concedit Erastus, quod si ex quatuor elementis vt ex materia, alteratis solùm, non autem uerè corruptis animalia procreari possunt, qui igitur uerum est, quod aßerit, ex putrefactis secundum partem, ut ex putrescẽte terra & Aqua alteratis solùm, non autem uerè corruptis animalia gigni non poße? prætereà, Naturam materiæ dictum Erasti penitus demoliri uidetur, uidelicet ex reliqua ut ex materia, non ut alterata solùm est, sed ut est uerè corrupta animalia generari, siquidem de ratione materiæ est, ut insit, secundumque substantiam permaneat, igitur quæ ex re aliqua ut ex materia oriuntur, ex ea non ut corrupta, sed ut alterata

solùm generantur, sed huius erróris causam eam fuisse opinor, quoniam ex putrescente cadauere animalia innascuntur, & tamen cadauer putre scens, non alteratur solùm, sed uerè corrumpitur, cęterum ex putrescen te cadauere non sicuti ex materia, sed ut ex termino a quo animalia oriuntur, ut ex materia uerò, ex portione Aquæ & terræ, aut humidi, & sicci, quæ in putredine mixti dissoluuntur, prout a calore terminantur, simulque uniuntur, originem trahunt, quod satis apertè in fine capitis de putredine his uerbis Arist. declarauit, [segregata caliditas, naturalis existens prout constare facit segregata, ut humidum, & siccum animalia producit, [quarè materia ex qua animalia innascuntur non putrescens cadauer est, quod interit, sed humidum, & siccum, uel terra, & Aqua, prout alterationem quandam solùm suscipiunt, a calore scilicet terminantur, & uniuntur: & hæc satis.

In undecimum Erasti Caput Animaduersio.

QVoniam de modo putredinis naturalis non conuenit inter Nos, Erastus priore sua in opinione persistens, cap. xi. asseruit Naturalem putredinem ab interno mixti calore proficisci, Ambientis caliditate coadiuuante, cuius sanè opinio ut cõspicua magis reddatur, ad tria Theoremata redigetur, quorũ duo ad causas, pertinent, tertium uerò ad modum. Primum est, Naturalem putredinem quæ simplici mixtorum generationi opponitur, ab interno mixti calore, ut a causa præcipua proficisci, Alterum est Naturalem putredinem ab externa Ambientis caliditate prodire, ut a causa sine qua non, prout naturalem mixti calorem agentem adauget, postremum illud est, Naturalem putredinem fieri per actionem caloris interni in humidum, ipsum consumendo, ad cuius consumptionem, & ipse calor tandem consumitur, & marcescit, primum sanè theorema hac potissimum ratione persuadet. Omnis naturalis mutatio ab interna causa proficiscitur. non autem ab externa, etenim quicquid externa causa in mixtis inducit, uiolentum est, iam uerò putredo mixtorum generationi opposita naturalis est, ab interna igitur causa proficiscitur, quæ alia non est, quam internus mixtorum calor. porrò Erastus animo consequi minimè potuit a causa externam naturalem mutationem prodire posse.

Cæterum primum hoc theorema ab Aristotele dissentit, quoniam si naturalis putredo ab interno principio proficiscitur, Naturã putredinis

Aristoteles

Aristoteles perfectè non declarasset, quin immo eam uix summis labijs attigisset, siquidem internam agentem causam, quæ præcipua putredinis causa est, silentio prætermisisset, ac si ad putredinis naturam non attineret. remotam uerò, & causam sinequa nō, quæ, ut ait, est Ambientis calor, explicaßet, quod an Aristot. rationique consentaneum sit, aliorum estò iudicium, sed huic rationi. qua alias etiam usus fuit, p. 70. ita respondet Erastus, Aristotelem præcipuam putredinis causam silentio minimè transegiße, sed satis euidenter eam indicasse, Nam cū contex. 3. statuißet naturali mixtorum generationi contrarium maximè patens naturalem putredinem eße, simul etiam præcipuam naturalis putredinis causam explicauit, quoniam cum huiusmodi putredo, naturalis sit, necessariò ab interna causa proficiscitur. Responsio hęc peripatetico viro digna non est, siquidem non valet, neq; necessaria illatio est, putredo, aut quæuis alia mutatio naturalis est, igitur ab interna causa agente proficiscitur, quoniam cum antecedente stat oppositum consequentis, vt aperta est Aristotelis sententia 8. phis. contex. 27. ubi sic scribit, (Quæ ab externo mouentur principio quædam secundum naturam, quædam verò præter naturam mouentur,) igitur mutatio naturalis esse potest, & ab externo principio proficisci, quò fit, ut minimè uerum sit quod ait Erastus, Aristot. cum statuit putredinem naturalem eße, necessariò statuisse ab interno principio promanare, cum indiferenter ab interno, & ab externo principio prodire possit, prętereà estò, Aristotelem, cum statuit putredinem naturalem esse, statuere quinetiam ab interna causa agente proficisci, cur obsecro Erastus internam hanc causam potius naturalem mixti calorem, quam internam frigiditatem constituit? cum philosophus 4. Meteo. contex. 2. de his mixtorum affectionibus sese acturum decreuerit, quæ a calore & frigore ut agentibus proficiscuntur, quarè cū naturalis putredo quæ est affectio mixti ut mixtum est, tum calorē, tùm frigiditatem ut effectricem cauā habeat indifferenter, igitur non solum ab interno mixti calore, sed ab interna quoq; eius frigiditate induci potest, ac proindè ex illo antecedente, putredo est naturalis non magis internus calor, quam interna frigiditas inferri potest. Quibus & illud adijcere potes, naturalem putredinem ab ea quæ posterius definita fuit, re diuersam non eße, ut antea ostensum fuit. cum autem, illa ab externo ambientis calore, ut a causa præcipua dependeat, ut ipse concedit, igitur & naturalis putredo idem externum Agēs ut præcipuam causam habet, quamobrem resolutè dicendum puto, Naturalem putredinē ab externo Ambientis calore, cōcurrente tamē

interna frigiditate, induci, internum autem mixti calorem in putredine nihil quicquam agere, sed duntaxat a dictis causis pati, atque corrumpi.

Hinc secundum quoque Theorema diluitur, cum ait, Ambientis calorem, ut adiuuantem causam in putredine efficientiam habere, prout mixti calorem fouet, atque adauget. Nam præter id quod ostensum est in putredine præcipuas partes habere, illud procul abest a uero natiuum mixti calorem fouere, & adaugere, cum potius eum imminuat, languidioremque reddat, quod sanè in corporibus nostris ipsa rei euidentia ostendit, per æstum enim calor innatus ab eo qui ambientis est, languescit, & imminuitur, ac proindè per ea tempora debiliores concoctiones fiunt, per hiemem uerò ob circunstantem Aeris frigiditatem internus calor uim maiorem acquirit, & propterea per illud tempus multò melius coquit, alimentaque conficit, sicut primo Aphoris. magnus ille Hipocrates his uerbis testatus est, (Ventres hieme, & uere calidissimi sunt natura,) non dixit autem æstate, illud apertè nobis indicare uolens a calore externo natiuum calorem languescere, atque Ventres potius refrigerari: præterea in putredine posterius definita, a calore Ambientis internus mixti calor effluit, exteriusque euocatur, ac proindè imminuitur. etenim per egressum calor non augetur, sed deficit, & imminuitur, igitur & in putredine naturali calor mixti ab Ambientis calore exterius euocatur, ac proindè non augetur, sed potius imminuitur. An dicet Erastus, in putredine posterius definita calorem externum, insitum mixti calorem exterius euocare, ac proindè languidiorem reddere, in putredine uerò naturali non idem efficere? Hanc dementiam certè dicturum non puto, quoniam cum utrobique per naturã agat, similemque actionem exerceat, similem quoque utrobique effectum producet. In putredine enim posterius definita ideò externus calor mixti naturalem calorem exterius euocat, quoniam calefacit, calefaciendo autem rarefacit, rarefaciendo autem reserat mixti meatus, quibus sanè reseratis internus calor effluit, exteriusque euocatur. cum autem, & in naturali putredine similem actionem exerceat, & in hac naturalem calorem, exterius ducet, ac proindè ipsum nõ augebit, ut ait, sed diminuet potius atque demolietur, Denique si aliena Ambientis caliditas ideò ut naturalis putredinis causa ponitur, quoniam mixti calorem fouet, augetque, pariter & externa frigiditas in naturali putredine ut causa statuenda erit, siquidem & ipsa calorem internũ roborat, & fouet, quã tamen inutilẽ, putredinique minimè opportunam repellit.

Cæterum hoc loco illud minimè prætereundum est, quod scribit p.

69. quod licet externa ambientis caliditas internum calorem adaugeat, non tamen ita adaugere debet, vt citius humidum suum consumere cogat. Sed vt paulatim tardiusque illud absumat, quoniam si primo modo fieret putredo non naturalis, sed violenta foret. At id omnino ridiculum est. Siquidem modi, rei essentiam non euariant, velox autem & tardum modi quidam sunt, igitur motus naturalis essentiam non euariant, porrò motus deorsum lapidis, quandoque velocior, quandoque verò tardior existit, & tamen uterque naturalis est, neque uelocitas violentiam inducit. Nunquam enim ab Aristotele dictum comperimus, nec dici ab eo potuit, Naturalem, violentumque motum à velocitate, & tarditate desumi, sed ex principijs motus agente scilicet & subiecto. Violentus etenim motus est, qui ab externo pendet agente, ad motum passo vim non conferente, vt scribitur 3. ethic. c. 3. Motus autem Naturalis est qui ab interno principio manat, uel ab externo, ad motum passo propensionem habente. Quamobrem putredo siuè velocius, siuè tardius fiat, semper Naturalis erit.

Ex his quæ superius tradita sunt, postremum quoque Theorema collabitur, quod ad modum putredinis spectat. Nam cum ab interno calore putredo minimè oriatur, igitur per actionem interni caloris in suum humidum haud efficitur. Summo prætereà crimine esset Aristoteles accusandus, vt potè qui ex præcipuo instituto de naturali putredine tractare instituisset, eius tamen modum non explicarit, qua in re ab Argenterio iurè Aristoteles carperetur, qui naturalis putredinis modum silentio prçterierit. quin immo, quid certè turpius est, uiolentæ putredinis, quæ ex Erasto ea est quæ posterius definitur, modum apertissimè declararit, cum dixit, (putredo fit per exitum Naturalis caloris cum humido propter calorem Ambientis,) naturalis autem putredinis modum ne uerbo quidem attigerit, sed nè dum in singulis id docere volo, æquo sim longior, vltimam hanc duntaxat rationem afferam, quæ Erasti sententiam de modo putredinis falsam eße apertissimè demonstrat Aristoteles 4. meteorum contex. 3. declarans, quando mixtis accidat putredo, sic inquit, (Mixtorum generatio fit, cum agentes qualitates, calor præsertim patientibus qualitatibus dominantur. Naturalis autem putredo ei opposita fit, cum econtrà patientes qualitates, humidumq; præsertim agentibus dominantur) iam uerò si naturalis putredo per humidi consumptionem a naturali calore efficitur, igitur in naturali putredine humidum interno calori non dominatur. nam cum continuè humidum ab eo absumatur, continuè remittitur, ad cuius consumptionem

& ipse

& ipse calor marcescit, & imminuitur, quamobrem ex Erasti sententia naturalis calor in putredine humidi imminutionem præsupponit, cũ ad humidi consumptionem deinceps & ipse calor diminuatur, ex Aristotelis autem sententia(cum in putredine humidum dominetur calori) humidum naturalis caloris inopiam, diminutionemque præsupponit, quò fit, ut putredinis modus ab Erasto assignatus, cum Aristotele apertissimè pugnet, Neque ab hac ratione euadere potest Erastus, ut dicat, Illa uerba Aristotelis in contex. 3. non declarare Quid sit Naturalis putredo? Quoniam licet post mutatam sententiam uerba illa, Quid putredo sit, secundum ipsum non explicent, attamen quando mixtis accidat, declarant, eius uerba p. 25. ita habent, [dominium passiuarum suprà agentes, tametsi uerba hæc non quid ipsa putredo sit: tamen quando mixtis accidat, declarant, nec pudet, nec piget me correctionis &c.] Quamobrem statuendum est, putredinem fieri per exitum, & egressum naturalis caloris unà cum humido à calore Ambientis ut a causa prima, Non secus ac putredo posterius definita, cum præsertim eandem subeant naturam. Hinc omnia ea seruantur accidentia, quæ eo loci ab Arist. recensentur, propter exitum naturalis caloris humidum calori dominari, interminatumque reddi, a terrestriuè sicco diuelli, subindè quæ putrent propter humidi egressum, primum humida, mox arida, tandem in terram & elementa dissolui.

Ad Erasti autem rationem, qua putredinem ab externa causa fieri non posse probauit, tametsi alias responsum sit, dicimus autem, & Nunc, non omnem mutationem quæ ab externa causa proficiscitur, uiolentam esse, sed quæ non conferente uim passo, hoc est, contrà patientis inclinationem efficitur, vt 3. ethic. cap. 3. proditum est: iam uerò putredo licet ab externa causa inducatur, quia tamen secundum mixti propensionem fit, quoniam sicut ex elementis per generationem concretum est, ita aptum natum est per corruptionem in elementa dissolui, propterea putredo naturalis existit. Sed nostræ huic responsioni p. 81. sese opponit Erastus, primo quidem, quoniam cum de naturali ratione putredinis sermo est, de habilitate non quęritur, nisi fallor, intelligit naturalem mutationem non penes habilitatem consistere, sed penes agentem causam, ac proindè cum de naturali putredine quęritur, non de habilitate, sed de causa agente inquiritur. Addit, si patiẽs, subiectumque satis ad hoc esset, ut putredo, naturalis dici posset, etiam combustio naturalis foret, siquidem mixtum potentiam habet ut comburatur. Nec minus, ait, habile mixtum est ut per ignem in eo humi-

dum,

dum, separetur a sicco, quam ut ab Aeris calore alterum ab altero diuellatur: Aristoteles sanè tale figmentum, ne per somnum quidem unquam uidit, nedum dixit, hæc ille contrà responsum.

Nunc mihi certè persuadeo, Erastum satis oscitanter Aristot. perlegisse, primò quidem Aristoteli aduersatur, cum illud assumit, naturalem mutationem penes rei habilitatem non consistere, quoniam, ut 8. libro phis. contex. 27. ab Aristot. scribitur, quæ ab externo mouentur principio alia secundum naturam, alia uerò præter naturam mouentur. iam uerò duæ istæ differentiæ, (secundum Naturam, & præter naturam) in hac diuisione, non penes agentem causam accipiuntur, siquidē ambæ ab externo agente proficiscuntur. igitur ex diuersa mobilis dispositione desumuntur, quoniam scilicet alia secundum mobilis inclinationem. alia uerò contra mobilis inclinationem, & habilitatem mouentur. quod sanè tertio illo & hic Aristoteles indicauit, cum inquit, motus uiolentus est qui ab externo pendet agente, non conferente uim passo, non enim absolutè dixit, motum uiolentum esse qui fit à mouente externo recordatus eorum quæ scripta fuerunt octauo phisic. 27. quod ab externo principio quædam secundum naturam, quædamue præter naturam cientur, quamobrem uiolentia, & naturalitas in mutatione ex diuersa mobilis dispositione sumuntur; cæterum putredo non ex sola mixti habilitate, sed etiam ex causa agente naturalis est, quoniam ab interna frigiditate proficiscitur. cum autem addit, mixtum ad combustionem quinetiam aptitudinem habere, & tamen combustio naturalis mixti corruptio non est, Turpiter Vir iste, potentiam cum aptitudine cō fundit, cum tamen maximè inter se discrepent, ubi enim aptitudo inest, ibi quoque potentia reperitur, non tamen commeat, in corpore graui potentia quidem est, ut sursum feratur, cum id ei impossibile minimè sit, non tamen in lapide, cum sursum mouetur aptitudo, habilitasque ad illū motum reperitur. qđ etiam declarauit Auicennas 6. Natur. Cap. v. iam uerò licet mixto ad combustionem potentia insit, non tamen ad hanc aptitudinem, propensionemque habet, ex quā naturalis mutatio redditur, & proindè combustio mixto naturalis non est. Neque illud uerè dicitur. Nō minus mixtū esse, ut per ignē in eo separetur humidum a sicco, quam ut ab Aeris calore unum ab altero diuellatur, si quidem a calore Aeris humidum, a sicco tantum diuellitur. Nec mixtum cum humido in naturam Aeris corrumpentis conuertitur, per ignem uerò non solum humidum a sicco disiungitur, sed una cum mixto in naturā ignis comburentis conuertitur. Iam uerò mixtum; humidum & siccum, aut elementa ex

quibus mixtum concretum est, habilitatem non habent, ut in alterius elementi naturam conuertantur. Sed sicuti in mixti generatione unita fuerunt, ità in eiusdem interitu apta nata sunt inuicem tantum dissolui, non autem in alterum agens commutari.

In XII. Erasti Saput, Animaduersio.

TAmetsi ex his quæ superius, nec non priore disputatione explicata fuere, superq; satis Erasti sententia mihi reiecta uideatur, qui mixta ut mixta sunt, Animantiaq; similem secundum naturam habere intereundi modum existimauit, quia tamen c.xii. nouis quibusdam rationibus suam sententiam tueri nititur, eam iterum expendere necessitas cogi. principio autem illud admonet, non rectè a me decretum fuisse, naturalem animantium interitum per humidi absumptionem fieri à calore innato, nihil ad corruptionẽ, hanc uel externo calore, uel interno frigore conferente, cui sanè obiecto quomodo sit respondẽdũ, inferius explicabo. interim eius rationes in medium affero, quibus sententiam suã cõfirmat. prima ità habet, in animalibus calor in humidum agit, illudque absummit, igitur & in mixtis inanimis idem efficit. nõ enim ratio aliqua afferri posse uidetur, cur in animalibus id efficiat, in mixtis uerò nequaquàm, cum præsertim & in his, & in illis eiusdem naturæ sit, quod si in utrisque calor idẽ agit, igitur et mixtorum, & animantiũ naturalis interitus propter humidi consumptionem ab interno calore efficitur Idem secũdo ex Arist. persuadet 4. meteo. contex. 2. ubi sic inquit, naturalẽ generationẽ, putredinemq. ei oppositam plantis, Animalibus, ipsorumq. partibus inesse, iam uerò horum partes ut mixtæ sunt naturaliter intereunt, prout calor suum humidũ paulatim uastat, & cõsumit. igitur & in alijs mixtis inanimis idẽ fiet, cũ ex eisdem conflata, ab eodemq. calore genita sint. Deniq. in mixtis & animantibus calor innatus est eiusdẽ Naturæ, ex elementorũ attemperatione ortũ ducens, ut rei ueritas est, & inter nos conuenit. igitur necesse est ut in utrisque eodem modo intereat, ac proindè in Animatis, animaque carentibus naturalis corruptio propter caloris defectum, ex humidi absumptione efficiatur.

Sententia hæc Arist. contra se habet, siquidẽ libro de respir. c. 7. in naturali animantiũ interitu, naturalis caloris corruptionẽ ex seipso Arist. factã esse affirmat, prout humidũ sibi præripit, quo conseruatur, in putredine uerò mixtorũ naturalis caloris corruptionẽ propter Ambiẽs inductã essẽ, ut 4. meteo. edocuit contex. 3. nec naturalẽ putredinem de

qua

qua inibi, ex Erasti quoq. sententia loquitur Arist. in nullã aliã causam quàm in Ambientis caliditatem refert. cuius uerba hæc sunt, (putredo aũt fit cũ patientes qualitates agentibus dominantur, propter Ambiẽs quamobrem cũ in animantibus & mixtis naturalis calor non eodem modo intereat, igitur in utrisq; naturalis corruptio nõ eodẽ modo efficitur) præterea Mors, naturalisq. animantiũ corruptio fit propter impotentiã respirandi, ut lib. de iuuent. & senect. c. 3. ab Arist. proditũ est, ubi hęc habet, [est etiam quandoq; ignem marcescere, ampliore ob id calore collecto, quia neq; spiraminis quicquàm habeat, neq: refrigerii, ita enim plurimus in se collectus, alimentum celerrimè sibi præripit, & absumit,] quod etiam lib. de respir. his uerbis repetiuit, [cum calor uitalis nõ expirat, & refrigeratur, tunc enim idem, quod sæpe diximus seipsum consumit, temporis enim lõgitudine, in his pulmonibus, in illis uerò branchiis resiccatis, has partes mouere, hoc est attollere, & comprimere nõ possunt, intensioneq; accedẽte, calor obsolescit,] naturalis autem mixtorum putredo propter caloris respirationẽ inducitur. quinimò tantum abest, ut per prohibitã fiat respirationẽ caloris, ut potius mixta à putredine coherceantur. igitur in mixtis, & animantibus longè dispar, dissimilisq. est naturalis corruptionis modus, Quod etiam Arist. uerba apertissimè commostrant. Nam in naturali animatorum interitu, calor inquit, deficit ad inopiam, humidiq. defectum, igitur in animatorum interitu calor humidi defectum præsupponit, in naturali uerò mixtorum putredine, ut 4. meteo. docuit contex. 3. humidum dominatur. calori interno igitur in putredine humidum caloris interno defectum, inopiãq; supponit, secus humidum calori non dominaretur: Iam uerò si mixtorum putredo fiat pp caloris defectum ex cõsumptione humidi, non secus ac naturalis animatorum interitus; quonã pacto Dn. meus Erastus diligẽs Arist. obseruator, duo hæc cõciliabit, in naturali Animatorum interitu, Calor innatus deficit ad cõsumptionẽ humidiq; defectum, in putredine uerò caloris defectus inopiã, humidiq; dissolutionẽ antecedit. Quamobrẽ ex his resolutè dicendum est, naturalẽ animatorum interitum, mixtorumq; putredinẽ multò disparem, ualdèq; dissimilem modum habere : neq; unam ad alteram ullo pacto, ut falsò putat Erastus, transferri posse. porrò in morte naturali calor innatus ad humidi cõsumptionẽ, propter caloris actionẽ in ipsum marcescit: in putredine uerò internus calor interit ab externo ambiẽtis calore ut a cã prima, ad cuius defectum, humidum quasi suo iuri derelictum diffluit, atq; a terrestri sicco dissoluitur. illud duntaxat cõe inter se hẽnt, quòd utraq; fit propter naturalis caloris defectũ.

Sed hoc loco vnum summa dignum animaduersio ne occurrit, An in morte naturali externus calor, internaq; frigiditas aliquo pacto concurrant. Duo planè in morte naturali consideranda sunt, vnum est, caloris naturalis imminutio, quæ temporis tractu in animantibus ipsis continuè efficitur. Alterum uerò Natiui caloris corruptio secundum actum unà cum substantiæ Animantis interitu. Quo ad primum spectat, & externus calor, ingestaq; alimenta in quorum transmutatione simul calor in agendo repatitur, aliaq; permulta concurrunt, ex quibus indies natiuus calor lãguidior redditur, & ad interitum propterea pariter & in senecta si aliqua contingant quæ natiuum calorẽ aliquo pacto intendere possint, hæc in causa sunt, ut calor citius humidum suum sibi præripiat, atq; absumat, ac proindè calor ocyus corrumpatur, & in hoc sensu uerba illa Arist. intelligenda sunt, quæ lib. de respir. septimo c. scribuntur, quæ huiusmodi sunt, (Quo circà & paruis affectibus in senectute subortis, animalia cito commoriuntur. Nam quia calor exiguus est, ut qui plurimus per uitam quæ longa fuit, difflarit, si qua intensio illi parti superueniat, celeriter extinguitur, &c.) Quo vero ad secundum spectat, neq. externus calor, neque internum frigus, aut ulla alia causa concurrit, sed duntaxat ex humidi consumptione propter natiui caloris actionem in ipsum calor interit, Morsque naturalis oboritur, & hoc pacto loco nuper citato Arist. intellexit, cum dixit, naturalem animatorum corruptionem fieri propter natiui caloris interitum a seipso, ac proindè cum absq. uiolentia fiat, huiusmodi Mors naturalis, quæ in senecta accidit, per humidiq. absumptionem efficitur, dolori obnoxia non est, citrauè ullum sensum animalibus accidit, quæ vè fatalis v. phis. contex. 52. ab Arist. appellatur, & in hoc sensu mea sententia intelligenda est, cum dixi, mortẽ naturalẽ ab innato calore tantum induci, propter humidi consumptionẽ ab ipso calore profectã, neq. externo calore, neq. interno frigore, aut alia causa concurrente, quę sanè nullo iure carpitur ab Erasto nõ enim exterius calor concurrit, nisi remotè prout partes cõtinuè resiccat, pulmones uidelicet et quæ horum uice subrogantur, quibus, innatus calor refrigerari non potest, unde intensior factus humidum absumit, ex quo & calor ipse marcescit, minus interna frigiditas concurrit, quoniam Mors naturalis ex contrarijs ut pote ex tabe, et exstinctione composita esset, quod Aristot. eo libro de respir. aduersatur. prout enim a calore innato humidum consumente proficiscitur, tabes est, ut uerò a frigore promanat, exstinctio est, quo fit ut ad interitum caloris innati in morte naturali frigiditas nullo pacto efficientiam habent.

Hinc

Hinc facilè intelligi potest, inter naturalem animatorum interitum, & mixtorum inanimorum quam maxima differẽtia sit, porro naturalis animatorum interitus ab interno calore promanat, mixtorum uerò a calore externo, horum quoq; interitus internam frigiditatem ut causam habet, quæ in animatorum corruptione nullas habet partes. in horum præterea corruptione natiuus calor ad humidi consumptionem deficit. In mixtorum uerò humidum deficit ad defectum caloris, qui ab alieno calore dissipatur, ut anteà ostensum fuit, tandem in animãtium interitu non fit dissolutio in pulueres & terrã, sicut contingit in naturali mixtorum interitu, quibus modò sic constitutis, non satis arduum est, Erasti rationibus respondere. & ad primam dicimus, quid licet in Animatis rebus natiuus calor in humidum agat, in mixtis tamen inanimis in humidum minimè agit. Cuius rei illud est argumentum, quoniã in his opus nõ est, repẽdi, aut instaurari quicquam, etenim si in his internus calor in humidum ageret, ipsumq; continuè dissolueret, cum Natura in neceßarijs nõ deficiat, eis aliquid adhibuißet, quo id quod effluit instaurari ualeret, pro conseruatione mixtorum. Ratio uerò cur in horum humidum non agat, ea afferri potest, quoniam in his calor satis exiguus, imbecillusque est, ut tantumdem uirium habeat, quantum unionem humidi cum sicco seruare posit. Neq; illud uerũ est, quod secundo loco addit Arist. 4. meteo. contex. 2. aßeruisse, stirpium, Animaliumque partes ut mixtæ sunt naturaliter interire, prout ipsarum calor internus humidum suum depascitur. Sed intelligit eodem modo interire, quo & animalia, & stirpes secundum naturam intereunt, per corruptionem caloris naturalis in humido a calore Ambientis. obseruent autem studiosi eo loci stirpes & Animalia Arist. accepisse, non ut Animata sunt, siquidẽ ut Animata sunt, non per terminationem, patientiumq; qualitatum unionem generantur, sicut eo libro generari dicuntur, sed per participationẽ Animæ à calido naturali, ut lib. de resp. c. 7. ipsemet Arist. testatum reliquit. Sed vt mixta sunt, ab Arist. accipiuntur. Neq. postrema quicquam urget, quoniã tametsi in omnibus calor eiusdẽ sit Naturæ, quod et ipse concedo, ut tracta. de calore innato alias declaraui, nõ tamẽ in omnibus eodẽ modo corrumpitur, porrò in igne a suo cõtrario corrũpitur. In animantibus & a contrario corrumpi potest, & ex humidi consumptione dissoluitur. In mixtis verò inanimis à calore Ambiẽtis, & etiã a contrario. Quod si quispiã dixerit, Vnius Naturæ unicus dẽt esse intereundi modus, igitur cũ unius naturæ sit calor in oĩb. unicum tãtum habere debet intereũdi modũ. soluitur, vnius Naturæ unicũ eße p se corruptionis

nis

tis modũ, ex accidẽti uerò plures esse corruptionis modos. iã uerò calor unicum tãtũ hẽt ꝑ se, corruptionis modum, q̃ quia à cõtrario efficitur, cæteri uerò, siuè ex humidi defectu, siue à calore externo, siuè ex suffocatione, ut excrementorum exuberantia, ex euentu sibi conueniunt. hæc satis cæterum quia 13. cap. nihil ponitur, quod animaduersione opus habeat, in eo immorandum non est, ea propter ad 24. caput statim me confero, non secùs ac à Dn. Erasto factum est.

In 14. Erasti Caput. Animaduersio.

Q*Voniã quæ de putredinis speciebus desiderari poßunt, ex his quæ superius explicata fuere, cumulatißimè haberi queunt, ea propter hac in re paulũ immorabor, omniaq; ut breuior oratio futura sit, disputatioque ad exitũ perducatur, ad capita reuocabo. Principio, cõuenit inter uos differentias, speciesque putredinis duas tantum existere, unam, quæ naturalis est generationique mixtorum opposita. Alterã uerò uiolentã, quæ corruptio secundum partem uocatur, quas perpendens Erastus, inquit, quadã habere cõmunia quibus conueniũt, quadã uerò ꝓpria, quibus inter se distinguntur cõmune quidẽ habẽt, ꝙ ambæ uerè corruptiones sũt. Ambæq; mixtorũ affectiones ut mixta sunt: Discrepant autẽ inter se, quoniã naturalis putredo ab interno principio promanat, At, quæ secundum partem corruptio est, ab externa uiolentaque causa inducitur. Inter se præterea differunt, inquit, quoniam in naturali putredine nihil quicquam generatur, cum in elementa dißoluat, in ea uerò quæ secundum partem uiolentaque est, animalia plurima innascuntur.*

Sed quot Erasti dicta sunt, totidẽ quinetiã sunt errata, & ab Aristotele aliena, Illud in primis falsum est, utranq; putredinis speciẽ uerè corruptionẽ eße, ut capite ꝓprio ostensum est. Naturalis.n. putredo cũ generationi opponatur substãtiæ corruptio ẽ, putredo uerò secundum partẽ, Alteratio duntaxat existit. Illud ꝑterea falsum est, putredinẽ secundum partẽ q̃ elemẽtorum peculiaris est, mixti ut mixtum est, affectionẽ esse, elemẽtaq; ut iam mixta sunt, putrescere, ut antea declaraui, Nec nõ illud ut maximè falsum reieci, Naturalẽ putredinẽ ab interno principio ꝓficisci, externum uerò calorem, ut causam accidentariam, & adiuuantẽ concurrere. Cæcutire ea in re mihi maximè uidetur, cũ p. 87. scribit, in naturali putredine animalia oriri non posse, quoniam in hac in elementa dissolutio efficitur, at in uiolenta, q̃ est corruptio caloris in humido, aĩalia ꝓcreari, quoniã q̃ hac putredine intereunt, in elemẽta nõ dißoluuntur.

primum

primum quidē aberrat, cum inquit, putredinē, quæ est corruptio caloris in humido, non fieri per dissolutionem in terram, & elementa, cum in eius definitione Aristoteles apertissimis uerbis oppositum affirmet, ut mirum sit uirum Aristotelicum illa non uidisse. Aberrat secundo. cum ait, In naturali putredine Animalia oriri non posse, quoniam fit per dissolutionem in elementa, igitur ob eandem causam neque in putredine posterius definita animalia oriri poßent, cum & huiusmodi putredo in elementa dissoluat. At cùm in ea, ut in fine illius capitis de putredine Aristoteles scribit, Animalia innascantur, igitur dissolutio in elementa in putredine animalium ortum minimè prohibet. Hinc admirari desinet Erastus ex tot differētijs, quę inter putredinis species ab ipso allatę fuerunt, quasdam solùm ego tetigerim. Nō enim ea causa fuit, ut scribit p. 57. cuius uerba hæc sunt [Cur hoc nescio quidem, sed magnam lectori suspicandi occasionem præbuit, quasi uideret, se apertè eam refutare nō posse,] hæc ille. At ea ratio fuit: quoniā cum eas maxima ex parte futiles, inanesque eße animaduerterim, quę oppugnari non merebātur, ex industria illas silentio prætermisi. Illud Aristotelis insecutus decretum, de quolibet proferente contraria sollicitum esse, stultum est.

Quid ergo dicēdum? fateor ego duas tantū esse putredinis species, una quæ mixtorum est generationi opposita, quæ est naturalis caloris corruptio in humido ab Ambientis calore, quæuè dominium patientium qualitatū supra Agētes ab Aristotele antea uocata fuit. Altera uerò est, secundū partē, elementorum peculiaris humoribusque cōmunis, prout causę morbificę sūt, quę alteratio tantum ē, recessusq; a proprio ipsorum tēperamento, ac propterea uiolenta sicuti duæ tātum sunt ēt mixtorum inanimorum corruptionis species, ut 4. meteo. contex. 3. Aristoteles docuit. Vna quidē naturalis quæ putredo uocatur generationi mixtorū latissimè sese opponēs, Altera uerò uiolenta quæ cōbustio ab Aristotele dicitur, tametsi animatorū, Animaliumq; præsertim multo plures corruptionis differentiæ sint, ut morbo, suspēdio, combustione, nec non tabe, et senectute, quæ tamen mixtorum ut mixta affectiones minimè sunt: Et hæc mihi in disputatione hac aduersus Erastum uirum clarissimum dicenda errant, in qua si ueritatem assequi mihi datum erit, immortales Deo Optim. Max. gratiæ habeantur, Erastique sectatores, eius dogmata amplius nō persequātur. sin minus, ipsos rogatos uelim, ut pro ueritate tuenda, eius partes suscipiant, sententiāq; suam in medium afferāt. interim ego additiones quasdā in utrumq; mearū Dilucidationum uolumē, Nec nō et tertiā partē, quā nunc p̄ manibus habeo, in lucē ędā.

FINIS.

